This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

**Usage guidelines**

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

**About Google Book Search**

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

**Über dieses Buch**

Dies ist ein digitales Exemplar eines Buches, das seit Generationen in den Regalen der Bibliotheken aufbewahrt wurde, bevor es von Google im Rahmen eines Projekts, mit dem die Bücher dieser Welt online verfügbar gemacht werden sollen, sorgfältig gescannt wurde.

Das Buch hat das Urheberrecht überdauert und kann nun öffentlich zugänglich gemacht werden. Ein öffentlich zugängliches Buch ist ein Buch, das niemals Urheberrechten unterlag oder bei dem die Schutzfrist des Urheberrechts abgelaufen ist. Ob ein Buch öffentlich zugänglich ist, kann von Land zu Land unterschiedlich sein. Öffentlich zugängliche Bücher sind unser Tor zur Vergangenheit und stellen ein geschichtliches, kulturelles und wissenschaftliches Vermögen dar, das häufig nur schwierig zu entdecken ist.

Gebrauchsspuren, Anmerkungen und andere Randbemerkungen, die im Originalband enthalten sind, finden sich auch in dieser Datei – eine Erinnerung an die lange Reise, die das Buch vom Verleger zu einer Bibliothek und weiter zu Ihnen hinter sich gebracht hat.

**Nutzungsrichtlinien**

Google ist stolz, mit Bibliotheken in partnerschaftlicher Zusammenarbeit öffentlich zugängliches Material zu digitalisieren und einer breiten Masse zugänglich zu machen. Öffentlich zugängliche Bücher gehören der Öffentlichkeit, und wir sind nur ihre Hüter. Nichtsdestotrotz ist diese Arbeit kostspielig. Um diese Ressource weiterhin zur Verfügung stellen zu können, haben wir Schritte unternommen, um den Missbrauch durch kommerzielle Parteien zu verhindern. Dazu gehören technische Einschränkungen für automatisierte Abfragen.

Wir bitten Sie um Einhaltung folgender Richtlinien:

+ *Nutzung der Dateien zu nichtkommerziellen Zwecken* Wir haben Google Buchsuche für Endanwender konzipiert und möchten, dass Sie diese Dateien nur für persönliche, nichtkommerzielle Zwecke verwenden.

+ *Keine automatisierten Abfragen* Senden Sie keine automatisierten Abfragen irgendwelcher Art an das Google-System. Wenn Sie Recherchen über maschinelle Übersetzung, optische Zeichenerkennung oder andere Bereiche durchführen, in denen der Zugang zu Text in großen Mengen nützlich ist, wenden Sie sich bitte an uns. Wir fördern die Nutzung des öffentlich zugänglichen Materials für diese Zwecke und können Ihnen unter Umständen helfen.

+ *Beibehaltung von Google-Markenelementen* Das "Wasserzeichen" von Google, das Sie in jeder Datei finden, ist wichtig zur Information über dieses Projekt und hilft den Anwendern weiteres Material über Google Buchsuche zu finden. Bitte entfernen Sie das Wasserzeichen nicht.

+ *Bewegen Sie sich innerhalb der Legalität* Unabhängig von Ihrem Verwendungszweck müssen Sie sich Ihrer Verantwortung bewusst sein, sicherzustellen, dass Ihre Nutzung legal ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass ein Buch, das nach unserem Dafürhalten für Nutzer in den USA öffentlich zugänglich ist, auch für Nutzer in anderen Ländern öffentlich zugänglich ist. Ob ein Buch noch dem Urheberrecht unterliegt, ist von Land zu Land verschieden. Wir können keine Beratung leisten, ob eine bestimmte Nutzung eines bestimmten Buches gesetzlich zulässig ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass das Erscheinen eines Buchs in Google Buchsuche bedeutet, dass es in jeder Form und überall auf der Welt verwendet werden kann. Eine Urheberrechtsverletzung kann schwerwiegende Folgen haben.

**Über Google Buchsuche**

Das Ziel von Google besteht darin, die weltweiten Informationen zu organisieren und allgemein nutzbar und zugänglich zu machen. Google Buchsuche hilft Lesern dabei, die Bücher dieser Welt zu entdecken, und unterstützt Autoren und Verleger dabei, neue Zielgruppen zu erreichen. Den gesamten Buchtext können Sie im Internet unter `http://books.google.com` durchsuchen.

S Slav 6420.38.15 (2)

Harvard College Library

FROM THE

J. HUNTINGTON WOLCOTT FUND

Established in 1891 by ROGER WOLCOTT (H. U. 1870), in memory of his father, for "the purchase of books of permanent value, the preference to be given to works of History, Political Economy, and Sociology," and increased in 1901 by a bequest in his will.

# NEUES PREUSSISCHES URKUNDENBUCH.

## WESTPREUSSISCHER THEIL.

HERAUSGEGEBEN

VON

DEM WESTPREUSSISCHEN GESCHICHTSVEREIN.

II. ABTHEILUNG.

## URKUNDEN DER BISTHÜMER, KIRCHEN UND KLÖSTER.

BAND I.

## URKUNDENBUCH DES BISTHUMS CULM.

HEFT III.

DANZIG.
COMMISSIONSVERLAG VON THEODOR BERTLING.
1885.

# URKUNDENBUCH

DES

# BISTHUMS CULM.

BEARBEITET

VON

DR. C. P. WOELKY.

## HEFT III.

URKUNDEN NRO. 642—964.

DANZIG.
COMMISSIONSVERLAG VON THEODOR BERTLING.
1885.

~~Slav 6420.37.70~~
~~Ger 6911.98~~

HARVARD COLLEGE
NOV 6 1914
LIBRARY.
Wolcott fund

Slav 6420.38.15 (2)

## 642.

***1467. April 2. Rom.*** *Papst Paul II. erlaubt dem Elect Vincentius, den er mit dem Bisthum Culm providirt hat, noch andere kirchliche Beneficien für drei Jahre zu behalten.*

Paulus episcopus etc. Dilecto filio Vincentio Electo Culmensi, salutem etc. Personam tuam nobis et apostolice sedi devotam, tuis exigentibus meritis, paterna benevolentia prosequentes, illa tibi libenter concedimus, que tuis commoditatibus fore conspicimus oportuna. Hodie siquidem de eadem persona tua, nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, ecclesie Culmensi tunc vacanti de eorundem fratrum consilio apostolica auctoritate providimus, et ut statum tuum decentius tenere posses, ecclesiam Pomezaniensem tunc vacantem de ipsorum fratrum consilio tibi, quoad viveres, commendavimus, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte tua peticio continebat, tu tempore promotionis et commende huiusmodi [canonicatum] et prebendam ecclesie Gneznensis obtineres, prout obtines, ac super illis et cancellaria Poznaniensis necnon canonicatu et prebenda Cracoviensis ecclesiarum, de quibus tunc certis modis vacantibus apostolica fuit tibi auctoritate provisum, in Romana curia contra quosdam tuos adversarios litigares, prout litigas, nosque tibi de prepositura ecclesie Vislicensis Cracoviensis diocesis, que inibi dignitas principalis existit, tunc etiam certo modo vacante et antea dispositioni apostolice reservata concessissemus provideri: Nos tibi, qui carissimi in Christo filii nostri Kazimiri regis Polonie illustris orator ad nos destinatus existis, et, ut asseris, ad hoc, quod inter prefatum regem et dilectos filios magistrum et commendatores hospitalis beate Marie Theotononicorum Jerosolimitani pax et concordia subsequerentur, solicitudine indefessa laborasti, prout continuo laboras, quodque tu dictis Culmensi et Pomezaniensi ecclesiis, que in earum castris, villis, possessionibus et bonis propter guerrarum turbines, quibus partes ille prochdolor afflicte fuerunt, damna quamplurima sustinuerunt et quasi devastate sunt, ipsarumque ecclesiarum fructus, redditus et proventus adeo diminuti existant, ut ex eis iuxta episcopalis dignitatis exigentiam statum tuum decenter tenere nequeas, prout nequis, esse poteris valde fructuosus premissorum intuitu, et ut statum tuum decentius tenere ac onera tibi incumbentia faci-

lius perferre valeas, de alicuius subventionis auxilio providere teque gratioso favore prosequi volentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tibi, ut etiam, postquam possessionem vel quasi regiminis et administrationis bonorum utriusque Culmensis et Pomezaniensis ecclesiarum predictarum vigore dictarum litterarum pacificam assecutus fueris, ac munus consecrationis tibi impensum extiterit, prepositurам, etiam si ad illam consueverit quis per electionem assumi eique cura immineat animarum, cuiusque ducentorum, si tibi vigore litterarum super concessionis gratia huiusmodi conficiendarum conferatur, ac cancellariam, que in dicta ecclesia Poznaniensi dignitas, non tamen maior post pontificalem nec curata existit, cuiusque quadraginta, etiam si electiva sit, quoad vixeris, necnon Gneznensis, quorum sexaginta, ac Cracoviensis ecclesiarum predictarum canonicatus et prebendas huiusmodi, quorum octoginta ducatorum auri ungaricalium fructus, redditus et proventus secundum communem estimationem valorem annuum, ut etiam asseris, non excedunt, si illos evincas et pacifice assequaris, ad triennium dumtaxat in commendam retinere, ac ius tibi in eis vel ad illos competens in iudicio et extra prosequi et vindicare, necnon prepositure, cancellarie ac canonicatuum et prebendarum huiusmodi debitis et consuetis supportatis oneribus, de illorum fructibus, redditibus et proventibus disponere et ordinare, sicuti illos pro tempore obtinentes de eis disponere et ordinare potuerunt seu etiam debuerunt, alienatione tamen quorumcunque bonorum immobilium et preciosorum mobilium prepositure, cancellarie canonicatuumque et prebendarum huiusmodi tibi penitus interdicta, libere et licite valeas, auctoritate apostolica tenore presentium de specialis dono gratie indulgemus et tecum super hoc dispensamus, decernentes prepositurам, cancellariam et canonicatus et prebendas huiusmodi, ac ius tibi in eis vel ad illos quomodolibet competens per promotionem, impensionem et assecutionem predictas, vel per lapsum temporis de consecrandis episcopis a canonibus diffiniti interim non vacare, necnon irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attemptatum forsan est hactenus, vel imposterum contigerit attemptari; non obstantibus premissis ac constitutionibus et ordinacionibus apostolicis, necnon statutis et consuetudinibus ecclesiarum predictarum iuramento, confirmatione apostolica vel quavis alia firmitate roboratis, ceterisque contrariis quibuscunque; proviso, quod propter huiusmodi commendam prepositura, cancellaria ac canonicatus et prebende predicte debitis non fraudentur obsequiis et animarum cura in eadem cancellaria, si qua illi immineat, nullatenus negligatur, sed illius necnon prepositure ac canonicatuum et prebendarum predictorum congrue supportentur onera antedicta. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis, dispensationis et constitutionis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud sanctum Marcum anno etc. Millesimo quadringentesimo sexagesimo septimo, Quarto Nonas Aprilis, Anno Tertio.

*Reg. orig. An. III. Secret. Tom. III. fol. 313. Theiner, Mon. Pol. II. 154, nr. 191.*

## 643.

***1467. December 1. Marienburg.*** *Die Räthe der Lande Preussens genehmigen mehrere Artikel, welche zwischen dem als Conservator der ermländischen Kirche angenommenen Bischof Vincentius von Culm und den Abgesandten des ermländischen Domkapitels vereinbart sind.*

Nos Jacobus dei gracia episcopus Wladislauiensis, Stiborius de Bayszen terrarum Prussie gubernator, Marienburgensis, Johannes de Cosczyelecz Juniwladislauiensis et capitaneus castri Mariemborg, Ottho Machwycz Gdanensis palatini, Ludwicus de Mortangen Culmensis, Nicolaus Feylszdorff Gdanensis castellani, Stiborius de Ponyecz judex Poznaniensis, necnon Conradus Totekost, Johannes Scherer Thoruniensis, Johannes Rewber, Nicolaus Bluszman et Michael Engelke Elbingensis, Georgius Bock, Johannes Schoneke, Gdanensis civitatum consules et cives, ac Johannes Lyndaw secretarius eiusdem Gdanensis civitatis, significamus tenore presencium, quibus expedit, universis horum noticiam habituris, quod inter alias precipuas curas et solicitudines humeris nostris de providendo statui comodoso terrarum Prussie insidentes, volentes, ut ecclesia Warmiensis, tam in bonis quam suis membris et subditis stridore bellorum immanissime afflicta et hactenus per armorumgentes in certis locis et opidis occupata et detenta, paccari et de manibus tirannorum eripi queat, et salubria incrementa in suo regimine accipiat; pro cuius propensiori comodo et diversorum incursuum sibi ecclesie iminencium aversione venerabiles domini prelati et canonici ecclesie prefate Warmiensis concordibus animis et unanimi voluntate per confratres eorum capituli ac nuncios Bartholomeum Libemwalth cantorem et Stephanum canonicum eiusdem ecclesie, pleno mandato suffultos, reverendum in Christo patrem et dominum Vincencium, episcopum Culmensem et administratorem perpetuum ecclesie Pomezaniensis, in tutorem et conservatorem ecclesie Warmiensis pretacte ac eius bonorum, castrorum, opidorum et subditorum elegerunt, receperunt, postularunt et assumpserunt: ideo nonnullos articulos, quibus ipse dominus Vincencius episcopus, dicte ecclesie Warmiensis conservator, tandemque ipsi domini prelati, canonici et capitulares futuris temporibus pro felici et pacifico statu dicte ecclesie sunt regulandi et dirigendi, duximus presentibus conficiendos, decernendos, statuendos et inviolabiliter hincinde futuris temporibus observandos bona fide. Inprimis siquidem promittimus fide bona, quod infra octo dies ab ipso die, quo ipse dominus Vincencius episcopus et conservator in castrum Heylsberg ingressus fuerit, ecclesiam cathedralem Warmiensem ac opidum Melszag cum singulis villis, iuribus et dominiis, ad eam et capitulum spectantibus, ac censibus in festo sancti Martini preterito debitis, ac ipsorum realem possessionem dictis dominis canonicis iuxta literarum regalium ac nobilium et civitatum terre Prussie necnon perpetue pacis continenciam et tenorem effectualiter procurabit et ordinabit. Quodque ipse dominus Vincencius conservator predictam ecclesiam Warmiensem et ipsius prelatos, canonicos, capitulum, vasallos, subditos et membra in omnibus ipsorum iuribus, libertatibus, privilegiis, conswetudinibus, ordinacionibus, iurisdiccione et statutis singulis, et presertim in prelatorum

eleccione dignitatum canonicorum, ac constitucione officialium dicte ecclesie Warmiensis conservabit, ipsosque et eorum quemlibet a quibuscunque molestatoribus, occupatoribus seu invasoribus tuebitur et defensabit, nec huiusmodi molestatores colliget et hospitabit, seu ipsis auxilium consilium vel favorem contra ecclesiam prestabit quocunquemodo, nec aliquem extraneum ad prelaturas, canonicatus, prebendas et officia admittet, excepta summi pontificis auctoritate et provisione, nisi iuxta literarum regalium et privilegii indigenis terre Prussie et ecclesie concessarum continenciam vim atque formam. Non debebit eciam aliquod aut aliquam castrum vel civitatem ecclesie et capituli Warmiensis per gentes et stipendiarios aliqualiter incastellare, aut illos ad ipsas vel ipsa sine consensu canonicorum et capituli intromittere quocunquemodo. Quodque tamen si ex aliquo iusto metu causave pro defencione iuris serenissimi domini nostri regis aut ecclesie gentes aliquas, de consensu eciam capituli, ad municiones ecclesie recipere vel intromittere ipsum dominum Vincencium episcopum et conservatorem contingat, promittimus tam Regiemaiestatis quam dicti domini Vincencii conservatoris nominibus bona fide, quod ipse gentes et stipendiarii absque omni provisione et subsidio, offensa vel dampno canonicorum, capituli, subditorum et ecclesie, sed sub domini regis et ipsius domini Vincencii episcopi et conservatoris stipendiis et provisione debeant residere in eysdem. Canonici quoque et capitulum, nobiles, civitates et subditi uti libere debeant atque frui singulis censibus, redditibus, iurisdiccione et iuribus suis absque molestia gencium earundem aut offensa qualicunque, super quo speciales prefati domini nostri regis literas dictus dominus Vincencius episcopus prelibatus dominis canonicis et capitulo procurabit. Insuperque castra, possessiones, res, bona et clenodia ecclesie ipse dominus Vincencius episcopus non impignorabit, non alienabit, vel regimen et officia castrorum, civitatum vel terrarum ecclesie extraneis sed duntaxat terrarum Prussie subditis et indigenis, et signanter canonicis committet. Canonicosque et capitulum ecclesie predicte Warmiensis a quibuscunque obligacionibus, fideiussionibus et inscripcionibus, pro quodam domino Paulo episcopo et ecclesia quibusdam stipendiariis armigeris et aliis in redempcione castri Heylsberg datis, factis et inscriptis, prelibatus dominus Vincencius episcopus indempnes observabit. Illas quoque obligacionum summas de ecclesia et suis propriis solvet, ac capitulum et canonicos predictos ad solvendum summas huiusmodi nullatenus astringet vel artabit, in quantum de ecclesia Warmiensi predicta sibi domino Vincencio episcopo per summum pontificem providebitur. Item in eventum, quo sedes apostolica domino Nicolao Tungen electo aut alteri cuicunque persone de ecclesia ipsa Warmiensi provideret, memoratus dominus Vincencius episcopus conservator castra, possessiones, res et bona singula dicte ecclesie contra mandata apostolica minime occupabit aut detinebit, sed eadem castra, civitates et alia tali per sedem apostolicam proviso, dum tamen serenissimi domini nostri regis Polonie, nobilium quoque et communitatum terre Prussie consensus ad hec affuerit, absque contradiccione et impedimento tradet et assignabit realiter et cum effectu. Ac prefatos dominos prelatos, cano-

nicos, officiales et subditos ecclesie Warmiensis singulos extra sedem apostolicam et quoscunque alios a quibuscunque vexacionibus, perturbacionibus, et signanter, si quis contra ipsos vel ipsorum aliquem ad beneficiorum suorum quorumcunque privacionem tenderet, suis expensis defensabit; necnon valorem clenodiorum ac vasorum argenteorum ad capitulum pertinencium per reverendum patrem dominum Paulum predictum pro redempcione castri Heylsberg expositorum seu venditorum, dum ecclesia ad statum feliciorem pervenerit, gratuite solvet. Omnia quoque et singula per prefatum quondam dominum Paulum episcopum quibuscunque personis, de consensu tamen capituli, inscripta, infeodata, donata et concessa, inviolabiliter observabit; ac servitoribus prefati domini Pauli de salario ipsorum deservito et non soluto satisfaciet, dum tamen et si ei per summum pontificem de predicta Warmiensi ecclesia fuerit provisum. Finaliterque ipse dominus Vincencius episcopus omnes et singulas immunitates, inscripciones et literas, per prefatum dominum nostrum regem Polonie et alios quoscunque olim domino Paulo episcopo, canonicis et capitulo Warmiensi datas et collatas, ac singulas omnesque colligaciones, uniones, tractatus atque federa, cum dicto domino nostro rege Polonie ac nobilibus et communitatibus terrarum Prussie tam in Thorun quam in Elbing et alias ubilibet initas conceptas et firmatas, in suo robore et effectu firmiter servabit et custodiet inconcussas et illesas bona fide in omnibus suis articulis, capitulis atque punctis. Et nos Vincencius, dei gracia episcopus Culmensis, administrator Pomezaniensis et conservator Warmiensis ecclesiarum, prefatus, omnes et singulos articulos prescriptos, in presenti litera contentos, et eorum quemlibet in omnibus et singulis eor[um] punctis, condicionibus, posicionibus, capitulis et clausulis atque sentenciis eisdem designatis et expressis bona et sincera fide tenere, custodire et observare, nec illis aut cuipiam ipsorum in aliqua sui parte per nos vel sub . . . . . m personam directe sive indirecte contravenire aut derogare promittimus presentibus et pollicemur, quovis colore et occasione semotis et exclusis. In quorum omnium fidem et testimonium sigilla nostra sunt presentibus subappensa. Actum et datum in castro Mariemborg, feria quarta in crastino sancti Andree apostoli, anno domini Millesimo quadringentesimo sexagesimo septimo.

*Original auf Pergament mit 16 Einschnitten für die Siegel, die sämmtlich bis auf einen Pergamentstreifen verloren gegangen sind, im Archiv des ermländischen Domkapitels zu Frauenburg.*

## 644.

***[1467. December 1. — 1468. Februar 11. Frauenburg.]*** *Das Domkapitel von Ermland nimmt den Bischof Vincentius von Culm als Conservator an.*

Nos Arnoldus Dattlen prepositus, Cristannus custos, Bartholomeus Libenwald cantor, Helias de Cobelaw, Otto Doringeswald, Marcus de Wolkaw, Stephanus de Neydenburg et Wernerus Mederig officialis, canonici ecclesie Warmiensis capitulariter congregati, ad

noticiam universorum deducimus harum serie mediante, quod, viduata ecclesia nostra Warmiensi suo pastore et bellorum asperitate dudum agitata, verentes, ne per armorum gentes, que hactenus certa ecclesie loca et opida incastellata detinent, maioribus dispendiis et iacturis ipsa ecclesia afficiatur, volentes de tranquillo statu eiusdem ecclesie nostre omni pro virilitate et debito nostris providere, de certa nostra sciencia, non improvide nec per errorem, sed animis nostris concordibus et conformi voluntate capitulariter congregati, reverendum in Christo patrem et dominum Vincentium, dei gracia episcopum Culmensem et perpetuum administratorem Pomezaniensem, in conservatorem ecclesie nostre Warmiensis recepimus tenoreque presencium mediante recipimus. Promittentes et pollicentes, quod sibi domino Vincencio, tutori ecclesie nostre predicte, in omnibus licitis, debitis et honestis parebimus, fideles erimus, et sinceriter pro cònservacione ecclesie nostre et eius iuribus auxilio, ope et consilio assistemus, sub articulis, condicionibus et clausulis desuper contentis et expressis in litera inscriptionum reverendorum in Christo patrum dominorum Jacobi Wladislaviensis et prefati Culmensis dei gracia episcoporum, necnon magnificorum, generosorum et famosorum dominorum Stiborii de Bayszen gubernatoris terrarum Prussie, Johannis de Cosczelicz Juniwladislaviensis et capitanei in Marienburg, Otte Machewitcz Gdanensis palatinorum, Stiborii de Ponitcz iudicis Posznaniensis, Ludwici de Mortangen Culmensis, Nicolai Pfeilszdorff Gdanensis castellanorum, necnon Thoronensis Elbingensis et Gdanensis civitatum, quam tenere et observare fideliter presentibus spondemus, promittimus et pollicemur. In cuius rei testimonium presentes literas fieri et sigilli capituli nostri subappensione fecimus communiri.

*Abschrift im Archive des Domkapitels zu Frauenburg.*

## 645.

***1468. Februar 11. Marienburg.*** *Vincentius, Bischof von Culmsee, ewiger Administrator zu Pomezan und Conservator der Kirche Ermlands, schreibt an des Hochmeisters Statthalter Heinrich Reuss von Plawen: Der Propst Bartholomäus vom Schonenberg werde nicht in schwerem Gefängniss gehalten, was gegen die Exemption des DO. wäre, der unmittelbar unter dem Papste stehe, sondern sei in Löbau zwar gefangen, könne aber frei umhergehen, wie sich der Ordensmarschall selbst überzeugt habe.* Gegeben vff Mergenburg am donnerstage neest noch Appolonie virginis im etc. LXVIII[ten] jare.

*Original auf Papier mit dem Signet des Bischofs im Kgsb. St.-Archiv.*

## 646.

***1468. März 17. Culmsee.*** *Vincentius, Bischof von Culm, verpfändet gegen ein Darlehn von 300 preussischen Mark das Dorf Schlegelsdorf an den Thorner Bürger Johannes Trosch.*

Vincencius, dei gracia episcopus Culmensis, perpetuus in spiritualibus et temporalibus administrator Pomezaniensis et conservator Warmiensis ecclesiarum, significamus tenore

presencium, quibus expedit, universis, quod attenta et in animo nostro non sine magno dolore cordis nostri librata, examinata et pensata ecclesie nostre Culmensis cathedralis et ipsius bonorum et reddituum non mediocri, ymo deflenda exinanicione, destruccione, vastacione et defloracione, per asperitatem bellorum et acerbitatem gwerrarum peccatis exigentibus divina voluntate permissarum et annis superioribus satis inhumaniter habitarum, apud famosum dominum Johannem Trosch, civem Thorunensem, trecentas marcas leves monete et numeri prutenicalis consweti et usitati, pro instauracione, emenda, consolidacione, melioracione et salubri ac secundo statu prefate nostre Culmensis ecclesie ipsiusque bonorum procurando et augmentando recepimus, tulimus et levavimus realiter et effective. De quibus quidem pecuniis propter diversorum eventuum et casuum accidenciam et emersionem memoratum dominum Johannem Trosch assecurare et indempnem reddere cupientes, sibi de voluntate, consensu, annuicione et rathihabicione prelatorum et canonicorum prenominate nostre ecclesie Culmensis villam nostram episcopalem Slegelszdorff in terra Culmensi constitutam in eisdem pecuniis inscripsimus, obligavimus et invadiavimus, tenoreque presencium mediante inscribimus, obligamus, invadiamus et tradimus, per memoratum dominum Johannem Trosch et ipsius successores legittimos cum omni iure et dominio necnon censibus, fructibus, redditibus, proventibus, agris, pratis, campis, silvis, borris, nemoribus, indaginibus, quercetis, pinetis, dumetis, rubetis, mellificiis, aucupacionibus, venacionibus, fluviis, fluminibus, lacubus, stangnis, aquis et earum decursibus, molendinis aquaticis et ventilibus ipsorumque emolumentis, et signanter omnibus et singulis attinenciis, pertinenciis, annexis, connexis et obvencionibus universis, quocunque nomine et vocabulo appellatis, ad prefatam villam spectantibus et pertinentibus, itaque late longe et circumferencialiter, prout eadem villa in suis limitibus et graniciebus ab antiquo est distincta, determinata et scopulata, tenendam, habendam, utifruendam, regendam pacificeque et quiete gubernandam ac possidendam tamdiu, quousque sibi aut ipsius successoribus legittimis huiusmodi debitum tricentarum marcarum monete et pagamenti superius dicti per nos sive nostros successores, dominos episcopos Culmenses, fuerit plenarie solutum et consignatum. Quo soluto possessio prefate ville Slegelszdorff ad nos sive nostros successores plenarie cum omnibus suis obvencionibus redibit et spectabit. Preterea omnia, que prenominatus dominus Johannes Trosch ad melioracionem et collocacionem prefate ville, que similiter per intemperiem belli nimium est pessundata, et edificiorum emendam et restauracionem impenderit, volumus, ut tempore exempcionis certismodis iuxta cognicionem decisionem et examen racionis bonorum hominum sibi aut suis posteris exolvantur. In cuius rei testimonium nostrum et prefati capituli nostri sigilla sunt presentibus appensa. Presentibus ibidem venerabilibus et honorabilibus dominis Johanne Lyndaw decano, Stanislao de Wrancza custode, Jeronimo Waldaw Warmiensi et Culmensi ac officiali eiusdem, Johanne Polaszek et Petro de Obornyki canonicis prefate ecclesie nostre Cul-

mensis testibus ad premissa. Actum et datum in Culmesze feria quinta ante dominicam Oculi anno domini Millesimo quadringentesimo sexagesimo octavo.

*Original auf Pergament mit einem Siegelstreifen im Culm. Diöc.-Archiv. Es ist durch einen Querschnitt durchs Pergament cassirt, und wurden dabei auch die beiden Siegel, womit es behangen war, entfernt. Auf der Rückseite steht der Vermerk:* „Wir Steffanus bisschoff czu Colmenze haben das dorff Slegilsdorff mit unserm gelde gelozet czu Thorun vffim rathuze, alda fyndet men den handiln in der stadt buch geschreben."

## 647.

***1468. December 1. Rom.*** *Papst Paul II. bittet den König Kazimir von Polen, den rechtmässigen Bischof Nicolaus von Ermland gegen jederman und besonders gegen den Bischof Vincentius von Culm zu schützen.*

Paulus episcopus etc. Carissimo in Christo filio nostro Casimiro, regi Polonie illustri, salutem etc. Intellectis nuper, carissime fili, gravissimis incommodis atque periculis, quibus nobis et apostolice sedi iure fundationis immediate subiecta Warmiensis ecclesia ex diuturna ipsius vacatione premitur, cuius provisionem ex nostro in te paterno amore, ut tuam in hac celsitudinem honoremus, ultra huius nostri apostolici officii debitum distulimus, hactenus non voluimus absque rationabilibus causis illam ulterius differre. Eius itaque ecclesie indemnitatibus, ut tenemur, occurrere volentes, electionem per dilectos filios capitulum de persona venerabilis fratris Nicolai episcopi Warmiensis concorditer factam, quam coram nobis in sacro consistorio propositam canonicam reperimus, de venerabilium fratrum nostrorum consilio apostolica auctoritate confirmavimus et approbavimus, ac ipsum Nicolaum eidem ecclesie in episcopum prefecimus et pastorem, prout in nostris inde confectis literis[1]) plenius continetur. Quam confirmationem sive prefectionem, quoniam de persona idonea et digna ac nobis et predictis fratribus ob suorum exigentiam meritorum accepta, affecta etiam statui et honori tue celsitudinis, gratissima denique patrie facta est, confidimus ipsi ecclesie utilem et fructuosam, tue vero sublimitati gratam nec immerito (!) futuram. Proinde rogamus serenitatem tuam in domino et affectuose requirimus, quatenus eundem Nicolaum episcopum ac prefatam sue cure commissam ecclesiam pro nostra ac predicte sedis reverentia propensius commendatos habeas, eidem episcopo circa assequendam possessionem pacificam ac iurium necnon quorumcunque ipsius ecclesie bonorum recuperationem et defensionem adversus quoscunque opportunis consiliis ac regiis favoribus et auxiliis assistas, pro nostro et predicte sedis honore nequaquam passus, quod episcopus ipse, quominus quietam et expeditam universorum iurium et bonorum eiusdem ecclesie possessionem assequi et illa frui pacifice valeat, ab aliquibus quovis quesito colore nec etiam a Vincentio episcopo Culmensi, qui, ut ex legitimis documentis accepimus, in

---

1) *Die Provisionsbullen Pauls II. für den Bischof Nicolaus von Ermland haben sämmtlich das Datum* Rome apud s. Petrum pridie Nonas Novembris. P. n. Anno quinto. *(1468 November 4.) Abschrift im Capitelsarchiv zu Frauenburg. Die Notificationsbulle an den HM. im Original im Kgsb. St.-Archiv.*

nostrum ac prelibate sedis contemptum atque iniuriam, iuramenti sui alias apud hanc sedem in promotione sua ad Culmensem et Pomezaniensem ecclesias per nos facta corporaliter prestiti immemor, de ipsius ecclesie regimine sive administratione se temere et de facto intromisit, et varia in messe sic aliena preter omnem honestatem atque decentiam pontificalis dignitatis presumptuose in periculum anime sue fecit atque commisit, impediatur aut quomodocunque perturbetur. Faciet certe in hoc ipsa tua serenitas, ut te catholicum regem et verum ecclesiarum defensorem decet ac rem divine maiestati acceptam, ex qua ultra humane laudis premium etiam a nobis et predicta sede celsitudini tue condigna proveniet actio gratiarum. Datum Rome apud sanctum Petrum Kalendis Decembris Anno quinto.

*Abschrift im Archive des Domkapitels zu Frauenburg.*

## 648.

*[1468. December. Rom.] Papst Paul II. entbindet die Unterthanen der Kirche Ermlands von allen dem Bischof Vincentius geleisteten Eiden.*

Paulus episcopus etc. Dilectis filiis, universis ecclesie Warmiensis subditis, salutem etc. Confirmavimus nuper apostolica auctoritate de venerabilium fratrum nostrorum consilio electionem canonice celebratam per dilectos filios Capitulum ecclesie Warmiensis de persona venerabilis fratris Nicolai illius episcopi, quem eidem ecclesie prefecimus in episcopum et pastorem, prout in nostris inde confectis literis plenius continetur. Verum non sine admiratione et animi nostri displicentia accepimus legitimis documentis, Vincentium, episcopum Culmensem, se in nostrum et apostolice sedis vilipendium, iuramenti sui alias apud hanc sedem in promotione sua ad Culmensem et Pomezaniensem ecclesias per nos facta corporaliter prestiti immemorem, de regimine seu administracione bonorum ac possessionis locorum eiusdem ecclesie temere intromisisse, varia quoque in messe sic aliena presumptuose fecisse et commisisse, ac vobis quedam fidelitatis iuramenta per impressiones et minas extorsisse, licet nulliter et de facto, in sue periculum anime. Quocirca universitati vestre tenore presencium districtius iniungendo mandamus, quatenus prefatum Nicolaum episcopum tanquam patrem et pastorem animarum vestrarum devote suscipientes et debita honorificentia prosequentes tanquam vere obedientie et devocionis filii ei et nulli alteri humiliter intendatis, ac salubribus eius monitis atque mandatis reverenter pareatis; pro nostra et dicte sedis reverencia deinceps nullatenus passuri, ut predictus Vincentius episcopus vel quivis alius preter ipsum Nicolaum episcopum quocunque nomine seu titulo per se vel alios se amplius ingerere vel intromittere quoquomodo possit. Omnia enim per ipsum Vincentium episcopum sic presumpta ac gesta, necnon homagia et fidelitatis iuramenta per vos vel aliquem vestrum sub quacunque verborum forma aut condicione illi forsan in conservatore aut alias prestita seu facta, et quecunque mandata ac

inde secuta, prout sunt, nulla et inania fuisse, esse, nec ad illorum aut alicuius eorum observacionem vos teneri aut obligari potuisse neque posse nuntiamus atque decernimus. Igitur dilecti filii, vos eidem Nicolao episcopo obtemperare taliter studeatis, quod exinde apud nos et sedem predictam de prompta devocione atque obediencia valeatis non immerito commendari. Nam si secus feceritis, quod non credimus, ultra indignationem nostram, quam incursuri exinde essetis, cogeremur per censuras ecclesiasticas et alia oportuna remedia contra vos huiusmodi mandatorum nostrorum contemptores procedere, quod vestrum erit prudenter cavere. Datum etc.

*Abschrift im Archive des Domkapitels zu Frauenburg. Eine andere Abschrift ebenfalls ohne Datum im Kgsb. St.-Archiv.*

## 649.

***1469. März 6. Riesenburg.*** *Vincentius, Bischof von Culm, und der Gubernator Stibor von Baysen genehmigen die Schenkung der Dörfer Neukirch, Karschau und Maibaum an das Brigitten-Kloster in Elbing.*

Wir Vincencius von gotis gnaden bischouff zcu Culmensehe, der kirchen Warmlant vnd Pomezan administrator, vnde wir Stibor von Baysen, der lande Prewsen gubernator vnd Marienburgscher woywode, thun kunth vnd bekennen offinbar vor allen vnd iczlichen mit desem vnseren vffenen, wie der wolweise her Hinrich Bylandt, burgermeister der alden stat Elbingk in mehnunghe ist, etliche dorfer mit namen Newkirche, Carschaw vnd Meybom, im vor etliche gelehgene summa geldes durch den verstorbenen herren Johannem von Baysen, gubernatorem mildes gedechtnis, vorphendet vnd vorschreben, seiner zelen zcur zelickeit deme Closter sunt Birgitten zcum Elbinghe in eyn testament zcu setczen, vnd hot dorynne im abewesen vnsirs allirgnedigsten herren des koniges gesucht zcu vorleihen vnsern willen. So haben wir angesehen den gutten vorsatcz des ehegenanten hern Hinrichs vnd das ouch sein gutter wille gote vnserem herren zcw lobe vnd deme Closter sanct Birgitten in disen nehest vorganghenen krighen vffgelegt zcw eyner gutten zeligen volbrengunghe komen mochte, vnd vorleihen mit vnd in crafft vnd macht dises brieffes zcw sulchem testament vnsern willen, bis an vnsern allirgnedigsten herren den konig. Seine konigliche Maiestet wir ouch glouben zcu vormoghen vnd houffen ouch, das dy dasselbige testament der benumpten dorffer zcw sulchem closter durch konigliche briffe ewiglichen wirt befestighen, welche dorffer wir denne demeselbigen closter vorsprechen vnd zcusagen. Das zcw vorderem bekentnisse haben wir obingenanten Vincencius bischouff etc. vnsir Sigill, vnd wir Stibor gubernator vnsirs ampts Sigil mit wissen hie vndin anhanghen lossen an dissen briff, der gegeben ist vff Resenburgk am montaghe nehest noch deme Sontaghe Oculi noch der geburt vnsirs herren vierzcehen hundert vnd dornoch im newn vnd sechzcichsten Jore.

*Abschrift im Archiv des Domkapitels in Frauenburg.*

## 650.

***1469. April 13. Löbau.*** *Vincentius, Bischof von Culm, schenkt seinem Domkapitel zur Reparatur der Kathedralkirche den bischöflichen Garten nebst einem Bruche auf der Vorstadt in Culmsee.*

In nomine domini amen. Ad perpetuam rei memoriam. Vincentius, dei gracia episcopus Culmensis et perpetuus in spiritualibus et temporalibus administrator ecclesie Pomezaniensis. Opus meritorium et obsequium deo placidum nos exercere credimus, quociens ecclesiasticarum personarum iustis votis et supplicacionibus condescendimus et ipsarum prestolacionibus providemus. Proinde significamus tenore presencium, quibus expedit, universis presentibus et futuris, harum noticiam habituris, lecturis, visuris vel audituris: Quomodo ecclesiam nostram Culmensem cathedralem per bellorum stridorem et gwerrarum acerbitatem plurium exinanitam et destructam aliqua amplitudine attollere cupientes illi necessaria et profectuosa, ut tantocius divinus famulatus in eadem institui posset et instaurari, venerabilibus et honorabilibus dominis prelatis et canonicis totique capitulo prefate ecclesie nostre Culmensis, fratribus nostris in Christo dilectis, non per errorem aut improvide, sed de certa nostra sciencia et animo deliberato, ortum nostrum episcopalem cum palude in suburbio civitatis Culmeze, eundo versus castrum Papow, post curiam nostram ex opposito chori ecclesie prefate cathedralis situm et iacentem, donacione perpetua et irrevocabili dedimus, donavimus et contulimus, tenoreque presencium damus, donamus, conferimus et largimur; nihil juris proprietatis et dominii nobis et pro nostris successoribus in eodem reservando. Quem quidem ortum cum palude memorati prelati, canonici et capitulum ecclesie nominate Culmensis cum omni iure, proprietate et dominio, necnon favoribus, usuris et proventibus quibuscunque et quocunque nomine vocitatis, qui modo ibi sunt vel in futurum fieri et procurari poterint, ac obvencionibus universis, itaque late longe et circumferencialiter, prout ab antiquo consistit determinatus et limitatus, habebunt, tenebunt, utifruentur, arrendabunt, obligabunt, vendent et commutabunt, ac pacifice et quiete possidebunt perpetuis temporibus et eviternis, in ipsorumque et capituli usus beneplacitos convertent, prout ipsis et toti capitulo melius et utilius videbitur expedire. In cuius rei testimonium et evidenciam meliorem presentes nostras donacionis literas per notarium nostrum scribi et sigilli nostri appensione iussimus et fecimus communiri. Actum et datum in castro nostro Lubawiensi, feria quinta post dominicam Quasimodogeniti, anno domini Millesimo Quadringentesimo sexagesimo nono. Presentibus ibidem nobilibus Nicolao de Markowo, Stanislao de Chodakowycze, Johanne Schulymewski et Johanne Podlavski, curiensibus et servitoribus nostris, testibus ad premissa.

*Original auf Pergament mit dem Siegel des Bischofs an roth-weiss-schwarzer Schnur im Culmer Diöcesan-Archiv. Mauritius nr. 102.*

## 651.

***1469. Mai 20. Rom.*** *Papst Paul II. befiehlt dem Bischof Vincentius von Culm, bei Strafe kirchlicher Censuren von seinen Versuchen, sich in die Kirche Ermlands einzudrängen, abzulassen.*

Paulus episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Suscepti regiminis solicitudo nos admonet et ordo rationis exposcit, ut provisiones per nos ex venerabilium fratrum nostrorum sancte Romane ecclesie Cardinalium consilio ad ecclesiarum cathedralium regimina de personis benemeritis, ac nobis et sancte sedi apostolice devotis, tunc precipue, cum earundem canonica precessit electio, rite factas conservemus illesas, et ut ille suum debitum sorciantur effectum, perversorum obviemus maliciis, ac alias, prout expedire conspicimus, oportune provisionis remedium celeriter adhibeamus. Dudum siquidem electionem per dilectos filios Capitulum ecclesie Warmiensis, que nobis et sancte sedi apostolice iure fundationis et dotacionis immediate subiecta existit, de persona venerabilis fratris Nicolai episcopi Warmiensis canonice celebratam, auctoritate apostolica de dictorum fratrum nostrorum consilio confirmavimus et approbavimus, ipsumque Nicolaum eidem ecclesie prefecimus in episcopum et pastorem, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum itaque, sicut fidedignorum relatibus intelleximus, ad nostrum non sine admiratione pervenit auditum, venerabilis frater Vincentius, episcopus Culmensis et ecclesie Pomezaniensis administrator in spiritualibus et temporalibus per sedem apostolicam deputatus, ad regimen prefate Warmiensis ecclesie ambitiose aspirans, post et contra predictam electionem, ac illius per nos, ut premittitur, canonice factam confirmationem et prefectionem predictas, variis et exquisitis modis solicitaverit, nonnullosque ex ipsius ecclesie Warmiensis canonicis, et presertim quosdam Bartholomeum Libenwald, Arnoldum Clunder, Marcum de Wolkaw, Wernerum Medderich, Stefanum Neydenburg et Johannem Dattelen, quos contra propria eorum vota, que in eligendo prefatum Nicolaum episcopum et ex post concorditer prestiterant, muneribus et promissionibus, subditos vero et quosdam alios canonicos eiusdem ecclesie sibi adherere merito recusantes, per impressionem et minas, quas suis, et ut dicitur, sub nomine regio confictis et sigillatis litteris eisdem canonicis et subditis imposuit, sibi adsciverit, eorumque assistentia fretus in prefata ecclesia Warmiensi se de facto intrudens, de regimine et administratione bonorum, necnon occupatione quorundam locorum eiusdem ecclesie Warmiensis damnabiliter intromiserit, ordines etiam sacros extra tempora a iure statuta celebrare, ac alia pontificalia absque sedis prefate licentia, nec illa obtenta vel petita exercere, prefatumque Nicolaum episcopum, quominus pacificam possessionem assequi valeret, non modo multipliciter impedire, verum etiam tam ipse, quam canonici adherentes predicti persuasionibus et promissis illicitis corrupti, una cum quodam Fabiano de Mawlen milite et nonnullis aliis complicibus, obedientie iuramentorum per eos prestitorum immemores, electionem ac confirmationem et prefectionem nostras predictas detestabili rebellione parvi pendere atque contemnere non verentur, ipseque Vincentius episcopus, licentia dictorum canonicorum suorum complicum, ut dicitur,

obtenta, quedam clenodia argentea etiam sacra, vel mitram et baculum pastoralem, ac alia ad predictam ecclesiam legitime spectantia, sub colore mutui simulati extra diocesim Warmiensem secum asportare presumpsit, et tam suis quam confictis litteris regiis prohibitiones publicas de non recipiendo, neque admittendo litteras illuc a Romana curia in favorem prefati Nicolai episcopi destinandas, nec etiam ipsum episcopum Nicolaum vel eius amicos fieri et publicari curavit, in sue ac dictorum complicum animarum grave periculum, necnon ecclesie Warmiensis predicte preiudicium non modicum, pernitiosum exemplum et scandalum plurimorum: Nos itaque attendentes tam graves et enormes excessus, maxime in prelatis et personis ecclesiasticis, quorum opera elucere debent, ne prava a subditis in exemplum trahantur, nullatenus impunitos esse relinquendos, ac volentes, prout tenemur, huiusmodi abusibus temerariis obviare, nostroque et dicte sedis honori ac prefati Nicolai episcopi et ecclesie sue indemnitatibus super hiis oportune prospicere, motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblate petitionis instantiam, sed equitatis et iusticie cultu suadente, omnes appellationes per Vincentium episcopum et complices supradictos in presenti negotio forsitan interpositas seu interponendas ex certa scientia annullantes, ac illas cum inde secutis nullas, frivolas et inanes fore decernentes, necnon Vincentio episcopo et complicibus prefatis super illis perpetuum silentium imponentes, eosdem Vincentium, canonicos et complices ac universos et singulos prefate ecclesie Warmiensis subditos, necnon arrendatarios, censuarios et debitores fructuum, bonorum et iurium eiusdem ecclesie, et alios quoscunque utriusque sexus, ecclesiasticas seculares et ordinum quorumcunque regulares, exemptas et non exemptas, ac etiam laicales personas, cuiuscunque dignitatis, status, gradus, conditionis vel preeminentie fuerint, ipsum Nicolaum episcopum, quominus pacificam dicte ecclesie ac omnium bonorum, iurium et locorum eiusdem assequatur possessionem, quomodolibet impedientes, aut impedientibus auxilium, consilium vel favorem tacite vel expresse, directe vel indirecte, seu quovis alio quesito colore prestantes, in virtute sancte obedientie et sub excommunicationis maioris pena, necnon divini obtestatione iudicii atque aliis censuris et penis infrascriptis, apostolica auctoritate presentium tenore monemus, quatinus infra spatium dierum sexaginta post publicationem seu affixionem presentium in maiori ac parrochialibus sanctarum Elisabeth et Marie Magdalene Wratislaviensis, necnon beate Marie opidi Franchfordensis Lubucensis diocesis ecclesiis, seu in alio loco propinquo, ubi executio tute fieri poterit, faciendam, quorum sexaginta dierum viginti pro primo, viginti pro secundo et reliquos viginti dies pro ultimo et peremptorio termino, ac monitione canonica eis et omnibus ipsorum assignavimus, Vincentius videlicet a molestiis ac detentione et occupatione castrorum, iurium, bonorum et locorum Warmiensis ecclesie cessasse, illaque vacua et expedita cum bonis ablatis et fructibus inde levatis integre ipsi Nicolao Warmiensi episcopo restituisse, alii vero canonici et subditi supradicti eidem Nicolao episcopo obedientiam et reverentiam debitas exhibuisse, ipsiusque salubribus monitis atque mandatis deinceps parere, eique

vel procuratori suo legitimo de singulis tam debitis, quam in futuro debendis fructibus, redditibus, proventibus, censibus, iuribus, emolumentis et obventionibus universis respondere realiter et cum effectu debeant et teneantur; alioquin exnunc prout extunc, si non paruerint, prout ad quemlibet ipsorum pertinet, predictis sexaginta diebus elapsis, videlicet in Vincentium episcopum interdicti ingressus ecclesie primo, et deinde suspensionis a divinis, ac expost in eundem necnon canonicos et singulares personas huiusmodi, ac eis auxilium, consilium vel favorem prestantes, ut prefertur, excommunicationis maioris, in collegia vero et ecclesias, parrochias, capitula, civitates et loca predicta interdicti ecclesiastici strictissime observandi sententias promulgamus, quas ipsorum singulos, si contra factum fuerit, respective incurrisse volumus ipso facto. Et si, quod absit, eas per triduum postremo animo sustinere indurato pertinaciter contenderint, Vincentium episcopum sibi commissis ecclesiis prefatis, ac omni officio, honore et exercitio pontificalis dignitatis, alias vero personas, si fuerint ecclesiastice, singulis canonicatibus et prebendis ac dignitatibus, personatibus, administrationibus et officiis, aliisque beneficiis ecclesiasticis cum cura vel sine cura, secularibus vel regularibus, que obtinent, si seculares extiterint, omnibus feudis, bonis, honoribus, privilegiis et officiis, que a sede vel Warmiensi ecclesia predictis tenent sive recognoscunt, perpetuo privatos decernimus, et ex privatione huiusmodi illa omnia extunc vacare, ac per eos, ad quos alias pertinet, ydoneis et obedientibus licite conferri posse et debere, ipsumque Vincentium ac canonicos complices et adherentes aliosque prefatos ad huiusmodi et quevis alia beneficia, feuda, bona, iura, privilegia, honores et officia obtinenda etiam perpetuo inhabilitamus, et tam illos, quam alios omnes inobedientes in centum marchis auri camere apostolice irremissibiliter applicandis condemnamus similiter per presentes; declarantes nichilominus omnes ordines ecclesiasticos per ipsum Vincentium episcopum deinceps non obtenta a nobis vel predicta sede licentia et absolutione ac integra restitutione celebrandos, atque sacramenta ecclesiastica per ipsum ministranda, prout sunt, esse nulla nulliusque roboris vel momenti, nostreque intentionis semper fuisse et esse, quod idem Nicolaus episcopus vigore litterarum nostrarum predictarum, omnibus sublatis impedimentis, pacifica dicte sue ecclesie possessione fruatur. Et insuper venerabilibus fratribus nostris Wratislaviensi et Lubicensi episcopis, ac dilecto filio preposito ecclesie Wratislaviensis per apostolica scripta simili motu mandamus, quatinus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios premissa omnia et singula, ubi et quando expedire viderint, solemniter publicantes, ac prefato Nicolao episcopo efficacis defensionis presidio assistentes, non permittant eum per Vincentium episcopum, canonicos et complices, ac singulares personas prefatas vel quoscunque alios super eadem ecclesia Warmiensi indebite molestari, sed quemlibet ex Vincentio et canonicis aliisque personis huiusmodi, quem sententias prefatas, dictorum sexaginta dierum termino effluxo, ac de effectuali et reali paritione premissorum coram ipsis seu altero ipsorum minime docto, eis constiterit incurrisse, quotiens super hoc vigore litterarum huiusmodi pro parte ipsius Nicolai episcopi

fuerint requisiti, tamdiu in ecclesiis suis dominicis et festivis diebus, dum maior inibi populi multitudo convenerit ad divina, excommunicatum et privatum ac aliis huiusmodi penis irretitum, civitates vero et loca predicta canonico esse interdicto supposita publice nuncient, et faciant ab aliis nuntiari, ac ab omnibus arcius evitari, donec spiritum resumentes consilii sanioris, prefato Nicolao episcopo et aliis lesis condignam emendam prestiterint, necnon absolutionis beneficium ab eisdem sentenciis et alias integram reconciliationis graciam meruerint obtinere; contradictores auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam etc. Invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, illa presertim, que incipit: Statutum, quod circa iudices; et de duabus dietis in concilio generali et aliis apostolicis constitutionibus, necnon statutis et consuetudinibus ecclesiarum, in quibus huiusmodi beneficia forsan fuerint, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis contrariis quibuscunque; aut si Vincentio episcopo ac Warmiensi capitulo necnon singularibus et aliis personis predictis vel quibusvis aliis communiter vel divisim a dicta sede sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut suis beneficiis, feudis, bonis, honoribus et privilegiis privari non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Preterea quia difficile foret presentes litteras ad singula, in quibus necessarie forent, loca deferre, prefata auctoritate decernimus, quod ipsarum transumpto alicuius ecclesiastici prelati sigillo munito tanquam eisdem presentibus, si exhiberentur, litteris plena ubique fides adhibeatur, et perinde stetur, acsi eedem presentes littere forent exhibite vel ostense. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre annullationis, constitutionis, impositionis, monitionis, assignationis, promulgationis, voluntatis, decreti, inhabilitationis, condemnationis, declarationis, mandati et statuti infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud s. Petrum Anno etc. MCCCCLXVIIII. Tertiodecimo Kal. Junii. Pontificatus nostri Anno Quinto.

*Reg. orig. An. III. Secret. Tom. VIII fol. 259. Theiner, Mon. Pol. II 160 nr. 199.*

## 652.

***1469. Mai 25. Löbau.*** *Vincentius, Bischof von Culm und Administrator von Ermland und Pomesanien, bescheinigt dem Rath der Stadt Elbing die Rückzahlung einer vom Bischof Johannes geliehenen, der Culmer Domkirche zustehenden Geldsumme.*

Vincencius, dei gracia episcopus Culmensis, Warmiensis et Pomezaniensis ecclesiarum administrator, significamus tenore presencium, quibus expedit universis, recognoscentes, quia famosi domini magistercivium et consules civitatis Elbingensis nobis pro omnibus et singulis debitis, tam auri argenti quam aliarum pecuniarum, in quibus nobis et ecclesie nostre Culmensi cathedrali vigore literarum obligatoriarum patencium sigillis ipsorum

necnon militarium et civitatensium terrarum Prussie comunitarum reverendo olim patri domino Johanni, episcopo Culmensi, nostro predecessori, datarum et traditarum tenebantur legittime et obligabantur, satisfecerunt et solucionem plenam et integram prestiterunt et impenderunt realiter et effective. De quibus omnibus et singulis talismodi debitis pecuniariis quam auri et argenti in quacunque summa sive quantitate expressis et designatis ad nos et ecclesiam nostram prelibatam, sic ut premissum est, vigore eiusmodi literarum obligacionis memorato olim domino Johanni nostro anticessori datarum pertinentibus et spectantibus prefatos dominos magistrumcivium et consules ac totam civitatem Elbing quittamus, absolvimus ac liberamus, harum serie mediante perpetuis temporibus et eviternis. In cuius rei testimonium sigillum nostrum est subappensum. Actum et datum in castro nostro Lubawiensi feria quinta ante festum benedicte Trinitatis anno domini Millesimo quadringentesimo sexagesimo nono.

*Original auf Pergament mit wohlerhaltenem Siegel des Bischofs an einem Pergamentstreifen im Elbinger Stadtarchiv. — Eine andere fast wörtlich übereinstimmende Quittung desselben Bischofs* d. d. in castro Lubaviensi die Sabbati octava mensis Julii *(8. Juli)* a. d. 1469 *über Rückzahlung des durch Bürgermeister und Rathleute von Danzig von seinem Vorgänger Johannes erhaltenen Darlehns findet sich im Original im Danziger Stadtarchiv. — Das Siegel des Bischofs Vincencius Kielbasa, Wappen Nałęcz, ist abgebildet bei Vossberg, Gesch. der preuss. Münzen und Siegel Taf. XIX e und führt die Umschrift in gothischen Minuskelbuchstaben:* * S. vincency d g epi cvlmen — et pomezanien. ꝛc. *Sein Sekret oder Signet hat auf dem Schilde das Wappen Nałęcz, über demselben Mitra und Bischofsstab und die Umschrift:* + S. VINCENCII. EPI. — *Nach Niesiecki, Herbarz Polski ed. Bobrowicz w Lipsku. 1839 IV 223 vgl. I 66 ist Kiełbasa (d. i. Wurst, Bratwurst) älterer Beiname der Familie Gosławski.*

## 653.

***1469. September 24. Marienburg.*** *Die Bischöfe Jacobus von Leslau und Vincentius von Culm bescheinigen, als Bevollmächtigte des Königs von Polen, die Zahlung einer rückständigen Geldsumme und die Abtretung des zu Marienburg gehörigen Theiles des Drausensees durch die Stadt Elbing.*

Wir Jacobus vnde Vincencius, von gotis gnoden bischoffe zcu Leszlaw vnde Culmenszehe, der kirchen Warmlanth vnde Pomezan administrator, thun kunt vnde bekennen vffinbar vor allen vnde itzlichen mit diszem vnserm vffenen briffe, wie das wir im namen vnszeres allergnedigsten heren des koniges noch befeell seiner koniglichen gnoden gemaneth vnde gefordert haben von den erszamen vnde wolweiszen heren burgermeistern vnde rathmannen czum Elbinge das gelt, das sie noch von den dreien ioren in diszem ewigen frede itczunt vorsch[r]euen schuldig seyn geweszen seinen koniglichen gnoden, noch innehalt des privilegiens en durch die konigliche maiestath gegeben; vnde haben ouch dorbey von en begert von wegen koniglicher maiestat, das szie abetreten welden das stucke Drawszems, welchs vor den neest gestillten krigen kegen Mergenburg gehort hath. Dorinne szie vns czum letczten durch velen fleis gefolbort haben vnde das stucke Drawszems egemelt abegetreten. Dorvff wir en ouch widder vorheischen vnde glaubet haben, das sie stetes noch diszer zeit gebrwchen vnde behalden sullen vnuorkortczet ane irkeinen eynfall alle gerechtikeite gewonheit vnde wylkoren, etczwen vor diszen neest vorgangenen krigen

kegen dem Elbinge in deme selbigen sehe Drawszem in besitczunge geweszen, vnde auch durch vnsern allergnedigsten heren den konigk en gegeben vnde durch privilegie vorleneth, vnde sagen sie hiemethe frey, qweith vnde losz von wegen der koniglichen maiestath, alsze seiner gnoden volmechtige, alles geldes, das sie seiner koniglichen maiestat von des vorgesageten privilegiens wegen noch schuldig seyn vnde nicht gegeben haben, das sie deszhalben in czukomenden czeiten keine manunge noch irforderunge vorbas leiden sullen; sunder szo disze neest komende Phingesten czukommen, sullen sie widder, vnde dornoch ior ierlichen viherhundert ungerische gulden der koniglichen maiestat vorphlichtet seyn czu geben, noch innehaldung der hantfesten, welche sie dorvff haben. Das czu vordem bekentenisze merer haldunge habin wir vnser segill mit wiszen hie vnden anhangen loszen diszem briffe, der gegeben ist vffem slosze Mergenburg am sontage neest noch Mathei des heligen appostels vnde ewangelisten noch der gebort vnsers heren viherczenhundert vnde dornoch im newn vnde sechczigisten iare.

*Original auf Pergament mit den beiden Siegeln der Bischöfe im Stadtarchiv von Elbing. Vgl. Volckmann, Katalog des Elbinger Stadtarchivs S. 50.*

## 654.

***1470. Juli 13. Marienwerder.*** *Vincentius, Bischof von Culm und Administrator von Pomesanien, verpfändet neun Hufen in Neu-Tromnau an seinen Diener Johannes Polak von Wyssoka.*

Vincencius, dei gratia episcopus Culmensis et perpetuus in spiritualibus et temporalibus administrator ecclesie Pomezaniensis, significamus tenore presencium, quibus expedit, universis presentibus et futuris, quod attendentes bonorum nostrorum episcopatus Pomezaniensis magnam destructionem, exinanicionem et depopulacionem, ex bellorum turbinibus factam, quorum instauracioni providere volentes et condicionem facere meliorem, ac ut servitores pro nostra et predicte ecclesie necessitate habere possimus, horum respectu nobili Johanni Polak de Wyssoka, servitori nostro grate dilecto, ducentas marcas leves Pruthenicales in et super novem mansis in villa nostra Nowa Trumenaw ex illa parte eiusdem ville via, que tendit ex opido nostro Rezenburg versus antiquam Trumenaw, constitutis aliis agris, qui sunt circa eandem villam versus predictum opidum Rezenburg siti, pro nobis reservatis, de speciali consensu voluntate ac sub rathihabicione venerabilium dominorum fratrum nostrorum capituli ecclesie predicte Pomezaniensis inscripsimus, donavimus et assignavimus, tenoreque presencium mediante inscribimus, donamus et assignamus, prememoratum Johannem Polak ipsiusque successores legittimos cum omni iure proprietate et dominio necnon censibus, fructibus, redditibus, proventibus, attenenciis, spectanciis et obvencionibus universis quocunque nomine appellatis, ex eysdem mansis proventibus, habendos, tenendos, utifruendos in eisdem pecuniis aliis impignorandos et obligandos ac pacifice et quiete possidendos tamdiu quousque memorato Johanni Polak,

sue consorti aut ipsius legittimis superstitibus, huiusmodi ducente marce per nos sive successores nostros episcopos Pomezanienses fuerint plenarie et integre exolute (!). Quibus solutis possessio et tenuta predictorum mansorum ad nos et successores nostros redibit pleno jure. Poterit quoque prefatus Johannes et sui succedanei silvis ad predi[c]tam villam spectantibus uti, prout nos sive alii incole eiusdem ville in omnibus fruuntur, insuper et pisces in lacu nostro Clasterchen pro suo usu cum parwis retibus capere et prendere, quod magnis retibus fieri denegamus et prohibemus. In cuius rei testimonium nostrum et prefati capituli nostre ecclesie Pomezaniensis sigilla presentibus sunt appensa. Datum in castro nostro Qwedzyn feria quarta ante festum Sancte Margarethe virginis anno domini millesimo quadringentesimo septuagesimo.

*Original auf Pergament mit den beiden Pergamentstreifen für die (fehlenden) Siegel auf der v. Wallenrodtschen Bibliothek in Königsberg.*

## 655.

***1470. Juli 22. Rom.*** *Paul II. bevollmächtigt den Bischof Nicolaus von Ermland, sämmtliche Anhänger des Vincentius Kielbassa, ihn selbst ausgenommen, von den über sie verhängten Censuren zu absolviren.*

Paulus episcopus, servus servorum dei. Venerabili fratri Nicolao, episcopo Varmiensi, salutem etc. Cum alias Vincentium Kelbasz, tunc intrusum in ecclesia Warmiensi, cui te dudum prefecimus in episcopum et pastorem, ac nonnullos canonicos et subditos atque alios ipsi adherentes pro eo, quod litteris nostris et mandatis apostolicis parere contempserunt, eorum contumatia et aliis demeritis exigentibus, diversis censuris et penis ecclesiasticis duxerimus innodandos, eorumque loca ecclesiastico supposuerimus interdicto, prout in diversis nostris litteris, quarum tenores presentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur; et sicut accepimus, tu cum gratia et benedictione nostra ad ecclesiam ipsam pro illius possessione nanciscenda accedere intendas: Nos personam tuam nobis et sancte sedi apostolice devotam munere apostolico honorare volentes, tibi omnes et singulos in ipsis litteris comprehensos, qui ad nostram et sedis prefate tuamque obedientiam redierint, si hoc humiliter petierint, ipso Vincentio duntaxat excepto, a predictis censuris et penis auctoritate nostra hac vice duntaxat in forma ecclesie consueta absolvendi, iniunctis inde eis pro modo culpe penitentia salutari et aliis, que de iure fuerint iniungenda, ipsosque in pristinum statum, absque tamen alicuius preiudicio, reponendi, reintegrandi et restituendi, ac cum personis ecclesiasticis super irregularitate, si quam propterea incurrerunt, dispensandi, interdictum quoque ecclesiasticum premissorum occasione positum relaxandi, omniaque alia et singula, que pro salute dictorum tuorum subditorum et aliorum ad obedientiam, ut prefertur, redeuntium in premissis vel circa ea necessaria noveris, vel alias quomodolibet oportuna faciendi et exequendi plenam et liberam facultatem concedimus per presentes. Non obstantibus omnibus illis, que in dictis litteris non

obstare voluimus, quodque absolutionem illorum nobis tantum et predicte sedi duxerimus specialiter reservandam, ceterisque contrariis quibuscunque. Datum Rome apud sanctum Petrum anno incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo septuagesimo, Undecimo Kal. Augusti, Pontificatus nostri anno sexto.

F. de Placentinis.

*Original auf Pergament, dessen oberer und unterer Theil abgeschnitten ist, weshalb auch die Bleibulle fehlt, im Archiv des Domcapitels zu Frauenburg.*

## 656.

***1470. Juli 22. Rom, St. Peter.*** *Paul II. befiehlt dem HM., dessen Stellvertreter und dem deutschen Orden in Preussen, die zur ermländischen Diöcese gehörige Stadt Wartenberg, welche während der Kriegszeiten der Orden eingenommen aber noch nicht zurückerstattet hatte, und die seitdem* „quidam Vincencius Kelbasz se pro episcopo Culmensi gerens," *sein Domkapitel und seine Anhänger zu besetzen strebten, dem rechtmässigen Bischof Nicolaus von Ermland zu übergeben.* „Nuper fidedigna." Dat. Rome apud S. Petrum anno incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo septuagesimo, undecimo Kal. Augusti, pontificatus nostri anno sexto.

*Original auf Pergament mit der Bleibulle im Kgsb. St.-Archiv.*

## 657.

***1470. Juli 25. Marienburg.*** *Vincentius, Bischof zu Culmsee und der Kirche zu Pomezan ewiger Administrator, verschreibt in besonderem Auftrage des Königs Kazimir*

*1. den Einwohnern des Dorfes Tralau im grossen Werder zwanzig Hufen zu culmischem Recht, von denen der Schulze Andreas Schuffenhawer zwei Freihufen erhalten, die übrigen achtzehn Hufen drei gute Mark und ein paar Hühner jährlich zinsen, von Scharwerk aber und von „teichen und dämmen" frei sein sollen. Eine Hufe Uebermass erhalten sie mit der Verpflichtung einen Graben zwischen ihrem Felde und der Wiese des Voigts von Leske bis in die Swente zu ziehen und zu unterhalten. Auch dürfen sie nach Bequemlichkeit abwässern, jedoch ohne Schaden für andere.* D. Marienburg am S. Jacobstage des h. Apostels MCCCC LXX.

*2. ein und dreissig Morgen Acker in Vogelszang im grossen Werder bei Marienburg an den Schulzen Nicolaus Riben und seine Nachbarn zu culmischem Recht gegen einen jährlichen Zins von einer geringen Mark und ein paar Hühnern für jeden Morgen. Scharwerk beim Schlosse wird ihnen nach Tagelohn vom Zinse abgerechnet. Sie erhalten noch ein Freijahr, einen halben freien Morgen zu einer Trift, und freie Weide für vier Stück Vieh in der königlichen Heerde bei Kalthoff, wofür sie Hirtenlohn entrichten.* Dat. ut supra.

— ***August 10. Rosenberg.*** *Derselbe, bevollmächtigt vom Könige Kazimir, erneuert die Handfeste des Dorfes Stalle (Kr. Marienburg) über 30 Hufen, wovon der Schulze drei Hufen mit dem dritten Pfennig vom Gerichte frei hat, die übrigen Hufen jährlich je 3 geringe Mark mit 2 Hühnern zinsen. Das Dorf ist frei von Scharwerk, soll jedoch jährlich durch 8 Arbeitstage 6 Mann zum Heuschlagen stellen und eine Last Elbinger Bier anfahren.* Dat. Schloss Rosenberg am S. Lorenztage MCCCCLXX.

*E. J. Dormann, Geschichte des Kreises Marienburg. Danzig 1862. S. 39, 40 und 89.*

## 658.

***1471. März 29. Löbau.*** *Vincentius, Bischof von Culm, schickt seinen Schreiber Nicolaus an den Rath von Braunsberg.*

Vincencius, von gotis gnoden Bisschoff czu Culmensze vnde der kirchen czu Pomezan ewiger Administrator. Erszamen vnde vorsichtigen, liben vnde beszundern Burgermeister vnde Rathmanne czum Bravnszberge. Wir entpiten euch vnszern grus vnde gunst vnde schikken czu euch kegenwertigen vnszern Schreyber Nicolaum in eczlichen gewerben vnde geschafften, dy noch vnszerem befel an euch czu brengen. Worumb bitten wir euch vnde begeren ouch, das ir em in seinen werbungen volkomelichen glawben welleth vorleihen szam ab wir in egener perszonen kegenwertig weren, vnde euch dorinne gutwilligk beweyszen. Dorane geschith vns eyn szunderlicher behegelicher wille. Gegeben zcur Lobaw am freytage noch Letare Jerusalem. Im etc. eyn vnde sebenczigesten Jar.

*Original auf Papier mit aufgedrücktem Signet des Bischofs, ehedem im Rathsarchiv zu Braunsberg, jetzt im Privatbesitz.*

## 659.

***1471. Mai 5. Löbau.*** „Vincentius, B. zu Culmensehe und der Kirchen czu Pomezan ewiger Administrator“ *schreibt an den Rath in Danzig, welcher ihn für Augustin Spiraw, Urban Tapiau und Georg Greteler um Freigebung ihrer Güter gebeten hatte: Er wundere sich über ihre Fürbitte, dass sie den Worten solcher Uebelthäter mehr Glauben geschenkt hätten als anderen erbaren Leuten, vor denen wie vor Fabian von Legendorf, Herr zu Elbing und Hauptmann zu Heilsberg, jene offen eingestanden, sie hätten dem Könige nach dem Leben getrachtet. Solche Verräther könne er nicht im Lande dulden.* Gegebin czur Lobaw am sontage Jubilate im etc. LXXI Jare.

— ***Mai 17. Löbau.*** *Derselbe schreibt an denselben: Der Hochmeister habe die Tagefahrt auf Peter-Paul zu Elbing abgesagt und um Hülfe gegen Muschigk gebeten. Danzig möge sich erklären, ob die Hülfe zu leisten sei; jedenfalls müsse den losen Gesellen, die sich dort aufhalten, gewehrt werden, um sie zum Anschluss an Muschig zu veranlassen. Auch habe der Orden um den Ertrag der Accise gebeten.* Geg. vff vnserm slosse Lobaw am freitage noch Cantate domino etc. im LXXI Jare.

*Beide Originalbriefe auf Papier mit Siegelresten im Stadtarchiv zu Danzig.*

## 660.

***1471. Mai 23. Löbau.*** *Vincentius, Bischof von Culm, ersucht den Danziger Rath, den Ertrag der Accise jetzt nicht dem Orden auszuzahlen.*

Dem erszamen vnde wolweiszen heren Burgermeistern vnde Rathmannen zu Dantzigk, vnsern besundern gutten frunden.

Vnsern fruntlichen grus mit behegelichem willen stetis zuvorn. Erszamen heren vnde wolweiszen besunder guten frunde! Von wegen der czeisze, szo wir euch hatten geschreeben, bittende, was gefallen were, das ir sulch ein gelt dem orden am metewoche czu phingesten kegen dem Elbinge oberantworten sullet etc.: Bitten wir euch fruntlich, das ir

keyn gelt von euch gebet, bis szo lange das wir euch werden schreiben. Sint ir wol wiszet, das sulch en gelt vmb fredes willen ist czugefuget ynde nicht, das man domete eynen krig in den landen sulde machen. Wellen wir fruntlich vmb euch vorschuldigen. Gegeben czur Lobaw am tage Ascensionis domini im etc. LXXI[ten] Jare.

Vincencius von Gotisgnoden Bischoff czu Culmensehe vnde der kirchen czu Pomezan ewiger Administrator etc.

*Original auf Papier ohne Siegel im Danziger Stadtarchiv.*

## 661.

***1471. Juni 9. Löbau.*** „Vincentius, B. czu Culmensehe und der Kirchen czu Pomesan ewiger Administrator" *schreibt an den Rath in Danzig: Der Mitpfarrer Alexius von Heilsberg, welcher mit einer Nonne nach Königsberg gegangen, vom Hochmeister aber nicht aufgenommen sei, stehe im Verdacht, dem Könige von Polen das Schloss zu Heilsberg entreissen gewollt zu haben. Da dieser eine Vicarienstelle in Danzig angenommen habe, bitte er auf ihn zu fahnden und ihn als Feind zu behandeln.* Gegeben vff vnserm slosze Lobaw am tage Trinitatis im etc. LXXI Jare.

— ***Juni 15. Löbau.*** *Derselbe an denselben: Er wundere sich, dass man den Alexius in Schutz nehme, da dieser in der That ein Verräther sei, der dem Könige das Schloss zu Heilsberg habe entreissen wollen, indem er Nicolaus Tungen in Rom ins Bisthum zu kommen schriftlich eingeladen und die Unterstützung der Danziger und anderer in Aussicht gestellt habe.* Geg. vff unserm slosze Lobaw am Sonobinde noch Corporis Christi im etc. LXXI[ten] Jare.

— ***Juni 20. Löbau.*** *Derselbe an denselben: Er bittet die danziger Maurer, welche der Marienburger Tressler Christoph zu dem im vergangenen Sommer vor einem Jahr auf Befehl des Königes begonnenen Reparaturbau der Marienburger Mauern gedungen habe, zur Erfüllung ihrer Pflicht anzuhalten.* Geg. vff vnserm slosze Lobaw am achtentage Corporis Christi im etc. LXXI[ten] Jare.

— ***Juli 1. Löbau.*** *Derselbe an den HM. Heinrich von Richtenberg: Er habe vernommen, dass sich in Livland zu Gunsten des Tungen Leute sammeln, die sich anschicken, zur See nach Preussen zu kommen.* Geg. vff vnserm slosze Lobaw am abende Visitacionis Marie im etc. LXXI jare.

— ***Juli 7. Löbau.*** *Derselbe an den HM.: Der von ihm mit Muszigk und den Böhmen im Namen des Ordens geschlossene Vertrag müsse besiegelt werden.* Geg. vff vnserm slosze Lobaw am sontage infra Octavis Visitacionis Marie im etc. LXXI[ten] jare.

*Fünf Originalbriefe auf Papier mit Siegelresten, die drei ersten im Danziger Stadtarchiv, die beiden letzten im Kgsb. St.-Arch.*

## 662.

***1471. December 30. Krakau.*** *König Kazimir von Polen überträgt an Stibor von Baysen, Palatin von Marienburg, das Präsentationsrecht für die Pfarreien Neuteich und Gross-Lichtenau im grossen Werder.*

Kazimirus, dei gracia rex Polonie, magnus dux Lithwanie, Russie Prussieque dominus et heres etc. Significamus tenore presencium, quibus expedit, universis presentibus et futuris, quomodo cupientes, ut terre nostre Prussie non tantum in regimine terreno et seculari sed et in spiritualibus et eternis tempore nostri felicis gubernacionis et direccionis tanto salubrius provideantur; animadvertentes ecclesias nonnullas loco et indigencia

ceteris insigniores, videlicet in Neutich et Lichnawa (!), possessionibus nostris in Zolawa maiori, sitas, plena circumspeccione indigere, quas propter nostri absenciam per se debite providere ac illis pastores valentes procurare nequientes, vigilancius tamen insudare, ut tempore vacacionis illarum nomine nostro provideantur, volentes: de prudencia, legalitate et devocione magnifici Stiborii de Bayszen, palatini Mariemborgensis, consiliarii nostri dilecti, plurimum confidentes, sibi ipsas ecclesias in Neutich et Lichnawa diocesis Pomezaniensis pro uno duntaxat semel ad presens vel quomodocumque imposterum vacantes vel vacaturas, videlicet per cessum vel decessum, lociordinario in tempore seu termino de jure statuto certas personas ydoneas, dictis parrochiis pro regimine sufficientes, in et super quo conscienciam suam oneramus, seorsim et divisim, presentandi plenam damus et omnimodam concedimus facultatem. Quocirca reverendo patri domino Vincencio, episcopo Culmensi et ecclesie Pomezaniensis perpetuo administratori, aut suis in spiritualibus Vicariis dictarum ecclesiarum seu verius ceteris episcopis pro tempore existentibus committimus, requirentes et hortantes in domino, quatenus dum se pro una vice tantummodo cuiuslibet ecclesie parrochialis in Neutich et Lichnawa seorsim et divisim vacacio obtulerit, ut presentatum idoneum paternitati vestre per ipsum Stiborium offerendum de unaquaque ecclesia unum alterum instituere velit et investire, curam animarum et administracionem spiritualium et temporalium sibi in unaquaque illarum committentes, prout ad p$^{tatis}$ vestre officium pertinet pastorale. In cuius rei testimonium sigillum nostrum presentibus est appensum. Datum Cracovie feria secunda infra Octavas Nativitatis domini, anno eiusdem Millesimo quadringentesimo septimo primo. — Relacio magnifici Jacobi de Dambno R. P. Cancellarii et capitanei Cracoviensis.

*Original auf Pergament mit anhängendem Siegel im Rathsarchiv zu Thorn.*

## 663.

***1472. Januar 3. Marienburg.*** *Vincentius, Bischof zu Culmsee und ewiger Administrator von Pomesanien, bezüchtigt Conrad von Lichtenhayn, Komthur von Holland, einer Lüge, da auf der Tagefahrt zu Marienburg vor acht Tagen, wo der oberste Marschal und der genannte Komthur anwesend waren, über das Geld, welches der König dem Orden schulde, weder Rechnung gelegt noch quittirt sei.* Geg. vff Marienburg am freytage noch Circumcisionis domini im etc. LXXII$^{sten}$ jare.

— ***Januar 20. Marienburg.*** *Derselbe an den Rath in Danzig: Der König habe die Schlichtung des Streites zwischen Danzig und dem Bischof von Cujavien auf die nächste Tagefahrt in Polen verschoben. Auch möge man dem Orden auf seine Forderungen kein Geld verabfolgen.* Geg. vff Marienburg am tage Fabiani et Sebastiani martirum im etc. LXXII$^{sten}$ jare.

— ***Februar 21. Marienwerder.*** *Derselbe an denselben: Otto Machwitz, Palatin von Pommerellen, sei auf der letzten Tagefahrt in Graudenz von Land und Städten zu der auf Judica anberaumten Tagefahrt in Petrikau deputirt worden; man möge ihm 100 geringe Mark zu seinen Reisekosten übersenden.* Geg. vff vnszerm slosze Marienwerder am freytage vor Reminiscere im etc. LXXII$^{sten}$ jare.

— ***Februar 22. Marienwerder.*** *Derselbe an denselben: Er bittet, seinem Wirth Tydemann Bye einen Thurm zur Bestrafung der Leute in seinen Dörfern zu überlassen.* Geg. vff vnserm slosze Marienwerder am sonnabende am tage Cathedra Petri im etc. LXXII^sten^ jare.

— ***April 8. Culmsee.*** *Derselbe an denselben: Er empfiehlt Paul Jaczbynski, welcher mit den Bürgern Albrecht und Hans Dreer einen Rechtsstreit hat.* Geg. zu Culmensch am mitwoche nach Quasimodo im etc. LXXII^sten^ jare.

— ***April 21. Löbau.*** *Derselbe an den Ordensmarschall Ulrich von Kyndszberg: Nach Empfang seines Schreibens wegen Herrn Muszigk habe er den Hauptmann von Löbau, Missche vom Dambraw, nach Soldau gesandt, der ihm die Nachricht gebracht hat: Muszigk sei bereit den Beifrieden bis Himmelfahrt zu verlängern, wenn dies auch der Orden thun wolle.* Geg. vffe vnszerm slosze Lobaw am dinstage vor Georgii im etc. LXXII^ten^ jare.

*Originalbriefe auf Papier mit Siegel im Danziger Stadtarchiv und (das letzte) im Kgsb. St.-Archiv.*

## 664.

***1472. Mai 23. Marienburg.*** *Vincentius, Bischof von Culm, giebt dem Bischof Nicolaus Tungen von Camin ein sicheres Geleit auf drei Wochen.*

Vincencius dei gracia Episcopus Culmensis et Administrator perpetuus Pomezaniensis. Significamus tenore presencium universis, quod de certa nostra sciencia et voluntate ac serenissimi principis et domini domini Kazimiri, dei gracia regis Polonie, magniducis Lithwanie, Russie Prussieque domini et heredis etc., domini nostri graciosissimi, ad id suffulti facultate, reverendo in Christo patri domino Nicolao Tungen, episcopo Camynensi, in triginta equis et totidem humanis personis plus aut minus, cuiuscunque status et condicionis fuerint, et quocunque nomine appellentur, ad dietam Elbingensem pro festo et die benedicte Trinitatis proximo per prelatos, dignitarios, militares, proceres et civitatenses tenendam et observandam veniendi et accedendi, negociaque sua proponendi disponendi et peragendi, dispositisque vel indispositis eisdem ad civitates et opida in episcopatu Warmiensi per ipsum intercepta sive ad civitatem Konygsbergensem aut per regnum Polonie, sicuti voluerit et statuerit, de eadem dieta, quacunque hora placitum fuerit, recedendi, redeundi et proficiscendi, rebus personis et corporibus per omnia salvis, . . . . . um salvum conductum et perfectam securitatem dedimus et concedimus, tenoreque presencium mediante damus et conferimus, a data presencium usque ad decursum trium septimanarum inclusive in suo robore et efficacia valiturum. Promittentes et pollicentes sub fide et honore, quod huiusmodi salvus conductus prefato domino Nicolao Tungen, Caminensi episcopo, et sue comitive tam per Regiam Maiestatem, quam per dominos prelatos ecclesiastici et secularis status baronesque, dignitarios et quoslibet subditos regni Polonie et harum Prussie terrarum inviolabiliter et illese tenebitur et observabitur ac per nos custodietur. Pro tanto universis et singulis dominis palatinis, castellanis, capitaneis, tenutariis, burgrabiis, militaribus, proceribus, burgensibus et aliis quibuscunque indigenis regni Polonie et terrarum Prussie auctoritate predicta Regie Maiestatis committimus et eosdem adhortamur mandantes, quatenus presentem salvum conductum nostrum

memorato domino Nicolao Tungen et sue comitive infra tempus designatum teneatis, et irrefregabiliter et inconcusse in suis singulis punctis observetis et observare debeatis. In cuius rei testimonium sigillum nostrum est impressum. Datum in castro regali Mariemberg, sabbato proximo ante festum sancte Trinitatis, Anno domini Millesimo quadringentesimo septuagesimo secundo.

*Original auf Papier mit aufgedrücktem Siegel des Bischofs Vincentius im Archive des Domcapitels zu Frauenburg.*

## 665.

***1472. Juni 30. Marienburg.*** *Vincentius, Bischof von Culm und Administrator von Pomesanien, bittet den Rath in Danzig zu gestatten, dass der Vogt Christoph von Ludwigsdorf im grossen Werder jenes Geld, welches erst am Johannis Baptisttage künftigen Jahres an den König zu zahlen sei, schon jetzt gegen Quittung des Königs an den Bürgermeister Philipp Bischof und den Rathmann Rolof Feldstete auszahle.* Geg. vff Marienburg am dinstage vor Visitacionis Marie im etc. LXXII jare.

*Original auf Papier mit dem Secret des Bischofs im Danziger St.-Archiv.*

## 666.

***1472. September 1. Marienburg.*** *Vincentius, Bischof von Culm und Administrator von Pomesanien, verspricht dem Rathe von Culm die Berufung deutscher Priester an ihre Schule zu genehmigen.*

Unseren freundlichen gruss mit behaglichen willn zuvorn. Ersame lieben herren undt freunde. So ihr uns auch vormals undt in kegenwertigkeit durch den ersamen herrn George Beyer raths compan schriefftlich undt mündlich vonwegen der schuelen etzlichen deutschen priestern zu gönnen, die den schuellern lesen, hatt lassen bieten, auch zu zuverwilligen unsere gunst undt volwortt darzu zugeben. Eyn solches wir denne in deme undt wir die zukunfft dess erwirdigsten herrn Jacobi bischoffs von Leslaw, unseres lieben bruedern, in diese lande wusten, nicht haben wollen one seiner herrligkeit mittewiessen rath und vollworth zuelassen, wie wohl wir auff iene zeit euerm ersamen sendebothen eynen guetten wahn in den sachen hatten zuegesaget. Darumb wir mit rath undt volwort dess vorgesagten unseres herren und bruedern, dess herrn Byschoffs von der Koyen, derlauben zuelassen undt gönnen euch, dasz ihr sehmliche priester aufnehmen möget, die schuele zu euch zuhalten undt darinne, so es iehnen geliebet, die schueller zu lernen, undt denen zu lesen; auch so wir etwass müssiger wan wir auff diszmahl sein werden, so wollen wir auch brieffe unseres willens undt zuelassunge darauf geben undt versorgen. Gegeben auf Maryenburgk den dienstage am tage Egidii im MCCCC undt LXXII$^{\text{ten}}$ Jahre.

Vincentius von gottes genaden Bischoff zu Collmsehe undt der kirchen zu Pommesan ewiger Administrator.

*Aus den Neuen Preuss. Provinz.-Blättern a. F. (Jahrg. 1856) IX 122.*

## 667.

*1472. September 7. Culm. Der Rath der Stadt Culm beruft die Brüder des gemeinsamen Lebens zur Gründung einer höheren Schule.*

Universis et singulis presentes literas visuris, audituris vel lecturis, notum testatumque facimus nos Proconsul et Consules civitatis Culmen, quod nos cum voluntate scitu et consensu civitatis nostre scabinorum contuberniorum et totius communitatis, venerabili domino Johanni Westerwalde [et] omnibus eius succedaneis fratribus permiserimus scholam erigendi et domus sacerdotales in nostra civitate iuxta illorum ritum, prout in multis provinciis usitatum est. Et promisimus ipsi et succedaneis suis fratribus, quam primum ad civitatem nostram venerint et scholam nostram instauraverint, dare unam lastam cum media siliginis necnon mediam lastam bone Culmensis cerevisie. Volumus preterea duodecim modios sationis hiemalis conseminare, ut habeant panem pro vere futuro. Sunt etiam due curie Gogolin nuncupate, triginta mansos in agris pratis et sylvis continentes, que in hoc bello combuste et desolate sunt, que civitati nostre ante bellum census nomine pendebant annue triginta marcas pruthenicales. Promittimus item ipsis, quod heredibus ad easdem curias pertinentibus denuntiabimus, aut dominos, sub quibus sunt possessionati, avisabimus, ut easdem curias inhabitent vel posideant. Quo facto, supranominati domini fratres annuum censum percipient per triginta annos, prout concordare poterint; secus supranominati domini fratres illis triginta mansis cum omnibus utilitatibus, quam optime poterint, utantur et fruantur per triginta annos, quibus elapsis due predicte curie cum omnibus attinentiis rursus civitatis proprie erunt. Interea autem aliorum bonorum amicorum petitione et auxilio apud nostram superioritatem interveniente adiuvabimus, ut aliam villam aut feudum possint acquirere pro necessitatibus suis. Volumus etiam ipsis in nostra civitate duas domos dare, in quibus habitare cum suis possint. Damus quoque ipsis optionem intra et extra civitatem nostram census, hortos, domos et agros emendi, ubicunque ipsis placuerit, pro necessitate sua. Preterea volumus ipsis concedere duo aut tria altaria in nostra parochiali ecclesia. In corrigendis etiam excessibus et inobedientia scholarium, si opus fuerit, eosdem adiuvabimus. Potestatem quoque habebunt in schola nostra magistros et lectores pro eruditione scholarium idoneos imponendi et deponendi minus idoneos pro arbitratu suo, nostra tamen cum voluntate. Nulli autem licebit filios suos aut amicos in eandem scholam contra voluntatem illorum intrudere, nisi forte apti fuerint reperti. In eo quoque negotio promovendo et consilio et facto pro posse nostro eis presto erimus. In maiorem notitiam et securitatem omnium suprascriptorum sigillum civitatis presentibus appendi iussimus, que data sunt Culme feria secunda ante festum Nativitatis Marie [anno domini] Millesimo Quadringentesimo Septuagesimo secundo.

*Aus einer Abschrift (wahrscheinlich Uebersetzung eines deutschen Textes) im bischöflichen Archiv zu Pelplin in Sedlag's Manuscript. Ein deutscher sehr entstellter Text in den Neuen Preuss. Prov.-Blättern and. F. (1856) IX S. 123 Nr. 3.*

## 668.

***1472. December 27. Marienburg.*** *Vincentius, Bischof von Culm und ewiger Administrator von Pomesanien, bittet den Rath in Danzig, dem Hauptmann von Schlochau, Jorge von Dambraw, 50 Mark zu überlassen, damit er sich gegen den befürchteten Einfall rüste.* Geg. vff Marienburg am tage Johannis Apostoli et Ewang. im etc. LXXII[sten] jare.

*Original auf Papier ohne Siegel im Danziger Stadtarchiv.*

## 669.

***1472. December 30. Thorn.*** *König Kazimir von Polen übergiebt der Stadt Graudenz die Badstube, welche bisher die königlichen Hauptleute und die Stadt gemeinschaftlich gehabt hatten, zu alleinigem Besitz und befreit sie von allen Abgaben.* Actum in civitate nostra Thorunensi, feria quarta post festum Nativitatis Christi proxima. Anno eiusdem Millesimo quadringentesimo septuagesimo secundo. Presentibus ibidem . . . patribus dominis Johanne sancte Gneznensis archiepiscopo et primate ecclesie, Jacobo Wladislaviensi et Vincencio Culmensi episcopis, necnon . . . Luca de Gorca Poznaniensi, Stanislao de Ostrorog Calisziensi, Nicolao de Brudzewo Siradiensi, Nicolao de Crethkow Lanciciensi, Johanne de Cosczyelecz Juniwladislaviensi [et] in Marienborg capitaneo, Gabriele de Baysen Culmensi et Ottho Machwycz Gedanensi seu Pomeranie palatinis, Lodvigo de Morthangen Culmensi, Fabiano de Legendorff Elbingensi, Nicolao Feylstorff Gedanensi, — — castellanis. Datum per manus venerabilium Urielis de Gorca prepositi Gneznensis et Poznaniensis cancellarii, et Sbignei de Olesznicza scolastici Cracoviensis, Gneznensis Wladislaviensis Sandomiriensis ecclesiarum canonici et Vice-Cancellarii regni Polonie.

*Original auf Pergament im Graudenzer Stadtarchiv. Im Auszuge bei Froelich, der Kreis Graudenz I 99—100.*

## 670.

***1473. Januar 13. Breslau.*** *Ablassbrief des Cardinals Marcus, Patriarchen von Aquileja und päpstlichen Legaten, für die Benedictiner-Nonnen in Thorn.*

Marcus, miseratione divina sacrosancte Romane Ecclesie et Sancti Marci Presbiter Cardinalis, Patriarcha Aquileiensis et apostolice sedis Legatus. Universis et singulis Christi fidelibus presentes literas inspecturis et audituris, salutem in domino sempiternam. Licet is, de cuius munere venit, ut sibi a suis fidelibus digne et laudabiliter serviatur, de abundantia pietatis sue, que merita supplicum excedit et vota, bene servientibus sibi multo maiora retribuat, quam valeant promereri: Nichilominus tamen desiderantes domino populum reddere acceptabilem et bonorum operum sectatorem, fideles ipsos ad complacendum et quasi quibusdam allectivis muneribus, indulgentiis videlicet et remissionibus, invitamus, ut exinde reddantur divine gratie aptiores. Cupientes igitur, ut monasterium sanctimonialium sancti spiritus ordinis sancti Benedicti extra muros Thorunenses Culmensis diocesis congruis frequentetur honoribus et a Christi fidelibus in debita veneratione habeatur, fidelesque ipsi eo libentius devotionis causa confluant ad eandem, quo ex hoc ibidem dono celestis gratie uberius se noverint refectos: Supplicationibus devoti dilecti

nobis in Christo Werneri de Putten, canonici Warmiensis, inclinati, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus vere penitentibus et confessis, qui dictum monasterium in Pasche, Pentecostes, Assumptionis gloriossime virginis Marie, sancte Elizabeth vidue necnon Dedicationis ecclesie festivitatibus a primis vesperis usque ad secundas inclusive devote visitaverint annuatim, et ad conservationem seu reparationem calicum, librorum, luminum, edificiorum et aliorum ornamentorum inibi pro divino cultu necessariorum manus porrexerint adiutrices, Nos, Cardinalis, Patriarcha et Legatus prefatus, in singulis festivitatibus huiusmodi, quibus id fecerint, Centum dies indulgentiarum de iniunctis eis penitentiis misericorditer in domino relaxamus, presentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium premissorum presentes nostras literas fieri nostrique sigilli fecimus appensione communiri. Datum Wratislavie sub anno a nativitate domini Millesimo Quadringentesimo Septuagesimo Tercio, Idibus Januarii, Pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Sixti divina providentia Pape Quarti anno secundo.

*Abschrift im Cop. 2 fol. 14 der Jacobskirche zu Thorn.*

## 671.

*[1472—1473.] o. D. u. O. Nicolaus, Bischof von Ermland, suspendirt alle Geistlichen seiner Diöcese, welche von dem Bischof Vincentius von Culm* „qui se in civitate et diocesi eisdem ipsarumque castris, opidis aliisque locis et ecclesiis absque canonica electione seu postulatione aut sedis apostolice provisione et sine nostra licencia quavis post nostram electionem canonicam a dicta sede confirmatam contra canonicas sanctiones intrusit, et se ingessit temere et de facto, cum de iure non posset nec deberet", *ohne seine Erlaubniss als episcopus ordinarius höhere oder niedere Weihen empfangen haben, von ihren Aemtern, und befiehlt seiner gesammten Diöcesangeistlichkeit, diese Suspension nicht nur öffentlich vor versammeltem Volke an Sonn- und Feiertagen zu verkünden, sondern auch die Ausübung der Ordines durch solche Geistlichen zu verhindern.* Datum etc.

*Concept im bischöflichen Archiv zu Frauenburg D 1 fol. 51.*

## 672.

***1473. o. D. Marienburg.*** *Schreiben des Bischofs Andreas Oporowski von Ermland an den Bischof Vincentius von Culm.*

R^mo^ in Christo patri et domino domino V. dei gracia Episcopo Culmensi etc. fautori precarissimo.

Reverendissime pater et domine, fautor precarissime! Hodie date mihi sunt litere v. p. consulentes, ut de beneficiis post mortem Arnoldi Klinger vacantibus providerem iuxta continentiam earundem etc. R^me^ domine! Licet ex variis partibus multiplices et

instantes habuerim intercessiones pro beneficiis ipsis cum obsecratione et importunitate, tamen recusavi et negative respondi. Et ex quo p. v. habeo pro fido et integro patre et amico, ita deliberavi in hoc negocio nichil facere, nisi prius habita mutua visione cum v. p. et de ea re tractatum assumo. Et Colne de ipsis beneficiis cum consilio v. p$^{\text{tis}}$ providebo, neque etiam a principio cogitavi aliquid facere absque vobis, sed neque Polonis providebo de eisdem. Sum contentus de commendacione d. Verneri decani, sed pro hac vice nichil facere visus est; singula ad visionem reservando, ubi et de eleccione canonici vel alias de provisione, ex quo nondum iuravi fovere statuta etc. mittens nuntionem (?) et cum nova provisione apostolica, ex quo illi sunt excommunicati etc. mutuo tractabimus. Regracior de novitatibus et earundem argole (?) habito exemplo remitto. Castrum mediacut (?) prospicitur, tamen utique melius quam ante. Commendo me v. R. p. Ex castro s. Marie etc. LXXIII.

A. Episcopus Varmiensis manu sua subscripsit.

*Original auf Papier mit dem Secret des Bischofs Andreas im Archiv des Frauenburger Domcapitels.*

## 673.

***1473. August 4. Riesenburg.*** *Vincentius, Bischof von Culm und Administrator von Pomesanien, genehmigt die Errichtung eines Particulars in Culm für die Brüder aus dem Priesterhause zu Zwoll in der Utrechter Diöcese.*

Vincentius, dei et apostolice sedis gratia episcopus Culmensis et perpetuus in spiritualibus et temporalibus ecclesie Pomesaniensis administrator. Significamus tenore presentium, quibus expedit, universis, quomodo constituti in presentia nostra honorabiles et discreti viri Johannes Westerwald et Gerardus Gewerth[a]) presbyteri, fratres ex domo clericorum de Swollis Traiectensis diocesis in Christo nobis dilecti, nobis cum debita humili et devota precum oblatione supplicarunt, quatenus ipsis scholam sive studium particulare in civitate Culmensi diocesis nostre Culmensis exercere, fovere ac practicare, ac unam communem ac in solidum domum habere, tenere et gubernare, iuxta dispositionem et concessionem literarum apostolicarum, quas coram nobis exhibuerunt, auctoritate nostra ordinaria admitteremus, annueremus et consentiremus; super quo petitiones ad instantiam circumspectorum magistratus et consulum ac totius communitatis prefate civitatis Culmensis coram nobis oblate concurrerunt. Nos igitur visis auditis et intellectis huiusmodi apostolicis literis ac nonnullis aliis concessionibus gratiis et prerogativis eis factis, ipsisque debite et mature digestis, volentes et cupientes ante omnia, quantum cum domino possumus et prout ex officio cure pastoralis nobis credite tenemur et debemus, cleri, qui hactenus ex bellorum stridoribus in hac patria exstat diminutus, copiam pro

a) Cewerth.

incremento laudis divine instaurare ampliorem, commoditatemque uberiorem et meliorem conditionem prefate civitatis Culmensis turbinibus guerrarum non parum afflicte et lacessite efficere et procurare, supplicationibus huiusmodi tam dictorum presbyterorum, quam etiam civium, utpote iustis petitionibus et rationi consonis morem gerere benignamque ac paternam aurem accommodare, cum iusta petentibus assensus non est denegandus: memoratis presbyteris et aliis ipsorum confratribus, de quorum vita, moribus, conversatione, statu, conditione, industria et honestate documenta sufficientia recepimus et habuimus, huiusmodi scholam sive studium particulare in prefata civitate Culmensi practicare, exercere, dirigere, instruere et fovere, ac simultaneam et communem habitationem atque conversationem in domo ipsis pro huiusmodi schole instructione ac studii continuatione per prefatos consules et cives civitatis prelibate ibi deputanda et assignanda habere, docere et peragere, una cum clericis supra nominatis et membris, qui se eorum societati adiungere voluerint, confessionesque clericorum et scholarium sive supra nominatorum huiusmodi schole domus sive studii duntaxat audire, et ipsis pro modo culpe penitentiam iniungere salutarem, sine tamen preiudicio iactura vel offensa rectorum parochialis ecclesie, eisdem auctoritate nostra ordinaria concessimus, annuimus, admisimus, consensimus ac dedimus facultatem, tenoreque presentium concedimus, admittimus, annuimus, assentimur et impertimur; consensu tamen, voluntate, annuitione ac assensu serenissimi ac gloriosissimi principis et domini domini Casimiri, dei gratia regis Polonie, magniducis Lithvanie, Russie Prussieque etc. domini et heredis, domini nostri gratiosissimi, necnon dominorum prelatorum, baronum et dignitariorum, huius patrie consiliariorum, ad id accedente speciali. Volumus et presentibus statuimus decernimusque ac declaramus, quod prefati presbyteri ac eorum confratres, cuiuscunque conditionis fuerint, iuxta dispositionem apostolicarum literarum ipsorumque ritum ac observantiam nihil proprii pro eorum privata commoditate usurpent et quilibet eorum seorsum usurpet, sive retinere, recondere et occultare debeant ac debeat, quovis colore amoto, sed omnia eorum bona, presentia et futura, habita et habenda, conquisita et conquirenda, cuiuscunque estimationis et importantie exstiterint, in communem utilitatem et frugalitatem ipsorum prefateque domus sive schole uberiorem instaurationem convertantur, dentur et deputentur, quavis contradictione cessante. Eorum autem aliquo de dictorum presbyterorum ac confratrum domus sive schole societate ab hac vita iubente domino sublato, bona eiusdem defuncti derelicta, quecunque sint et quocunque nomine vocentur, pro dicte domus commoditate relinquantur, et in communem utilitatem deputentur et redigantur. Preterea volumus et presentibus statuimus, quod prefati presbyteri et eorum confratres atque membra in omnibus et singulis, que auctoritatem et iurisdictionem nostram ordinariam contingunt et concernere videntur, nobis et vicariis in spiritualibus ac officialibus nostris per omnia obediant, pareant et intendant, ac sint subiecti. Si qui autem de huiusmodi schole supra nominatis sive scholaribus aliqua temeritate ausuque nefario rebelles et excedentes contra ritum et statuta seniorum domus sive

rectorum schole predicte fuerint, ac incorrigibiles extiterint ac obstinatos se reddiderint, volumus et decernimus ac statuimus presentibus, quod tales per predictum domus seniorem sive provisorem ac schole rectorem, etiam cum adiutorio et invocatione brachii secularis consulum civitatis prefate, pro emenda et mulcta excessuum huiusmodi, revisione, dicisione atque correctione, nobis presententur et offerantur, dignos penitentie fructus iuxta qualitatem delicti et rebellionis recepturi et peracturi. In quorum omnium fidem ac testimonium premissorum presentes literas nostras scribi et sigilli nostri appensione communiri iussimus ac fecimus. Datum in castro nostro Resenburg die quarta mensis Augusti, anno domini Millesimo quadringentesimo septuagesimo tertio.

*Nach einer Abschrift im bischöflichen Archiv zu Pelplin in Sedlag's Manuscript. Nach einer anderen etwas abweichenden Abschrift gedruckt in den Neuen Preuss. Provinz.-Blättern and. F. IX (Jahrg. 1856) S. 125 und Joseph Lukaszewicz, Historya szkol w koronie i wielkiém księstwie Litewskiem. Posen 1849 III S. 373.*

*Die nach Culm berufenen Lehrer waren Mitglieder jener religiösen Genossenschaft, die von Gerhard Groot (geb. 1340 † 1384) zu Deventer unter dem Namen* clerici et fratres vitae communis *gestiftet war und ihre Theilnehmer, ohne die bekannten Klostergelübde auf Lebenszeit zu fordern, zu einem gemeinsamen Leben ohne Eigenthum, zu Andachtsübungen, Arbeit und Jugendunterricht verpflichtete. Unter dem Nachfolger des Stifters Florentius Radewin (geb. 1350 † 1400) theilte sich der Verein nach zwei Richtungen in die fratres oder Laien und in die clerici. Letztere hatten ihr Haupthaus auf dem Agnetenberg bei Zwoll in der Diöcese Utrecht und hiessen clerici (auch canonici) vitae communis. Von ihrer Kopfbedeckung, einer Art Cuculla, nannte man sie auch Gogelherren, Kugelherren. Sie breiteten sich sehr bald in Holland und ganz Norddeutschland aus und waren als Lehrer berühmt. Vgl. Alzog, KGesch. v. 1840 S. 734 und Wetzer und Welte KLexicon u. d. betr. Art. N. Pr. Prov.-Bl. a. F. IX 130 ff. Ob die Brüder direct aus dem Mutterhause nach Culm berufen wurden, dafür giebt die Urkunde keinen Anhalt. Lüntzel, Gesch. der Diöcese und Stadt Hildesheim 1858 8 II 636—640 erzählt von der Berufung dieser Kleriker nach Hildesheim, wo ein Bruder Gottfried aus Herford († 1453) die dortige Niederlassung gründete. Nach dessen Tode habe das Hildesheimer Bruderhaus fünf Filial-Congregationen nach auswärts abgesandt, unter anderen auch nach Culm in Preussen.*

## 674.

***1473. August 14. Riesenburg.*** *Vincentius, Bischof von Culm etc., beglaubigt seinen Kaplan Peter Rode zu einer Botschaft an den Bürgermeister Reinhold Niederhof in Danzig.* Geg. vff vnserm slosze Resenburg am obende Assumpcionis Marie im etc. LXXIII jare.

*Original auf Papier mit Siegel im Danziger Stadtarchiv.*

## 675.

***1474. Januar 27. Riesenburg.*** „Vincencius, Bisschoff zcu Culmenseh vnd der kirchen zcu Pomezan ewiger Administrator", *meldet dem HM., dass der polnische König ihn und den Culmischen Castellan Ludwig von Mortangen mit der Erledigung einiger Sachen beauftragt habe und fragt an, wo und wann es ihm genehm wäre ihren Besuch anzunehmen.* Geben czu Resenburg am donnerstage nach Conversionis Pauli im etc. LXXIIII[ten] jare.

— ***März 13. Marienburg.*** *Desselben Vollmacht für seinen Kaplan Peter Rode von Woynaw zu Verhandlungen mit Danzig.* Geg. vff Marienburg am sontage Oculi im etc. LXXIIII[ten] jare.

— ***April 20. Marienburg.*** *Derselbe bittet den Danziger Rath, die übersandte Quittung des Königs über 100 Gulden auf den zu Johanni fälligen Zins nicht zurückzuweisen.* Geg. vff Marienburg an der mitwoch vor Georgii martiris im etc. LXXIIII jare.

— ***April 27. Marienburg.*** *Derselbe dankt demselben für die erhaltenen 77½ Ungarischen Gulden und bittet die noch restirenden 122½ Gulden von dem zunächst fälligen Zinse noch aufzubewahren, da die Quittung über 200 Ung. Gulden laute.* Geg. vff Marienburg am mitwoche nach Marci des h. Ewangelisten im etc. LXXIIII^ten^ iare.

— ***October 12. Graudenz.*** *Derselbe giebt dem HM. Rath, wie er sich beim Könige entschuldigen müsse, weil er seine Botschaft nicht zu dem festgesetzten Tage abgeordnet habe.* Geben zcu Grudentz am mitwoche vor Hedwigis der h. Witwen im LXXIIII^ten^ iare.

*Originalbriefe auf Papier theils mit, theils ohne Siegel im Kgsb. St.-Archiv und Danziger Stadtarchiv.*

## 676.

***1474. Juni 11. Thorn.*** *Der Bischof von Culm und der Woywod Stibor von Baisen übergeben als königliche Commissarien das Dorf Swirczyn einstweilen an die Stadt Thorn.* Datum Thorn am Sonnabend nach Frohnleichnam 1474.

— ***Juni 15. Thorn.*** *Kazimir, König von Polen, beschränkt den Getreidehandel der Stadt* „nova Nieszowa“ *dahin, dass ihre Schiffe in Thorn anzulegen haben.* Act. et dat. in conventione Thorunensi fer. 4 infra Octavas Corporis Christi A. d. MCCCC LXXIV. praesentibus . . . . patribus dnis Jacobo episcopo Wladislaviensi, ad ecclesiam metropol. Gnesnensem translato, Sbigneo de Olesnicza electo confirmato Vladislaviensi, Andrea Varmiensi, et Vincentio Culmensi episcopis, . . . Styborio de Baysen Mariaeburgensi, Otto de Machwicz Pomeraniae, Gabrieli de Baysen Culmensi palatinis . . . Ludowico de Mortangen Culmensi, Nicolao Feilsdorff Gedanensi et Fabiano de Legendorff Elbingensi castellanis.

*Die Originale auf Pergament mit Siegel im Archiv zu Thorn. Zernecke, Thornische Chronica. Berlin 1727 4 S. 83.*

## 677.

***1475. Januar 29. Graudenz.*** *Vincentius, Bischof von Culm und ewiger Administrator von Pomesanien, meldet dem HM., dass er und die königlichen Räthe bei Muszigk von Swynaw, Hauptmann auf Soldau, wegen dessen Forderungen an die drei Städte von Königsberg sich verwenden wollen, obgleich sie wissen, dass er sie ungern höre.* Geben zcu Grudentz am suntage vor Lichtmessen im etc. LXXV^ten^ jare.

— ***Februar 19. Riesenburg.*** *Derselbe meldet demselben: Muszigk, Hauptmann auf Soldau, wolle seine Forderung an Königsberg bis zu der Entscheidung der königlichen Räthe auf nächster Tagefahrt aussetzen. Sbigneus, Bischof von Leslau, sei in Pomerellen und beabsichtige zu Marienburg auf Letare eine Tagefahrt zu halten, auf der die Räthe von Land und Städten erscheinen werden.* Geben zcu Resenburg am suntage Reminiscere im etc. LXXV^ten^ jare.

— ***April 30. Marienburg.*** *Derselbe schreibt demselben: Aus der Kirche zu Pomzaw (?) sei ehedem ein Bischofshut und die Incurvatura d. h. der obere Theil des Bischofsstabes dem HM. Heinrich Rewsz von Plauen in Verwahrung gegeben, bis jetzt jedoch nicht zurückerstattet. Er bitte alle, die davon wissen, zu veranlassen, dass die Kirche ihr rechtmässiges Eigenthum wieder erhalte, zumal er beabsichtige zur Ehre Gottes, der h. Mutter Maria und des Apostels und Evangelisten Johannes, des Kirchenpatrons, zu dem Obertheil einen silbernen Stab anfertigen zu lassen.* Geben czu Marienburg am suntage Vocem jucunditatis im etc. LXXV^ten^ jare.

— ***Juni 11. Graudenz.*** *Derselbe intercedirt beim HM. für den abtrünnigen und ungehorsamen Ordensbruder Conrad von Lichtenhain.* Geben vff Grudencz am tage Barnabe Apostoli im LXXV^ten^ jare.

*Vier Originalbriefe auf Papier im Kgsb. St.-Archiv.*

## 678.

***1475. Juli 13. Korczin.*** *Kazimir, König von Polen, publicirt ein Statut der Bischöfe und Magnaten über kirchliche Beneficien.* Datum in nova civitate Corczin, feria quinta ipso die Margarethe anno domini M. CCCC. septuagesimo quinto. Praesentibus . . . . Jacobo s. metropolitane ecclesie Gneznensis archiepiscopo et primate, Johanne Cracoviensis, Sbigneo Wladislaviensis, Andrea Warmiensis et Vincencio Culmensis ecclesiarum episcopis etc.

*Original im Kap.-Archiv zu Leslau. Rzyszczewski, Cod. Pol. II 561 nr. 428.*

## 679.

***1475. August 27. Graudenz.*** „Vincentius B. zcu Culmeseh vnd der kirchen zcu Pomzaw (!) ewiger Administrator" *schreibt an den HM. Heinrich von Richtenberg:* So vnd alze vmb euwer hochwirdikeit von wegen der anbrengungen des wirdigen herrn Steffenno Thumherrn zcur Frauwenburg am nehesten von vnszrem wegen gescheenn, sie der zcufrede vnd in gutter gedult ist, schreybet, so magk euwer herlikeit vnczweifelich vnd vesten glauben doruff haben, das vnser allirgnedigster herre konig euwern hochwirdikeit, euwern wirdigen orden vnd des personen in gutter zcuneygunge andacht gunst fruntschaft vnd gnade hadt alzo einsollichs euwer herlikeit in zcukumftigen geczіten woll wirt erfinden. *Es folgen Mittheilungen über Bruder Conrad von Lichtenhayn.* Geben zcu Grudentz am suntage nach Bartholomei des h. Apostels im etc. LXXV$^{ten}$ jare.

— ***September 7. Graudenz.*** *Derselbe schreibt demselben: Nachdem der Kämmerer des HM.'s von ihm fortgegangen, sei am andern Tage Nicolaus Brunowszy, Schreiber des Königs, gekommen, mit dem er wegen Lichtenhayn gesprochen, um die Sache vor den König zu bringen.* Geben zcu Grudenz am abunde Nativitatis Marie virginis im etc. LXXV$^{ten}$ jare.

— ***October 22. Graudenz.*** *Derselbe meldet demselben: Wegen des Bruders Conrad von Lichtenhayn habe er an den König einen Boten geschickt und durch denselben die Antwort erhalten, dass der HM. freien Willen haben solle.* Geben vff Grudentz am sontage noch vndecim milia virginum im etc. LXXV$^{ten}$ jare.

*Drei Originalbriefe auf Papier ohne Siegel (der letzte mit Siegel) im Kgsb. St.-Archiv.*

## 680.

***1475.*** *Urkunde über die Barbara-Kapelle bei Thorn.*

*Sie befand sich ehedem im Löbauer Archiv und wird in dem Urkunden-Verzeichniss desselben aus dem Jahre 1611 also angeführt:* „Decretum inter venerabile Capitulum et cives Torunenses ratione capellae S. Barbarae in Bormol sub civitate Torunensi, ex quo apparet, capitulum jus habere ad dictam capellam cum parocho Torunensi Anno 1475 cum sigillo pensili episcopi supradicti (i. e. Vincentii) sub lit. ff. IX." *Vgl. Nr. 711.*

## 681.

***1746. Februar 3. Löbau.*** *Vincentius, Bischof von Culm und Administrator von Pomesanien, meldet dem HM.: wie er aus sicherer Quelle erfahren habe, werde der König zu nächster Fastnacht nach Marienburg kommen, und rathe ihm sich alsdann demselben vorzustellen.* Gegeben vff vnszern slossze Labaw am tage Blasii martyris im LXXVI$^{ten}$ iare.

*Original auf Papier ohne Siegel im Kgsb. St.-Archiv.*

## 682.

***1476. Mai 1. Marienburg.*** *Vincentius, Bischof von Culm, erlaubt dem Rathe zu Danzig an die Olavskirche in Weichselmünde nach dem Tode des dortigen Priesters einen andern zu berufen.*

Den erszamen . . heren Burgermeister vndt Radtmannen von Dantzik, vnsern besundern gutten frunden.

Vnsern fruntlichen grusz etc. So vnd ir vns habt gescre[be]n von wegen der kirchen sente Olaues vor der Munde, wie der prister daselbest biszdoher geweszen todeszhalben abgegangen were, begerende nachdeme vnd dieselbe kirche in vnszerm Bischtum zcu Pomzaw (!) gelegen ist, euch eynen andern gutten mann in dieselbe kirche zcu setzen, demeselben aldo messe zcu halden, ouch deme obengemelten prister, so es die noeth heisschen worde, das schiffvolk vnd kouflewte mit deme sacramente vnd dem heiligen ampten zcuvorsorgen zcuvorgonnen zcu zculaessen vnd zcudirlouben, das [sind] wir euch zcu behegelikeit vnd willen, so ferre dieselbe kirche Sente Olaues nicht eyne pfarrekirche noch eyn bestetiget geistlich lehen ist, gennen zculaessen vnd in craft vnd macht deser kegenwortigen dirlewben. Wer es aber eyne pfarrekirche vnd eyn bestetiget lehen, were van noten sich semlich prister, den ir dohin weldet setzen, sich (!) so alze recht ist, van vns bestetigen liesse. Geben vff Marienburg am tage Philippi et Jacobi der heiligen Apostele im etc. LXXVI[sten] jare.

Vincentius von gotisgnaden Bisschoff zcu Culmeseh vnd der kirchen zcu Pomzaw (!) ewiger Administrator.

*Original auf Papier ohne Siegel im Danziger Stadtarchiv.*

## 683.

***1476. Mai 7. [Culm.]*** *Die Aebtissin Margaretha zum Colme dankt dem Bürgermeister und Rath von Danzig* „sere, als euwyr gutthe hatte geschrebyn an vnseryn genedegyn heryn bysschof, der denne keyn vnseryn wyrdegyn rothe gemacht hot, das wyr nu bas bey yn sten wen vor, vn wyr bethyn euwyr gutte, das ir ouch vnsir welt gedenkyn kegyn dem hochwyrdegyn konyge, das her vns welde helffyn, das vns vnsir czynsyr werdyn vnd vor vnrechte mogen beschirmyt werdyn, wen wyr czu mole fele vnrecht vnd gewalt leydden. — Gegebyn am dynstage noch synte Johannys ante portam latinam ym LXXVI iore.

*Original auf Papier mit Siegel im Danziger Stadtarchiv.*

## 684.

***1476. Juli 4. Marienburg.*** *König Kazimir von Polen gestattet der Stadt Elbing die ihr verliehenen Dörfer nicht blos nach Lübischem, sondern auch nach jedem andern beliebigen Rechte zu regieren.* Datum Marienburg Donnerstag nach Mariae Heimsuchung a. d. MCCCCLXXVI. *Unter den Zeugen:* Jacobus eccl. Gneznensis archiepiscopus et primas, Sbigneus Wladislaviensis et R. Pol. vicecancellarius, Vincencius Culmensis et administrator perpetuus Pomezaniensis episcopi, — Othas

Machwicz Pomeranie. Lodowicus de Martung Culmensis pallatini, — Nicolaus Feilsdorf Gdanensis, Fabianus de Mawl Elbingensis castellani.

*Original im Elbinger Stadtarchiv. Volckmann, Katalog des Elbinger Stadtarchiv S. 54.*

## 685.

***1477. December 1. Löbau.*** „Vincentius d. g. episcopus Culmensis et perpetuus administrator Pomezaniensis“ *bevollmächtigt* „Peter Rode de Woynaw, canonicum nostre ecclesie Culmensis cathedralis, secretarium nostrum“, *zu einer Verhandlung mit Danzig.* Dat. in castro Lubaviensi feria II. post festum s. Andree apost. a. d. MCCCCLXXVII.

*Original auf Papier mit Siegel im Danziger Stadtarchiv.*

## 686.

***1479. October 4. Culmsee.*** *Das Domkapitel der Culmer Kirche stellt für den Canonicus Peter Rode von Woyna Vollmacht zur Verhandlung mit Danzig aus.* Dat. in Culmen fer. II ante festum b. Hedwigis a. d. M. CCCC LXXIX sub officialatus, quo ad premissa utimur, inferius subappenso sigillo.

*Abschrift im Danziger Stadtarchiv.*

## 687.

***1479. October 11. Korczyn.*** *Kazimir, König von Polen, gewährt den Bewohnern der Gebiete von Strasburg und Culm Amnestie.*

In nomine domini Amen. Kazimirus dei gratia Rex Polonie, Magnus dux Lithwanie, Russie Prussieque dominus et heres etc. Significamus tenore presencium, quibus expedit, universis, quomodo, etsi rerum hominumque creator et redemptor deorum deus sicut in celestibus sic et in terrenis quosdam preesse quosdamque subesse providencia sua dignatus est, precipuamque omnium virtutum obedienciam comendans, in primis parentibus eius prevaricacionem adeo corripuit, ut ipsius correctionis pondera usquemodo totus terrarum orbis senciat et experiatur, hanc eciam principibus, gencium doctor bonis et discolis docuit exhibendam. Transgressores itaque eius tanto graviori afficiendi sunt pena, quanto divinis factis et dictis singularius ipsa virtus existit commendata. Verum cum humanam condicionem tanto procliviorem lapsui animadvertimus, quanto primorum parentum excessu a celestibus longius abductam esse experimur. Quoniam et ipsi homo sumus plurimumque divina egemus miseracione, cum ipse Rex Regum et dominus dominancium pater existens misericordiarum, nam et misericordie eius non est numerus, miseretur quottidie et dimittit, dimittereque temporanea precipit, ut et ipse dimittat et nostra. Tanto magis nobis misereri aut indulgere convenit, quanto ampliorem indulgenciam egentes expectamus. Proinde precibus Illustrissimorum natorum nostrorum Kazimiri, Alberti et Allexandri,

reverendissimorumque et reverendorum in Christo patrum ac magnificorum prelatorum et baronum nostrorum et regni nostri consiliariorum sincere nobis dilectorum permoti, omnem indignacionem et excessum, quo contra nos et regnum nostrum nobiles, terrigene, vasalli et ceteri incole districtuum Brodniczensis et Culmensis nobis novissime rebellantes magnificoque et venerabili Martino Trugses, magistro generali ordinis sancte Marie, in terris nostris Prussie principi et consiliario nostro, tunc nobis adversanti, adherentes excesserant, ex quo iam idem ipse magister cum comendatoribus, ordine et subditis suis, in graciam et ad obedienciam nostram redierit, indulsimus et dimisimus, indulgemusque et dimittimus tenore presencium mediante; promittentes ab ipsis terrigenis vasallis et ceteris incolis districtuum predictorum occasione premissi excessus, nunquam aliquam accipere ulcionem vel vindictam, nec ipsam indignacionem ad cor unquam revocabimus, ymmoverius ipsos circa iura et libertates ipsorum firmiter et illese conservare volumus et presentibus pollicemur; harum, quibus sigillum nostrum presentibus est subappensum, testimonio litterarum. Datum in novacivitate Korczin feria secunda proxima ante festum sancte Hedvigis, anno domini Millesimo quadringentesimo septuagesimo nono. Stanislaus Cancellarius subscripsit. — Relatio venerabilis Stanislai de Curozwanki, R. P. Cancellarii.

*Aus dem nach dem Original im polnischen Reichsarchiv (Invent. p. 94) gefertigten Facsimile bei K. Stronczyński, Wzory pism dawnych p. 72 nr. 64. Gedruckt bei Dogiel IV 185 CXXXV.*

## 688.

***1479. October 12. Korczin.*** *Der König Kazimir nimmt den HM. Martin Truchses wieder in Gnaden auf, ernennt ihn zum Fürsten und Rath des Reichs und verspricht sich wegen mehrerer Gerechtsamen später des Näheren auszugleichen. Darin unter andern:* Pro bonis autem clenodiis apparatibusque ecclesie per olim dominum Vincencium Kyelbassa episcopum a prefata ecclesia quomodolibet alienatis prefato . . . Martino magistro, suo ordini et episcopo futuro cum occupatoribus bonorum in jure competenti actionem admittimus et presentibus reservamus. Act. in Novacivitate Korczin feria tercia proxima ante festum s. Hedwigis Anno domini M. CCCC. LXX. nono.

*Original auf Pergament mit anhangendem königlichen Siegel im Kgsb. St.-Archiv.*

*Die Angaben über den Todestag des Bischofs Vincentius Kielbassa schwanken zwischen den Jahren 1478 und 1480. Nach dem Catalogus episcoporum Culmen. starb er 1480, nach dem Necrologium Pelplinense (SS. rr. Warmien. I 297) am 8. November. Da er in obiger Urkunde bereits am 12. October 1479 als verstorben bezeichnet wird und an den Friedensverhandlungen auch der neugewählte Bischof Johannes von Pomesanien theilnimmt, wird wohl die Inschrift unter seinem Bilde im Dome zu Marienwerder:* Vincentius Kielbassa, episcopus Pomesaniensis obiit anno MCCCCLXXVIIII die XI mensis Maii *(bei Stein, Memorabilia Prussica in den Acta Boruss. I 226 und SS. rr. Pruss. V 389) als richtig anzusehen sein.*

## 689.

***1479.*** *Quittung des HM.'s Martin Truchses über den Empfang von 2000 Gulden.*

*Original im polnischen Reichsarchiv, angeführt im Invent. Arch. Crac. p. 95 also:* „Martinus Truchses, magister Prussiae, quietat Casimirum regem de duobus millibus aureorum sibi, ratione cessionis de episcopatu Culmensi, per manus Joannis Łąka de Ciechosławice, canonici Posnaniensis et Lanciciensis, persolutis. Anno 1479.

## 690.

***1476—1484.*** *Uriel von Gorka, Dompropst von Gnesen und Posen, Kanzler des polnischen Reiches und General-Collector aller Gefälle für die päpstliche Kammer und des Peterspfennigs in Polen und der Gnezner Kirchenprovinz, legt Rechnung über seine Einnahmen und Ausgaben. Darin finden sich folgende Aufzeichnungen:*

Anno eodem, quo supra, qui fuit Millesimus quadringentesimus septuagesimus sextus, et die Solis decima quinta Maii ego Uriel de Gorka etc. recepi a venerabili domino Jheronimo plebano in Thorun, subcollectore denarii sancti Petri in civitate Gdanensi et decanatibus Pomeranie, centum quinquaginta sex marcas et grossos tredecim monete et numeri Prutenicalis, viginti grossos in marcam quamlibet, et solidos tres in grossum, denarios vero decem et octo computando, quorum grossorum triginta sex tunc fecerunt florenum unum Hungaricalem. Faciunt ergo predicte centum sexaginta sex marce in solidis florenos nonaginta Hungaricales et grossos tredecim in solidis. *(1476 Mai 15.)*

Anno domini MCCCCLXXVII. Item anno eodem die decima septima mensis Junii recepi per manus Stanislai Przeczen notarii mei, ex parte domini Jeronimi in Thorun plebani et subcollectoris in terris Pomeranie florenos Hungaricales octoginta tres, et marchas decem et septem monete et numeri Prutenicalis, viginti grossos in quamlibet marcam computando, que marce faciunt florenos novem, florenum quemlibet pro triginta octo grossis in solidis computando. Facit ergo summa florenorum nonaginta duos Hungaricos. *(1477 Juni 17.)*

Item eodem anno die decimaoctava mensis Junii dedi domino Jheronimo plebano et subcollectori in Thorun pro laboribus et fatigis, ac pro nunciis mittendis, processibus rescribendis florenos duodecim. *(1477 Juni 18.)*

Anno domini MCCCCLXXVIII. Item anno eodem die vicesima sexta mensis Junii recepi per manus Stanislai Przeczen, notarii nostri, ex parte domini Jeronimi plebani in Thorun, subcollectoris Pomeranie, tam in monetha Prutenicali quam etiam successive in auro florenos Hungaricales octuaginta sex, nec tunc eodem anno plus exigi potuit, supradicta guerra obstante, propter quam etiam multi homines violencia stipendiariorum oppressi fugerunt. *(1478 Juni 26.)*

Item anno eodem die decima octava Junii dedi domino Jeronimo plebano in Thorun subcollectori Gdanensi pro suis laboribus, processibus et expensis nunciorum florenos duodecim. *(1478 Juni 18.)*

Anno domini MCCCCLXXIX. Item anno eodem die duodecima Augusti recepimus per manus dicti Stanislai Przeczen nomine domini Jeronimi plebani in Thorun et subcollectoris Pomeranie in summa florenos Hungaricales octuaginta sex et grossos sedecim in solidis. *(1479 August 12.)*

Item anno eodem die decima sexta mensis Augusti dedimus domino Jheronimo plebano Thorunensi et subcollectori Gdanensi pro suis laboribus, processibus et nunciis florenos duodecim Hungaricales. *(1479 August 16.)*

Anno domini MCCCCLXXX. Item anno eodem die septima mensis Septembris recepimus per manus Petri Cluczewsky, notarii nostri, nomine domini Jeronimi plebani in Thorun et subcollectoris terrarum Pomeranie florenos sexaginta in auro, et marcas quinquaginta quinque leves sive Prutenicales, viginti grossos solidorum in marcam quamlibet computando, tres vero solidos in grossum faciunt igitur dicte quinquaginta quinque marce florenos Hungaricales triginta, florenum quemlibet pro triginta sex grossis et solidis duobus computando, quibus triginta florenis iunctis ad sexaginta erit summa totalis florenorum nonaginta. *(1480 September 7.)*

Item anno eodem die nona Septembris dedimus domino Jeronimo plebano in Thorun et subcollectori terrarum Pomeranie pro laboribus suis, processibus scribendis ac nunciis mittendis florenos duodecim Hungaricales. *(1480 September 8.)*

Anno d. MCCCCLXXXI. Et primo per manus Stanislai Pyrzwoschewsky, capellani nostri, nomine domini Jeronimi plebani Thoruniensis et subcollectoris terrarum Pomeranie recepimus florenos Hungaricales septuaginta quinque, et marcas leves sive Prutenicales undecim, que marce faciunt florenos sex similes, florenum quemlibet pro triginta sex grossis et duobus solidis computando. Facit ergo summa totalis florenorum octuaginta unum. — Item anno eodem die ultima Julii recepimus per manus cuiusdam mercatoris et civis Thoruniensis marcas leves sive Prutenicales viginti unam, que faciunt ad rationem superius dictam florenos undecim, grossos vero duodecim, solidos duos. *(1481 Juli 31.)*

Item anno eodem die vicesima quarta mensis Julii dedimus domino Jeronimo plebano in Thorun et subcollectori terrarum Pomeranie pro laboribus, fatigis et expensis, pro processibus et nunciis mittendis florenos duodecim.

Sequitur Annus d. MCCCCLXXXII, in quo ego Uriel de Gorka, episcopus Poznaniensis etc. recepi has pecunias. etc. Item anno eodem die decima octava mensis Junii recepimus per manus Nicolai notarii nostri nomine domini Jheronimi in Thorun plebani et subcollectoris Pomeranie florenos Hungaricales nonaginta. *(1482 Juni 18.)*

Item anno eodem die decima octava mensis Julii dedimus domino Jeronimo in Thorun plebano et subcollectori Pomeranie pro suis laboribus, nunciis et processibus florenos duodecim.

Item anno domini Millesimo quadringentesimo octuagesimo tercio die duodecima Maii nos Uriel dei gracia episcopus Poznaniensis etc. recepimus per manus domini Pyrzwoschewsky nomine et ordinatione domini Jheronimi subcollectoris et plebani in Thorun de Jubileo in ecclesia Pomezaniensi celebrato florenos quingentos. *(1483 Mai 12.)*

Item anno ut supra, die decima octava mensis Junii misit nobis dominus Jheronimus plebanus in Thorun subcollector terrarum Pomeranie per quendam mercatorem de dicta collecta denarii sancti Petri florenos nonaginta Hungaricales. *(1483 Juni 18.)*

Item anno eodem die quindecima Septembris dedimus domino Jeronimo plebano in

Thorun et subcollectori terrarum Pomeranie pro laboribus suis ac nunciis cum processibus mittendis florenos duodecim Hungaricales. *(1483 September 15.)*

Anno domini MCCCCLXXXIV. Item anno eodem et die duodecima Julii recepimus ex parte domini Jheronimi plebani Thoruniensis et subcollectoris in terris Pomeranie florenos nonaginta. *(1484 Juli 12.)*

Item anno eodem die septima Julii dedimus domino Jheronimo plebano in Thorun et succollectori terrarum Pomeranie pro laboribus, fatigis, expensis, pro missione nunciorum florenos XII. Hungaricales. *(1484 Juli 7.)*

Anno d. MCCCCLXXXV. Item anno eodem die decima octava mensis Junii recepimus ex parte domini Jeronimi plebani et subcollectoris in Thorun florenos Hungaricales nonaginta. *(1485 Juni 18.)*

Item anno eodem die octava mensis Julii dedimus domino Jeronimo plebano in Thorun et subcollectori Pomeranie pro suis laboribus, nunciis et processibus florenos duodecim Hungaricales. *(1485 Juli 8.)*

*Aus den Collect. Poloniae im Vatican an. 1476 et seqq. fol. 3—31 bei Theiner, Mon. Polon. II 183—200 nr. 224.*

## 691.

***1479. November 4. Heilsberg.*** *Nicolaus von Tüngen, Bischof von Ermland, institwirt in Folge der freien Resignation des zum Culmer Bischof postulirten Stephan als Pfarrer von Elbing den Gabriel von Beyersze.*

Anno etc. LXXIX. die Jovis quarta Novembris ad presentacionem serenissimi principis domini Kazimiri Polonie regis etc. Gabriel de Beyersze ad ecclesiam parochialem in antiquo opido Elbing, per liberam domini Stephani ad ecclesiam Culmensem tunc postulati resignacionem vacantem, fuit investitus.

Anno etc. LXXXI. die Saturni 1. Septembris ad presentacionem serenissimi domini Kazimiri, regis Polonie, dominus Gabriel Beyersze ad ecclesiam parochialem opidi Elbing antiquioris, per munus consecrationis domini Stephani episcopi Culmensis vacantem, est institutus.

*Aufzeichnung im bischöflichen Archiv zu Frauenburg D. 101 f. 217. SS. r. Warm. I 363, 369.*

*Der Bischof Stephanus von Culm begegnet uns zuerst als kaiserlicher Notar und nennt sich vollständig* Steffanus Mathie de Neydenburg, Pomezaniensis diocesis clericus, publicus imperiali auctoritate notarius. *Als solcher fertigt er zu Riesenburg* 1442. Indic. V die lune XII m. Novembris *ein Transsumpt des Bischofs Nicolaus von Pomesanien über die Schenkung des Landes Wenzeke durch Herzog Sambor von 1276 (Perlbach, Pommerell. Urk.-B. 237 nr. 278) aus, unter dessen Zeugen* Nicolaus de Saelfeldt doctor in decretis, Nicolaus Cleine plebanus in Marienburg *vorkommen (Orig. Perg. im Kgsb. St.-Arch); ferner zu* Marienburg 1449 Mitwoch vor Philippi vnd Jacobi *(April 30) einen Schiedsspruch der erwählten Richter, des EB. Silvester von Riga, des Abtes Nicolaus von Oliva und des Balgaer Komthurs Eberhard von Wesentaw in einer Testamentssache der Frau Ursula Robir,*

*geborenen von Emiken, über das Dorf Padeluchen (Podlechen bei Mehleack) (Or. Perg. Domkap. A. zu Frauenburg). In demselben Jahre* Ind. XII die penultima m. Octobris *(October 30) bezeugt er in einem Notariatsinstrument zu Stuhm, indem er sich* publicus apostolica et imp. auct. notarius *nennt, die Ernennung des Laurentius Blumenau DUJ. zum Domherrn in Ermland durch den HM. Conrad von Erlichshausen (Or. Perg. Kgsb. St.-Arch.). Im Jahre 1452 wurde er selbst von dem HM. zum Domherrn von Ermland ernannt, stiess aber dabei auf Schwierigkeiten und musste einen Process in Rom anstrengen; denn der päpstliche Koplan und Auditor Johannes Josso fordert alle jene, welche in dem Rechtsstreite des vom HM. zu Domherren von Ermland ernannten Dr. Laurentius Blumenau und hochmeisterlichen Sekretärs Stefanus Mathie von Neydenburg gegen ihre Prätendenten Philipp Langhe und Paul von Legendorf Beweisstücke hätten, zur Herausgabe auf (Or. Perg. im Kgsb. St.-Archiv). Seit 1457 finden wir ihn als Pfarrer von Elbing und seit 1463 auch als Domherr von Ermland. Vgl. oben nr. 620 und 638.*

## 692.

***1479. December 4. Frauenburg.*** *Stephan von Neydenburg, Domherr von Ermland und Postulirter von Culm, zahlt an die Baukasse des Frauenburger Domes den statutengemässen Beitrag.*

Anno domini MCCCCLXXIX° die Sabbati Quarta Decembris dominus Stefanus de Neydenburg. Canonicus ecclesie Warmiensis et Postulatus Culmensis, solvit pro fabrica marcas decem bone monete. — Eadem die dominus Wernerus Medderig Canonicus Warmiensis solvit pro fabrica ut supra marcas X. bone monete. — Ita est Enoch de Cobelaw prepositus manu propria.

*Aufzeichnung im Archiv des Frauenburger Domkapitels S. 1 fol. 63. Scrip. Warm. p. 250.*

## 693.

***1480. Januar 13. Löbau.*** Steffanus v. g. gn. Bisschoff czu Colmenze *übersendet an den Danziger Rath die Abschrift eines Briefes des Königes.* Geben vff der Lobaw am donrstage nach dem tage der heiligen dreykonige. Anno etc. LXXX^sten^

*Original auf Papier mit Siegel im Danziger Stadtarchiv.*

## 694.

***1480. Januar 19. Rom.*** *Papst Sixtus IV. ernennt den ermländischen Domherrn Stephan von Neydenburg zum Bischof von Culm.*

Sixtus episcopus servus servorum dei. Dilecto filio Stephano de Neydemborg, Electo Culmensi, salutem et apostolicam benedictionem. Apostolatus officium, quamquam insufficientibus meritis nobis ex alto commissum, quo ecclesiarum omnium regimini presidemus, utiliter exequi, coadiuvante domino cupientes, soliciti corde reddimur et solertes, ut, cum de ipsarum regiminibus agitur committendis, tales eis in pastores preficere studeamus, qui commissum sibi gregem dominicum sciant non solum doctrina verbi sed etiam exemplo

boni operis informare commissasque sibi ecclesias in statu pacifico et tranquillo velint et valeant duce domino salubriter regere et solicite gubernare. Dudum siquidem bone memorie Vincentio, episcopo Culmensi regimini ecclesie Culmensis presidente, nos cupientes eidem ecclesie, cum vacaret, per apostolice sedis providentiam utilem et ydoneam presidere personam, provisionem eiusdem ecclesie ordinationi et dispositioni nostre duximus ea vice specialiter rese[rvand]am, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super h[iis ali]ter quoscunque quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero prefata ecclesia Culmensis per obitum eiusdem Vincentii episcopi, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, nos vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta, ad provisionem ipsius celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit sive potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne ecclesia ipsa longe vacationis exponatur incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te, canonicum Warmiensem, in sacerdotio et etate legitima constitutum, cui apud nos de litterarum scientia, vite munditia, honestate morum, spiritualium providentia et temporalium circumspectione aliisque multiplicium virtutum donis fidedigna testimonia perhibentur, direximus oculos nostre mentis; quibus omnibus attenta meditatione pensatis de persona tua nobis et eisdem fratribus ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta eidem ecclesie de eorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in episcopum et pastorem, curam regimen et administrationem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo. In illo, qui dat gratias et largitur premia, confidentes, quod, dirigente domino actus tuos, prefata ecclesia per tue circumspectionis industriam et studium fructuosum regetur utiliter et prospere dirigetur ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Jugum igitur domini tuis impositum humeris prompta devotione suscipiens, curam regimen et administrationem dicte ecclesie sic exercere studeas solicite fideliter et prudenter, quod ecclesia ipsa gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque preter eterne retributionis premium nostram et dicte sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis. Datum Rome apud sanctum Petrum anno incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo octuagesimo, Quartodecimo Kalendas Februarii Pontificatus nostri Anno Decimo.

Ach. de Maffeis.

*Original auf Pergament mit der hanfenen Schnur mit der Bulle im Culmer Diöcesan-Archiv. — Die Bulle an das Domkapitel von Culm mit demselben Datum im Original mit der Bleibulle Sixtus IV. im Arch. des Domkapitels zu Pelplin.*

## 695.

***1481. December.*** *Stephanus, Bischof von Culm, bestätigt auf einer Diöcesansynode die Synodalstatuten seiner Vorgänger Arnold und Johannes Margenau und fügt weitere Bestimmungen hinzu, unter anderen, dass die Feier der Ostern und Pfingsten von vier Tagen auf drei zu beschränken sei.*

*Angeführt bei Hartknoch, Preuss. Kirchengeschichte S. 213, der beifügt:* „Haec Synodalia decreta MSS. subjuncta reperi Missali veteri Noribergae impresso in Bibliotheca Thorunensi", *welches Buch jetzt dort vermisst wird.*

## 696.

***1481.*** *Stephanus, Bischof von Culm, erigirt eine Vicarie in der Pfarrkirche zu Thorn.*

*Angeführt in dem genannten Urkunden-Verzeichniss des Löbauer Archivs von 1611 nr. 34 mit den Worten:* „Litterae fundationis vicarie perpetuae in ecclesia parochiali Torunensi Anno 1481 cum sigillo pensili Stephani Episcopi sub lit. G. VI."

## 697.

***1482. Januar 26. Löbau.*** Steffanus, Bischof der kirche Colmenze, *schreibt an Danzig:* Czu bestendigung euwres begeres vnd vnserer forigen schrifte van der nederlogen wegen geboret vns andirs nicht czu thun, denn nach antworte durch dy herschafft des Colmischen landes euwerer ersamkeit geschreben vnd gegeben. Doch euwerer herlichkeit czu behagen han wir synd des empfounge euwerer brifen bisher nymanden lasin halden. Geben czu Lobaw am Sonnabende nach Conversionis Pauli, anno etc. LXXXII.

*Original auf Papier mit Siegel im Danziger Stadtarchiv.*

## 698.

***1482. Juli 14. Rom.*** *Papst Sixtus IV. erlaubt dem Erzbischof Stephan von Riga zur Wiedererlangung der von den Feinden zurückgehaltenenen Kirchengüter und zur Beschaffung der für dringende Geschäfte nothwendigen Kosten von seinen Suffraganbischöfen, kirchlichen Personen und allen Beneficien ein Subsidium charitativum gemäss der Constitution Benedicts XII. einzufordern.* Datum Rome apud s. Petrum Anno d. M. CCCC. LXXXII. pridie Idus Julii pont. n. Anno undecimo.

*Beglaubigte Abschrift auf Papier im Kgsb. St.-Archiv.*

## 699.

***1482. December 23. Thorn.*** *Der Rath von Thorn transsumirt auf Antrag des Nonnenprobstes Johannes Wregang daselbst die Schenkungsurkunde des HM.'s Werner von Orseln über die Güter Kemenick, Rathgebyn, Rewan und Zegelin an das Nonnenkloster vom 1. Juni 1328 (vgl. oben nr. 220).* Datum ex Thorun feria II. post festum Thome s. apostoli anno etc. LXXX secundo.

*Original mit Siegel im Rathsarchiv zu Thorn.*

## 700.

***1483. Januar 2. Danzig.*** *Stephan (von Grube), Erzbischof von Riga, verleiht als päpstlicher Legat den Benedictiner-Nonnen in Culm Ablässe und bestätigt die vom Papst Bonifacius IX. verliehenen.*

Stephanus, miseracione divina archiepiscopus Rigensis, per provinciam eiusdem necnon Livoniam, Prussiam etc. cum potestate de latere sancte sedis apostolice legatus, universis et singulis christifidelibus salutem in domino sempiternam. Sacre religionis, in qua mundanis abdicatis illecrebis virtutum domino in humilitatis spiritu devotum et sedulum famulatum impenditis, promeretur, ut super illis, que vobis prosperi status incrementum afferre valeant, graciosum vobis apostolici favoris presidium libenter et liberaliter prebeamus. Cupientes igitur, ut ecclesia sanctorum Johannis Baptiste et Johannis evangeliste monasterii monialium in opido Culmen ordinis sancti Benedicti Culmensis diocesis, que in suis structuris et edificiis plurimum deformata sit et magna reparacione indigeat, congruis frequentetur honoribus, et ecclesia ac eciam monasterium huiusmodi conservetur, et ut christifideles eo libencius devocionis causa confluant ad eandem, et ad eius et dicti monasterii conservacionem manus prompcius porrigant adiutrices, quo ex hoc dono celestis gracie uberius conspexerint se refectos: de omnipotentis dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius meritis auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui in sanctorum Michaelis, Concepcionis beate Virginis Marie, Benedicti, Jacobi maioris et ipsius ecclesie dedicacionis festivitatum diebus eandem ecclesiam devote visitaverint et ad conservacionem huiusmodi manus porrexerint adiutrices, singulis videlicet festivitatum et celebritatum diebus centum et quadraginta dies de iniunctis eis penitenciis date legacionis, qua in hac parte fungimur, et metropolita auctoritatibus misericorditer in domino relaxamus, presentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Insuper significamus tenore presencium omnes et singulos indulgencias et remissiones per quoscunque Romanorum pontifices, et presertim Bonifacii pape sub data Rome apud sanctum Petrum decimoseptimo Kalendas Septembris pontificatus eius anno undecimo ad dictam ecclesiam monasterii sub quacumque forma et tenore litterarum datas et graciose concessas, ratas et gratas habentes, in omnibus et singulis punctis et clausulis sub quacumque verborum expressione designatis, quas auctoritate legacionis nostre prefate approbamus et confirmamus. In quorum omnium premissorum fidem et testimonium presentes litteras fieri nostri sigilli iussimus et fecimus appensione muniri. Datum in opido Gdana (!), die secunda mensis Januarii Anno domini Millesimo quadringentesimo octuagesimo tercio, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Sixti divina providencia pape quarti anno duodecimo.

Nos Steffanus, dei et apostolice sedis gracia Episcopus Culmensis, omnes et singulas indulgentias et remissiones per quoscunque pontifices, et presertim per reverendum in Christo patrem et dominum dominum Stephanum, eadem gracia archiepiscopum Rigensem

ac sancte apostolice sedis cum potestate de latere legatum, ecclesie sanctimonialium in Culmen nostre diocesis datas et graciose concessas, ratas et gratas habentes, in omnibus et singulis punctis et clausulis sub quacunque verborum expressione designatis, admittimus, quantumque iure possumus, approbamus et confirmamus; adicientes auctoritate nostra ordinaria quadraginta dies indulgentiarum. In cuius rei fidem et testimonium sigillum nostrum est presentibus appensum. [Datum] in Castro nostro Lobaw die lune vicesima sexta Maii Anno domini etc. [octo]gesimo tercio.

Nos Nicolaus, dei gracia Episcopus Culmensis, ratas et gratas habentes, quantum de iure possumus, omnes et singulas indulgentias, tam per retroscriptas quam per quascunque alias litteras a quibuscumque prelatis et antecessoribus nostris, pro prenarrata ecclesia sanctimonialium in oppido Culmen diocesis nostre fundata et consistencium (!) graciose concessas, illasque iuxta earundem litterarum continenciam et tenorem publicari permittimus, necnon de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis Christifidelibus facientibus iuxta tenorem datarum litterarum indulgencialium XL. dies de iniunctis eis penitenciis misericorditer in domino relaxamus. In quorum omnium fidem et testimonium premissorum sigillum nostrum presentibus appendi fecimus. Datum in arce nostra episcopali Luboviensi, die Mercurii proxima ante festum sancti Johannis Baptiste Anno domini etc. XCVII°.

Et nos Joannes, dei gracia Episcopus Culmensis, omnes et singulas indulgencias, per quoscunque pontifices ecclesie sanctimonialium in Culmen concessas, ratas et gratas, quantum de iure possumus, habentes, illas iuxta tenorem litterarum indulgenciarum eiusmodi publicari permittimus. Et ut populus ad promerendum illas reddatur pronior, omnibus et singulis confessis et contritis et penitenciam agentibus iuxta predictorum indulgenciarum litterarum vim, formam et tenorem, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, XL dies indulgenciarum de iniunctis eis penitenciis misericorditer in domino relaxamus. In quorum fidem sigillum nostrum presentibus est subappensum. Datum in arce nostra Altehaus sabato post exaltacionis sancte Crucis, Anno domini M° CCCCC° XIIII°.

*Original auf Pergament mit der Schnur, woran das Siegel gehangen hat, im Culmer Diöcesan-Archiv. — Theils unter der Schrift theils auf der Rückseite des Pergaments stehen die Acceptationsvermerke der drei Bischöfe, deren Besiegelung die drei Pergamentstreifen bezeugen. Die Siegel selbst sind verloren.*

## 701.

***1483. Mai 26. Löbau.*** *Stephanus, Bischof von Culm, admittirt und genehmigt die vorhergehende Urkunde.* Dat. in castro nostro Lobaw, die lune vicesima sexta Maii Anno etc. [octo]gesimo tercio.

*Originalvermerk auf Urkunde nr. 700.*

## 702.

***1483. December 10. Grodno.*** *Kazimir, König von Polen, befiehlt dem Culmer Castellan, die geistliche Gerichtsbarkeit des Bischofs von Culm nicht beeinträchtigen zu lassen.*

Kazimirus, dei gracia rex Polonie, magnusdux Lythwanie, Russie Prussieque dominus et heres, generoso Carolo de Felde, castellano Culmensi, fideli nobis dilecto, graciam nostram et favorem. Generose et fidelis noster dilecte! Pro parte reverendi in Christo patris et venerabilium Stephani episcopi et canonicorum alias capituli ecclesie Culmensis recipimus in querela, quoniam nonnulli subditi nostri nobiles et plebei, pro iniuriis et articulis ad iudicium ut sit spirituale citati, ex ipso spirituali iure forum ad secularem (!) se excipiunt, quociensque citantur, et si non in omnibus, in plerisque tamen articulis, qui mere spirituali subiacent cognicioni, non paciuntur se iudicari, in enervacionibus ecclesiastici fori, de quo, si ita est, ut accepimus, non bene contenti sumus. Volentes igitur, ut utreque tam spiritualis quam secularis iurisdictiones iuxta consuetudinem veterem conserventur, decrevimus, ut cause et articuli ad spiritualem (!) forum spectantes non per alium quam episcopum et capitulum aut officiales eorum, ille vero, que seculares sunt, per seculares nostros vel terrestres iudices diffiniantur, tractentur et discuciantur. Quocirca mandamus, quatinus illos, qui merito ad iudicium spirituale citandi iure veniunt ex eorundem episcopi vel officialium ecclesie iudicio, f[raternitas] tua non excipiat et per alios excipi prohibeat, paciaturque ecclesiasticas causas et alias ad ecclesiam pertinentes ecclesiastico parere decreto. De cetero aliter non factura pro gracia nostra. Datum in Grodno, feria quarta post festum Conceptionis virginis anno domini Millesimo quadringentesimo octogesimo tercio. — Ad mandatum domini Regis sub signeto.

*Nach den Abschriften im Nachtrage des Cop. Elsheng. p. 70 und bei Mauritius nr. 177.*

## 703.

***1484. Januar 26. Löbau.*** *Stephanus, Bischof von Culm, quittirt dem Rath von Thorn den Empfang des Werthes für einen Bischofsstab, den sein Vorgänger Johannes Margenau zum Nutzen der Stadt ausgeliefert hatte.*

Wir Stephanus, von gotisgnaden vnnd bobistlicher vorsorgunge bisschoff zcu Culmeze, bekennen vnd thun kunt allen vnd iczlichenn, in welcher kegenwertikeit deszir vnszir brieff vorkompt zcu sehen horen vnd leszenn, das vns dy erszamen herren Burgermeister vnde Rotmanne der Stadt Thorn den Bischoffsstab, welchenn der erwirdige in got vater vnd herre Johannes bisschoff, vnszer vorfar zelige meldunge, zcu erer stadt behuff hot gelegenn, der yn der gewicht achczehen margk ane sechs scot lotiges silbers gehat hot, gantcz vnd gar mit bereytem silber vnnde parem gelde beczalt vnde wol vorgenuget habenn zcu dancke. Der halben wir obengenanter Stephanus bisschoff etc. vor vnns vnde vnszer nachkomelinge dye gnanten herren Burgermeister vnde Rotmanne vnde alle

ire nachkomelinge qwit ledig vnd losz sagen durch desze vnszere schriffte vnd sullen derhalben keyne noth leyden. Vnde ap irkeyne brieffe vnder der stadt Thorun sigill czuvoen obir sulch silber obenberurt gegebenn weren vnd sich vorschreben hetten, die sullen alle vnkrefftigk vnd todt seyn nu vnd zu ewigenn czeitenn. Czu worem geczeugnisz vnd merer sicherheit haben wir vnszer sigil andrucken lasenn desem briffe, der gegeben ist vff vnszerm hawsze Lobaw am montage nach Conversionis Pauli, in den iaren vnsers herren Christi Tusent vierhundert vnd darnach im viervndachtczigsten iare.

*Original auf Pergament mit aufgedrücktem Siegel des Bischofs im Rathsarchiv zu Thorn.*

## 704.

***1484. Juli 9. Culmsee.*** *Das Domkapitel zu Culmsee bittet den Danziger Rath, das zum Reparaturbau ihrer Kirche durch den König angewiesene Geld nach dem Courswerth voll und richtig auszuzahlen.*

Den gar erszamen vnd weyzen herren Burgermeistern vnd Ratmannen zcu Gdanczk.

Vnsern gar fruntlichen grus etc. Als denne vnsir allirgnedigster herre konig vnser armen kirche zcu bawen vnd anczurichten zcu hulfe eyne quittancie uff vumftczig hungrissche gulden, die uff Johannis baptiste neestvorgangen zcu euch sulden gefallen, gnediclichen hat gegeben, derhalben denne der erszame her Meynhardt vam Steyne ewers Ratiscompan von vnserer wegen Newntczig marc geringes hat empfangen: so weisz ewer ersamkeit wol, das der hungrissche gulde durch daz gantcze landt zcu Preuszen wirt genomen vnd gegeben vor czwei marc vnd nach doboben wirt her vorkouft vnd genomen drey schillinge vnd czwei marc. Hirvmbe deucht vns, das wir van wegen der vumftczig gulden nach lawte der quittancie nicht seyn vornüget noch beczalet, nach deme als itczundt der gulden wirdig ist vnd ir en selbst nemet vnd awszgebet. Dorvmbe ewer herlichkeit wir mit besunderm fleisze bitten wol zcuthuende, daz ir semliche beczalunge der obenbenumpten vumftzig gulden ken vnser armen vorterbten kirche vnd gotis hawsze nicht also genawe nemet vnd konigliche begobunge nicht vorkurtzet, sunder nach czehn marc zcu den benumpten Newntczig marc her Meynhardt vam Steine geben geruchet vnd obirantworten, uff daz wir koniglicher goben mögen volkomelich werden gefreyet, als wir denn gantcz hoffen ane czweiffel, daz ewer weiszheit wirt vnser armen kirchen gruntlich vorterbnisz betrachten, helfen das loub gotes ufrichten vnd vns geczweigen yn vnser billichen bethe, nemende daz lon van gote vnd vns eyn gütlich vnd tröstlich antwort schreiben. Gegeben zcu Culmensehe am achten tage Visitacionis Marie, im etc. LXXXIIII jar.

Prelaten vnd Thumherren der kirchen Culmensehe, ewer willige Capplan.

*Original auf Papier mit Spuren vom Siegel im Danziger Stadtarchiv.*

## 705.

***1485. Januar 22. Petrikau.*** *Zbigneus Olesznicki, Erzbischof von Gnesen und Primas von Polen, hält zu Petrikau eine Provinzial-Synode, auf der u. a. auch der* Procurator Culmensis Episcopi *anwesend und unter den Zeugen* „Lucas de Torun, decretorum doctor, archidiaconus Srzenensis“, *der spätere Bischof von Ermland erschienen ist.* Actum et datum in ecclesia parochiali Piotrkow sub anno a nativitate domini MCCCC. octuagesimo quinto, Indict. III. Pont. Innocentii VIII. anno I. die vigesima secunda mensis Januarii.

Constitutiones synodorum metropolitanae ecclesiae Gnesnensis provincialium auth. Synodi provincialis Gembicianae per deputatos recognitae, jussu D. Joan. Wężyk AEpi Gnesn. editae. Cracoviae 1630. 4. p. 33—43.

## 706.

***1485. Februar 2. Culmsee.*** *Das Domkapitel der Kirche Culmsee bittet den Danziger Rath, die für das königliche Gnadengeschenk von 50 ungarischen Gulden zum Bau ihrer armen Kirche erhaltenen 90 Mark mit Rücksicht auf ihre Armuth noch um 10 Mark zu vermehren und diese an ihren Mitbruder, Canonicus und Official Peter Rode von Woynaw auszahlen zu lassen.* Gegeben zcu Culmeze am tage Purificationis Marie im etc. LXXXV Jore.

*Original auf Papier mit Spuren vom Siegel im Danziger Stadtarchiv.*

## 707.

***1485. März 15. Thorn.*** *König Kazimir IV. von Polen erneuert die Handfeste der Stadt Obornik in Gross-Polen.* Actum in civitate nostra Thorunensi, feria tercia post dominicam Laetare proxima anno domini MCCCC LXXX quinto. Praesentibus — dominis Zbigneo Gnesnensi archiepiscopo et primate, Petro Wladislaviensis, Uriele Posnaniensis, Nicolao Varmiensis et Stephano Culmensis ecclesiarum episcopis, necnon . . . . Nicolao Dzialynski Wladislaviensi, Nicolao de Baysen Mariemburgensi et Nicolao Wolykowski Pomeraniae palatinis, . . . Carolo de Felden Culmensi castellano etc.

*Raczynski Cod. dipl. majoris Poloniae 266 nr. 168. Wuttke. Städtebuch S. 67.*

## 708.

***1486. Januar 28. Rom.*** *Papst Innocenz VIII. beauftragt den Bischof von Culm, die Processacten über die Wunder und das Leben der seligen Dorothea in beglaubigter Abschrift ihm einzusenden.*

Episcopo Culmensi.

Innocencius PP. VIII. Venerabilis frater, salutem etc. Commisimus alias quibusdam prelatis istarum partium, ut de miraculis, vita et moribus beate Dorothee in Marienwerder civitatis Pomesaniensis in Prussia se informarent, testesque et alia documenta reciperent, ac processum desuper formarent et ad nos mitterent. Cum autem acceperimus huiusmodi processum perfectum esse, et in ecclesia Pomesaniensi conservari, volumus ac tibi mandamus, ut illius transumptum bene et fideliter scriptum ac tuo autentico sigillo signatum

ad nos et sedem apostolicam mittas. Datum Rome apud S. Petrum, die XXVIII. Januarii MCCCCLXXXVI. Anno Secundo.

*Reg. org. An. II, Brev. Tom. II fol. 151, Theiner, Mon. Pol. II 233 nr. 260 und Katholisches Wochenblatt für die Diöcesen Culm und Ermland. 1860. Jahrg. XVIII S. 44 nr. 6.*

## 709.

***1486. März 6. Rom.*** *Innocenz VIII. befiehlt abermals dem Bischof von Culm, die Processacten über die selige Dorothea in beglaubigter Abschrift einzuschicken.*

Innocentius PP. VIII. Venerabili fratri Episcopo Culmensi salutem etc. Venerabilis frater. Commisit alias, ut accepimus, felicis recordationis Bonifacius Papa nonus, predecessor noster, quibusdam prelatis istarum partium, ut de miraculis, vita et moribus beate Dorothee in Marienwerder, civitate Pomezaniensi in Prussia, se informarent, testesque et alia documenta reciperent, et processum desuper formarent. Cum autem accepimus huiusmodi processum perfectum esse et in ecclesia Pomezaniensi conservari, volumus ac tibi mandamus, ut illius transsumptum bene et fideliter scriptum ac tuo autentico sigillo signatum ad nos et sedem apostolicam mittas. Datum Rome apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die VI. Martii MCCCCLXXXVI. pontificatus nostri anno secundo.

*Processus in causa canonicazionis fel. Dorothee in der K. Bibliothek zu Kgsb. Msc. nr. 1241 p. 1. Lilienthal, Hist. b. Dorotheae p. 8. Adr. de Linda Vita b. Dorothea p. 2 SS. r. Pr. II 181.*

## 710.

***1486. Juli 26. Schöneberg.*** *Stephanus, Bischof von Culm, beglaubigt die nach dem ihm von Bischof Johannes von Pomesanien überreichten Original durch Notare gefertigte Abschrift der Processacten der seligen Dorothea durch Anhängung seines und des Domkapitels Siegels.* Acta in castro Schonenbergk, anno nativitatis domini MCCCCLXXXVI. Indict. IV. die lune vicesima sexta mensis Julii, Pont. Innocentii VIII. anno secundo; presentibus . . . . domino Bartholomeo preposito, Martino decano et officiali Pomezaniensi, Johanne Cothman Culmensis ecclesie canonicis, Nicolao Schoff de Gotschalksdorff burgrabio castri Luboviensis, Johanne de Berge, Johanne de Szeleswy, Michaele Dobeschitz, Johanne de Witramsdorff, Arnoldo de Burkardsdorff.

*Processus p. 1. Adr. de Linda p. 2—4. SS. r. Pruss. II 181.*

## 711.

***1488. October 4. Culmsee.*** *Stephanus, Bischof von Culm, genehmigt den von vier Kardinälen ausgestellten Ablassbrief für die Barbara-Kapelle in Bormühl bei Thorn.*

Angelus Penestrin[us] Episcopus, Stephanus tt. sancti Adriani, Ausias tt. sancti Vitalis Presbyteri et Johannes Michael sancti Angeli Diaconus, miseracione divina sacrosancte Romane ecclesie Cardinales, universis et singulis Christi fidelibus presentes literas

inspecturis, salutem in domino sempiternam. Quanto frequentius fidelium mentes ad opera devocionis inducimus, tanto salubrius earum animarum saluti providemus. Cupientes igitur, ut capella sancte Barbare In der uormulen sita infra limites parochialis ecclesie de Thor (!) Culmensis diocesis congruis frequentetur honoribus et a Christifidelibus iugiter veneretur necnon in suis structuris et edificiis debite reparetur conservetur et manuteneatur ac libris, calicibus, luminaribus, ornamentis ecclesiasticis et rebus aliis pro divino cultu necessariis decenter muniatur, utque Christifideles ipsi eo libentius devotionis causa confluant ad eandem et ad reparationem conservationem manutentionem et munitionem huiusmodi manus promptius porrigant adiutrices, quo ex hoc ibidem dono celestis gratie uberius conspexerint se refectos: Omnibus et singulis vere penitentibus et confessis utriusque sexus Christifidelibus prefatis, qui dictam Capellam in eiusdem sancte Barbare, Resurrectionis domini nostri Jhesu Christi, Penthecostes, Assumptionis beate Marie virginis, et ipsius capelle dedicationis festivitatibus a primis vesperis usque ad secundas vesperas inclusive devote visitaverint annuatim et ad premissa manus porrexerint adiutrices, pro singulis dictarum festivitatum diebus, quibus id fecerint, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, nos Cardinales prefati et quilibet nostrum Centum dies de iniunctis eis penitentiis misericorditer in domino relaxamus. Presentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. In quorum omnium fidem premissorum literas nostras huiusmodi fieri nostrorum solitorum sigillorum fecimus appensione communiri. Datum Rome in domibus nostrarum solitarum residenciarum, sub anno a nativitate domini Millesimo quadringentesimo septuagesimo quinto, die vero quintadecima mensis Novembris, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Sixti divina providentia pape quarti Anno Quinto.

Et nos Stephanus, dei gratia episcopus Culmensis, devotioni christifidelium, qua ad capellam sancte Barbare virginis et martiris in Bornol nostre diocesis afficiantur, paterne consulere, condicionique et ampliori incremento prefate Capelle provideri cupientes, introscriptas indulgentias per reverendissimos patres dominos Cardinales sub singulis punctis et articulis eidem capelle concessas et donatas, gratas et ratas habentes, easdem in suis tenoribus, prout donate sunt, acceptamus, approbamus, et quantum de jure possumus, ratificamus harum tenore mediante; de nostris nichilominus quadraginta dies ordinaria auctoritate eisdem addicientes et impartientes. In cuius rei testimonium sigillum nostrum presentibus est appensum. Datum apud ecclesiam nostram cathedralem Culmenzehe ipso die sancti Francisci Anno domini Millesimo quadringentesimo octogesimo octavo.

Anno domini Millesimo quingentesimo septimo, die quarta mensis Julii nos Michael, dei gratia episcopus, Margarien (!) suffraganeus et canonicus Plocensis, omnibus christifidelibus sexus utriusque, qui in festis suprascriptis capellam ut alias quandocunque visitaverint, qui et manus perrexerint adiutrices, quadraginta dies indulgenciarum concedimus

et de iniunctis eis penitenciis in domino relaxamus. In cuius rei testimonium signetum nostrum presentibus est subappensum.

*Original auf Pergament im Thorner Rathsarchiv. Daran hängen in Blechkapseln und an Schnüren die vier Siegel der Kardinäle, dann an einem Pergamentstreifen in Wachs das Siegel des Bischofs Stephanus von Culm (die Figur eines Bischofs in sitzender Stellung mit Mitra und Stab; darunter auf dem Wappenschilde ein Vogel nach rechts gehend. Vgl. Vossberg Taf. XIX. Umschrift:* S. stephani. epi. cvlmen.); *zuletzt in Wachs das Signet des Plocker Weihbischofs.*

## 712.

***1489. Februar 9. Löbau.*** *Stephanus, Bischof zu Culmsee, empfiehlt dem Danziger Rath das Anliegen, das der Domherr und Official Peter Rode persönlich vortragen wird.* Geben wffir Lobaw am tage Appolonie der heyligen iuncfrawen ym etc. LXXXIX^sten^ iore.

*Original auf Papier mit Siegel im Danziger Stadtarchiv.*

## 713.

***1489. März 27. Rom.*** *Ablassbrief mehrerer Kardinäle für das Benedictiner-Nonnenkloster in Thorn.*

Rodericus Portuensis, Oliverius Sabinensis, Marcus Penestrinus, Julianus Ostiensis, Johannes Albanensis, Episcopi; Johannes Michael tituli S. Marcelli, Georgius tituli sancte Marie in Transtyberim, Hieronimus tituli sancti Chrysogoni, Johannes tituli sancti Vitalis, Paulus tituli sancti Sixti, Dominicus tituli sancti Clementis, Johannes Jacobus tituli sancti Stephani in Coelio monte, Presbiteri; Petrus sanctorum Cosme et Damiani, Raphael sancti Georgii ad velum aureum, Johannes sancte Marie in Aquiro, Baptista sancte Marie nove, et Ascanius sancti Viti in Macello, Diaconi, miseratione divina sacrosancte Romane ecclesie Cardinales, universis et singulis Christi fidelibus presentes literas inspecturis, salutem in domino sempiternam. Deum placare credimus et in coelis habere propitium, cum mentes Christi fidelium ad pia caritatis opera debitis exhortationibus invitamus. Cupientes igitur, ut ecclesia monasterii monialium Sancti Spiritus extra et prope muros oppidi Torne Culmensis diocesis congruis frequentetur honoribus et a Christi fidelibus iugiter veneretur, necnon in suis structuris et edificiis debite reparetur, conservetur et manuteneatur, librisque, calicibus, luminaribus, ornamentis ecclesiasticis ac rebus aliis pro divino cultu necessariis decenter muniatur, utque Christi fideles ipsi eo libentius causa devotionis confluant ad eandem et ad reparationem, conservationem, manutentionem ac munitionem huiusmodi manus promptius porrigant adiutrices, quo ex hoc ibidem dono celestis gratie uberius conspexerint se refectos: Nos Cardinales prefati, videlicet quilibet nostrum, de omnipotentis dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis Christi fidelibus utriusque sexus vere penitentibus et confessis, qui dictam ecclesiam in sancti Bernardi, sancti Valentini, sancti Benedicti, dominice proxime et immediate sequentis post festum Nativitatis sancti Johannis Baptiste et ipsius

ecclesie Dedicationis festivitatum diebus a primis vesperis usque ad secundas vesperas inclusive devote visitaverint annuatim et ad premissa manus porrexerint adiutrices, ut prefertur, pro singulis festivitatum diebus predictis, quibus id fecerint, Centum dies de iniunctis eis penitentiis misericorditer in domino relaxamus; presentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium premissorum literas nostras huiusmodi fieri nostrorumque solitorum sigillorum iussimus appensione muniri. Datum Rome in domibus nostris sub anno a nativitate domini Millesimo Quadringentesimo Octogesimo Nono, die vero vigesima septima mensis Martii, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Innocentii divina providentia pape octavi Anno quinto.

*Abschrift im Cop. 2 fol. 15 der Jacobskirche zu Thorn.*

## 714.

***1489. Mai 2. Sommerau.*** *Bartholomäus, Dompropst von Pomesanien, erklärt, dass den grösseren See bei Culmsee stets die Culmer Kirche allein besessen habe.*

In nomine domini amen. Sub anno nativitatis eiusdem Millesimo quadringentesimo octogesimo nono, indictione septima, die vero sabbathi secunda mensis May, hora meridiei vel quasi, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Innocentii divina providencia pape octavi anno ipsius quinto, in taberna ville Sommerau diocesis Pomezaniensis, in mei notarii publici testiumque infrascriptorum ad hoc specialiter vocatorum et rogatorum presencia personaliter constitutus venerabilis vir dominus Bartholomeus, ecclesie Pomezaniensis prepositus ordinis Theutonicorum, ad requisitionem reverendi in Christo patris domini, domini Stephani, dei gratia episcopi Culmensis, manifeste recognovit sibique constare asseruit, quod cum ipse annis superioribus canonicus et economus ecclesie Culmensis prelibate fuisset, ante pridem sedata bellorum disturbia, illis terrigenis et nobilibus de Merkow, Sebenwirth, Grife et Zalisch, quorum predia et bona prope lacum maiorem ecclesie Culmensis sitta (!) sunt et illi contigua, nullum ius seu facultas piscandi libera competebat in eodem lacu, sed totus ipse lacus ad mensam episcopi et capituli dicte ecclesie Culmensis a primeva eiusdem ecclesie fundacione semper pertinuisset. Licet cuidam Matthie Weyze civi Thorunensi, qui tunc predium Zalchisch tenuerat, ob favorem olym reverendissimi in Christo patris et domini Sylvestri archiepiscopi Rigensis dive memorie, cuius germanam habuit in uxorem, per reverendum patrem dominum Johannem episcopum felicis recordacionis et dominos capitulares Culmenses piscandi in ipso lacu facultas ex gracia quidem ad mensam ipsius Matthie prefati duntaxat et non ad vendendum fuerat admissum, aliis nobilibus iure et potencia ecclesie ab huiusmodi piscatura, quam habere conati fuerant, omnimode seclusis. Super quibus omnibus et singulis supradictis prelibatus reverendus in Christo pater dominus Stephanus episcopus Culmensis a me

notario infrascripto hoc presens publicum vel publica vel quotquot necessaria forent, sibi confici darique petiit instrumentum vel instrumenta. Acta sunt hec anno, indiccione, mense, die, hora, pontificatu et loco, quibus supra. Presentibus ibidem nobilibus et honorabilibus Johanne de Wittramsdorff, Laurencio Knoff cubiculario et Raphaele de Thorun scriba, Pomezaniensis et Culmensis diocesium, testibus fidedignis ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

Et ego Andreas Weitfeldt de Hollandt, clericus Pomezaniensis diocesis, publicus apostolica auctoritate notarius, quia etc.

*Abschrift bei Mauritius nr. 97. Ein Originaltransumpt von König Sigismund August vom 21. August 1566 im Culmer Diöc.-Archiv und in Abschrift bei Mauritius nr. 133.*

## 715.

***1489. Juni 1. Culm.*** *Die Rathleute der Stadt Culm verschreiben den Brüdern des gemeinsamen Lebens verschiedene Besitzungen und Rechte.*

Nos Proconsul et Consules civitatis Culmensis universis et singulis presentibus et futuris notum facimus et recognoscimus: Quod nos deliberato animo, bono consilio, prompta voluntate, scitu et consensu huius civitatis scabinorum fraternitatum et totius communitatis, venerabili fratri Joanni Westerwald, venerabilibus ipsius fratribus et omnibus istius ordinis successoribus, huius prefate civitatis schole prefecturam et administrationem presentium vigore concessimus et dedimus in perpetuum, hac conditione, ut scholam in omnibus decenter et legitime administrent, cum hac etiam potestate, ut rectores et lectores iuxta illorum voluntatem, attamen nostro cum scitu, ordinent; nemo etiam contra illorum voluntatem, alios ordinare suscipereque vel ipsos expellere propter schole incrementum et utilitatem presumat. Prefatis etiam fratribus et illorum successoribus in prefata hac nostra civitate tres domos assignavimus, quas in usum sacerdotum convertere debebunt. He tres domus a parochiali ecclesia ad monasterium Franciscanorum eundo a leva manu primaque acie site sunt, iuxta quas domus prenominati fratres nostra cum voluntate et consensu aliquot domus emerunt, vel si plures emere vellent, vel si ipsis propter deum aliquot dono dabuntur, in loco et circumferentia ista intra quatuor plateas, cum etiam maiorem huius circumferentie partem iam possident, illis libenter concedimus. Volumus etiam, ut prefate he tres domus illis a nobis dono date ad nullum alium usum preter habitationes sacerdotum in perpetuum convertere debeant; he tres etiam domus, et quascunque in circumferentia et loco isto emerint, vel in futurum acquirent, ab omnibus oneribus et gravaminibus in perpetuum libere esse debeant. Simili modo pauperum scholasticorum et mediocrium scholarium domus, sicuti in suis limitibus iam continentur, ab omnibus oneribus libere sint in perpetuum. Concedimus in hac nostra civitate nostraque huius civitatis libertate hortos, agros, domus, census emendi ad illorum

utilitatem, et quidquid ad supranominata bona empturi sint, quidquid illis sive domos, hortos, agros in nostra civitate illiusque libertate propter deum largietur, iuxta constitutionem plebisciti nostri, ut et illorum vicini et nostri cives, sic et illi equalia onera portabunt. Concessimus etiam illis in nostra parochiali ecclesia tria altaria, uti altare S. Barbare, S. Joannis et S. Michaelis, cum omnibus illorum attinentiis in perpetuum. Concedimus etiam illis ex singulari gratia cum uno rete piscaturam in hac parte Vistule, que ad nos nostramque libertatem spectat, illorumque piscature prefectus fraternitati nostrorum piscatorum incorporatus esse et iuxta illius erectionem vivere debet, et quidquid ultra illorum necessitatem abundanter ceperint, nullo alio in loco, quam in foro publico huius civitatis vendere debebunt, illisque piscatoribus civitatis tam senioribus quam etiam iunioribus in omnibus illorum constitutionibus se accommodabunt. Item inordinatam scholasticorum vitam et inobedientiam nos coercere, castigare et punire adiuvabimus. Sciendum est etiam, cum nos in prima harum rerum erectione prefatis venerabilibus fratribus predium Gogolin[1]) in civitatis nostre liberis bonis et limitibus situm illis libere ad triginta annorum decursum fruendi inscripsimus, supra quod a nobis literas nostro sigillo munitas habent, hanc inscriptionem post triginta annorum exitum immobiliter tenebunt. Ad incrementum etiam et utilitatem predictorum sacerdotum et schole, damus etiam et concedimus illis et illorum successoribus predium Steinwegk, in nostre civitatis liberis bonis et limitibus situm, duodecim mansos continens, ad utendum et utifruendum, donec triginta anni sint elapsi, et singulis annis ad festum s. Martini incipiendo nobis duas maiores marcas annui census ad curiam nostram dare tenebuntur. Post exitum autem horum triginta annorum predicti fratres et illorum successores a predictis prediis Gogolin et Steinwegk singulis annis ad festum s. Martini quatuor marcas maiores annui census nobis solvere et dare tenebuntur, ab omnibusque laboribus communibus, vulgo Scharwerk nominatis, ratione horum duorum prediorum exempti esse debebunt. Hec predicta duo predia in continentiis et limitibus suis, sicuti antea comprehensa sunt, in perpetuum tanquam propria illorum bona ad illorum usum convertenda in pascuis, agris et lignis, sicuti reliqui civitatis nostri pagi, retinebunt. Sique in predictis bonis iam vel in futuris temporibus rivus exstaret ad molendinum instruendum, ex singulari gratia illis facultatem damus, ut absque omni impedimento illud edificent. Sique stagnum fodere et instaurare vellent, etiam illis liberum erit, absque damno vero nostrorum lacuum in limitibus nostre civitatis sitorum. Etiam hic non est reticendum, cum a dominis nostris supremum dominium, germanice Growschaft, in bonis civitatis nostre habeamus, in predictis duabus villis maiora iudicia in perpetuum nobis reservamus. Sic etiam venationem in supranominatis bonis nobis servamus, ne predicti fratres vel eorum familia omnia ferarum genera insequantur, venentur vel mactent. Itaque cum predictos venerabiles

[1]) *Gogolin und Steinwaage im Kirchspiel Sarnowo, Kreis Culm.*

fratres et illorum successores tanta liberalitate, ut superius notatum est, in perpetuum donavimus, volumus, ut supranominati fratres et illorum successores cultum divinum in parochiali ecclesia nostra pro illorum posse adiuvare curent. Quidquid in predictis temporibus pro pretio illis solutum est, etiam in posterum illis solvetur; quidquid etiam ex laudabili consuetudine absque pretio ad faciendum fuerint obligati, in posterum hec consuetudo etiam servabitur, ea tamen conditione, ne quid schola inde detrimenti damni aut impedimenti capiat et habeat. Predicti etiam fratres et omnes eorum successores predicta bona Gogolin et Steinwegk nullis rationibus abalienabunt aut ad alios usus convertent, sed penes domum illorum et scholam in perpetuum manebunt. Nos etiam in omnibus illorum causis et actionibus civilibus pro nostro posse illos adiuvabimus. Hec supradicta nos Proconsul et Consules nostre civitatis et nostri successores futuris temporibus inviolabiliter tenebimus et observabimus, eodemque modo predicti venerabiles fratres et omnes eorum successores inviolabiliter tenere et observare obligati erunt. In cuius rei memoriam, securitatem et evidentius testimonium nostre civitatis sigillum inferius subappendi curavimus. Datum Culme feria secunda post festum Ascensionis domini, Anno domini MCCCCLXXXIX.

*Abschrift im bischöflichen Archiv zu Pelplin nach Sedlags Manusc. p. 193. Gedruckt in den Neuen Preuss. Prov.-Blättern a. F. (1856) IX 133. Joseph Lukaszewicz, Historya szkol w koronie i wielkiém księstwie Litewskiem. Posen 1849 III S. 376.*

## 716.

***1489. Juni 1. Rom.*** *Papst Innocenz VIII. beauftragt die Bischöfe von Culm, Samland und Kurland, alle, welche Eigenthum des bischöflichen Stuhls von Ermland widerrechtlich an sich genommen haben und zurückhalten, zur Herausgabe desselben, nöthigenfalls durch Verhängung des Bannes, zu veranlassen.* Datum Rome apud s. Petrum Anno incarnationis dnice. MCCCCLXXXIX. Kal. Juni. Pont. n. Anno V.

*Original auf Pergament im Archiv des Frauenburger Domkapitels.*

## 717.

***1489. Juli 28. Krakau.*** *Kazimir, König von Polen, befiehlt dem Adel und den Städten, dem Bischof und Domkapitel von Culm nach alter Gewohnheit das Pfluggetreide als Decem zu entrichten.*

Kazimirus, dei gracia rex Polonie, magnusdux Lythwanie, Russie Prussieque dominus et heres. Universis et singulis dignitariis, armigeris, nobilibus et terrigenis et vasallis ac civitatensibus et opidanis terre nostre Culmensis presentibus requirendis, signanter tamen capitaneis et tenutariis bonorum nostrorum, videlicet Brethian, Golup, Papow, Debencime, Cowalewo, Brodnycza, Grawdintz, Starigrad, Coprzywno, Byrzglow, Wyanczlow, curie Lipno, et qui presentibus fuerunt requisiti, graciam regiam cum favore. Magnifici, generosi et nobiles, famosi et providi, grate nobis dilecti! Sua nobis reverendus in Christo

pater dominus Stephanus, episcopus Culmensis, sincere nobis dilectus, deposicione monstravit, quomodo, etsi multo superioribus temporibus terre predicte Culmensis vetus exigat consuetudo, quod a quolibet aratro, quibus rura coluntur et arantur, semper pro suo episcopo aut eius capitulo una mensura tritici et alia siliginis loco decime annis singulis solvuntur, tamen nichilominus quidem illius terre incole et inhabitatores propria sponte, maxime de bonis nostris, dictam decimam non solvunt, quasdam occasiones pretensas et excusaciones pre se ferentes et habentes. Quia tamen ius divinum et humanum decimas ubique de quolibet grano viris ecclesiasticis dictat esse solvendas; ideo vos et quemlibet vestrum districtius requirimus et hortamur, mandantes, quatenus prefatam decimam more illius patrie ipsi domino episcopo et capitulo suo Culmensi sine omni excusacione solvere et de eadem respondere integraliter debeatis, gracie nostre sub obtentu. Datum Cracouie feria tercia post festum sancti Jacobi proxima sub anno domini Millesimo quadringentesimo octogesimo nono. — Ad mandatum domini Regis.

*Nach den Abschriften im Nachtrage des Cop. Elshengense p. 73 und bei Mauritius nr. 178.*

## 718.

***1489. August 13. Löbau.*** *Stephanus, Bischof von Culm, bestätigt den Benedictiner-Nonnen in Thorn alle früher von seinen Vorgängern und jetzt von den Kardinälen ertheilten Ablässe.*

Stephanus, dei et apostolice sedis gratia apiscopus Culmensis, universis et singulis Christi fidelibus utriusque sexus nostre diocesis, ad quorum notitiam presentes pervenerint, salutem in Christo Jesu. Cupientes, ut ex pastorali officio tenemur, monasterio sancti spiritus sanctimonialium ordinis s. Benedicti extra et prope muros antiquioris oppidi Thorun nostre diocesis prelibate iacenti salubrius providere fidelesque ibidem indulgentiarum muneribus ad opera pietatis paterne inducere: omnes et singulas indulgentias a nostris predecessoribus episcopis iam pridem, nunc vero a reverendissimis in Christo patribus dominis Cardinalibus eidem monasterio novissime concessas et largitas, quorum patentes literas cum ipsarum sigillis sanas, integras et omni vitio suspicionis carentes nuper vidimus et contrectavimus, in omnibus punctis, articulis et clausulis gratas et ratas habentes, easdem admittimus, acceptamus, approbamus et, quantum de iure possumus, ratificamus et confirmamus per presentes, de nostris etiam indulgentiis ordinaria nostra auctoritate Quadraginta dies adiicientes et impartientes. In cuius rei testimonium sigillum nostrum est appensum. Datum in castro nostro Lubaviensi die Jovis Tredecima Augusti Anno domini Millesimo Quadringentesimo Octogesimo nono.

*Abschrift im Cop. 2 fol. 16 der Jacobskirche zu Thorn.*

## 719.

***1490. Februar 2. Löbau.*** *Stephanus, Bischof von Culm, ladet den Rath von Danzig zur nächsten Tagefahrt ein.*

Den . . . . Burgermeistern und Ratmannen der Stadt Dantczk.

Vnsere etc. Wir werden, ap got wil, czu Grudentcz zeyn vff beramter tagefarth vnd wellen aldo etczliche herren von landen vnd steten der sachen halben Tydeman By, dovon ir vns schreybet, wy dy in vorczeithen czu Thorun vor Koniglicher Maiestat, vnserem gnedigsten herren, wart verlassen, widder vornuern, vnd nach gehabtem rate mit vnserm Capittell, vnser meynunge durch ewren ratiskampan, dy vffr tagefarth irscheynen werden, wellen ewre weisheit, dy wir gote zelig bevelen, czu kennen geben vnd vorstehen lassen. Geben vffr Lobaw am tage Purificacionis Marie im etc. XC$^{sten}$ jore.

Stephanus von G. gn. Bisschoff czu Culmezeh.

*Original auf Papier mit Spuren vom Siegel im Danziger Stadtarchiv.*

## 720.

***1490. Juni 26. Culmsee.*** *Das Domkapitel von Culm verschreibt das Dorf Slup zu Lehenrecht.*

In nomine domini Amen. Ne res gestas, que in longevam perennemque deducende sunt hominum noticiam, decursus temporum aut mentis hebetudo detergat vel imnutet: necessarium est certis scripturarum presentationibus et testium annotatione easdem memorie recommendare. Ad perpetuam igitur rei memoriam. Nos Petrus Obornik, Joannes Kotman, Petrus Rode de Woyna, Cristopherus Ludke, Jodocus Colner, Joannes Smolle de Thorun, prelati et canonici totumque capitulum ecclesie Culmensis, significamus tenore presentium, quibus expedit universis presentibus et futuris harum noticiam habituris, quoniam nos animadvertentes gravem bonorum nostrorum mense capitularis in districtu nostro Curnicensi desolationem et anteactorum longa bellorum continuatione subsecutam, cupientesque bona nostra ad aliquam sui restaurationem capitulique utilitatem reducere et profectum, pensatis in primis et attentis fidelibus meritorum obsequiis honestaque et fideli constantia nobilis viri Stephani Dworszki, quibus se cum veris et legitimis heredibus et successoribus nobis et capitulo Culmensi obligavit perpetuo servaturum, de maturo nostro consilio et deliberatione unanimique consensu et voluntate, eidem Stephano suis veris et legittimis heredibus et successoribus villam nostram Slup[1]) nuncupatam sitamque in prefato nostro districtu Curnicensi sexaginta mansos intra suos terminos et granicies continentem in utroque latere Vlewsko, in alio Saelescho, in tertio Boleshino, in quarto autem Kowalikovo, Chelsti et Czekanouo villas habentem, pro ducentis et octoginta marcis

[1]) *Slupp, Dorf nordwestlich von Lautenburg. Die anderen genannten Ortschaften sind Wlewsk, Salesie, Bolleszyn, Kowalkik, Chelst und Czekanowko.*

levis pagamenti prutenicalis, quas nobis ad plenum quidem persolvit, rite et rationabiliter vendidimus et contulimus in feudum, damus et conferimus per presentes cum omni jure et proprietate, necnon fructibus, censibus, reditibus, proventibus, introitibus, agris, hortis, pratis, arvis, campis, pascuis, borris, sylvis, nemoribus, mellificiis, venationibus, aucupationibus, rivis, aquis et earum decursibus, paludinibus et obventionibus universis, que modo sunt et in futurum fieri poterunt, ita late longeque et circulariter, prout in suis metis et mensuratione ab antiquo consistit et veluti nos ipsi tenuimus, eandem habendum, tenendum, utifruendum jureque Culmensi libere quiete et pacifice perpetuoque possidendum, meliorandum et locandum necnon in suos usus et beneplacitum convertendum, prout ipsis melius utilius videbitur expedire, obligandumque et cum nostro consensu vendendum. Ea tamen conditione, ut prefatus Stephanus suique heredes et successores nobis et capitulo ecclesie Culmensis in uno equo valido et competentibus armis pro defensione districtus nostri Curnicensis prefati, nostris tamen sub expensis, perpetuo inservire, annonamque pecuniariam de quolibet aratro tam proprio quam rusticorum locandorum sex schotos leves annis singulis cum uno talento cere et quinque dènariis in festo sancti Martini episcopi in recognitionem dominii perpetuo solvere debent et tenebuntur. Ad cuius tamen annone solutionem volumus ipsum ad decem curricula annorum a data presentium continue terminandorum omnimoda gaudere libertate. In cuius rei robur et firmitatem duximus sigillum capituli presentibus appendendum. Actum et datum in Culmensehe apud ecclesiam cathedralem, sabbato ipso die sanctorum Joannis et Pauli marthirum, anno domini Millesimo Quadringentesimo Nonagesimo, presentibus ibidem honorabilibus et circumspectis viris et dominis Nicolao Theodorici plebano de Crosel, Bernardo Gram in Neumarckt, Abraham de Lobestein advocato in districtu nostro Caurnick, Friderico de Radosscau et aliis quam pluribus fide dignis.

*Aus der Abschrift (XVI. Säculum) im Nachtrag des Cop. Culmense nr. 80 und deren Copie bei Mauritius nr. 80.*

## 721.

***1491. Februar 27. [Frauenburg.]*** *Stephanus, Bischof von Culm, überweiset dem Domkapitel von Ermland eine Geldsumme zu Anniversarien.*

Anno domini MCCCCXC primo, die solis penultima mensis Februarii reverendus in Christo pater et dominus dominus Stephanus, episcopus Culmensis, aliquando canonicus Warmiensis, misit venerabili Capitulo Warmiensi florenos Rinenses viginti, petens litteris manu propria scriptis, ut, eo de hac luce absumpto dei voluntate, ad execucionem sive memorias fraternitatis, iuxta morem pro fratre fieri solitum, fideliter assumerentur in salutem anime sue. Acceptis igitur premissis XX florenis Rinensibus, venerabiles domini de Capitulo eundem dominum Stephanum ad memorias omnium Quatuortemporum fiendas

imperpetuum assumpserunt, comparantes pro iamdicta pecunia fertones quinque bone monete census distribuendi in memoriis ipsis de villa Scayboth.

*Aufzeichnung im Archiv des Domkapitels zu Frauenburg S. 1 fol. 24.*

## 722.

***1491. Juni 6. Thorn.*** *Stephanus, Bischof von Culm, incorporirt die von Gertrud von Allen gestiftete Vicarie der Propstei an der Georgs-Kapelle in Thorn.*

Stephanus, dei gracia et apostolice sedis providencia episcopus Culmensis, significamus tenore presentium, quibus expedit, universis presentibus et futuris harum noticiam habituris, quomodo providi et famosi viri domini Tydemannus de Allen, Hinricus Kruger, burgimagistri, Cristianus Sewe et Steffanus Szweydnitczer, consules civitatis Thorunensis, ex una, et venerabilis dominus Johannes Kotman, nostre Culmensis ecclesie prelibate canonicus et capelle sancti Georgii extra muros eiusdem civitatis Thorn prepositus, parte ex altera, in nostra presentia constituti nobis exposuerunt, quod prefati proconsules et consules, vice et nomine tocius consulatus Thorunensis, cum prefato domino Johanne Kotman occasione cuiusdam vicarie, per honestam olim dive memorie Gertrudim de Allenn in dicta capella sancti Georgii in et super medio altari sancte Crucis pridem fundate, huiusmodi inter se concordiam atque unionem fecerunt, nobisque devotis peticionibus humilique cum instantia supplicarunt, ut huiusmodi vicariam dicti altaris sancte Crucis ipsi ecclesie prefate seu prepositure sancti Georgii unire et incorporare dignaremur. Nos vero ob tantarum precum respectum humilium, attentoque rem ipsam dignam iustamque fore et ad splendorem divini cultus profuturam, duximus ipsam vicariam dicte prepositure uniendam et incorporandam nostraque auctoritate ordinaria unimus et incorporamus per presentes; sic tamen in primis quod dominus prepositus pro tempore et sui successores duos presbiteros eligendi illosque presentandi consulatui, consulatus vero eandem vicariam uni e duobus presentatis, quem magis idoneum cognoverit, conferendi habeant facultatem. Cui taliter beneficiato dominus prepositus suique successores de libera habitatione in domo sua, ut eo diligentius liberiusque dicte ecclesie sive capelle valeat inservire, honeste debeant providere, liberasque expensas, si vicarius ipse voluerit, in tabula domini prepositi cum sex marcis levibus pro sallario a domino preposito habeat et habere debeat annuatim. Si vero vicarius se ipsum in expensis providere maluerit, extunc dominus prepositus pro tempore octo marcas leves pro festo Pasche et alias octo pro Michaelis celebritate eidem suo vicario annuatim pagare, solvere tenebitur et expedire indelate. Utque ipsa vicaria et huiusmodi incorporatio per nos, ut premittitur, facta pro laude dei possit manuteneri et perpetuo durare, decernimus, ut prepositus suique successores omnes domos gazasque, de quibus census ad ipsam vicariam proveniunt, reformare et edificare illasque locare ad censum perpetuo sint astricti et obligati, et quicquid de

huiusmodi censibus ultra predictas sedecim marcas excreverit, id ipse prepositus pro se et ad sui usum servet et utilitatem. Ubi vero dominus prepositus suique successores in talium domorum et gazarum reformatione earundemque locatione desides aut torpentes notarentur dictasque domos et gazas in consweta et sufficienti edificatione non tenerent, sicque consulatui pateret, quod ex ipsius prepositi desidia et incuria census prefate vicarie decrescant et minuerentur, ex tunc ipsa presentatio et tota ipsius vicarie dispositio ad consulatum Thorunensem, veluti annis fuit superioribus, debeat reverti et pertinere pleno jure. Harum, quibus sigillum nostrum est appensum, testimonio literarum. Actum et datum in Thorun feria secunda infra octavam Corporis Christi anno eiusdem domini Millesimo quadringentesimo nonagesimo primo.

*Original auf Pergament mit angehängtem Siegel des Bischofs im Rathsarchiv zu Thorn.*

## 723.

***1492. Juni 17. Culm.*** *Steffanus, Bischof zu Culmsee, bittet den Danziger Rath, in dem Streite des Bürgermeisters Jorge Bogk mit seinem Official Peter Rode den erwählten Obermann zum nächsten Landdinge vollständig zu instruiren, damit der Process zu Ende geführt werde.* Geben zu Culmeze am Tage Trinitatis im etc. XCII iore.

*Original auf Papier mit Siegel im Danziger Stadtarchiv.*

## 724.

***1493. Februar 20. Löbau.*** *Steffanus, Bischof zu Culmsee, bittet denselben auf Ansuchen der Mutter Gregor Materns, der mehrere Tage an seiner Verwundung in Löbau krank gelegen hat, dessen Streit friedlich auszugleichen.* Geben vff der Lobaw, am h. asschetage Anno etc. dreyvndnewnzig.

*Original auf Papier mit Siegel im Danziger Stadtarchiv.*

## 725.

***[1493.] o. D. u. J.*** *Michael, Erzbischof von Riga, bittet den Papst, den Bischof Stephanus von Culm zur Ablegung des Metropolitaneides anzuhalten.*

Beatissime pater. Licet felicis recordationis Paulus pape secundus, sanctitatis vestre predecessor, per suas literas apostolicas decreverit, suffraganeos episcopos ecclesie metropolitane Rigensis, eciam in curia Romana consecratos et consecrandos, teneri ad prestationem juramenti fidelitatis et obedientie archiepiscopo Rigensi, pro tempore exsistenti eorum metropolitano, sub forma in literis eiusdem Pauli inserta:[1]) nichilominus reverendus pater dominus Stephanus, episcopus Culmensis, suffraganeus dicte ecclesie Rigensis

[1]) *Vgl. oben Nr. 639.*

metropolitane, iuramentum fidelitatis et obedientie devote creature viro Michaeli, archiepiscopo Rigensi moderno eiusdem ecclesie, prestare recusavit et recusat iuraque dicte ecclesie opprimere nititur. Cum autem, pater sancte, prefata creatura tam racione iuramenti per eum in promotione sua ad dictam ecclesiam prestiti quam eciam iuris dispositione astringatur ad conservationem iurium dicte ecclesie, sponse sue, studeatque pro posse illa conservare et illius suffraganeos ad ea observandum atque tenentur, constringi et compelli iusticia mediante, et licet forsan pro defensione iurium dicte sue ecclesie propria iurisdictione dictum Stephanum episcopum et alios suos suffraganeos ad prestandum huiusmodi iuramentum fidelitatis et obedientie aliaque jura eidem ecclesie debita: Nichilominus, ne sibi ipsi ius dicere videatur et pro maiore ur[ba]nitate sua, recurrit igitur ad pedes sanctitatis vestre humiliter supplicando, quatenus alicui ex pallatii apostolici causarum auditoribus, et si placet, domino Achilli de Grassis, cui ad eiusdem creature instantiam contra Osiliensem et Tarbatensem episcopos, eius suffraganeos, super simili inobedientia et rebellione causa commissa extitit, committere et mandare dignemini, ut constito sibi summarie sine strepitu et figura judicii, sola facti veritate inspecta, de litteris prefati Pauli predecessoribus et dictum episcopum Culmensem fore suffraganeum dicte ecclesie Rigensis, eundem sub penis in dictis litteris apostolicis contentis ac suspensionis et interdicti aliisque censuris ecclesiasticis moneat et requirat ad prestandum eidem creature dictum fidelitatis et obedientie iuramentum infra certum terminum per cum prefigendum, alioquin ad comparandum et allegandum causas, si quas habet rationabiles, propter quas ad huiusmodi iuramentum fidelitatis et obedientie et alia iura eidem ecclesie debita prestanda non teneatur ac penas et censuras predictas incurrisse declarari non debeat. Et nichilominus si jus sibi competere pretendat, idem auditor causam et causas huiusmodi audiat, cognoscat, terminet et decidat, summarie simpliciter et de plano, sine strepitu et figura judicii cum suis incidentiis emergenciis dependentiis et connexis, et cum potestate citandi prefatum Stephanum episcopum omnesque alios et singulos sua communiter vel divisim interesse putantes et in executione citationis decernende nominandos in Romana curia extra et ad partes ac inhibendi omnibus, quibus erit inhibendum totiens, quotiens opus fuerit; non obstantibus etc.

*Inserirt dem Notariatsinstrument des Auditors Achilles de Grassis von 1494 im Kgsb. St.-Archiv.*

## 726.

***1494. März 8. Rom.*** „Achilles de Grassis, utriusque iuris doctor, domini nostri pape capellanus et ipsius sacri palatii apostolici — auditor", *dem der Papst die Klageschrift des Erzbischofs Michael von Riga gegen den Bischof Stephanus von Culm zur Erledigung übergeben hatte, fordert den Letztern auf, im Falle er nicht den dem Erzbischof schuldigen Suffraganeid der Treue und des Gehorsams innerhalb sechs Tagen geleistet, vor ihm zu erscheinen und die Gründe seiner Weigerung anzugeben.* Dat. et actum Rome in domo habitacionis nostre, sub anno a nativitate domini Millesimo

quadringentesimo nonagesimo quarto, indictione duodecima, die vero sabbati octava mensis Marcii, pontificatus — domini Alexandri pape VI anno secundo. presentibus — Guillelmo Lamberti et Johanne Francisco de Grassis notariis publicis.

*Notariatsinstrument mit dem Siegel des Auditors in einer Holzkapsel im Kgsb. St.-Archiv.*

## 727.

***1494. September 2. Königsberg.*** *Hochmeister Johann von Tieffen bescheinigt dem Culmischen Domstifte das Eigenthumsrecht an dem grossen See bei Culmsee.*

Wir bruder Hanns vonn Tieffenn, hoemeister deutschs ordenns, thun kunth allenn vnnd iczlichenn, denn diesze schrieffte furkomenn, das wir uf des erwirdigenn inn gott vaters vnnd herrnn herenn Stephan Colmischenn bischoffs vnnd sines capitels ersuchen begir vnnd bete vns mit vnnsers ordenns eldisten gebietigernn vnnd brudernn, ouch vonn aldenn wertlichenn vnnd gloubwirdigenn leuthenn denn dieser lande Preuszenn wytanikeit vnnd wie vonn alders gehaldenn ist, erlernet vnnd erforschet inn keinenn vnnser Cantczleyenn buchernn ader schrieftenn anders gefunden ader inn wisszenschaft annders irkannt habenn, denn das die stiffter der Colmischenn kirchenn vnnd bischtumbs irer geistlichen herschaft vnnd nymands anders mit alle denn sehenn vnnd wassernn, sunderlich dem groszen sehe an der thumkirche Colmenzee rurende, begobte vnnd czugeeigennt vnnd in der zceit zo die selbige Colmische kirche inn vnnsers ordens beschirmunge gewesenn ist inn sulcher irer gerechtikeit beschirmet, vnnd nymandts gestattet ader vorgunst haben widder eins bischoffs vnnd capitels willen inn denn selbigenn sehenn vnnd wassernn czu fischenn. Was aber vnnser orden der ritterschafft ader andernn geistlichenn vnnd wertlichenn im Colmischen lande nach innhalt der gemeinen Colmischen handefeste gegebenn vnnd vorlehnet hot, begreifft das recht vnnd die vernunfft uff die czeit vonn vnnsers ordens guternn, vnnd nicht der kirchen guter zu schaden geschehen ist. Des czu vrkundt der warheit haben wir vnnser ingesiegell ann dieszenn brieff laeszenn hengenn, der gegeben ist uf vnnsrem hawse Konigszberg nach gotsgebort Tausent vierhundert im vier vnnd nuenczigsten Jare, am Dinstage nach Egidii.

*Original auf Pergament mit dem Einschnitt fürs Siegel im Culmer Diöc.-Archiv. Abschrift in einem Transsumpt Sigismunds August vom 21. August 1566 bei Mauritius nr. 133.*

## 728.

***1495. Februar 14. Thorn.*** *Johannes Albert, König von Polen, spricht die Fischerei und das Eigenthum des grossen Seees bei Culmsee nur allein dem Bischof und Domkapitel von Culm zu.*

Johannes Albertus, dei gratia rex Polonie, suppremus dux Lithwanie, Russie Prussieque dominus et heres etc. Significamus tenore presencium, quibus expedit, universis presentibus et futuris, harum noticiam habituris, quomodo visis auditisque

litterarum privilegiorum munimentis reverendi in Christo patris domini Stephani episcopi, et venerabilium prelatorum et canonicorum ecclesie Culmensis nobis grate dilectorum, ex una, et nobilis Augustini de Salschitcz, feudalis nostri, parte ex altera, occasione piscature in ea presertim parte lacus maioris circa Culmense et aquarum, que hereditati Salschitcz sunt contigue; attento insuper, quod idem Augustinus huiusmodi partem lacus et aquarum predictarum nedum pro se usurpare, verum domino episcopo et capitulo pretactis ecclesie Culmensis ius et facultatem piscandi in eisdem presumptuose adimere conatus fuit, cum maxime ex suis litteris ad predictum lacum aut aliquam ipsius partem nichil iuris haberet; adhibito super hoc maturo prelatorum et consiliariorum terrarum nostrarum Prussie consilio et ampla deliberacione, decrevimus harumque vigore decernimus: prefatum Augustinum racione sue hereditatis seu fundi[1]) prelibati Salschitcz nullum ius aut facultatem in dicto lacu aut aliqua ipsius parte habere piscandi sed totum ipsum lacum in omnibus suis angulis circumferencialiter ad dominum episcopum et capitulum ecclesie Culmensis premenorate cum omni iure, dominio, proprietate, usufructu et utilitate perpetuo pertinere; sic tamen ut si ex aquarum lacus inundacione prememoratus Augustinus in suis agris, pratis aut pascuis dicte hereditatis aliquid damni paciatur, id ad nobilium bonorumque virorum per nos consulto deputatorum, videlicet Ebrehardi de Powersze, succamerarii et iudicis terrestris Culmensis, et duorum scabinorum eiusdem iudicii cognicionem extimacionemque debeat per episcopum et capitulum ecclesie Culmensis refundi et resarciri. Actum et datum in Thorn sabbato ipso die sancti Valentini Anno [domini] Millesimo Quadringentesimo nonagesimo quinto, regni vero nostri Anno tercio. In cuius rei testimonium et firmitatem sigillum nostrum presentibus duximus appendendum. Presentibus ibidem reverendo in Christo patre, domino Luca, episcopo Warmiensi, necnon magnificis et generosis Nicolao de Baysen Mariemborgensi, Carolo de Felde Culmensi et Nicolao de Wolikow Pomeranie palatinis, Johanne de Dammeraw Culmensi castellano, Ebrehardo de Powersze Culmensi et Andrea Gedanensi succamerariis, aliisque quam pluribus dignitariis et consiliariis fidedignis testibus. Datum vero per manus venerabilis Gregorii de Ludbrancz, Scarbimensis et sancti Floriani in Cleparz ecclesiarum prepositi, regni nostri vicecancelarii, sincere nobis dilecti. — Relacio eiusdem venerabilis Gregorii de Ludbrancz, regni Polonie vicecancellarii.

*Nach der gleichzeitigen Abschrift im Nachtrage des Cop. Culmense nr. 76, copirt bei Mauritius nr. 76. — Original einer Bestätigung des Königs Sigismund August von 1566 August 21 im Culmer Diöc.-Arch. und copirt bei Mauritius nr. 133.*

## 729.

***1495. März 19. Thorn.*** *König Johannes Albert von Polen verleiht den Brüdern von Marien-Paradies des Carthäuserordens das Dorf Prockaw nebst dem angrenzenden Wiesensee und einer an*

[1]) *Transs.:* feudi.

*der alten Glashütte belegenen Wiese im District Mirchau zu Culmischem Recht.* Dat. in civitate Thoruniensi, feria quinta ante dominicam Judica proxima, Anno domini Millesimo Quadringentesimo Nonagesimo quinto, regni vero nostri Anno tertio; presentibus . . . patribus dnis Luca Warmiensi, Stephano Culmensi Episcopis . . . Nicolao de Baysen Marienburgensi, Carolo de Felden Culmensi, Nicolao Wolkaw Pomeraniae palatinis; Joanne de Dambrow Culmensi, Mathia de Waplitz Elbingensi castellanis; Eberhardo Powersche Culmensi, Andrea de Borzeschow Marienburgensi, Joanne de Wolkaw Elbingensi succamerariis.

*Aus dem Codex dipl. Cartusiae Paradisi B. M. V. f. 82—83. (Msc.)*

## 730.

***1495. Mai 20. Thorn.*** *Johannes Albert, König von Polen, bestätigt der Stadt Gembiz in Kujavien den ihr von seinem Grossvater König Wladislaw auf Widerruf verliehenen Jahrmarkt für ewige Zeiten.* Actum in Thorun feria quarta proxima ante festum s. Urbani anno domini MCCCC nonagesimo quinto, regni nostri anno tercio; presentibus . . . dominis Luca Varmiensi et Stephano Culmensi episcopis, necnon . . . . Nicolai de Baysen Marieburgensi, Carolo de Felden Culmensi, Nicolao de Wolikowo Pomeranie palatinis etc.

*Rzyszczewski, Cod. Pol. II 964 nr. 631. Wuttke, Städtebuch S. 73.*

## 731.

***1495. Mai 29. Thorn.*** *Johannes Albert, König von Polen, gestattet dem Culmer Bischof Stephanus die verpfändeten oder verschenkten Dörfer des Schlosses Althausen, sowie das Vorwerk beim Schlosse Unislaw an sich zu bringen.*

Johannes Albertus, dei gracia rex Polonie, suppremus dux Lithwanie, Russie, Prussieque dominus et heres etc. Significamus tenore presencium, quibus expedit, universis harum noticiam habituris: Quomodo considerantes gravem destruccionem hostilemque invasionem bonorum cathedralis ecclesie Culmensis, nostre dicioni subiecte; attendentesque illibate fidei constanciam et integritatem reverendi in Cristo patris domini Stephani, episcopi dicte ecclesie, ac obsequiorum prestanciam, quibus Maiestati nostre et regno Polonie complacere sategit, auctoque sue fidei studio prestancius placere poterit in futurum; cupientes insuper ex animo ipsam ecclesiam Culmensem, adeo vastatam bonisque omnibus et clenodiis ad divinum cultum pertinentibus fere destitutam, nostra munificencia et liberalitate regia aliquantulum relevari, matura tamen in primis deliberacione et consilio prehabitis, et de nostra certa sciencia, sibi, domino episcopo prelibato, omnes villas, predia et universaliter omnia bona ad castrum Aldehus ex antiquo pertinencia, cum omni iure, proprietate, dominio, necnon censibus, fructibus, emolimentis, redditibus, lacubus, piscaturis, molendinis, portibus, nawigiis, et cum omnibus utilitatibus ex prefatis villis et bonis quomodolibet provenientibus, que quidem bona vel sint impignorata, redimendi, vel hereditarie donata, libere emendi dedimus et contulimus, damusque et conferimus plenariam facultatem et consensum per presentes, sub eisdem pecuniarum summis, prout in litteris

regalibus quibuscunque personis spiritualibus aut secularibus impignorata sunt vel inscripta. Preterea ex mera nostra liberalitate concedimus et la[rgim]ur predictis, domino episcopo et capitulo ecclesie Culmensis, predium cum suis agris et mansis circa castrum Vnislaw situm, quod annis superioribus ad castrum nostrum Aldehus semper spectabat, per ipsum episcopum et capitulum prelibate ecclesie Culmensis cum omnibus villis pretactis bonisque universis vel redemptis aut redimendis vel alias libere emptis aut emendis, ut premittitur, habendum, tenendum, utifruendum, tamdiuque impignorata seu obligata bona pacifice et quiete possidendum, donec pecunie per prefatum episcopum dande et solvende, in quibus prefata bona exemerit, sibi vel suis successoribus per nos vel nostros successores plene et integre fuerint persolute; illisque exolutis, extunc possessio dictorum bonorum impignoratorum et obligatorum ad nos et successores nostros redibit viceversa pleno iure. Illa autem bona, que libere emerit, prefatus episcopus et sui successores tenebit tenebuntque eodem iure sive perpetuo sive ad tempus, quemadmodum possessores, a quibus eadem emerit, a serenissimo olim parente nostro obtinuerunt et possederunt. Castro tamen Aldehus et prediis agrisque et duabus villis, quibus noster tenutarius magnificus Nicolaus de Wolikow, palatinus Pomeranie, nomine et vice nostris hactenus usus est, impresenciarum exceptis. Salvis per omnia semper iuribus nostris regalibus. Harum, quibus sigillum nostrum est appensum, testimonio litterarum. Actum et datum in Thorvn, feria sexta in crastino Ascensionis domini, Anno eiusdem Millesimo Quadringentesimo nonagesimo Quinto, regni vero nostri Anno Tercio. — Relacio venerabilis Gregorii de Ludbrancz regni Polonie vicecancellarii.

G. Vicecancellarius subscripsit.

*Original auf Pergament mit dem Pergamentstreifen zum Siegel, welches verloren ist, im Culmer Diöcesan-Archiv. Abschrift bei Mauritius nr. 100.*

*Nach dem Catal. epp. Culmensium starb Stephan im Jahre 1495 und wurde in dem Dome zu Culmsee begraben. Sein Todestag ist unbekannt, muss aber nach Nr. 731 auf den 29. Mai 1495 fallen.*

## 732.

***1495. Juni 8. Gostin.*** *Johannes Albert, König von Polen, gestattet dem Bürgermeister Heinrich Krüger in Thorn, das Dorf Kunzendorf in Pfandbesitz zu nehmen.*

Joannes Albertus, dei gracia rex Polonie, suppremus dux Lithwanie, Russie Prussieque dominus et heres. Significamus tenore presencium, quibus expedit, universis, quod nos permoti peticionibus famosi Enreci Crüger, proconsulis nostri Torunensis, sibi villam nostram Cuncendorff, sitam in districtu Papoviensi, de manibus famosi Ruthcheri et Gertrudis, relicte olim Joannis — — aliorum quorumcumque heredum ipsius et tenutariorum ville eiusdem redimere consentimus, conferimus et permittimus per presentes dictam villam tenendam, habendam, quiete possidendam, cum omnibus fructibus et

proventibus iuxta iura super eandem a predecessoribus nostris obtenta usque ad exemcionem nostram vel successorum nostrorum, iuribus regalibus et stacionibus per omnia salvis. Quibus in testimonium sigillum nostrum est subappensum. Datum in Gostinin feria secunda in festo Pentecostes, Anno domini Millesimo quadringentesimo nonagesimo quinto, regni nostri Anno tercio.

*Original auf Pergament mit dem Streifen zum Siegel, welches abgefallen ist, im Culmer Diöcesan-Archiv. Die Schrift ist durch Stock derartig angegriffen, dass sie nur mit Hülfe der Abschrift bei Mauritius nr. 138 gelesen werden konnte und an einer Stelle unleserlich blieb.*

## 733.

***1496. Februar 7. Sandomir.*** *König Johannes Albert von Polen bittet den Bischof Lucas von Ermland um das durch die Beförderung des Johannes (!) Crapitz vacant gewordene ermländische Canonicat für seinen Notar Andreas Prawda von Gorowo.*

Reverendo in Christo patri domino Luce Episcopo Warmiensi, sincere nobis dilecto.

Joannes Albertus, dei gratia rex Polonie, supremus dux Litvanie, Russie Prussieque etc. dominus et heres. Reverende in Christo pater, sincere nobis dilecte! Vellemus, quod post promocionem venerabilis Joannis (!) Crapicz ad ecclesiam Culmensem factam honorabilis Andreas Prawda de Gorowo, notarius noster, canonicatu et prebenda suis Warmiensibus consolaretur. Atque ideo affectamus v. p., quatinus eosdem sibi favere velit et operari, ut canonicatum et prebendam eosdem assequeretur opera et favore v. p. Datum Sandomirie dominica in crastino sancte Dorothee virginis anno domini Millesimo quadringentesimo nonagesimo sexto, regni vero nostri Anno Quarto. — Commissio propria domini regis.

*Original auf Pergament mit Fragmenten des grossen königlichen Siegels im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 1 fol. 137. Der Vorname Johannes ist ein Schreibfehler für Nicolaus, wie der Bischof von Culm sonst richtig heisst.*

## 734.

***1496. Juni 25. Löbau.*** *Johannes Smolle bittet den Bischof Lucas von Ermland um Nachrichten aus Rom über die Culmer Kirche und deren Electen.*

Reverendissimo domino Luce, d. gr. Episcopo Warmiensi.

Reverendissime in Christo pater, domine mi gratiosissime! Post humillimam debitamque sui recommendationem. Expectabam siquidem magno animi desiderio, ut de rebus ecclesie Culmensis et venerando patre domino Electo eiusdem, presertim quid in urbe actum foret, audirem avidus. Sed qui aliquid referret nuncii, in hunc usque diem audivi neminem, quod profecto non mediocri mihi est dolori, qui alias periculo expositus sum in falsis fratribus, quorum oblocutiones in me non cessant, licet illas pro veritate, cui innixus sum, parvifacio semper. Si igitur vestra Reverendissima paternitas quicpiam

offenderit ex Roma de hys rebus, que ecclesiam Culmensem et electum eius dignissimum contingant, oro humillime, ut pro sua singulari amplissimaque benignitate dignetur, quantum licet mihi scire, me reddere consolatum. Caristia gravis Cracovie et in partibus Russie presertim in frumentis fertur. Et ex eo ac aliis respectibus arbitrantur plures, Regiam maiestatem in has terras suas venturam, maxime ut illas prudentissimo consilio in ordinem ponat; quod deus pro sua gloria promovere dignetur. Satis enim et diu erratum est. Tandem iterum iterumque me v. Rme paternitati recommendo et dedo obsequentissimum. Ex Lobaw sabbato proximo post sancti Johannis baptiste nativitatem, anno domini 1496.

Eiusdem vestre Reverendissime paternitatis devotus exorator

Johannes Smolle.

*Original auf Papier mit Spuren vom Siegel im bischöflichen Archiv zu Frauenburg. D 1 fol. 138.*

## 735.

***1496. September 3. Rom.*** *Nicolaus Crapicz, Bischof von Culm, wird von dem päpstlichen Richter Franciscus Grambocke beauftragt, den bei Gelegenheit eines Streites mit dem ermländischen Domkapitel über den Vasallen Balthasar von Scayboth verhängten Bann zu lösen.*

Reverendo in Christo patri et domino domino Nicolao Crapicz, dei et apostolice sedis gracia episcopo Culmensi, Franciscus Grambocke, legum doctor, decanus ecclesie Bremensis in Romana curia residens, iudex et commissarius unicus ad infrascripta a sacrosancta sede apostolica specialiter deputatus, salutem in domino et in commissis debitam diligentiam adhibere nostrisque et huiusmodi ymmo verius apostolicis firmiter obedire mandatis. Noveritis, quod nuper sanctissimus in Christo pater et dominus noster, dominus Alexander, divina providentia papa Sextus, quandam commissionis sive supplicationis cedulam nobis per certum suum nuntium presentari fecit, quem nos cum ea qua decuit reverentia recepimus, huiusmodi sub tenore:

Dignetur Sanctitas vestra venerabili viro Balthasarem de Scayboth, laicum Warmiensis diocesis, dum vixit, vasallum ecclesie Warmiensis, ab omnibus et singulis excommunicationis etiam maioris aliisque sententiis, censuris et penis ecclesiasticis, per bone memorie Johannem Didaci de Coca, decanum ecclesie Bremensis, sacri palatii apostolici causarum dum vixit auditorem, in quadam causa, que tunc coram eo inter prepositum, decanum et capitulum ecclesie Warmiensis ex una, et prefatum quandam Balthasarem de et super nonnullis diffamationibus, blasphemiis gravissimis et iniuriis ac pecuniarum summis, dampnis et interesse, rebusque aliis in actis cause huiusmodi specificatis et earum occasione, partibus ex altera indecisis, pendente, ob non responsionem libelli pro parte eorundem prepositi decani et capituli oblati et ad eorundem prepositi decani et capituli instanciam, in eundem quondam Balthasarem, dum vixit, in Romana curia latis et promulgatis, de ipsorum prepositi decani et capituli expresso consensu modernorum, per se vel per alium

seu alios in eadem Romana curia vel extra eam simpliciter vel ad cautelam in forma ecclesie consueta absolvat, et unitati sancte matris ecclesie ac participationi ecclesiasticorum sacramentorum restituat, absolutumque denuntiat et denuntiari mandet et faciat, litterasque desuper necessarias sub suo sigillo decernat et concedat, iniuncta sibi pro modo culpe penitentia salutari, premissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis stilo palatii, iuribus ceterisque contrariis quibuscunque non obstantibus. In fine vero dicte commissionis sive supplicationis cedule scripta erant, de alterius manu littera superiori littere ipsius cedule penitus et omnino dissimili et diversa, hec verba videlicet: de mandato domini nostri pape idem decanus de consensu partium absolvat per se vel alium, ut petitur, premissis non obstantibus. In extremitate vero marginis inferioris eiusdem commissionis sive supplicationis cedule scripta erant de aliena manu, littera superioribus litteris ipsius cedule simili modo penitus dissimili et diversa hec verba, videlicet: placet domino nostro pape de consensu Jo. Cardinalis Alexan.

Post cuiusquidem commissionis sive supplicationis cedule presentationem et inceptionem nobis et per nos ut premittitur factas, fuimus pro parte validi viri quondam Balthasaris de Schayboth, layci Warmiensis diocesis, dum vixit, vasalli ecclesie Warmiensis principalis, in preinserta nobis facta et presentata commissione principaliter nominati, debita cum instancia requisiti, quatenus vobis, reverendo patri domino Episcopo prefato, absolutionem ab omnibus et singulis excommunicationis, etiam maioris, aliisque censuris sentenciis et penis ecclesiasticis, per bone memorie Johannem Didaci de Coca decanum ecclesie Burgen (!) ac causarum sacri palatii apostolici dum vixit auditorem, in quadam causa, que tunc coram eo inter venerabiles et circumspectos viros dominos prepositum, decanum et capitulum ecclesie Warmiensis ex una, et prefatum quondam Baltasarem ex adverso principalem de et super nonnullis diffamationibus, blasphemiis gravissimis et iniuriis, ac pecuniarum summis, dampnis et interesse, rebusque aliis in actis cause huiusmodi specificatis et earum occasione, partibus ex altera indecisis, pendente, ob non responsionem libelli pro parte eorundem dominorum prepositi, decani et capituli oblati, et ad ipsorum instantiam in eundem quondam Baltasarem, dum vixit, in dicta Romana curia latis et promulgatis atque inflictis, impendendam committere, ipsumque ad hoc subdeputare, et quoad absolutionem huiusmodi subdelegare, ac vices nostras committere, litterasque nostras desuper necessarias et opportunas iuxta dicte preinserte commissionis vim formam continentiam et tenorem in forma solita et consueta decernere dignaremur. Nos igitur Franciscus decanus, iudex et commissarius prefatus, attendentes requisitionem huiusmodi fore iustam et consonam rationi, quodque iusta petenti non est denegandum assensus, et quod sancta nostra ecclesia nemini claudit gremium veniam petenti et ad eam redire cupienti, volentesque dictam preinsertam nobis factam et presentatam commissionem ad effectum debitum deducere, ut tenemur, idcirco auctoritate apostolica nobis commissa, et qua fungimur in hac parte, vobis, reverendo patri domino Episcopo

prefato, de cuius circumspectione et industria plenam gerimus in domino fiduciam, vices nostros tenore presentium in hac parte committimus, et virtute sancte obediencie districte precipiendo mandamus, quatenus postquam pro parte supranominati quondam Baltassaris principalis vigore presentium fueritis requisiti iuxta iuris exigentiam, eundem quondam Baltassarem principalem in personam sui legittimi et naturalis heredis et successoris, si id humiliter petierit, ab huiusmodi excommunicationis aliisque sentenciis, censuris et penis ecclesiasticis, in eundem quondam Baltassarem dicta occasione quomodolibet latis et promulgatis, auctoritate nostra ymmo verius apostolica simpliciter vel ad cautelam, prout vobis visum fuerit, hac vice dumtaxat, in forma ecclesie consueta de dictorum dominorum prepositi, decani et capituli vel eorum legitimi procuratoris expresso consensu et assensu absolvatis, christifidelium et participationi ecclesiasticorum sacramentorum restituatis, ac eum et ut talem, ubi quando et quotiens expediens fuerit, denuntietis et ab aliis denuntiari mandari faciatis, litteras vestras desuper decernentes oportunas; Requisito tamen primitus ab dicto herede, vice et nomine ipsius quondam Baltassaris, vel eius legitimo procuratore ad mandatum vestrum et in vestris manibus, tactis per eum scripturis sacrosanctis, ad sancta dei ewangelia corporali prestito iuramento de stando iuri ac sancte matris ecclesie, vestris atque nostris ymmo verius apostolicis parere mandatis, iniuncta sibi inde pro modo culpe penitentia salutari. In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium premissorum presentes litteras sive presens publicum instrumentum, huiusmodi absolutionis commissionem in se continens sive continentes, exinde fieri et per notarium publicum infrascriptum subscribi et publicari mandavimus, sigillique venerabilis viri domini Nicolai Sculteti, decani sancti Sebastiani Magdeburgensis et canonici Halberstadiensis ecclesiarum, ob nostri proprii sigilli carentiam iussimus et fecimus appensione communiri. Datum et actum Rome in domo habitationis nostre sub anno a nativitate domini Millesimo quadringentesimo nonagesimo sexto, Indictione quartadecima, die vero sabbati Tertia mensis Septembris, pontificatus prefati sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Alexandri divina providentia pape Sexti Anno Quarto.

Et ego Bernardus Sculteti. clericus Wladislaviensis diocesis, publicus apostolica et imperiali auctoritatibus sacrique palacii causarum apostolici notarius et scriba, quia etc.

*Original auf Pergament mit dem an einer Schnur hängenden Siegel in einer Holzkapsel im Archiv des Domkapitels in Frauenburg. Auf der Rückseite des Pergaments stehen folgende Vermerke:* „Nos Nicolaus, episcopus Culmensis, quia partes retroscriptas commode ad nos vocare non potuimus, pro executione commissionis nobis facte, itaque confisi de idoneitate et virtute venerabilis domini Decani collegiate ecclesie Gutstadensis Warmiensis diocesis, eidem auctoritatem istud exequendi attribuimus. Actum in castro nostro Lubaviensi feria tercia post festum divisionis apostolorum Anno domini etc. XCVIII°" *(Juli 17) und:* „Execucio suprascripte commissionis facta est per venerabilem dominum Mathiam Godau, decanum et canonicum Gutstadensem, artium magistrum et vicarium ecclesie Warmiensis, die dominica XII mensis Augusti Anno quo supra. Protestor ego Baltazar Stockfisch etc. Et facta est absolucio in ecclesia parochiali Clauckendorff ad sepulcrum defuncti."

## 736.

***1497. Juni 21. Löbau.*** *Nicolaus, Bischof von Culm, genehmigt alle dem Benedictiner-Nonnenkloster zu Culm verliehenen Ablässe und verleiht ihm seinerseits einen Ablass von vierzig Tagen.* Dat. in arce nostra episcopali Luboviensi, die Mercurii proxima ante festum s. Johannis Baptiste A. d. etc. XCVII.

*Originalvermerk auf dem Ablassbrief des Erzbischofs Stephan von Riga vom Jahre 1483 s. o. Nr. 700.*

## 737.

***1497. August 19. Culmsee.*** „Cristoforus Ludeck, Johannes Smolle civitatis Thoronensis plebanus, Raphael Wayner, Gregorius Sewberlich, Caspar Welker capitulumque ecclesie cathedralis Culmensis", *transsumiren und vidimiren die Urkunde des Königs Albrecht von Schweden über die Verleihung einer Vitte zu Falsterbo an die sechs preussischen Städte d. d. am Tage S. Jacobi 1368 (Hirsch, Handelsgeschichte Danzigs S. 278).* Actum et datum apud ecclesiam cathedralem in Colmensee in loco capitulari curie episcopalis Colmensis A. d. M. CCCC. Nonagesimo septimo die Saturni XIX mensis Augusti, indictione ultima, pontificatus . . . . . ., Alexandri . . pape VI. anno VI. Presentibus . . . . Jacobo de Thorun capellano dicte cathedralis ecclesie et Johanne Lebaw familiari et notario reverendi in Cristo patris et domini domini Nicolai Colmensis episcopi Colmensis diocesis. — Udalricus Steger de Franckenfardis Lubucensis diocesis notarius.

*Original auf Pergament mit wohlerhaltenem Siegel des Domkapitels im Danziger Stadtarchiv.*

## 738.

***1497. October 14. Löbau.*** *Nicolaus, Bischof von Culm, entschuldigt sich wegen seines Ausbleibens vom nächsten Landtage und berichtet über einen nach dem Tode des Hochmeisters ersonnenen feindlichen Plan.*

Reverendissimo in Christo patri et domino domino Luce, dei gratia Episcopo Warmiensi, domino et maiori venerando.

Reverendissime in Christo pater, domine et maior venerande! Vocat me, prout et ceteros, dominus palatinus Marieburgensis ad conventionem nunc instantem, cui alias respondi me venturum. Jam vero cum me ad iter pararem, emergunt mihi plura impedimenta, que me necessario retrahunt et venire prohibent. Quare oro sim supportatus pro hac vice; deus novit, non fingo impedimenti causas. Casu autem, quo illic aliquid oportune concludendum esset in favorem Serenissimi principis et regis nostri, ratum semper habebo, in quod etiam presens consentirem. De infami illo domino . . . . . noster Prange scribit aliquid nobis moliri; credo actum esse apud ordinem, defun . . . . . patrono, et ita iacula sua non linita auro minus ferient, quod vix administrabunt fratres alias angariati, neque novus Sambiensis, cuius suggestione intelligo litem attemptatam, multum succurrere poterit, ere alieno alias plurimum gravatus. Scribitur mihi ex Wratislavia, doctorem Czepel ibidem prepositum ex urbe ad eos venturum, quocum non

dubito literas habebimus propediem. Commendo me R. p. vestre. Datum Lubouie sabbato in profesto Hedwigis. Anno domini etc. XCVII°.

Nicolaus Episcopus Culmensis.

*Original auf Papier mit Siegelfragmenten im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D 1 fol. 109. Die Lücken sind durch einen Stockflecken, der die Schrift unleserlich gemacht hat, entstanden.*

## 739.

***1488—1498.*** *Verschiedene Aufzeichnungen über Nicolaus Crapitz, Domherrn von Ermland und Bischof von Culm.*

Anno etc. LXXXVIII die Veneris quinta Septembris domini infrascripti, videlicet Enoch de Cobelaw prepositus, premissa protestacione non impediendi reservacionem apostolicam, pro se et procuratorio nomine venerabilis domini Mathie de Lawnaw, prout de mandato suo docuit, Cristannus Tapiaw decanus, suo necnon reverendi patris domini Nicolai episcopi Warmiensis, cuius ad infrascripta exhibuit generale mandatum, nominibus, Thomas Werneri custos, Thomas cantor, Wernerus Medderich, Johannes Czanaw, Leonardus de Loyden, Zacharias Tapiaw, Martinus Achtsnicht, canonici ecclesie Warmiensis, ad sonum campane in loco capitulari congregati capitulariter, volentes procedere ad electionem de canonicatu et prebenda vacante per obitum domini Andree Lumpe, dum viveret, canonici de mense Februarii extra Romana curia defuncti, variis super hec tractatibus prehabitis votisque dominorum per dominum prepositum examinatis et collectis, unanimiter et concorditer, nemine discrepante, in personam venerabilis domini Nicolai Crapitz consenserunt, ac ipsum in canonicum et in fratrem elegerunt, necnon canonicatum et prebendam huiusmodi in personam venerabilis domini Andree, procuratoris dicti Nicolai Crapitz, prout de mandato suo legitime docuit, ordinarie contulerunt, ac eidem de ipsis canonicatu et prebenda providerunt, ipsumque per bireti imposicionem investierunt, mandantes eundem per venerabiles dominos Thomam cantorem et Zachariam Tapiaw canonicos predictos in possessionem induci ac stallum in choro assignari et locum in capitulo, recepto tamen primitus ab eodem domino Andrea procuratore de observandis statutis et consuetudinibus solito iuramento. Acta sunt hec anno die ut supra.

Ego Helias de Darethen notarius subscripsi etc. manu propria.

Anno etc. XC primo. Venerabilis dominus Nicolaus Crapitcz, canonicus Warmiensis emit marcis centumtriginta relictam quondam domini Thome Kinast[1]) domum, pro horis domine nostre in ecclesia Warmiensi cantandis per eum in suo testamento legatam, solvitque idem dominus Nicolaus anno prescripto in profesto sancte Elizabeth prefatam summam CXXX marcarum integraliter, in auro Rinensi florenos Centum septuaginta

---

[1]) *Thomas Kinast, Cantor und Canonicus von Ermland, starb nach dem Randvermerk am Montage den 19. April 1490.*

tres, quemlibet per fertones tres iuxta censum communem patrie. Quibus florenis uno fertone superaddito, resultat dicta CXXX marcarum summa, quam magister horarum domine nostre venerabilis dominus Johannes Czanau ad se percepit. — Ad mandatum venerabilis Capituli Warmiensis Baltazar Stockfisch subscripsit.

Anno domini etc. 98 in capitulo generali Omnium Sanctorum reverendus pater dominus Nicolaus Crapitcz episcopus Culmensis, pridem canonicus Warmiensis, solvit ecclesie pro cappa marcas VIII. Recepit dominus Baltasar vicecustos.

Reverendus in Christo pater dominus Nicolaus Crapitz episcopus Culmensis dedit pro fabrica X marcas bonas, quas presentavit Capitulo dominus custos Andreas de Cleetz Anno 99. in octava Martini.

*Archiv des Domkapitels in Frauenburg S. 1 fol. 21, 25 und 63.*

## 740.

***1498. Januar 19. Marienburg.*** *Nicolaus, Bischof zu Culmsee, stellt eine Vollmacht für den Domherrn Caspar an seiner Kirche zur Verhandlung mehrerer Sachen aus und bittet den Danziger Rath ihm Beistand zu leisten.* Gegeben czu Marienburgk in profesto ss. Fabiani et Sebastiani mart. im XCVIII[sten] iore.

*Orig. Pap. mit dem bischöflichen Secret im Danziger Stadtarchiv.*

## 741.

***1498. März 26. Thorn.*** *Der Rath zu Thorn bittet den Bischof Nicolaus von Culm um Bestätigung des durch Johannes Baritsch gestifteten Manual-Beneficiums bei der Kapelle der h. Maria Magdalena in der Jacobskirche zu Thorn.* Dat. Thorunii die XXVI Martii 1498 *nebst des Bischofs Bestätigung* dat. Culm in crastino die Ascensionis Domini 1498 *(Mai 25).*

*Orig. Perg. mit Siegel im Thorner Rathsarchiv.*

## 742.

***1499. Februar 18. Löbau.*** *Nicolaus, Bischof von Culm, genehmigt die von 20 Kardinälen der Elisabeth-Kapelle am Hospital zum Heiligen Geist in Thorn verliehenen Ablässe.*

Oliverius Sabinen[sis], Johannes Portuen[sis], Gregorius Albanen[sis] et Jeronimus Prenestin[us], Episcopi, Dominicus tt. sancti Clementis, Laurentius tt. sancte Cecilie, [Johannes] Baptista tt. sanctorum Johannis et Pauli, Johannes tt. sancte Sabine, Johannes tt. sancte Prisce, Bernardinus tt. sancte Crucis in Jerusalem, Guillermus tt. sancte Pudenciane, Johannes Antonius tt. sanctorum Nerei et Archilei et Raymundus tt. sancti Vitalis, Presbyteri, Raphael sancti Georgii ad Velumaureum, Dominicus sancti Nicolai inter Vinagines, Johannes sancte Marie in Domnica, Fredericus sancti Theodori, Alexander

sanctorum Cosme et Damiani, Julianus sanctorum Sergii et Bacchi et Johannes sancte Marie in Vialata, Diaconi, miseratione divina sacrosancte Romane ecclesie Cardinales. Universis et singulis Christifidelibus presentes literas inspecturis, salutem in domino sempiternam. Quanto frequentius fidelium mentes ad opera caritatis inducimus, tanto salubrius animarum suarum saluti providemus. Cupientes igitur, ut Capella hospitalis sancte Elizabeth extra muros opidi Thoronensis Culmensis diocesis, ad quam, sicut accepimus, dilectus nobis in Christo venerabilis vir Johannes Irregungk presbyter, alias eiusdem ecclesie prepositus, singularem gerit devotionem, congruis frequentetur honoribus et a Christi fidelibus iugiter veneretur ac in suis structuris et edificiis debite reparetur, conservetur et manuteneatur necnon libris, calicibus, luminaribus, ornamentis ecclesiasticis et rebus aliis pro divino cultu inibi necessariis decenter muniatur; utque Christifideles ipsi eo libentius devocionis causa confluant ad eandem et ad reparationem, conservationem, manutentionem et munitionem huiusmodi manus promptius porrigant adiutrices, quo ex hoc ibidem dono celestis gratie uberius conspexerint se refectos: Nos Cardinales prefati, videlicet quilibet nostrum, supplicationibus eiusdem Johannis nobis super hoc humiliter porrecti inclinati, de omnipotentis dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis Christifidelibus utriusque sexus vere penitentibus et confessis, qui dictam capellam in singulis, videlicet sancti Stephani protomartyris et sancti Mathie apostoli ac dominica, in qua cantatur Misericordia domini, necnon dominica ante festum sancti Martini ipsiusque capelle dedicationis festivitatibus et diebus, a primis vesperis usque ad secundas vesperas inclusive devote visitaverint annuatim, et ad premissa manus porrexerint adiutrices pro singulis festivitatibus sive diebus predictis, quibus id fecerint, Centum dies de iniunctis eis penitentiis misericorditer in domino relaxamus. Presentibus perpetuis futuris duraturis. In quorum omnium et singulorum fidem premissorum literas nostras huiusmodi fieri nostrorumque sigillorum fecimus appensione communiri. Datum Rome in domibus nostris, anno a nativitate domini Millesimo quadringentesimo nonagesimo octavo, die vero vicesima quarta mensis Octobris, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri Alexandri divina providentia pape Sexti anno Septimo.

Nos Nicolaus, dei gratia episcopus Culmensis, omnes et singulas indulgencias reverendissimorum patrum dominorum Cardinalium predictorum ad hospitale sancti spiritus in Thorun nostre diocesis concessorum ad certos dies, prout in literis ipsis plenius continetur, nos ratas et gratas habentes admittimus, Quadraginta dies indulgenciarum adicientes. Datum in castro nostro Lobaw secunda feria proxima post Invocavit anno domini Millesimo quadringentesimo nonagesimo nono, nostro sigillo in testimonium subappenso.

*Original auf Pergament mit den an Schnüren hängenden Siegeln der 20 Kardinäle in Blechkapseln und dem an einem Pergamentstreifen hängenden Secret des Bischofs Nicolaus in Wachs im Thorner Rathsarchiv. Auf dem Schilde sieht man eine fünfblätterige Blume, von der drei lancetförmige Blätter nach unten und den beiden Ecken des oberen Randes auslaufen. Ueber dem Schilde eine Mitra mit der Umschrift:* NICOLAI. EPI. CVLMEN.

## 743.

***1499. Juli 24. Briesen.*** *Zeugniss des Schöppengerichts in Briesen über den Ankauf von sieben Hufen in Pruschin durch den Bischof Nicolaus von Culm, beglaubigt durch den Rath daselbst am 23. April 1545.*

Universis et singulis, presentibus et futuris, nostras literas inspecturis visuris et audituris, pateat evidenter et notum sit, quod nobis, proconsuli et consulibus oppidi Fredeck in congregatione nostra consulari sedentibus, constituti coram nobis personaliter circumspecti viri et jurati scabini dicti oppidi, adducentes ex eorum libro scabinali testimonium literale, cuius tenor de verbo ad verbum sequitur et est talis:

In nomine domini Amen. Sub anno domini Millesimo quadringentesimo nonagesimo nono factum et actum feria quarta in vigilia sancti Jacobi apostoli maioris veniens nobilis Laurentius Pyarkorsky una cum Joanne fratre amitali de Dambrowka, coram nobis bannito in iudicio, videlicet Joanne proconsule Noborkowski, antiquo proconsule Stephano et Alberto sculteto et consulibus Johanne Palcer et iuratis Kaszkone, Stanislao Odoy, Matthia Maszgay, Johanne Byaly, in domo Stephani antiqui proconsulis in oppido Fredeck reverendissimi domini et domini Nicolai, dei gratia episcopi ecclesie Culmensis, recognoverunt se vendidisse hereditatem, predium septem mansorum, in predicto predio Pruschin, reverendo domino in Christo patri domino et domino Nicolao, dei gratia episcopo ecclesie Culmensis, per socium sui commissarii Nicolai de Grachlino et prepositi in Radczin, pro septem sexagenis, et cum receperant quatuor sexagenas in paratis, et tres sexagenas debet deponere in civitate Culmensi per annum in iudicio terrestri. Unde ipse nobilis Laurentius Pyakorski una cum Joanne fratre amitali de Dambrowka vendidit ita late longeque cum borris et silvis, gaiis, rubetis, piscinis, lacubus, fluviis, rivulis, ut ipse solus tenuit, cum suis successoribus et antecessoribus in suis granitiis, ei domino episcopo vendidit et suis successoribus. Unde ipse Laurentius et Joannes supradicti promiserunt cum suis pecuniis paratis intercedere in omni iure, si necesse fuerit, absque damno domini episcopi. Presentibus testibus domino Czema de minore Plawsch et domino Johanne Ossyeczkowski et Georgio herede de Traczino et aliis fidedignis ad premissa vocatis.

Et quia predicti domini iudex et scabini iurati oppidi Fredeck premissa omnia et singula coram nobis in sessione consulari attestati sunt, testificamus ulterius. In quorum fidem et testimonium sigillum predicti oppidi subappressimus. Datum in Fredeck XXIII die Aprilis anno domini Millesimo quingentesimo quadragesimo quinto.

*Abschrift bei Mauritius nr. 155.*

## 744.

***1499. August 17. Löbau.*** *Nicolaus, Bischof von Culm, bittet den Danziger Rath um Beihülfe zur Erlangung einer Geldsumme von der Wittwe seines Bruders.*

Den Namhaftigen . . . . herren Burgermeister vnd Rothmannen der Stadt Danzig etc.

Vnsz zweifelt nicht, Ew. Namhafftikeith sey noch yn frischem gedechtnisz, wye wyr yn vorgangener czeith gehat haben vnszren lieben mitbruder herrn Caspar, Thumherrn

zu Culmensze, alsz von wegen vnsers brudersz szeligen nochgeloessene hawsfrawe bey euch, begerende do selbist von yr vorsicherunge vmb V. hundert margk, welche sye vnsz noch rechenschafft alhy gethoen scholdigk bleben ist, ane andere summe geldes, welche wir yr dirlissen, yren cleynen kyndern zu gutte. Nuhe ist sye wf yhenne czeith yrem vorheyssen vnsz gethan nicht nochgekommen, vnd sost yn mitteler czeith sich kegen vnser woltoth gar vndangbarlich gehalden, alszo ouch das wir nicht cleynen vordrisz doran haben. Domit wir aber nicht dorfften viel handelsz mit yr yn nochkomenden czeithen zu haben vnd das vnsere ane lengerern vorczogk irlangen, bitthen dorvmb Ew. N. mith besunderm vleysse, wolde diessem vnserm dyner Sanderen von Rawszke zubehulffen seyn, den wir dorvmb czu euch schicken, das er die gemelten V. hundert margk von der eheberurthen frawen, isz were mit gutten ader mit ewer gebothe irlangen moghe, angeszehen dy gerechtikeith vnd dasz bekentsniss mitsampt der vorschreibunge vor euch vnd yn ewrem stadtbuch durch vnsren bruder szeligen vnd seyne hawsfrawe gethon vnd vorsichert. — — Gegeben vff der Lobaw am nesten sonnabendt noch Assumpcionis Marie im ꝛc. XCIX^ten^ ior.

Nicolaus v. G. gn. Bisschoff zu Culmensze.

*Orig. Pap. mit Signet im Danziger Stadtarchiv.*

## 745.

***1500. Januar 20. Löbau.*** *Bischof Nicolaus von Culm entschuldigt sich beim Bischof Lucas wegen seines Fernbleibens vom königlichen Hofe und ladet ihn zu einem Besuche bei sich ein.*

Reverendissimo in Christo patri et domino domino Luce, dei gracia episcopo Warmiensi.

Reverendissime in Christo pater et domine maiorque plurimum observande! Vocationem regiam de persona mea equorum rerumque aliarum inopia facile excludit. In equis comparandis, quantam fecerim diligentiam, fere per omnes plagas patrie constat ad hoc solicitatus, et cum illos foris quererem, interea domi habitos plures perdidi. Rescripsi sue R. M. annuos ecclesie mee proventus, et hoc quidem non ficta fide, ut scilicet secum pensaret, quantam et familie et equorum pompam inde exercere possem; sic quoque an tante profectioni pro conditione mea specificati redditus sufficerent. Spe bona sum, suam R. M. premissis penderatis equaliter laturam absentiam vocati. Quam ut etiam R. p. vestra non moleste ferat, obnixe oro; profecto non deesset animus, ubi suppeteret facultas. Preterea rogo R. p. vestram: ex quo huiusmodi peregrinationi per hanc residentiam meam directior est via, dignetur non preterire domum meam, quam ut propriam imperio suo alacriter obtemperantem reperiet, et omnia, que intus sunt, presto erunt. Si autem eadem in proposito sit Stumense amplecti iter, cuperem cerciorari, ut saltem apud ecclesiam meam eidem occurrerem. Dum superiore anno benedicende abbatisse causa in Colmen constituerer, hortatus sum virgines, ut proprietatem professioni sue odiosam et tanquam

animarum suarum voraginem a se, ut jurarunt, abdicarent, quod iam factum rescribunt. Qua in re salubriter continuanda egent maiore auxilio, prout earum hic alligate testantur littere. Lucas noster huc non applicuit, ut forte suspectiora devitaret loca, per Slauiam remeavit, salvus ingressus Thorun. Datum Lub[ovie] in die s. Fabiani et Sebastiani martyrum anno domini M°. Quingentesimo. Nicolaus Episcopus Culmensis.

*Original auf Papier mit Spuren vom Siegel im bischöflichen Archiv zu Frauenburg D. 65 fol. 3.*

## 746.

***1500. Juli 21. Löbau.*** *Bischof Nicolaus von Culm berichtet dem Bischof Lucas von Ermland über das Ergebniss des letzten Marienburger Landtags, einen Einfall der Tataren, über Räubereien und die Beförderung seines Familiaren Czema.*

R^mo^ in Christo patri et domino domino Luce d. g. Episcopo Warmiensi etc.

Reverendissime etc. Tractatus lapse convencionis Marienburgensis credebam non latuisse tantisper eandem R. d. vestram eo, quod illius nominis palatinus consueverit antehac significare huiusmodi ubicunque conclusa; ubi nihil actum est preter id, quod nuntius designaretur, qui tam vocatorum quam eligendorum iuxta regiarum tenorem literarum absentiam illic excusaret. Excusacionis causè potissimum fuerunt imprimis sue Maiestatis expectatus de proximo adventus, ac insecuritas discrimenque viarum; huius rei absolvende deputatus est Targowicz, alio tamen a me nominato, sed prevaluerunt palatini et concurrentium secum vota. Contribuimus omnes. Fuerunt preterea ibi, ut assolent, partium plures querele, quarum inexpectata discussione, si etiam qua fuisset, domum remeavi. — Tartarorum adeo licentiosa insultatio et nos tandem periculo exponet; si fides adhibenda relatoribus, et in Masovica tunc irruperant confinia, cum abductione hominum rerumque granda preda, vix supra XXX. abhinc miliaribus; res utique horrenda ac incuria nostra partim effecta etc. Ducis Henrici apud Frisones obsidionem in pretacta convencione etiam Gdanenses ipsi affirmarunt, et quod illi per parentem succursio paretur metum, fama est. — Facti nuper spolii prope Gilgenburg homini de Lomsza patratores aiunt fuisse quinque numero et de Materni secta; unum Nicolaum Reiche, alium Birkhan, cui bona cum fratribus in districtu Soldaw, tercium asserunt civem esse in Libemöl, pretereo reliquos duos nondum mihi specificatos. Spoliarunt pauperem aliquot preciosis pannis, relictis vilioribus; affecerunt quoque pluribus et letalibus vulneribus, qui in Neidenburg se curandum cyrurgico credidit. Sunt, qui dicunt, predones illos evacuata patria terras peciisse alienas. Rapinas alias his temporibus non audio cuiquam circumcirca illatas. Audita vero longior et insperata R. M. a nobis absencia; succrescet fortasse audendi malivolorum temeritas propter impunitatis literam hactenus dissimulanter concessam. — Harum portitor meus iampridem familiaris et partim notarius, filius Czema, quia ordini clericali adscriptus cuperet aliquando beneficio ecclesiastico potiri. Is, visa

mecum huius rei penuria, proponit deinceps tali servire prelato, quocum certius sperare daretur. Hinc ad R. p. dominum Poznaniensem aspirat; scribemus in favorem eius dominus Coszczeleczski prepositus et ego. Visum est eidem preposito, ubi non defuerit etiam promotio R$^{me}$. d. v. erimus impetratu acceptiores; ne itaque desit et illius et meis desideriis R$^{me}$ D. vestra, oro atque iterum oro. Est iuvenis revera bonus, quem, utinam ita ferret mea fortuna, mallem ob suas virtutes et benemerita solus promovisse pro conditione sua ad eum, quem petit, statum, et cum parvitati mee istud negetur, favere congruit talem illum sortiri dominum, cui maior est beneficiandi suos facultas. Spe bona sum, R. p. vestram morem gesturam nobis. Que valeat in optatis annis felix cum mei commendatione. Ex Lub[ovia] in profesto sancte Marie Magdalene anno domini M° Quingetesimo. — Que nova idem familiaris meus ante triduum apud dictum d. prepositum audivit, interrogatus dicet; sic quoque, que in Thorun a plebano.

Nicolaus Episcopus Culmensis.

*Original auf Papier mit Spuren vom Siegel im bischöflichen Archiv zu Frauenburg D. 65 fol. 4.*

## 747.

***1500. August 31. Thorn.*** *Johannes Irregang augmentirt die Einkünfte des von Symon von Lauterberg in der Katharinenkapelle der Kirche zum hl. Geist in Thorn gestifteten Beneficiums. (Vgl. nr. 396 und 473.)*

In nomine domini Amen. Noverint universi presentis publici instrumenti seriem inspecturi, quod anno a nativitate eiusdem Millesimo quingentesimo, indiccione tercia, pontificatus beatissimi in Cristo patris et domini nostri domini Alexandri divina providencia pape Sexti anno eius nono, die lune ultima mensis Augusti, hora tercia vel quarta, in aula pretorii famosi magistratus opidi Thoruniensis Culmensis diocesis, magistratu presente meique notarii publici infrascripti testiumque subscriptorum ad hoc vocatorum pariter et rogatorum presencia, cum annis aliquot transactis honorabilis dominus Symon de Lauterbergk felicis recordacionis, Culmensis diocesis presbiter, devocione et zelo animarum affectus fidelium, ad laudem summi dei eiusque genitricis gloriose virginis Marie in ecclesia Sancti Spiritus extra muros opidi Thoruniensis ad altare dive Katherine virginis et martiris fundaverat, circa gradum, quo ad chorum ascenditur, situm, quoddam beneficium manuale, et in primis duodecim marcarum annui census levis monete prutenicalis prefatus dominus Symon pro posse suo pie providerat et dotaverat; hodie autem de eisdem censibus novem marce dumtaxat inesse habentur, videlicet tres marce leves sub reempcionis titulo super predio et villa Hezelich partis Johannis Crawczberg super festo sancti Martini annuatim solvende, item tres marce leves reemptive super parte ville et predio Boraw Nicolao Boraw pertinente in eodem termino Martini solvende iuxta domini palatini Culmensis literarum desuper emanatarum tenorem, item due marce per-

petue super domo Pauli Ereberg antiqui in platea pannificum nove civitatis Thoruniensis in eiusdem civitatis scabinorum libro inscripte, item una marca annui census perpetue super domo vulgariter Abczyr in eadem platea civitatis eiusdem in dicto scabinorum libro inscripta. Cuius quidem beneficii manualis iuspatronatus dictus fundator post ipsius et sui fratris defunctionem sponte et animo deliberato in commendatorem Thorunie pro tempore singulosque successores commendatores perpetue devolverat, prout hec singula in literis dominorum protunc commendatoris Thorunie et ecclesie Sancti Spiritus sanctimonialium eciam extunc prepositi conscripta plenius continetur. Cum autem successu temporis, serenissimo principe domino rege Polonie, domino nostro graciosissimo, terras suas Prussie sue Serenitatis, sinistre a cruciferis aliquamdiu occupatas, iuste recuperante, omnium beneficiorum iuspatronatus quondam dominis Cruciferis Thorunie ubilibet competentibus, parrochialis ecclesie Thoruniensis dumtaxat dempto, in magistratum dicte civitatis sua Celsitudo Regia transfudit, prout et hec in privilegio prefate civitatis exprimuntur. Preterea ut id ipsum beneficium manuale nedum in observanciam divini cultus et suo robore perpetuo subsisteret, possitque tandem in ecclesiasticum erigi beneficium, verum et ut minister altaris pingwioribus provideretur redditibus ad officiaque peragenda diligencior redderetur: constitutus personaliter honorabilis dominus Johannes Irregangk, Wladislaviensis diocesis presbiter, cupiens sue, suorum parentum, progenitorum, benefactorum omniumque christifidelium animarum saluti bene consulere, temporalia hec bona et fluxa in bona eterna commutare proponere animique advertens in erectionem beneficii viam extremi iudicii evitare poterit, in quo quilibet de factis propriis redditurus sit racionem, salubrisque esse consilii facere amicos de mammona iniquitatis, proinde ad gloriam denique divine maiestatis sueque genitricis virginis Marie et omnium sanctorum in augmentum reddituum prefati altaris Sancte Katherine virginis et martiris feliciter erigendi ad meliorem ministri sustentacionem decem novem marcas cum decem scotis annui census levis pagamenti monete prutenicalis super hereditatibus domibus et ortis nonnullis infra assignatis effective dederat et libere donavit. In primis unam marcam reemptive super domo Mathei Hofeman prope portam sancte Katherine nove civitatis Thorunensis et in libro scabinorum eiusdem opidi inscriptam; item unam marcam sub reemptionis titulo super hereditatem Frische Nickelynne in villa Mockra pro termino Martini annuatim solvendam; item unam marcam cum octo scotis super orto et domo Stanislai Vectoris in platea rosarum suburbii pro termino Martini; item unam marcam cum octo scotis super orto et domo Jacobi Tregers in prelibata platea suburbii pro termino Martini; item mediam alteram marcam super orto et domo Gregorii Machale in dicta platea suburbii pro termino Martini; item duas marcas cum media super orto et domo Mucha appellati in eodem suburbio pro termino Martini; item tres fertones super domo et orto Vraugotta in platea suburbii Honigschneidergasse[a]) appellata pro termino Martini; item alteram mediam marcam super

a) *In margine:* Das ist mein eigenes Haus.

orto et domo Jacobi Lisse in platea mutorum (!) suburbii pro termino Martini; item alteram mediam marcam super domo et orto Gentisch des feherknechtis pro termino Martini; et predicti annui census suburbii in libro scabinorum suburbii inscripti habentur. Item septem marcas leves super horreis et ortis honestorum dominorum Nicolai et Vincencii Loden fratrum in platea rosarum suburbii pro termino Pasche medietatem, aliam autem medietatem pro festo Michaelis annuatim solvendas et in libro scabinorum suburbii dicte civitatis Thorun inscriptas. Et prefatis annuis redditibus minister beneficii prelibati, legittime per dominum ordinarium institutus, pro sui conservacione gaudere debet, affectansque augmentator, ut huiusmodi beneficium et altare per idoneum laudabilemque vite presbiterum gubernare debeat et provideri, qui et in missis legendis, cum illi devocio ex alto concessa fuerit, et modo diligenciori, et ut frequenter ad divina peragenda se disposuerit, pro fundatorum ipsorum patronorum benefactorum et omnium salute fidelium et maxime pro felici statu militantis ecclesie memoriam agere non pretermittat, et ipse presbiter ad personalem residenciam circa idem beneficium tenebitur, et sit adstrictus ad singula alia onera perficienda. Prefatus dominus Johannes Irregangk augmentator domum suam in cimiterio apud ecclesiam Sancti Spiritus de novo constructam prefato beneficio et altari donavit, sic quod minister et presbiter eandem domum inhabitare debet et ipsam tanquam suam propriam una cum beneficio et suis fructibus inesse et structura conservare, jure tamen presentandi seu jure patronatus apud consulatum opidi Thoruniensis perpetuis temporibus remanente. De et super quibus omnibus et singulis premissis uterque predictorum dominorum a me notario publico infrascripto unum vel plura publicum vel publica confici peciit instrumentum seu instrumenta. Acta sunt hec anno, indiccione, pontificatu, die, mense, hora et loco, quibus supra, presentibus ibidem honestis viris dominis Petro Rager et Gregorio Arndt, opidi Thoruniensis concivibus Culmensis diocesis, testibus ad premissa vocatis pariter et rogatis.

Sign. Not. Et ego Udalricus Steger de Franckenfordis, Lubucensis diocesis, publicus sacra imperiali auctoritate notarius, quia etc.

*Original auf Pergament im Rathsarchiv zu Thorn.*

## 748.

***1500. August 31. Thorn.*** *Der Rath von Thorn berichtet dem Bischof Nicolaus von Culm über die zum Beneficium Lauterberg gemachte Schenkung des Priesters Johannes Irregang, bittet um die Erection desselben und präsentirt zu demselben den Geschenkgeber.*

Reverendo in Cristo patri et domino domino Nicolao ecclesie Culmensis Episcopo, domino nostro gracioso, Magistratus civitatis Thoruniensis debitam reverenciam cum honoris et obsequii exhibicione. Reverende pater, domine noster graciose. Cum annis superioribus honorabilis dominus Symon Lwterbergk, Culmensis diocesis presbiter, devocione

et zelo animarum affectus fidelium, ad laudem dei omnipotentis eiusque genetricis gloriose virginis Marie et omnium sanctorum quoddam beneficium manuale in ecclesia Sancti Spiritus Thorunie extra muros ad altare S. Katherine virginis et martiris fundaverat, illudque in primis cum duodecim marcis annui census levis monete prutenicalis, quarum novem dumtaxat hodie inesse habentur, super certis agris, ortis domibusque olym demonstratis providerat et donaverat: Nichilominus tamen ut ipsum beneficium nedum in observanciam divini cultus et suo robore perpetuo subsisteret possitque tandem in ecclesiasticum beneficium erigi, verum et ut minister altaris pingwioribus redditibus provideretur, honorabilis dominus Johannes Irregang, Wladislawiensis diocesis presbiter, cupiens sue anime suorum et progenitorum benefactorum ac omnium cristifidelium animarum saluti consulere, ad gloriam denique divine Maiestatis sueque genitricis gloriosissime virginis Marie omnium et sanctorum honorem et laudem in augmentum reddituum prefati altaris S. Katherine virginis et martiris in ecclesia prelibata feliciter erigendi ad meliorem eiusdem ministri sustentacionem decem novem marcas cum decem scotis annui census levis monete prutenicalis super certis hereditatibus, ortis, horreis et domibus emendo cum sua ea ipsa domo in cimiterio apud ecclesiam Sancti Spiritus predictam de novo constructa effective dederat et donaverat; et eiusdem beneficii ecclesiastici iure patronatus et presentandi apud nos consules presentes singulosque posteriores nostros perpetuis temporibus demanente, prout in instrumento publico fundacionis et dotacionis desuper confecto plenius continetur. Et in primis prefatus honorabilis dominus Johannes Irregang ad id beneficium erigendum se presentandum nobis humiliter supplicavit; et cum iusta petentibus minime denegandus sit assensus, proinde V^ram^ R^dam^ P^tatem^ ea qua decet reverencia obnixius obsecramus, quatenus huiusmodi census annuos unacum domo habitacionis, sic ut premittitur, ad prefatum beneficium donatos et donandos thesauro sancte ecclesie aliisque redditibus ecclesiasticis aggregare et incorporare ipsumque beneficium taliter dotatum erigere et confirmare, necnon prefatum presbiterum dominum Johannem Irregangk, laudabilis conversacionis virum, quem tenore presencium tanquam idoneum putamus, ad id beneficium erectum ordinaria auctoritate instituere et investire, accessumque altaris cum administracione spiritualium et temporalium de eodem sibi committendum, ordinacionem denique et devolucionem iuris patronatus suo decreto roborare V. R. P^tas^ graciose dignetur, pro quo et a nobis gracias immortales et obsequia et a deo optimo maximo vite eterne premia recipiet profecto sempiterna. Harum, quibus secretum nostre civitatis est appensum, testimonio literarum. Actum et datum Thorunie die lune ultima Augusti anno domini Millesimo quingentesimo.

*Original auf Pergament mit angehängtem Johannis-Secret der Stadt im Rathsarchiv zu Thorn.*

## 749.

***1501. Januar 25. Frauenburg.*** *Das ermländische Domkapitel schreibt seinem Bischofe Lucas, dass es den Brüdern vom gemeinsamen Leben aus Culm einen Platz für die zu errichtende Schule angewiesen habe, aber einen solchen für ein Wohnhaus, sowie Einkünfte für den Rector und die Lehrer zu geben ausser Stande sei.*

R$^{mo}$ domino Luce d. et ap. s. gr. Episcopo Warmiensi.

Debitis reverentia et obedientia premissis. R$^{me}$ pater! Fuerunt coram nobis ad scripta, ut asseruerunt, secundaria paternitatis vestre presentium ostensores fratres de Culmen, petentes sibi consignari aliquem locum pro scola erigenda, cum provisione in hiis necessaria. Designavimus quidem et ostendimus eis locum ad scolam huiusmodi congruum, quo conspecto eundem acceptarunt. Preterea alium locum spatiosum pro eorum habitatione ipsis concedi petiverunt, quem hac vice ipsis designare nequivimus. Super emolumentis rectori scolarum et collaboratoribus suis ministrandis nichil certi assignare potuimus, ex causis coram R$^{ma}$ vestra dominatione allegatis, prout singula clarius ex ipsis intelliget eadem paternitas vestra R$^{ma}$, quam altissimus pro regimine statuque ecclesie Warmiensis incolumem diu nobis conservare velit rogamus. Datum apud ecclesiam Warmiensem prefatam die lune vicesimaquinta mensis Januarii Millesimo Quingentesimo primo.

Eiusdem r. p. vre. devoti Prepositus, Decanus et Capitulum ecclesie Warmiensis.

*Original auf Papier im bischöflichen Archiv zu Frauenburg D. 65 fol. 14. Gedruckt bei Fr. Beckmann, De rei scholasticae in Warmia origine ac progressu, im Index lectionum Lycei Hosiani Brunsbergensis. Sommersemester 1861. Documenta nr. 4.*

## 750.

***1501. April 1. Löbau.*** *Bischof Nicolaus von Culm theilt dem Bischof Lucas von Ermland über allerlei anscheinend kriegerische Massregeln des Ordens seine Befürchtungen mit und bittet um Aufschluss und Rath.*

R$^{mo}$ dn̄o Luce d. gr. Episcopo Warmiensi etc.

R$^{me}$ etc. Sperabam responsivas litteras me diebus recepturum a R. p. v. presertim in facto ordinis, adeo castra sua munientis, etiam curata pauperum suorum oppressione; coguntur omnes tam cives quam rustici oppidorum ad vallandum munitiones. D. Marasalcus ante triduum applicuit secreto et insperate Slauiam, metoctavus in equitatu, ubi convocatis civibus repeciit seriosius priora mandata, ut sine mora sub gravibus comminatis penis locum illum sepibus quercinis ex grandi robore, ante duos fere menses per totum illum districtum advecto, cingerent, hisque perfectis uncatas arbores, quas vulgo Kragelen vocant, circumcirca ad muros sepesque sternerent; et cum cives contra immensitatem laboris ita eis et quasi supra vires impositi conquererentur cum allegata inopia etc., exprobrasse eis satis acerbe fertur et inter alia tandem dixisse: si cuipiam vel iussa vel residencia ibidem non placerent, posset in tempore mutare locum. Quo facto imperio e vestigio remeavit in Preuschmarkt. Preterea asseritur dixisse inter suos domesticos et advocato precipue, quem istic secularem habet, qualiter Magister speret se brevi habiturum

milites ex Livonia. Insuper certo didici, qualiter commendator de Osterrod post reditum proximum a Magistro veniendo in Hoenstein sine expectacione convocaverit magistratum illius loci, atque eisdem nonnulla nomine superioris sui iniunxerit, que sequenti mox die, convocata communitate civium in pretorio, illis per magistrumcivium et assessores notificata fuere, que conformia sunt cum edicto facto Slavie. Idipsum demandatum dicitur in aliis hic vicinis locis. Quid vero illic fiat, ubi castra et oppida vicina R. p. vestre habent, credo mihi latere eandem. Res ista formidolosos facit subditos meos, licet et ordinis homines sine anxietate non sint. Pro parte autem nostra silent omnia, et prout inavisati sumus, ita et inermes stabimus. Mandatum alias erat per palatinos capitaneis auctoritate et voluntate regia, ut castris suis necessaria tam armorum quam victualium providerent, ac sibi subditos nobiles ad comparandum ea, ad que obligarentur, veluti aliquando militaturi cogerent. Nihil horum audio factum. Timendum quoque est Regiam M. ad constitum tempus vix ad nos venturam, et forte non sine suo nostroque periculo, quia elicere non possum, ut ordo frustra vel ioco hec attemptet cum tanto gravamine suorum. Et nisi affutura sibi presidia certo expectarent, minus utique animi haberent neque auderent contra jura perpetue pacis aliquid moliri. Verum ut paucis aperiam, quid velim quidve rogem ex R. p. vestra: cupio inquam informari, quid eadem de huiusmodi tumultuariis rebus senciat presagiatque futurum, quod, ne mihi neget, iterum rogo. Pernecessarium etiam forte esset, ut R. p. v. Regiam M. de similibus avisaret stimularetque ad celerius properandum, que alias de curia ab olim culpari consuevit. Et feliciter valeat R. p. vestra. Ex Lub[avia] feria V. ante dominicam Palmarum anno domini M° CCCCC° primo.

Nicolaus Episcopus Culmensis.

*Original auf Papier mit Spuren vom Siegel im bischöflichen Archiv zu Frauenburg D 65 fol. 21.*

## 751.

***1501. Mai 15. Thorn.*** *Johannes Albert, König von Polen, urkundet über die Ueberlassung der Stadt Ranczansch (Raciąz) im Plocker Gebiet an den Kanzler Nicolaus Cossobuczki der Plocker Kirche nach Wiederkaufsrecht.* Actum et datum in Thorunia Sabbatho festi S. Zophie Anno domini MDI. presentibus . . . patribus dominis Vincencio Plocensis, Luca Varmiensis, Nicolao Culmensis ecclesiarum episcopis; . . . Nicolao de Bayzen Marienburgensi, Nicolao de Wolikow Pomeranie, Johanne de Dambrowka Culmensi palatinis etc.

*Original im polnischen Reichsarchiv. Invent. Arch. Crac. p. 348. Cod. dipl. Mazoriae p. 320 nr. 270, wo aber irthümlich „Nicolao Chelmensi" steht, da 1499—1501 October 3 urkundlich Mathias als Bischof von Chelm vorkommt.*

## 752.

***1501. October 3. Löbau.*** *Nicolaus, Bischof zu Culmsee, intercedirt bei dem Danziger Rath für Jurgen Keding, Amtmann auf der Schäferei, der auf Bitten des Bischofs wegen seiner Verdienste um die Stadt in einem zu Rom anhängig gemachten Process diese Stelle erhalten hatte, und bittet, ihn nicht daraus zu entfernen.* Geben off der Lobaw am negesten Sontag noch Michaelis im etc. CCCCCI[ten] iore.

*Orig. Papier ohne Siegel im Danziger Stadtarchiv.*

## 753.

***1502. Februar 9. Culmsee.*** *Verschreibung des Domkapitels von Culm über die Mühle Paceltowo bei Kauernik.*

Wissentlich sey allen kegenwertigen vnd czukunftigen, dy dissen bryef zehen horen ader lesen, das wir Johannes Smolle, Raphael Wayner, Jacobus Lehembergk, Gregorius Seuberlich, Caspar Walker, Tumherrn der kirchen zcu Culmensehe, aufgeben vnd vorleyen vnserem getrawen Segemunth molner vnd seynen rechten erben vnd nochkomelingen vnser mole Petczeldorf of yenst dem dorfe zcu sotener weyse vnd vndirscheit, alzo hy noch geschreben steet. Wir irloben ym mit wissen vnsers voytes zcu Kawernick uf dem vnsern czymmer zcu hauwen alleyne zcu dem rechten molhause ouch zcu gruntwerk, wasserbetten vnd fluthrynnen vnd das sullen ym vnser leute furen. Ouch dirloben wir ym zcu hawen all yor drey fuder schirholcz, ap her das worde bedorfen zcu seyner nothdorf. Ouch vorheysche wir ym den tham zcu halden vnd zcu themmen myt vnserm lewten. Ouch ap der tham von vindn ader von himelfluth vorterbet wurde, so sulle wir mit vnsern lewten yn weder themmen; wer is aber, das der tham von des molners vorseumnisze wurde vorwarloset, so sal der molner selber weder themmen. Ouch dirlobe wir ym molstene zcu graben of vnser lewte velde, wo her sy vinde, aber dy gruben sal her weder fullen vnd ebenen. Ouch vorleye wir ym czwuhe huben zcu seiner nothdorf gelegen an —[1]) kegen der mole. Ouch vorleye wir ym frey den acker der zcu der mole hoelf, nemelich z. —[1]) Wir dirloben ym ouch yn dem molteiche zcu vischen mit eyn hantwaten alleyne zcu seiner nothdorft. Ouch sal her frey kvhen graben vnd legerholcz hawen of dem vnseren alleyne zcu seyner nothdorft; allerleye eyserwerk vnd steyne sal der molner selber czeugen. Vmb disser vnser vorleihunge vnd freyheyt sal der vorgenante Segemunth molner vnd seyne rechten erben vnd nochkomelingen alle yor yerlich czinsen eyne last korn of itczliche Quatuortemper des yores funfczen schefel. Ouch sal her vns mesten eyn sweyn alle yor czu des voytes genuge, das sweyn sal ym der voyt yn dy mole lossen entwerten. Ouch sal her vns frey vnd vnuormetczet malen alledy getreyde vnd malcz zcu vnsers hauses notdorft. Ouch das desze vorlenunge vnd ordenunge stete vnd gantcz zcu ewigen tagen moge bleyben, habe wir vnsers capittels grose eyngesegel an desen brief loszen hengen. Gegeben zcu Colmensee an sinte Appolonien tage an dem jore vnsers herrn Tausint vunfhundert vnd czwehe Jor.

*Original auf Pergament mit dem Siegel des Domkapitels an einem Pergamentstreifen im Archiv des Domkapitels zu Pelplin.*

---

[1]) *Lücke durch Stockflecken unleserlich geworden.*

## 754.

***1502. Mai 30. Löbau.*** *Schreiben des Bischofs Nicolaus von Culm an den Bischof Lucas von Ermland.*

R^mo^ in Christo patri et domino d. Luce d. gr. Episcopo Warmiensi etc.

R^me^ etc. Paucis ante diebus nuncium a domino palatino Marienburgensi recepimus. Fecit nos participes tam legationis regie Maiestatis domini nostri ad serenissimum Ungarie regem quam responsionis illius ad eandem cum exemplis literarum etc.; quibus perlectis plane intelleximus, quorsum hec tendant. Nuper cum dominus Andreas Clecz etc. nobiscum constitueretur, ostensum sibi fecimus quendam rotulum in pergameno, continentem ex utraque parte jura ecclesie nostre etc., in cuius calce reperimus copiam eius rescripti, de quo monuit R^ma^ p. vestra. Fecimus hoc copiare, quod apparet; fine caruit et nonnullis in narratione clausulis corrosis a vermibus ex vetustate. Originalem bullam a senioribus nostre ecclesie fratribus intelleximus hic temporibus nunquam visam, quare moremgerere non possumus; quales tamen fratres a primordio introitus (!) fuere, constat, a quibus sequaces indubitanter ingratitudinis et temeritatis legem imbiberunt. Audio dominum Pomezaniensem proximo lapsa feria secunda ad arcem suam Resenburg applicuisse associatum quinquaginta aut pluribus equitibus, omnibus ut fama est secum armatis, ac sic in Thorun intrasse. Provocabit aliorum prelatorum seniles artus, forte ad huiusmodi dexteritatem, sed meum erit supersedere, qui innixus bacillo vix egrotancia membra commovere possum. De doctoris transmissione gratias habemus R^me^ p. vestre, forte cogemur in eo languore, a quo nondum restituti sumus, nos in Thorun conferre. In causa patronorum beneficii S. Barbare etc. contemplacionem R^me^ p. vestre longiorem presentandi terminum prorogavimus; audita eorum concordia patronis et presentatis tunc specificandum. Datum in castro nostro Lubauiensi feria secunda post Corporis Christi anno etc. quingentesimo secundo. Nicolaus Episcopus Culmensis.

*Original auf Papier mit Spuren vom Siegel im bischöflichen Archiv zu Frauenburg. D 65 fol. 47.*

## 755.

***1502. Juni 26. Breslau.*** *Bruder Victorinus von Preussen, Vikar der Franciskaner in Böhmen, Mähren, Schlesien und Commissarius des cisalpinischen Generalvikars, ertheilt den Nonnen des Klosters zum h. Geist in Thorn die geistliche Fraternität.*

Religiose ac deodevote virgini domine Cristine Steinbruckerinne necnon venerabili domine domine Abbatisse monasterii sancti spiritus in Thorun, ceterisque sororibus omnibus et singulis presentibus et futuris ibidem commorantibus et commoraturis, ordinis seraphici patris nostri sancti Francisci benefactricibus et fautricibus devotissimis, frater Victorinus de Prussia eiusdem ordinis minimus, ac in provinciis Bohemie, Moravie et Slesie quoad Fratres de observantia nuncupatos vicarius necnon reverendi patris Vicarii

generalis cismontani commissarius immeritus, cum orationum suffragio salutari omnium incrementa virtutum. Quamvis ex charitatis debito omnibus teneamur, illis tamen longe amplius obligamur, quorum dilectionem certis beneficiorum indiciis frequentius experimur. Proinde vestre devotionis sinceritatem attendens, quam ad nostrum et prefati patris nostri sancti Francisci geritis ordinem, veluti veridica relatione cognovi, dignum putavi et divine acceptabile voluntati, ut ab ipso ordine prerogativam sentiatis spiritualium gratiarum. Verum qui nudi temporalibus bonis charitatis vestre subsidiis dignam rependere vicem nequaquam temporaliter valemus, spiritualibus nihilominus beneficiis, prout in nostris apud dominum deum nostrum servamus desideriis compensare spiritualiter affectamus. Eapropter ego, qui licet indignus curam Fratrum minorum de observantia nuncupatorum in partibus et provincia prefatis habeo generalem, necnon auctoritatem predicti reverendi patris generalis ad confraternitatem conferendam super omnia et singula monasteria omnemque familiam cismontanam sue paternitati commissam et monasteria sancte Clare ac etiam tercii ordinis utriusque sexus habeo specialem: Vos supradictas personas devotas, necnon et animas vestrorum defunctorum ad confraternitatem nostram et ad universa et singula nostre religionis suffragia in vita recipio pariter et in morte, plenam vobis participationem omnium charismatum et spiritualium bonorum, videlicet missarum, orationum, suffragiorum, officiorum divinorum, ieiuniorum, abstinentiarum, disciplinarum, vigiliarum, penitentiarum, peregrinationum, inspirationum, predicationum, lectionum, meditationum, contemplationum, observantiarum, devotionum et omnium aliorum spiritualium bonorum tenore presentium gratiose conferendo, que per fratres et sorores predictorum trium ordinum in prefata familia cismontana degentes operari et acceptare dignabitur clementia salvatoris. Addens insuper de dono et gratia singulari, quod, cum divine placuerit voluntati de exilio instantis miserie vos vocare vesterque obitus multo (annuente domino) tempore differendus nostro capitulo fuerit nunciatus, idem volo, ut pro vobis fiat officium, quod pro fratribus nostris defunctis recitatur, quemadmodum annuatim ex more per totum ordinem fieri consuevit. Valeant vestre devote et ferventes charitates in Christo Jesu domino nostro. Ex loco nostro sancti Bernardini extra Wratislaviam, vigesima sexta die mensis Junii anno virginalis partus Millesimo Quingentesimo Secundo.

*Aus dem Copiarium Nr. 2 fol. 28 der S. Jacobskirche zu Thorn.*

## 756.

***1502. October 10. Culm.*** *Barbara, Aebtissin des Klosters s. Benedicti in Culm, und der ganze Convent bezeugen, dass die Jungfrau Katharina Synning ihres Ordens ihren leiblichen Vater Hans Synning, Bürger in Danzig, vor gehegtem Ding und dem ganzen Convent zu ihrem Vertreter vor geistlichem und weltlichem Gericht ernannt habe und erklären ihrerseits alles für gültig, was dieser für nothwendig erachten würde.* Czu dem Colmen in vnserm closter den andern tagk noch s. Dyonisii im iore XV$^{c}$ $^{en}$ II Jor.

*Orig. auf Papier mit aufgedrücktem Siegel des Klosters im Danziger Stadtarchiv.*

## 757.

***1502. November 4. Culmsee.*** *Das Domkapitel zu Culmsee erklärt, von dem Bürgermeister Heinrich Krüger zu Thorn das Gut Kunzendorf bei Culmsee und ein massives Haus in Thorn mit der Verpflichtung erhalten zu haben, dessen kranken Sohn für Lebenszeit zu unterhalten.*

Im namen der heiligen dreiualdikeit Amen. Wir Johannes Smolle pfarrer in der aldin stadt Thorun, Raphael Wayner Officiall, mayster Jacobus Limberg, Gregorius Fredelandt, Gaspar Welker, Thumheren vnd das gantcze Capittel der kirchen Culmesehe, bekennen vnd thuen kunt vnd offenbar, allen vnd itczlichen, kegenwertigen vnd zukunfftigen, die disen brieff sehen ader horen lesen, das wir mith rate willen vnd zulas des erwirdigen yn got vaters vnd hernn hernn Nicolai, von gotisgnaden Bischoffs der kirchen Culmesehe vnsers gnedigen herrn, mith dem ersamen hernn Hinrich Kruger, burgermeyster der stadt Thorun, seinen erben vnd frunden, einen vortrag vnd entlichen beslis von wegen seines sones Johannis Kruger den yn aller notdorfft zuuorsorgen zu seinen lebetagen, wie vnden ist vorschreben, auffzunemen vnd erlich zuuorhalden getroffen vnd vormacht haben also hienachvolget. Das der benumpte herr Hinrich Kruger sampt mith seinem sone Johanne, erben vnd frunden wolberathen vnd betracht vns vnd vnsern nachkomen thumhernn vnd dem Capittel zu Colmensehe zu notcz vnd fromen hat zugesagt gegeben vnd abegetreten das gut Conczendorff, ym Papischin gebitte bei Culmesehe gelegen, mith Koniglicher Irlawchtikeit vorschreibung dor obir gegeben, mit allim notcz vnd einkomen, alse czinseren, gebawren, eckern, wesen, molen, wasseren, strewchern, vnd sampt mith allem vrber vnd herlichkeit, als ym vorschreben ist vnd selbist habt gehalden vnd gebrawcht, awsgenomen scholde vnd schosse, domete her die gebawer doselbist habt vorlegit, die sullen ym ader seinen erben wider beczalt werden bey sulchem bescheit. Do wir ader vnsere nachkomen, thumherenn der benumpten kyrchen Culmesehe von Koniglicher Irlawchtikeit den consens ader zulas semlich gut Conctzendorff zu haben vnd gebrawchen, wie oben bestymmet ist, nicht worden irlangen, so sal vnd gelobt der egedocht Hinrich Kruger sampt mith seinen erben vnd nachkomen vns vnd dem genanten Capittel czweihundert vngerische gulden oder also vil geldis nach anczal vnd wirden der gulden douor zugeben, nederlegen vnnd czalen. Ouch hat benumpter herr Hinrich Kruger mit zulas seiner erben eyn gemawert haws bynnen der Stadt Thorun vff der Vergasse, domen geeth vff die brucke, neben clein Janichen, das etwan eines burgers . . . . Storch genant gewast ist, sampt mit einem speicher dorangelegen vns vnd dem bestymten Capittel zu Culmensehe zu ewigen czeiten zuhaben vnd zugebrawchen zu vnserm notcz vnd wolgefallen vnd zu besserunge des genanten Capittels gegeben vnd abegetreten, also das alls zuuor vnd clerer ist awsgedruckt, yn der vorschreibung des egenanten Hinrichs Krugers vns dor obir gegeben. Dor vmb wir obenbestymte thumheren vnd das Capittel zu Culmensehe thun vorheischen vnd yn crafft dises brieffs vorphlichten vns vnd vnser nachkomen, thumherenn vnd das Capittel zu

Colmense, das wir seinen son Johannem Kruger vorbenumpt wollen vnd sullen yn vnser samelunge an der thumheren tisch vfnemen vnd seczen yn allerlei beqwemekeit an essen vnd trincken, an cleydung als vochsen, rockenne, pelczen, rocken (!), ioppen vnd hosen, hemden, schwen, an bade vnd schern, betgewandt, leylechern, an w[onung] zw erlicher nottdorfft [noch] vnserm besten vleis vnd guter weise zu seinen lebtagen zu vorsorgen vor[hald]en vnd zu vor[warr]en. [Vnd ob in zu]kunfftigen [zeiten] eyn gemeyn[er ti]sch [ni]ch[t werde gehalten, das gott vorhiette, wollen gleichwol durch einen herrn des Capittels em in obengeschrebener weise erlich versorgen lassen. Im Choro soll er neben den herren nach] moglicher weis[e eine] stelle haben. [Vnd so im gott der allmechtige hilffe, das seine sachen] besser worden gebrechen halber seines houbtes, wellen vnd geloben vleis anzukeren, das er mith der czeit geweit vnd prister mochte werden. Dorob[er] sulch[e ding]k zu volfuren, [hat] der benumpte herr Hinrich Kruger vns macht gegeben vnd vnsern nachkomen den vfftgenannten Johannem Kruger seinen son, [so er im ichte] worde gebrechen ader vngehorsam sein welde, [vnd[a]) so er vns entkeme, wieder zu holen, ouch[a]] zu straffen mit allerley billicher stroffung auch mith dem kerker nach der herren irkentnis, die zur czeit [sein w]urden. So aber, das got nicht gebe, wir ader vnser nachkomen yn solcher vorsorgung [vnd haldungk], wie oben berurt ist, Johanni Kruger zu pflegen, vorsewmlich worden irfunden, [soll] vnser [gnedige herr bischoff] zur czeit zu [Colmensehe] vns vnd das Capittel dorczu halden solcher vorschreibung genugk czuthuen. W[eite]r hat derhalben vor vns vnd andern gutten lewten der vfftgenante Johannes Kruger [mit wolbedachtem mutte] nach[b]) gelegenheit seiner vernunft[b]) vnd mith seinem willen sulche vorsorgunge ym bei dem Capittel zu Culmese gethan, mith dem dorffe vnd hawse vorbestymmt, willigliche offnomen[c]) anstatt seines mutterlichs vnd vaterlichs vnd[d]) geschwister[lichs][d]) anteyls vnd aller ander gutter, wie die sein mogen, an legenden grunden, dorfferen, hofen, hewseren, [garten], auch aller farender habe, an gelde, golde, silber, perlen, vnd wie die sust mogen benumpt werden, [in[e]) die hende] vnsers gnedigen herrn bischofs seynes prelaten[e]) [sich] gancz hat vorczegen vnd obirgeben.[f]) Vnd gelobet fort nymandes [nach vater] nach [stie]ff[m]utter, nach ander gebruder ader swestern nach[g]) nymandes von allen seynen erben[g]) nach tode seines vaters dorumb zu bekommern ader zu manen mith yrkeinem rechte, geistlich nach weltlich, n[och dur]ch sich ader ander gestalt[h]) personen, sunder wil vnd sal genugsam seyn vnd gancz zu frede an der vorsorgung em bey dem Capittel zu Culmese vormacht vnd vorschrebe. W[eiter gelo]ben wir vorbenumpt thumheren vor vns vnd vnser nachkomen mith disem brieffe, so vns der tot des genanten Hinrich Kruger vnd seiner erbarn elichen hawsfrawen Justinen wirt vorkuntschafft, zu hant die mit vigilien vnd selemessen nach vnser gewonheit zu Culmese begehen vnd fort [ior] ierlich yn vnd

---

a) *Im Or. am Rande, doch unleserlich.* b) *Im Or. ausgestrichen.* c) *Dafür verbessert über der Zeile:* hat genomen vnd offnympth. d) *Zwischen den Zeilen.* e) *Am Rande.* f) *Hier ein unleserlicher Zusatz übergeschrieben.* g) *Am Rande.* h) *Uebergeschrieben.*

yrem geslechte eyn anniuersarium mith eyner vigilien vnd eyner messen be[ge]hen vnd halden sullen zu ewigen czeiten. Vnd disen vortragk vnd [handel] yn allen seinen puncten, artikeln vnd capitteln hat der erwirdige yn got vater vnd herre herre Nicolaus von gotes gnaden bischoff zu Culmesehe beyden teilen zu gutte vffgenomen, zugelossen vnd yn mith seiner bischofflicher erwirdikeit bestetigt. Des zu vrkunt sicherheit vnd [festerem gezewgnus] aller diser dinge hat seine veterliche gnade vnd wir des Capittels sigele an disen brieff anhengen lassen, der gegeben ist zu Culmese ym gemeynen Capittel gehalden am freytage nach Allerheyligen tage ym iore Christi vnsers herrn Tawsent funf[hun]dert vnd darnach ym andern. Dorzu sein geruffen geczewge dy ersamen vnd namhafftigen herren Bertram von A[llen] burgermeyster, Johann Bewtell rathmann der stadt Thorun, Bernhardus Albertus vnd Andreas Kesselhut vnser capellanen vnd andere trauwyrdige.

*Original auf Pergament mit zwei Siegelstreifen, deren Siegel fehlen, im Culmer Diöc.-Archiv. Wegen der vielen Zusätze am Rande und zwischen den Zeilen bleibt es fraglich, ob die Urkunde besiegelt gewesen und somit nur ein verworfenes Original ist. Die Schrift hat durch Moder sehr gelitten und ist an vielen Stellen ganz unleserlich, so dass die Lücken aus der Abschrift bei Mauritius nr. 190 in Klammern ergänzt werden mussten.*

## 758.

***1503. August 16. Wilna.*** *Alexander, König von Polen, gestattet dem Bischof Nicolaus von Culm, die Burg und Stadt Radzyn (Rheden) mit den dazu gehörenden Dörfern in Pfand und Besitz zu nehmen.*

Alexander, dei gracia rex Polonie, magnusdux Lithuanie, Russie Prussieque dominus ac heres etc. Significamus tenore presencium, quibus expedit, universis, quia attentis meritis reverendi patris domini Nicolai episcopi Culmensis, que nobis eum faciunt commendatum, consensimus et presentibus litteris consentimus castrum quondam nostrum Radzyn, cum villis ad ipsum pertinentibus, in summis pecuniarum iuste et legitime inscriptis de manibus magnifici Johannis de Dambrowka, palatini Culmensis, redimere per ipsum dominum Nicolaum episcopum et alios Culmenses episcopos eius successores castrum et opidum predictum Radzyn cum villis pertinentibus iuxta effectum et tenorem literarum originalium desuper concessarum tenendum, habendum, utifruendum et quiete possidendum usque ad plenariam predictarum summarum iuste inscriptarum per nos vel nostros successores eidem domino episcopo vel aliis episcopis eius successoribus solucionem. Juribus nostris regalibus per omnia salvis. Harum, quibus sigillum nostrum anulare est appensum, testimonio litterarum. Datum Wilne feria quarta in crastino Assumcionis gloriossime virginis Marie Anno domino Millesimo quingentesimo tercio, Regni vero nostri Anno secundo. — Ad mandatum Regie maiestatis.

Alexander dei gracia Rex manu propria subscripsit.

*Original auf Pergament mit dem Einschnitte zum Siegelstreifen, der mit dem Siegel abgefallen ist, im Culmer Diöc.-Archiv. Die Schrift ist stark verlöscht. Abschrift bei Mauritius nr. 132.*

## 759.

***1503. August 16. Wilna.*** *Alexander, König von Polen, gestattet dem Domkapitel von Culm, das Dorf Cunzendorf, welches der Bürgermeister Heinrich Krüger in Thorn von der Krone Polens in Pfand hat, von diesem einzulösen und in Pfand zu behalten.*

Alexander, dei gracia rex Polonie, magnusdux Lithuanie, Russie Prussieque dominus et heres etc. Significamus tenore presencium, quibus expedit, universis, quia habentes racionem paupertatis ecclesie cathedralis Culmensis, cuius prelati et canonici propter parvos redditus vix possunt circa ecclesiam degentes victum competentem habere, ad ecclesiam vero illam residere minime possunt velut inopes; volentes igitur eos aliquantulum gracia nostra relevare, consensimus eis villam nostram Cunczedorf in Papoviensi districtu sitam de manibus famosi Henrici Crigyer, magistricivium civitatis nostre Thorunensis, in summis pecuniarum iuste et legitime inscriptis redimere, et presentibus literis nostris consentimus per eosdem prelatos et canonicos ecclesie predicte Culmensis presentes et futuros villam predictam Cunczedorf iuxta effectum et tenorem literarum originalium desuper iuste concessarum tenendum, habendum, utifruendum et quiete possidendum usque ad plenariam predictarum summarum inscriptarum per nos vel nostros successores eisdem prelatis et canonicis solucionem. Juribus nostris regalibus per omnia salvis. Harum, quibus sigillum anulare nostrum est subappensum, testimonio literarum. Datum Wilne feria quarta in crastino festi Assumpcionis gloriosissime virginis Marie, Anno domini Millesimo quingentesimo tercio, Regni vero nostri Anno secundo. — Ad mandatum Regie Maiestatis. Alexander dei gracia Rex manu propria subscripsit.

*Original (sehr beschädigt) auf Pergament mit dem Siegelstreifen im Culmer Diöc.-Arch. Abschrift bei Mauritius nr. 136.*

## 760.

***1503. December 21. Löbau.*** *Nicolaus, Bischof von Culm, bestimmt einen jährlichen Zins von 120 Mark zur Hälfte für die Baukasse der Kathedralkirche, zur Hälfte dem Domkapitel zur Abhaltung der vier Quatemper-Anniversarien, und ausserdem einen andern Zins vom Dorfe Schönfelt oder Kijewo zur Anstellung eines dritten Kaplans.*

Nicolaus, dei gracia episcopus Culmensis. Ad perpetuam rei memoriam. Innotescere volumus per presentes universis et singulis, presertim dilectis in Christo fratribus nostris capitulo et canonicis eiusdem ecclesie nostre Culmensis, tam presentibus quam futuris, quod nos visa exiguitate proventuum reddituum et censuum annuorum ceterorumque emolumentorum undecunque dictis fratribus nostris obvenientium, considerantes eciam, qualiter superioribus annis, quibus eidem ecclesie nostre divina dispensatione licet non exigentibus meritis prefuimus, parum aut nichil per pia Christi fidelium charitatis beneficia pro illius fabrica tum aliis necessariis succursum existat, episcopalesque introitus non tanti sunt, ut et fratrum inopie et ecclesie defectibus ac erumpentibus ruinis nostris

facultatibus commode, prout expediret, consulere et obviare possimus; hiis itaque respectibus intra nostre mentis archana permoti, alia eciam potissimum ratione inducti, ea videlicet, quando ante iusti iudicis Jesu Christi tribunal omnes stabimus et iuxta apostoli sentenciam recepturi, prout in corpore gessimus, sive bonum fuerit sive malum; compacientes ob id totis visceribus fratrum nostrorum et ecclesie egestati, volentesque diem messionis extreme pietatis operibus pro tenui nostra fortuna prevenire, expectaturi per sancte trinitatis graciam pro temporali subvencione eternam in celesti sede retributionem: censum nostrum Centum viginti marcarum prutenicarum levium, quem paucis retroactis annis a consulibus oppidi Thorunensis pro duobus milibus marcis similibus super proventibus et redditibus eorum universis sub titulo reemptionis ad duos terminos solvendarum rite comparavimus, prout litere et sigillum eorum plenius habent, ipsis fratribus nostris et canonicis tam presentibus quam futuris circa eandem ecclesiam duntaxat residentibus pro una, et fabrice eiusdem pro alia medietatibus, interim quod census ipse duraverit, donandum duximus ac donamus per presentes. Censu vero, ut premittitur, reempto et restitutis capitulo duarum milium marcarum pecuniis, ex tunc volumus, ut canonici presentes sive futuri favore ei promotione successoris nostri ac aliorum prelatorum regni apud Regiam Maiestatem impetrare omni studio invigilent ad eximendum bona regalia ecclesie adiacencia pro huiusmodi per nos donatis et imperpetuum legatis testimentarieque relictis pecuniis, ut inde tam pro sui pinguiore sustentatione quam structurarum ipsius ecclesie reparatione annuos census rehabere possunt, donec consilio et auxilio maiorum perpetuos sive hereditarios census partim in suos usus partim fabrice, ut preinseritur, convertendos conparare valeant. Qua de re convenimus et concordamus cum eisdem fratribus nostris modo residentibus, ut pro sua medietate, hoc est mille marcis sive censibus inde conquisitis, sint obligati et teneantur tam ipsi quam futuri residentes in accepti beneficii recompensam singulis quartalibus anni, quintis videlicet feriis infra quatuor tempora, ante vesperas decantare integras vigilias tribus collectis conclusas, prima pro anime nostre salute, secunda pro antecessorum nostrorum, tercia autem pro benefactorum ecclesie et nostrorum refrigerio, et sequenti tunc inediate sexta feria ante summam missam decantabunt unam missam mortuorum cum eisdem oracionibus sive collectis. Sint eciam adstricti iidem canonici presentes et futuri ipsa sexta feria invitare et colligere tredecim pauperes pro prandio et eos cibo potuque decenter reficere in dominice coene memoriam et reverenciam. Debebunt quoque pro singulis vicibus distribuere capellanis, choralibus et clericis, vigiliarum et missarum huiusmodi decantationi interessentibus, unam mediam marcam similis monete, facientem in toto anno duas duntaxat marcas, quemadmodum dicti fratres et canonici nostri se et suos successores ad hec per patentes literas obligarunt, de quibus apud nos inter alia ecclesie nostre iura et regestres clare constat. Preterea volumus hoc firmiter et perpetuo adiunctum esse, quod in eventum, quo ecclesia nostra ad alium locum in futurum transferretur, nichilominus

pecunia mille marcarum sive census aut bona pro illis comparata apud sancte Trinitatis ecclesiam, sponsam nostram in Colmensehe, pro fabrica irrefragabiliter maneant. Insuper attento, quod fratres nostri canonici vix tollerare possint, ut suis facultatibus duos sustentent capellanos ad sufferendum ecclesie onera, dignum ymmo pocius debitum decrevimus ad augendum in ecclesia nostra cultum divinum et augmentandum capellanorum numerum, censum nostrum perpetuum, quem superioribus annis in villa Schonfelt alias Kijowo, prope Colmen in diocesi nostra existente, pecuniis nostris adepti sumus, de quo in libro civitatis in eadem Colmen constat, pro tercio capellano, qui episcopalis nominabitur, perpetuo donamus. Sunt inquam octo mansi cum medio, a quibus decem septem marce, et a tabernatore simul comparate alie due marce solvuntur annuatim. Dabunt itaque canonici capellano huiusmodi tale, quale suis, annuum stipendium, et quidquid superfuerit, in eorum cedat usum. Interim quod mensam communem tenebunt, et idem capellanus non minus illis obediet quam alii eorum capellani circa ecclesiam. Damus denique auctoritatem canonicis pro tempore illum recipiendi et licenciandi ac alium substituendi, quociens oportunum videbitur. Postremo obsecramus successores nostros, quatinus sancte Trinitatis, in cuius gloria augeatur continua imploratio (?), dignentur pervigili cura, quod officio eorum incumbet, attendere, ut omnia premissa debite et semper observentur, mercedem haut dubie ab omnium bonorum remuneratore tandem recepturi. In quorum omnium perpetuam firmitatem et maiorem fidem has nostras fieri et sigilli nostri munire iussimus. Presentibus pro testimonio vocatis discretis viris dominis Gregorio de Schonfurst, Michaele Polenn, capellanis nostris, ac nobilibus Nicolao de Rawskaw advocato, Laurentio de Orlaw burgrabio, Georgio de Kyntnaw marschalco et Jacobo de Cletze magistro piscature nostris, clericis et laicis Pomesaniensis ac Culmensis diocesium. Actum et datum in castro nostro Lubouiensi, die sancti Thome apostoli, Anno domini Millesimo quingentesimo tercio.

*Original auf Pergament mit dem Siegelstreifen, dessen Siegel verloren ist, im Culmer Diöc.-Archiv. Abschrift bei Mauritius nr. 112.*

## 761.

***1504. Januar 2. Culmsee.*** *Das Domkapitel von Culm erneuert und transsumirt die Handfeste des Dorfes Klonowo von 1379.*

Joannes Szmoll, Raphael Waynir, Gregorius de Fredtlandt, Caspar Welckir, Michael Wolszky et Martinus de Plawoszh, prelati et canonici totumque Capitulum ecclesie Culmensis, significamus presencium tenore, quibus expedit, universis, quomodo scultetus Marcus Tretwo de Clonaw, villa nostra in territorio Cawernigk sita, nobis obtulit suum privilegium de et super scultecia pretacte ville a nostris predecessoribus concessum. Verum quia pene vetustate consumptum erat, instantius postulavit, ut huiusmodi suum privilegium renovare et innovare dignaremur, ne ipse aut sui legitimi successores exicium, detrimentum vel damnum pateretur. Attendentes itaque eiusmodi peticionem fore iustam

ac racioni consonam, huiusmodi privilegium renovandum et innovandum duximus, ac per presentes renovamus et innovamus sub eodem, prout ante fuit, verborum tenore, ut sequitur:

I. n. d. a. Noverint universi etc. *wie oben nr. 352.* Dat. in ecclesia Culmensehe Anno domini M°. CCC°. LXXIX°. XVI die mensis Aprilis.

In cuius rei testimonium sigillum nostrum presentibus est subappensum. Actum et datum apud dictam ecclesiam cathedralem in Culmensehe, die Martis secunda Januarii, Anno domini Millesimo Quingentesimo quarto.

*Original auf Pergament im Culmer Diöc.-Archiv. Das Siegel ist abgerissen. Abschrift bei Mauritius nr. 101.*

## 762.

***1504. Januar 2. Culmsee.*** *Das Domkapitel von Culm stellt einen Bienenwart auf seinem Gute Klonowo an.*

Wier Joannes Smol, Raphael Wayner, Gregorius van Fredelandt, Caspar Welkir, Michel Wolsky vnd Albertus von Plowoze, prelaten, thumherren vnd das gancze Capittel der kirchen Chulmsee, bekennen vnd thun kuhnt allen vnd iczigen, die diesen vnsern brief sehen hören adir lesen, das wir mit wolbedachtem muthe vnd reyfem rathe angesehen vnd vormerkt, das vnser bynerey in vnserm gutthe vnd heyde czu Clonau sost nicht wol erberlich genislich vnd nüczlichen anders möge werden gehalden, so sie nicht mit eynem stetem vnd gewissem böner vorsorget, bewahret vnd angericht werde mit vleyse: haben wir darumb Maczczen Chmiel von Mispelshe,[1]) seynen rechten erben vnd nochkomlingen, dieselbe vnsere bynerey czu Clonaw vnd vier freye huben mit eyner wysen nachem Dzielun gelegen vor vier vnd czwenczig marck preusche geringe czu Cholmischem rechte vorkauft, in solcher weyse vnd vndirscheit. Wir sollen im von iczlicher thonnen honig, die do gefelt, czwe marck geringe, vnd von iczlicher neuer beutten czwey schelingen, so her ym varjar die beuten anrichtet, II scheffel möhl vnd II so her zceiselt, geben; das abgericht sol her alle haben; sonder so die bynen sterben, sol die helfte des wachsis den herren, vnd die ander dem byner gefallen odir beczalt werden. Des czu eyner sicherung haben wir vnser Capitels sigel an diesen brieff lossen hengen. Gegeben vnd geschehen czu Cholmensee am dinstage vor der heiligen drey konigen czur jarczal Christi Tausenth funfhundert vnd vierden.

*Nach der Abschrift im Nachtrage des Copiar. Culm. nr. 84 und bei Mauritius nr. 175.*

## 763.

***1504. April 26. Thorn.*** *Alexander, König von Polen, bestätigt den Bienenwärtern (mellificatores) des Dorfes Bartodzieje (b. Radom ?) ihre vom Herzog Przemislaw im Jahre 1298 erhaltene*

1) *Mispelsee, Dorf bei Hohenstein.*

*Handfeste.* Actum Thorunie feria sexta in crastino S. Marci, A. d. MD. quarto, regni n. a. III. presentibus . . . Vincencio Wladislaviensis, Johanne Poznaniensis, Luca Varmiensis, Nicolao Culmensis ecclesiarum episcopis necnon, . . . Johanne de Dambrowka Culmensi palatino.

— ***Mai 5. Thorn.*** *Alexander, König von Polen, erneuert die Handfeste des Schulzen in Burstinow. U. d. Zeugen:* Nicolaus episcopus Culmensis. Thorn, Sontag vor dem Feste des h. Stanislaw im Monat Mai 1504, Reg. Jahr 3.

*Aus der polnischen Reichsmatrikel bei Rzyszczewski, Cod. Polon. II 582 nr. 435 und deutsche Uebersetzung bei Froelich, der Kreis Graudenz I 53.*

## 764.

***1504. Juni 28. Thorn.*** *Alexander, König von Polen, bestätigt dem Domkapitel von Culm den Pfandbesitz des Dorfes Kunzendorf und gestattet niemand ausser dem Könige selbst die Wiedereinlösung.*

Alexander, dei gracia rex Polonie, magnusdux Lithwanie, Russie Prussieque dominus et heres etc. Significamus tenore presencium, quibus expedit universis, quemadmodum prelatis et canonicis venerabilique Capitulo ecclesie Culmensis consensimus villam nostram Conczewycze redimere, prout redimerunt et possessores sunt illius, consencientibus nobis, sic in presenciarum singulariori gracia prelatos et canonicos capituli illius prosequi cupientes, ipsis hanc prerogativam inscribimus et concedimus, quod eosdem prelatos et canonicos ecclesie Culmensis et eorum successores in tenuta ipsius ville graciose conservabimus conservarique mandabimus et nullipiam subditorum nostrorum cuiuscunque status et condicionis existencium ex eadem redimere admittemus vel consenciemus, nisi id vellemus facere pecuniis nostris regalibus proque comodo et usu nostro, quod tunc nobis pro beneplacito voluntatis nostre facere licebit, decernentes hanc prerogative concessionem valituram, non obstantibus quibuscunque literis antea concessis. Harum, quibus sigillum nostrum presentibus est subappensum, [testimonio litterarum]. Datum Thorunie feria sexta post festum beati Johannis Baptiste Anno domini Millesimo quingentesimo quarto. — Johannes de Lassko R. P. Cancellarius subscripsit.

*Original auf Pergament mit dem Siegelstreifen, dessen Siegel verloren ist, im Culmer Diöcesan-Archiv. Abschrift bei Mauritius nr. 137.*

## 765.

***1504. August 26. Thorn.*** *Der Rath der Stadt Thorn stellt dem Bischof Nicolaus von Culm und dessen Domkapitel einen Revers über empfangene 2000 Mark aus.*

Wyr Burgermeyster vnd Rathmanne der Stath Thorun vor vns vnd vnser nochkommen bekennen vnd thun kunt offentlich mit vnserm bryffe vor allermenniglich, in welcher kegenwertikeit her vorkompt zcu sehen horen ader leszen, das wir mit wolbedochtem eyntrechtigen vnd reyffen rathe, myt volbort vnd wissen vnser eldesten der gemelten stath Thorun, zcu merglicher notdorfft gemeynen notcz vnd gedygk betrachtende,

im namen eynes gewonlichen widerkoufs haben recht und redlich vorkoufft, vnd in crafft dyszes bryffes vorkouffen off alle vnser stath offheben genysse vnd renten den achtparn wirdigen hern Capitulo vnd thumhern der stulkyrchen Culmensehe, iczligen vnd nochkomenden, vnsern besunder gonstigen hern vnd frunden, hundert vnd czwenczigk margk gerynge preuschs geldis ierliches czynszes vor czwe taussent margk gerynge benumter zcall vnd muncze; dy hellffte zu der selbigen hern enthaldunge vnd gebrauchunge vnd dy ander helffte czu gebewen der thumkyrche zcu Culmensehe; welche summa gelds als hewptstule vorgedocht mit sampt dem czynse dor von gekaufft der erwyrdige in got vatter vnd herre, her Nicolaus von gotis genoden bysschoff zcu Culmensehe, vnser genediger herre, den mehr gemelten hern capitel vnd thumhern zcu Culmensehe alze seyn testament vnd seyner genaden leczten willen ewiglich zcu haben vnd zcu behalden hoth gegeben, noch meldunge vnd innehaldt szeyner vaterlichen genoden bryffe mit angehangenem sigel, dor ober den hern thumhern vnd capitell vylgenumpt oberantwert, vnd wyr dy vor hyn genumpte czwetaussent margk gerynge preusch von dem offtgemelten her Nicolao bisschoffe, vnserm genedigen hern, volkomlich oberzcalt haben entphangen vnd in vnser stath notcz vnd fromen gewant. Globen der halben vor vns vnd vnser nochkomen in gutten trawen, das wyr solchen czyns ierlich als hundert vnd czwentzigk margk gerynge off czwene termyn, als Michaelis nestkomende, dy helffte als sechczygk margk gerynge, vnd dor noch off Ostern dy ander helffte ouch sechczygk margk gerynge, noch funffczenhundert jaren im vierden der geburt Christi vnszers hern anczuheben, vnd alzo fort alle jor ierlich wellen vnd schuldigk seyn vnuorczoglich vnd vngehyndert zcu Thorn in der stath, vnd nyrne anders, zcu bezcalen vnd zcu geben bey solchem bescheyt: So wyr benumpte Rathmanne, dy iczunder seyn, vnd vnszer nochkomen zcu rathe werden mogen vnd macht haben, sullen dy vorgedochte hundert vnd czwenczigk margk iarliches zcynses vmb genante czwetaussent margk gerynges geldes in eyner summa myt bezcalunge vorsessener czynse, szo etwas hinderstelligk vnbeczalt seyn worde, widder abe zcu kouffen von den bestympten hern des Capittels ader iren nochkomenden an allen widdersproch vnd hyndernis. Des zcu vrkunt vnd sicherheyt haben wyr vnser stath secret mit vnszern wiessen dyssem bryffe anhengen lassen. Geschehen vnd gegeben zcu Thorn am montage neste vor Egidii noch Christi vnszers hern geburt fumfczenhundert vier Jare.

*Nach den Abschriften im Nachtrage des Cop. Culmense ohne Nr. und bei Mauritius nr. 176. Die Abschrift im Cop. Culm. ist durchstrichen und hat den Randvermerk:* „Redemptus anno . . . .“

## 766.

***1504. November 15. Thorn.*** *Johannes Steyner, Präceptor von Steinau und Magister Jacobus von Preussen, Prior des Hospitals zum hl. Geist in Cottbus, ertheilen als Commissarien ihres Ordens-Generals den Benedictinerinnen in Thorn die geistliche Fraternität und Theilnahme an ihren Privilegien.*

Sanctissimus in Christo pater et dominus noster dominus Julius divina providentia Papa Secundus, summus Christi vicarius modernus, omnes indulgentias perquam plures olim Rhomanos pontifices predecessores suos concessas infra annotatas confirmavit et approbavit, prout in literis desuper confectis plenius continetur. Inter quos pontifices Innocentius papa Tertius, fundator ordinis et hospitalis sancti Spiritus', concessit confratribus et benefactoribus dicti hospitalis et membrorum eius, ut quilibet ipsorum discretum confessorem, presbiterum secularem vel regularem, curatum vel non curatum, possit eligere, qui de omnibus peccatis suis et casibus, etiam sedi apostolice quovismodo reservatis, eum absolvere et dispensare valeat et sibi penitentiam iniungere salutarem, dumtaxat semel in anno. Honorius papa Tercius concessit magistro et fratribus hospitalis predicti sancti Spiritus, ut de usuris rapinis incendiis, preter ecclesiarum incendia, damnis datis et aliis rebus male acquisitis, si hii, quibus earum restitutio fieri debeat, inveniri seu sciri non possent, ac etiam de redemptionibus votorum, Jherosolomitano dumtaxat excepto, de divinorum officiorum obmissionibus et nonnullis aliis casibus ut componere possint et in usus pauperum dicti hospitalis convertere, et benefactoribus in mortis articulo plenariam remissionem. Bonifatius papa Octavus concessit omnibus benefactoribus plenariam remissionem a pena et culpa in mortis articulo, et quod confratres dicti hospitalis tempore interdicti decedentes ecclesiastice sepulture tradantur. Urbanus papa quintus concessit omnibus benefactoribus dicti hospitalis, ut confessorem eligere possint, qui ipsos semel in vita absolvere valeat in omnibus casibus etiam sedi apostolice reservatis, et omnibus confratribus dicti hospitalis plenariam remissionem a pena et culpa in mortis articulo. Clemens papa Quintus similes indulgentias et remissiones concessit. Eugenius papa Quartus concessit omnibus confratribus dicti hospitalis, ut possint eligere sacerdotem, qui eis in mortis articulo plenariam remissionem concedere possit et eos semel in vita absolvere ab omnibus casibus etiam sedi apostolice reservatis. Celestinus papa quintus concessit in festo Epiphanie usque ad octavam eius singulis diebus Centum milia annorum de indulgentiis. Celestinus (!) papa Sextus concessit a festo Nativitatis Marie et per octavam eius singulis diebus Triginta milia annorum. Clemens papa Sextus concessit a festo pentecostes usque ad octavam eius singulis diebus octo milia annorum et totidem quadragenas et remissionem omnium peccatorum plenarie. Bonifatius papa concessit, ut omnia vota commutari possint et a votis ligatos absolvere, Jherosolomitano dumtaxat excepto, et in stationum participatione et dedicationum sancte Rhomane ecclesie ac in peregrinatione terre sancte omnes benefactores vivos et mortuos fecit participes et consortes in eternum. Catholicus vero, qui secundum quantitatem substantie et qualitatem criminis de bonis

suis dederit, si vere penitens et confessus moriatur in mortis articulo tociens, quotiens fuerit constitutus, concessitque, ab omnibus peccatis suis maneat absolutus plenarie. Insuper est concessum omnibus benefactoribus et confratribus, quod in missis, matutinis, vigiliis, ieiuniis et elemosinis, que fiunt in toto ordine, sunt participes et consortes in perpetuum. Sixtus papa Quartus, predicti hospitalis reformator atque decorator, auctoritate apostolica approbavit et confirmavit concessiones, indulta, statuta, decreta, indulgentias ac literas apostolicas predictorum Rhomanorum pontificum, decernens illa omnia perpetue firmitatis robur obtinere, atque concessit benefactoribus in mortis articulo plenariam remissionem.

Nos Hioannes Steyner preceptor Stinauiensis Loben[sis] necnon Jacobus de Prussia, magister et prior hospitalis sancti Spiritus foris Cotbus, ordinis sancti Spiritus Wratislaviensis et Misnensis diocesium auctoritate data (!) et per reverendissimum in Christo patrem et dominum dominum Benedictum de Senis, sacri et apostolici hospitalis sancti Spiritus in Saxia de urbe suminum preceptorem et tocius ordinis generalem Magistrum, in hac parte commissarium apostolicum, communicata et impertita, fidem facimus et attestamur per presentes, qualiter iuxta sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Julii pape Secundi pontificis moderni confirmationem privilegiorum apostolicorum predecessorum sue sanctitatis multorum pro salute cunctorum confratrum et benefactorum sacri hospitalis sancti Spiritus in Saxia et membrorum eius etc. concessorum, de speciali admissione reverendissimi in Christo patris et domini domini Nicolai, episcopi Culmensis, devotam et catholicam [deo dedicatam virginem Angelicam Abbatissam monasterii sanctimonialium extra opidum Torun dyocesis Culmensis atque Melchildem von Allen priorissam, Evam Pudelinne subpriorissam, Appoloniam Finkenberginne, Vrsulam Stanginne, Barbaram Salichmacherinne, Dorotheam von Legendorff, Barbaram Screiberinne, Katherinam Oleslegerinne, Gertrudem Peckerinne, Barbaram Zaninne, Barbaram Robytinne, Elizabeth Trompinne, Magdalenam Hokinne, Katherinam Barischinne, Elizabeth Grotczenerinne, Annam Rakynne, Agnetem Kesselhuttynne, Zophiam Rubitynne, Katherinam Swarcze, Zophiam Bariszinne, Barbaram Wildinne, Barbaram Molerinne, Katherinam Sczirsonkynne, Dorotheam Weysze, Barbaram Teschenerynne, Zophiam Paternosterinne, Dorotheam Pawsine, Gertrudem Metschesetinne, Katherinam Domnynne, Annam Peschelynne, Barbaram Adermanynne, Annam Groszynne, Barbaram Snellenberginne, Annam Sontaginne, Cristinam Cymmermannynne, Margaretham Plichtynne, Dorotheam Henczenynne, Katherinam Swerthfegerinne, Katherinam Kulofinne, Dorotheam Mugkewaldinne, Katherinam Bothnerinne, Zophiam Pistkinne, Gerdrudem Scheue, Barbaram Hymmelreichinne, Margaretam Satelerinne, Barbaram Morosinne, Agnetem Crewczburginne, Dorotheam Famulinne, Annam Gothardinne, Magdalenam Bethnerinne, Katherina Rymerinne, Annam Faythausinne] recepimus in sanctam confratriam sacri et apostolici hospitalis in Saxia de urbe, ad quam cum humilitate se recipere peciit et elemosinas iuxta bullarum dedit tenorem, hodie que est

dies [decimaquinta] mensis [Novembris]. Ideo concedimus auctoritate nobis concessa, ut (?) et prescriptis juxta privilegiorum apostolicorum tenorem et indulgentiarum eligere valeant confessorem secularem vel regularem, curatum vel non curatum, qui absolutionis beneficium cum penitencia salutari iniungere etiam in casibus sedi apostolice reservatis et omnium peccatorum suorum valeat in mortis articulo, ut Rhomani pontifices tam pene quam culpe ipsorum concesserunt remissiones; necnon omnium indulgentiarum, que sunt Rhome, a pena et culpa quinquagenarie. Statuerunt summi pontifices Rhomani, quod confratres dicti sunt participes omnium stationum et dedicationum basilicarum alme urbis et peregrinationis terre sancte tam in vita quam post mortem in eternum; Necnon omnium ieiuniorum vigiliarum et orationum et quod tempore interdicti, nisi occasionem ipsius dederint, debent tradi cum omni solemnitate solita sepulture ecclesiastice. In cuius rei testimonium et fidem has presentes literas fieri fecimus ac sigillo nostri commissoriatus officii, quo utimur, appensione eas muniri. Datis [in opido Torun] Anno domini Millesimo quingentesimo [quarto].

Forma absolutionis. Misereatur tui dominus noster Jhesus Christus per merita sue sanctissime passionis dignetur te absolvere et ego autoritate ipsius et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius ac sanctissimi domini nostri pape in hac parte mihi commissa et tibi concessa absolvo te ab omni vinculo excommunicationis et restituo te sanctis ecclesie sacramentis et unitati fidelium. Absolvo te etiam plenarie ab omnibus peccatis tuis et casibus etiam sedi apostolice reservatis juxta tenorem privilegiorum desuper confectorum; bona per te facta et fienda sint in augmentum tue salutis et gratie. In nomine patris et filii et spiritus sancti Amen. — Addatur a confessoribus in absolutione ista clausula „a pena et culpa“ in mortis articulo et necessitatis tempore dumtaxat.

Impedientes et contradictores prescriptarum indulgentiarum requisiti sunt iuxta monitorium penale Auditoris Camere apostolice generalis etc. suspensi et excommunicati ipso facto, a quibus censuris non possunt nisi ab eodem auditore vel a suo superiore absolvi.

*Aus dem Original auf Pergament im Archiv der Jakobskirche in Thorn. Von dem Siegel ist nur der Pergamentstreifen übrig. Die in Klammern gesetzten Stellen sind in das zuvor gefertigte Formular später in Cursivschrift eingesetzt.*

## 767.

***1505. April 23. Löbau.*** *Nicolaus, Bischof von Culm, schenkt seinem Domkapitel 500 Mark zur Unterhaltung eines zweiten bischöflichen Kaplans an der Kathedrale, sowie zwei Ampullen und ein Trinkgeschirr.*

Nicolaus dei gratia Episcopus Culmensis. Ad perpetuam rei memoriam. Significamus tenore presentium, quibus expedit, universis, quod nos anno superiore numeravimus et in effectu contulimus venerabilibus fratribus nostris Capitulo ecclesie nostre Culmensis quingentas marcas prutenicales levis monete, ea videlicet ratione et respectu, ut pro illis

census annuos vel perpetuos, si possibile foret, aut saltem sub titulo reemptionis comparent, et tandem cum eisdem censibus inde provenientibus sustentarent secundum capellanum episcopalem apud eandem ecclesiam nostram tenendum; et si quid ex tali censu superesset, illud adderent pro primo capellano episcopali, pro quo etiam servando censum nostrum, pridem comparatum in villa Schonfelt, eidem ecclesie nostre et capitulo contulimus et perpetuo donavimus, prout de hoc extant littere nostre patentes et sigillo nostro maiore munite apud dictos fratres nostros. Tandem accepimus ex relatione eorundem fratrum nostrorum, qualiter pro huiusmodi quingentis marcis comparaverint iusto titulo reemptionis triginta marcas similiter leves prutenicas annuatim solvendas, a prudente viro Johanne Bewthel, burgimagistro in Thorn, super bonis et redditibus, quos habet in Mokora ibidem, prout dicunt istud clare constare ex eiusdem Johannis Bewthel inscriptione, tam pro se quam suis heredibus et legittimis successoribus facta et contenta in libro civitatis Thorunensis. Et quia fervens nobis desiderium semper fuit, ut etiam iure tenebamur, divinum cultum ecclesie nostre pro viribus augere: volumus omnino et ita decernimus per presentes, ut annotate quingente marce non ad alium quam premissum usum applicentur; sic quoque redditus inde comparati. Et ita etiam nobis ingenue promiserunt se observaturos fratres nostri modo in humanis existentes, quos et etiam futuros omnes rogamus per viscera dei misericordie, ne aliter sint quocumque sinistro ausu facturi, et servent perpetuo duos capellanos, quos episcopales vocabunt, apud ecclesiam Culmensem, stipendio pro eis deputato, ut prehabetur. Casu vero, quo secus essent facturi, quod non credimus, volumus esse interpellatos, quos etiam presentibus interpellamus, successorem vel successores nostros, ut sancte Trinitatis contemplationi assint huic rei veluti proprie et eos concernenti, et tanto sint propensiores ad tam sanctam fundationem in esse conservandam, quo officio suo magis incumbere agnoscant. Volumus etiam constare tam eisdem successoribus nostris quam presentibus et futuris fratribus et canonicis ecclesie nostre, quomodo paucis ante diebus pro reverencia sancte Trinitatis et honore sue ecclesie, nostre sponse, dederimus prefate ecclesie nostre duas ampullas argenteas deauratas magistralis laboris, quas alias dono recepimus a reverendissimo in Christo patre domino Luca, episcopo Warmiensi, necnon pro celebrando sanctissimo mandato domini nostri Jhesu Christi in die Cene domini meliorem nostram cuppam seu ciffum de aliquot marcis argenti totum deauratum, ut tunc ex eo bibi possit pro solemnitate eiusdem sanctissimi actus poculum caritatis more aliarum ecclesiarum cathedralium, maxime extra illam terram. In cuius rei fidem has fieri et sigilli nostri maioris appensione muniri jussimus et fecimus. Datum in castro nostro Luboviensi, ipso die sancti Georgii martiris Anno domini M° CCCCC° quinto.

*Nach der gleichzeitigen Abschrift im Nachtrage des Cop. Culmen. nr. 77 und daraus bei Mauritius nr. 77.*

## 768.

***1505. Mai 26. Radom.*** *Alexander, König von Polen, schenkt zur Dotation des Culmer Bisthums die Stadt Culm und die Burgen Althausen und Papau mit ihrem Gebiete, befreit sie von verschiedenen Lasten und Diensten und gestattet dem Bischof Nicolaus, die etwa verpfändeten Güter für sich einzulösen.*

***1509. Februar 11. Löbau.*** *Nicolaus, Bischof von Culm, schenkt seinem Domkapitel das Dorf Pluskewanz und die Hälfte der Mühle in Waldau.*

Nicolaus dei gratia episcopus Culmensis. Ad perpetuam rei memoriam. Significamus tenore presentium, quibus expedit universis, presentibus et futuris: quomodo cupientes quadam paterna affectione ampliare augmentareque census, proventus, emolumenta ecclesie nostre, ut exinde divinus cultus instauretur et accrescat; attendentes hactenus eiusmodi censuum, proventuum et emolumentorum exiguitatem et tenuitatem, proinde villam nostram Plewszgewantz, in districtu nostro Papowiensi sitam, per donationem regiam nobis et ecclesie nostre factam, peccuniis nostris industria nostra residuatis redemptam, donatione perpetua et irrevocabili dedimus, donavimus et contulimus, ac per presentes damus, donamus et conferimus de plenitudine potestatis episcopalis, cum omni iure, proprietate, usufructu et dominio habendam, tenendam, possidendam pacifice et quiete temporibus perpetuis et eviternis ad usus proprios et beneplacitos, quantum melius et utilius canonicis nostris videbitur expedire; sub ista tamen conditione animadvertenda, quomodo venerabili domino Nicolao Crapitz, canonico eiusdem ecclesie nostre, superioribus annis tanquam nostro scriba et familiari usi sumus, cui et ex sanguine [et] supra eiusmodi servitia ex remuneratione sumus obligati, volentes itaque eidem ad vitam duntaxat ultra canonicatus et prebende portionem providere, de communicato consilio accedenteque consensu fratrum nostrorum capituli nostri, dedimus medietatem predicte ville Plewszgewantz, ita vero, ut, eo decedente, census huiusmodi medietatis ville perpetuis temporibus iterum in usum et ad utilitatem canonicorum redibunt et revertentur. Insuper medietatem censuum emolumentorumque molendini Waldaw, cuius medietatem etiam propriis peccuniis et alteram capitulum nostrum suis peccuniis exemit, dicto venerabili Nicolao Crapitz sub eadem donationis et provisionis conditione et forma damus, donamus et conferimus, et eidem ad vitam suam providemus; adjicientes eiusmodi conditionem, quod si contingeret prefatum molendinum per capitulum nostrum admitti exemendum aut vendendum, ne idem dominus Crapitz exinde, quiescente pecunia et non accedentibus proventibus, negligentia tam venerabilis dicti domini Crapitz quam capituli nostri, non intervenientibus omnibus fraude et dolo, tenebitur eidem ad medietatem census peccunie, quos capitulum nostrum et ipse dominus Nicolaus posset exinde percipere et habere. In cuius rei testimonium et firmitatem has presentes literas nostras sigilli nostri majoris appensione jussimus et fecimus communiri. Actum et datum in castro nostro Lubowiensi, die solis undecima mensis Februarii, anno domini Millesimo quingentesimo nono. Presentibus ibidem honorabili domino Hugone de Neudorff et nobilibus Nicolao de Waldaw advocato et Laurentio de Orlaw burgrabio nostris, testibus ad premissa vocatis.

*Abschrift bei Mauritius nr. 99.*

## 778.

***1509. Februar 11. Löbau.*** *Nicolaus, Bischof von Culm, stiftet in seiner Kathedrale die Messe und die Horen der hl. Jungfrau Maria.*

Nicolaus, dei gratia et apostolice sedis providentia Episcopus Culmensis. Ad perpetuam rei memoriam. Universis et singulis Christi fidelibus significamus per presentes et signanter venerabili Capitulo, fratribus nostris in Christo dilectis. Diu cogitantibus nobis sepenumero, ut in ecclesia nostra cathedrali, quantum nostre suppeterent facultates, cultum divinum et sacrum instauraremus augmentaremusque, rationem habuimus ineffabilis inviolate et gloriosissime virginis Marie, que nobis dominum nostrum Jesum Christum dei patris filium suis castissimis edidit visceribus, salutis auctorem, apud quem eandem, ut firmiter credimus, tanquam misericordie et gratie matrem, nostre salutis causa nullo pertesam labore, perpetuam habemus interpellatricem. Ut illius laudi, venerationi ac honori propensius intenderemus ac prospiceremus, atque fidelium mentes ad eidem inserviendum eandemque venerandam et honorandam cupientes magis magisque incitare; pro eiusdem itaque immortali laude, veneracione et celeberrimo honore, ob omnium bonorum retribucionis premia, ac pro nostra perpetua memoria et omnium tam vivorum quam mortuorum salute, ad perpetuis temporibus et eviternis decantandas in ecclesia nostra horas et missam de eadem gloriosa virgine Maria, domina nostra, censum nostrum Centum Marcarum levium pruthenicalis monete pro duobus milibus marcarum levium numeri et monete pruthenicalis, anno superiori a generoso domino Luca de Allen super bonis et villis seu possessionibus Grutha de consensu Regie Maiestatis rite et legittime comparatis sub titulo reemptionis, ad unum terminum, videlicet ad Natalem Christi persolvendarum, testamur, damus et conferimus, nisi cathedra de Culmenzee ad locum alium transferretur, tunc enim et horas de domina transferri volumus. Ita ut quatuor capellani et totidem chorales, qui ad hec idoneiores atque pociores fuerint, per canonicos pro tempore deputandi, eiusmodi horas et missam, decenter et concinne, statutis ad hoc debitis temporibus et horis decantabunt, ita quod in qualibet missa Collecta pro episcopi fundatoris anima imponatur. Stipendium vero unicuique capellano erunt marce octo, et cuilibet chorali marce quatuor, campanatori marce due ratione ministerii per eum fiendi in apparacione altaris, incensione candelarum et pulsu pro eisdem horis et missa. Residuum vero census ita distribui debebit et ordinari, ut canonico in sua septimana et qui ebdomadarius dictus horis singulariter interfuerit et prefuerit et ut attencius devociusque decantabuntur, respectum de non committenda negligentia habuerit, sabbatho media marca detur cum effectu pro refectione. Proinde volumus quemlibet canonicorum esse obligatum, ut intersit, nisi adeo impeditus debilis aut infirmus, quod presens interesse non posset; tenebitur tamen aliquem alium ad hoc subordinare. Preterea ut predicta fidelius et firmiter serventur, hortamur in domino successores nostros episcopos, dignentur ex officio debito et pastorali cura superintendere, ut premissa debite exequantur et serventur, recepturi ab

ipsa dei genitrice virgine Maria eternam mercedem. Volumus insuper, si contingeret eiusmodi censum redemi, ut nostri canonici de consilio et consensu nostri successoris et dominorum prelatorum patrie et regni omnibus modis studeant invigilentque, quatenus eorundem promocioni et ordinacioni cum summa pecuniarum dictarum duarum milium marcarum alia bona regalia de vicino obtineant et eximant, aut census hereditarios certos comparent. Insuper ut Christi fideles eo frequentius devocionis causa ad nostram ecclesiam, dum hore huiusmodi de domina decantabuntur, confluant et oracionibus insistant, et ibidem celestis gratie dono sese uberius refertos conspexerint, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum auctoritate confisi, omnibus et singulis vere penitentibus contritis et confessis, qui in ecclesia nostra infra horas et missam beate virginis presentes fuerint et easdem devote audierint, Quadraginta dies indulgentiarum de iniunctis eis penitentiis pro eorum culpis in domino misericorditer relaxamus. Presentibus perpetuis temporibus duraturis. In cuius rei testimonium has nostras literas iussimus nostri sigilli subappensione communiri. Actum et datum in nostro castro episcopali Lubouiensi, die solis undecima mensis Februarii, anno domini Millesimo Quingentesimo nono. Presentibus ibidem domino Hugone de Neudorff et nobilibus Nicolao de Waldaw advocato et Laurentio de Orlaw burgrabio nostris, testibus ad premissa vocatis.

*Original auf Pergament mit Resten der Muschel des Siegels an schwarzer Schnur im Culmer Diöc.-Archiv. Abschrift bei Mauritius nr. 108.*

## 779.

***1509. März 31. Petrikau.*** *Sigismund I., König von Polen, ernennt Commissarien zu der durch das Nonnenkloster in Thorn zu bewirkenden Auslösung der dem Thorner Rath verpfändeten Hälfte der Mühlen in und bei der Stadt.*

Sigismundus, dei gratia rex Polonie, magnusdux Lithuanie, Russie Prussieque etc. dominus et heres, magnifico Joanni de Dąbrowka palatino et generoso Ludovico de Mortang succamerario Culmensibus, sincere et fideliter nobis dilectis gratiam nostram regiam. Magnifici et generosi sincere et fideliter nobis dilecti. Consensimus virginibus sanctimonialibus in Thorun mediam partem molendinorum nostrorum omnium intra et extra muros civitatis Thorunensis consistentium eximere a consulibus civitatis eiusdem Thorunensis in summis pecuniarum in et super dictis molendinis nostris per predecessores nostros reges Polonie prefatis consulibus iuste et legitime inscriptis. Qua in re vos, quorum fidei sinceritas nobis non est incognita, in commissarios nostros deputavimus ad revidendum literas et munimenta super dictis molendinis nostris desuper concessa et habita. Ideo vobis committimus et mandamus, quatenus pro die certo accersitis ad vestri presentiam prefatis consulibus nostris Thorunensibus cum literis ac munimentis ipsorum omnibus, que se super dictam medietatem molendinorum nostrorum habere pretendunt, easdem revideatis accuratius et auscultetis, an iuste et legitime sint. Quibus taliter

revisis debiteque recensitis, pecunias super eisdem iuste inscriptas prefatis consulibus dari decernatis ab ipsis sanctimonialibus, possessionemque prefatis medietatis molendinorum ipsis sanctimonialibus dari in effectu et assignari, sub obtentu gratie nostre secus non facture. Datum in conventione generali Piotrkoviensi, sabbatho ante dominicam Ramis palmarum proximo anno domini Millesimo Quingentesimo Nono, regni nostri Tertio. — Relatio reverendi in Christo patris domini Mathie, episcopi Premysliensis et R. P. vicecancellarii.

*Aus dem Copiar Nr. 4 fol. 111 der S. Jacobskirche in Thorn.*

## 780.

***1509. October 28. Löbau.*** *Johannes Konopacki empfängt die Bischofsweihe.*

[Anno domini 1509] Dominica in die sanctorum Simonis et Jude reverendus pater dominus Lucas episcopus Warmiensis consecravit in Episcopum Culmensem dominum Johannem Canopetzki in monasterio fratrum minorum extra muros oppidi Lobaw, assistentibus sibi reverendis patribus dominis Nicolao olim episcopo Culmensi, qui propter egritudinem paralysis episcopatui in favorem dicti domini Johannis episcopi cessit, et Johanne episcopo Simbaliensi, suffraganeo Warmiensi.

*Aufzeichnung im bisch. Archiv zu Frauenburg A 85 fol. 200 b.*

## 781.

***1509. October 28. Merseburg.*** *Dr. Christoph Kuppener ändert sein Testament.*

In dem nhamen der heiligen undt ungeteylten dreyfaltikeit gots des vaters, sones und des heiligen geistes amen. Kunth und offenbar sey allermenniglich, durch laut unde inhalt dieszes offen instruments, dass nach Cristi unssers lieben herren geburt in funffzcehnhundersten unde ym neunden iare, in der zcwelfften Romerzcael, indiction genant, unter deme babsthum des allerheyligsten in got vaters und hern, unsers hern Julii von gotlicher vorsehunge des andern babst diesses nhamens, seyner regierunge im sechsten iare, am tage Simonis unde Jude, der dho ist gewest der achtezcwenczigste tagk des weynmondes, in meyner offenbar schreibers unde hyr unten beschrieben getzewegen hirzu sunderlichen geruffen und gebeten gegenwertigkeit, ist personlich erschynen der achtbar, hochgelarte unde gstrenge er Christophorus Coppener, der freyen konsten geistlicher unde werntlicher rechte doctor unde ritter, geboren von der Lobaw in Prewssen, in seyner gutten volmögender gsuntheit unde vorstentlicher vornunfft, die ym got der almechtige aus barmhertzigen seynen gotlichen willen vorliehen hat, und hat doselbst eyne vorandrunge eyner donation inter vivos, zo er solliche irrevocabiliter im iar der wynig zcael

im achten laut eyns instruments unde confirmation des hochwirdigen in got vaters und herrn herrn Tilen bisschofen zu Merssburg vorandert, gtan unde gemacht, wie volgende: Doss er vor die vierhundert fl. Reynisch, auf der stat Geyten gekofft, mit vier und zcwenzcig fl. R. iarliches zcynses, gibt funffhundert Reynissche golden bar, zu den funffhundert, die er von deme marschalke bezalt erlangt hat, unde gibt alzo solliche tausent fl. R. donation inter vivos unwidderrufflichen, welche hoptsumma er mit seynem studiren unde sauer arbeit, die er seyne lebetage vilmals in herren dinsten gtan hat und thun mussen, vordynt unde erwurben hat, unde ist seyn peculium gewest castrense et quasi castrense, lauter umb gots willen, umb selikeit seyner, seynes weibs (?) seligen unde seyns geslechts der Coppener, als vil sollicher aus deme geschlechte der Coppener vorstorben seyn, zu enthaltunge anfenglichen zcwelff armer menschen in deme nawen hospitali, [zo] vor der Lobaw in Prewssen gebawet worden ist, gote deme almechtigen unde seynem heiligen patronen, nemlichen sancte Anne, sancto Hieronimo, sancto Wolffgango, Rocho unde sancto Johanni Baptiste, unde den armen leuten in deme hospitali zu der Lobaw in Prewssen in der allerbesten weise, mase, forme und gestalt, als sollichs durch recht amb stendigsten gescheen sal kan unde magk, unde hat solliche geeigent, gtan unde gegeben, sich teglich mit aller menschlichen notturefft dovon zu behelffen unde zcu enthalten; unde also, dass man alletzeit vor die hoptsumma iarlicher rente unde czynsser, sechtzig fl. R. auff eynen widderkauff aufs wynnigste kauffen sal; davon sollen die armen leyte alle wochen eynen Reynischen golden haben, macht die summe das iar zcwene unde funfzcig golden, unde zcwene fl. R. zu bade, als offte als sie dafur baden mogen. — Die andere sechs fl. R. an sollichen zcynssern der sechtzig golden sollen zu dem lehen gehoren, das er auch vor die armen leute doselbst gestifft habe, alzo dass sollich lehen das iars vierzcyg margk haben sal iarliches zcynsses; dafur sal eyn itzliches armes mensche alle tage zu beten schuldig seyn eynen rosenkrantz, des seyn funff vater unssere, funfftzig Ave Maria unde eynen globen, unde sibenmal des tages drei vater vnsser zu den sieben getzeytten, wie solliche die kyrche des tages heldet, unde wen sie zu bade gehen, drey vater unsser. Unde die obersten vorsteher sollichs hospitalis unde hoptsumme unde zcynssere sollen seyn der hochwirdige in got furste und herre, eyn bisschoff Culmensis dioecesis zu der Lobaw, unde der rat zu der Lobau doselbst, unde der neheste von des gestifters frundtschaft; dieselbige sollen semptlich die macht haben solliche arme leute, anfenglichen aufs wynnigste zwelfe in das hospitale aufzunhemen. — Darzu hat er auch eyne donation inter vivos bey seyner gsuntheit unde gutter vornunfft gtan irrevocabiliter ouch loco elemosine, unde hot gote zu lobe unde allen lieben heiligen zu eren gegeben umb seyner und seyns weibs seligen selen selikeith unde aller der, die aus dem gslechte der Coppener vorscheiden seyn, die neunhundert golden Reinisch hoptsumme mit acht unde viertzig Reynischer golden iarrenten und zcynser, die in vorschrieben seyn an der stat Mitwede in deme lande zu Meissen gelegen, nach bsag irer brieffe wie volgende.

Dovon sollen sechs unde dreissig golden vor zcwene studenten, die do stehen sollen in der hoenschulen zu Leiptzk, ye achtzcehen fl. R. eynen des iares, der itzlichen acht iare studiren sal, unde eyner von der heyligen schrifft, der ander in den rechten, unde dornoch andere, wie ichs in meynen testament vorordent unde gemacht. — Mit den andern zcwelff golden Reynisch, machen achtzcehen Prewssche margk, sal der rat zu der Lobaw alle iar iarlich eyne arme fromme iungfrau zu dem ehelichen leben bestaten, wie ich dann solliches in meynen testament clarlichen auch vorordent habe. Unde hot solliche hoptsummen und iarliche zcynser also bescheydlichen obgnanten hospitali und vor die zcwene studenten und iungfrawe donation inter vivos irrevocabiliter gegeben, alzo dass die hoptsumme mit iren zcynssen sollichem hospitali, zcwehen studenten unde iungfrawen ewig bleiben sal, unde er sollicher zcynser alleyne seyne lebetage vor sich und weme ers geharen und obirgebe, zu seynem nutze gebrauchen unde uffheben wil; adder nach seynem leben sal berurete hoptsumme der tausent golden sampt der iherlichen zcynssen ewiglichen bleiben gots des almechtigen und den heiligen patron, unde kommen zu genantem hospitali, unde eigenthum seyn der armen leute unde sechs golden dovon dem gestifften lehen bleiben. Dassgleichen die neunhundert an Mitweyde hoptsumme unde zcynsser sollen ewiglichen bleiben vor ye eigenthum vor zcwene studenten und eine iungfrau zu der ehe zu bestaten. Unde solliche zcwene studenten van dem rat zu der Lobaw in die sapiencie der Preussen, zo solliche zu Liptzk gebauet unde gestifft werde, dem rectori und magistro sollicher sapiencien und deme probst collegii principis presentirt unde geschigt werden, doselbst in sollicher sapiencien, zo sie gestifft, adder zo solliche nicht gestifft, in collegio principis zu stehende unde die zcynser an genantem rectori der sapiencie und probst geweist werden ewiglichen obgnanten zcwehen studenten von vierteiliaren zu vierteiliaren zu iren studiren zu distribuiren, unde zo sie nicht studiren adder toguntlichen lebten, andere an ire stat von dem rat ordiniren und schigken lassen. Begebe sichs auch, dass solliche tausenth fl. R. angelegt wurden auff eynen widderkauff unde widder wie sichs geburt abegelosset, dessgleichen die neunhundert golden hoptsumme an der stat Mitweyden abegelost wurden, sollen obgenante vorsteher die macht haben, solliche widder anzuleggen mit rat und wissen obgnantes rectoris sapiencie und des probst gnantes collegii principis, wie sie es am allerbqueinsten wissen, konnen unde mogen, dhomit diesse gutte wergke nicht vorhinttert werden. Unde gnanter doctor Christophorus hat mir offenbaren schreiber hyr unten gnant solliche vor anderen aufftragung voreigunge unde obirgabe, die er nicht aus betrieg, bsunder alleyne gote dem almechtigen, der hochgeboren konigynne Marien unde den heiligen vorgenanten patronen eren un zu troste seyner und seynes geslechts selenheil und selikeit, mit freyen wolbedachten gemute gtan, gantz, stete, veheste und unwidderufflich zu halten geredt, globet unde zugesagt, unde obir solliches alles mich offenbaren schreiber der gnante her doctor ym eyns adder mehr unde sovil im not offenbare instrumenta zu machen gebeten. Gescheen zu Merssburg im

iare, babsthum, indiction, tage unde monden, wie oben, in der hyntter stube des wirdigen herrn magistri Nicolai Dehen, die zceit bischofflicher officialis doselbst, in seyner behaussunge in gegenwertikeit gnantes magistri Nicolai Dehen unde Caspar Wichsler, die zceit bischoffliches secretaryen als getzeugen, dorzu sunderlich durch mich notarien gebeten, requirirt unde geruffen.

Und wan ich Jacobus Hoppe von Conitz, clerigk Gnysensch bisthums, von bebstlicher unde keyserlicher gewalt offenbar schreiber, bei obberurter donation voranderung und vornemung, ouch allen und itzlichen andern vorgeschryben geschichten do, dy also durchgemelthen achtbarn hochgelerten ern doctoren Christophorum Kuppener geschagen mit sampt obgeschryben gezceuge kegenwertig gewesen, die alle also gesehen und gehort, darumb hab ich sulchs in disse offen form gebracht und kegenwertig instrument durch eyn andern treulich geschryben daruber gemacht und mit meyner hant underschryben, auch mit meynen gewonlichen zceichen, namen und zcunamen befestiget und gezceichent, zcu urkunt und globen sunderlich darzu gebethen, gefordert und gerequiryrt.

*Original auf Pergament mit wohlerhaltenem Siegel an einem Pergamentstreifen im Archiv der Universität zu Leipzig; abgedruckt im Codex diplomaticus Saxoniae Regiae. Zweiter Haupttheil. Band XI. (Urkundenbuch der Universität Leipzig, herausgegeben von Bruno Stübel) Leipzig 1879. 4to S. 376 ff. nr. 281.*

## 782.

***1510. Mai 25. Thorn.*** *Frau Hedwig Langhans tritt das Eigenthum ihrer 13½ Hufen in Heimsoth an das Jungfrauenkloster zum hl. Geiste in Thorn ab.*

Wir Burgermeister vndt Rathmanne der Stadt Thorun thuen kundt vndt bekennen offentlich mitt diesem briffe vor idermenniglich, das vor vns in sitzendem rath die ersamen richter vnd scheppen vnser stadt gezeuget vnd bekandt haben, das auff heutte vor en im gericht Frawe Hedwig Langhansinne, wol tüchtig vnd gesundt an leibe vndt synne, vndt hatt vngedrungen gancz frey durch Pawl Crawsen, iren zu dieser sachen vor gericht gekornen vormunden, die vierzehndehalbe huben, welche sie hat als erblich anfall zum Heimsoth, mit aller eigenschafft irer gerechtigkeit den gottsynnigen Closter-Jungfrawen zum heiligen geiste vor vnser stadt Thorun gelegen auffgetragen, gegeben vnd genzlichen zu geeynnedt vnd enterwinnet, dieselbigen vierzehndehalbe huben zu manen zu forderen vnd wo erlanget erblich vnd ewiglich zu haben zu genissen vnd zugebrauchen. Das zu vrkundt haben wir diesen brieff mit vnserm aufgedruckten stadtsecret besigelen lassen. Gescheen vnd gegeben sabatho in vigilia sancte Trinitatis, anno domini Millesimo Quingentesimo Decimo.

*Aus dem Copiar Nr. 4 fol. 114 der S. Jacobskirche zu Thorn. In der polnischen Uebersetzung der Urkunde daselbst wird „Heimsoth“ durch „teraz zową Przesmno“ erklärt.*

## 783.

***1510. Juni 13. Althausen.*** *Johannes, Bischof von Culm, bezeugt zu einem nach Rom abzusendenden Transsumpt einer Urkunde des Thorner Raths die Echtheit des Siegels des Pfarrers der Johanniskirche in Thorn und der notariellen Unterschrift.*

Johannes, dei gratia episcopus Culmensis, universis et singulis literas nostras inspecturis, salutem in domino et presentibus fidem indubiam adhibere. Noveritis, quod nuper constitutus coram nobis providus Nicolaus Jode, civis Thorunensis Culmensis diocesis et dominorum proconsulum et consulum eiusdem civitatis Thorunensis procurator, proposuit, asserens se superioribus diebus certa privilegia et jura per instrumentum in forma Vidimus partem suam concernens in causa, que coram reverendo patre Petro de Attoltis, episcopo Antontem. (!), auditore rote, inter prefatos proconsulem, consules et totam eius communitatem ex una, et reverendum patrem Erasmum, episcopum Plocensem, partibus ex altera, indecisa pendet, ad urbem romanam, sigillo venerabilis fratris nostri Johannis Smolle, ecclesie nostre cathedralis Culmensis canonici et ecclesie sancti Johannis in Thorun plebani, subappenso sigillatum, et per providum Johannem Seyffridum de Gfres Bambergensis diocesis publicum apostolica auctoritate notarium subscriptum et sumatum, transmisisse, continens sigillum prefati Johannis Smolle canonici et plebani ac notarii nomen, signum et manum in Romana curia fore incognita, nobis, ut sibi literas testimoniales desuper concedere dignaremur, debita cum instancia obsecravit. Nos vero attendentes iustum esse veritati testimonium perhibere, universitati vestre tenore presentium intimamus, notificamus et attestamur, sigillum predicto instrumento subappensum esse et fore prefati ecclesie sancti Johannis in Thorun plebani, quod in talibus et similibus causis instrumentis et processibus appendi solitus sit, predictumque Johannem Seyffridum esse apostolica auctoritate notarium publicum per venerabilem Petrum Ulman, ecclesie sancti Georgii extra muros dicti opidi Thorun prepositum et comitem Palatinum ad hoc auctoritatem habentem creatum, quodque suis scripturis et instrumentis publicis semper adhibita fuit, prout hodie adhibetur, in iudicio et extra plena et indubitata fides, quem et nos pro tali et talem habemus et reputamus. Et ne alicui super hoc dubitari contingat, presentes literas testimoniales super premissis fieri fecimus nostrique secreti annularis appensione communiri iussimus. Datum ex castro nostro Aldenhawsz die Anthonii confessoris anno domini Millesimo quingentesimo decimo.

Johannes d. gr. Episcopus Culmensis, qui supra manu propria subscripsit.

*Original auf Pergament mit angehängtem Secret im Rathsarchiv zu Thorn.*

## 784.

***1510. August 14. o. O.*** *Sigismund I., König von Polen, geht Johann, Bischof von Culm, darum dringend an, dass er als Schatzmeister der Lande Preussen die Entrichtung der Contribution betreibe und beauftragt ihn mit einer Inspection der preussischen Schlösser.*

Sigismundus rex Episcopo Culmensi.

Cum reverendam Paternitatem vestram noverimus fideliter et cum singulari animi propensione predecessoribus nostris inserviisse, sic et nunc non dubitamus eandem nobis et reipublice inservire: ideo hortamur illam, tanquam thesaurarium terrarum Prussie, det operam, ut ista contributio marce decime census ab omnibus in universum exigatur. Qua de re scripsimus palatinis et dignitariis, ut ad solutionem non se difficiles prebeant, quo eorum exemplo ceteri quoque sint ad solvendum promptiores. — Ceterum cum P$^{tis}$ vre. officii esse sciamus prospicere et perscrutari, quomodo castra Prussie sint provisa aut munita, et quomodo dirigantur, mandamus vre. P$^{ti}$., ut omnia castra seu arces circumeat et revideat, et deinde nobis omnia significet. Quod ut facilius facere possit, mittimus ei literas ad omnes arcium capitaneos, ut eam inspectionem hanc facere permittant, et generosum Nicolaum Szpott, capitaneum Gedanensem, ad eum actum comitem et adiutorem ei adiungimus. Pro gratia nostra secus non factura. Dat. XIV August MDX.

*Acta Tomiciana I 98 nr. 87.*

## 785.

***1510. September 9. Krakau.*** *Sigismund I., König von Polen, ersucht Nicolaus, ehedem Bischof von Culm, den Notar Balinski mit Rath zu unterstützen.*

Sigismundus rex Nicolao episcopo Culmensi.

R$^{me}$ in Christo pater. Mortuo [Ambrosio] Pampowski palatino Siradiensi et capitaneo Marienburgensi, mittimus Joannem Balinski, notarium nostrum fidelem, ut in castro Marienburgensi omnia conscribat, officiales et presertim dispensatorem constituat, qui redditus omnes castri dirigat, ut olim vra P$^{tas}$ sub Joanne Alberto rege, fratre nostro, fecit, et mandavimus ei, ut ad hoc munus obeundum instituat generosum Nicolaum Szpott, castellanum Gedanensem. Postulamus a vra. P$^{te}$., velit eundem debite informare de omnibus illic gerendis ad nostram et reipublice utilitatem. Huic etiam Balinskio consilium prebeat opportunum, ut utiliter castri necessitati provideat et quemadmodum omnia conscripturus est. Rem nobis valde gratam faciet vra. Pt$^{as}$., que feliciter valeat. Datum Cracovie IX Septembris M. D. X.

*Acta Tomiciana I 107 nr. 106.*

## 786.

***1510. October 4. Löbau.*** *Nicolaus, ehedem Bischof von Culm, beurkundet, dass er die früher seiner Kathedrale gemachten Schenkungen seinem Domkapitel mit der Verpflichtung überlasse, vier Vicarien und vier Chorsänger zur Abhaltung der canonischen Horen und der Anniversarien zu unterhalten.*

Nicolaus, dei gratia episcopus Culmensis, significamus tenore presentium, quibus expedit universis: Quomodo in primo introitu ad ecclesiam nostram cum quadam animi compassione consideraverimus modicitatem proventuum, reddituum et censuum annuorum ceterorumque emolumentorum undecunque dilectis fratribus nostris obvenientium, prout et ipsi nobis in personis propriis frequenter exposuerunt et declaraverunt conquerendo, quod nec se nec suos capellanos aliamque familiam necessariam de eisdem proventibus decenter sustentare queant, prout manifestum exstat, quod aliquando tantum unum et interdum duos capellanos propter modicitatem proventuum tenere potuerunt et non plures, cum solum quatuor essent canonici residentes, interdum plures, interdum etiam pauciores, ex quibus aliqui relinquentes ecclesiam ad alia loca se conferebant propter huiusmodi proventuum inopiam et exilitatem, et ob id cultus divinus circa ecclesiam nostram sepe modicus et sepius neglectus fuit. Pro meliori ergo illorum quatuor utique cathedralis ecclesie canonicorum statu, decentiori sustentatione et honestate divinique cultus reformatione et augmentatione, ac pro singulari honore sancte Trinitatis, sponse nostre, eisdem quatuor residentibus donamus et conferimus ac inscribimus singulas donationes nostras, omnes census cum capitalibus summis eorum, quos antea pro personis dicte ecclesie nostre donavimus et inscripsimus. Ipsique pro tali nostra erga eos munificentia et liberalitate tenebuntur et sint obstricti quatuor capellanos totque chorales tenere et providere pro officio divino peragendo, et ad decantandum horas de domina, et tenendum et debite observandum anniversarios nostros per nos circa eandem ecclesiam nostram pro misericordia dei consequenda in salutem anime nostre fundatos. In cuius rei testimonium secretum nostrum est appensum. Datum in castro nostro Lubaviensi die sancti Francisci anno domini Millesimo quingentesimo decimo.

*Abschrift bei Mauritius nr. 124.*

## 787.

***1510. October 22. Althausen.*** *Schreiben des Bischofs Johannes von Culm an den Rath in Danzig.*

Den . . . . . Herren Burgermeister und Rathmanne der Stadt Danzig etc.

Vnsz hot der wirdighe vnd achtpare herre Nicolaus Crapitz, vnsir mittebruder, zcw kennen geben, wy das er in der oberreichunghe eynes hawses, welchs ym von vaterlichen erbfal zcwgefallen vnd in vorschenenen gezceiten vorkoufft hat, vorhindert vnd vorhalden wirt, vnd das er zcw der vorlanghunghe adir vorschreibunghe, dy er deme

ihennen, der das hawsz gekoufft hot, phleghen sulde, durch sulchen eynfall nicht komen kan. Derhalben vnsz angefallen vmb vnsir vorschrifft, Ew. weisheit zcuuermoghen durch vnsir bete, das er zcw ende ane weither geltspillunghe mochte treffen. Ist vnsir fruntliche bete Ew. w. gerucht gemelten herren in deme falle furderlich zcw erscheinen. — — Dat. vffm Aldenhawse am Dinxtaghe noch der hilligen XI[M] Junfferen taghe im etc. X Jore. Johannes Bischoff zcu Culmense.

*Original auf Papier mit Signet im Danziger Stadtarchiv.*

## 788.

***1510. October 26. Althausen.*** *Johannes, Bischof von Culm, beglaubigt in königlichen und persönlichen Angelegenheiten bei dem Danziger Rath seinen Kanzler Philippus Holkener, Licentiat des Kaiserrechts.* Dat. offim Aldenhawse am Sonnobende vor Simon vnd Jude im etc. X Jore.

*Original Papier mit Siegelspuren im Danziger Stadtarchiv.*

## 789.

***1510. November 25. Löbau.*** *Nicolaus, ehedem Bischof von Culm, urkundet über die Herstellung der Kapelle bei dem Schlosse Löbau, die Berufung der Minoriten und die Stiftung eines Kaplans.*

Nicolaus, dei gracia quondam episcopus Culmensis, notumfacimus significantes per presentes, ad quorum noticiam [deductum fuerit], qualiter ex dei clemencia huc licet immeriti humeros nostros ecclesie Culmensi regende submisissemus, re[perimus hic sub castro nostro Lu]bouiensi quandam capellam muratam, a quondam domino Wicboldo antecessore nostro erectam et [fundatam, cum quodam] beneficio ecclesiastico sine cura decem bonis marcis huius patrie provisam, cum capellano circa eandem capellam pro [tempore] residente. Tandem cum huc ex provisione apostolica, deo permittente, venissemus, dictam capellam penitus destitutam, tam in capellano quam eciam partim in [censu], dolenter invenimus et alias satis ruinosam. Postea deo auxiliante ex devotione manum apposuimus et dictam capellam magna ex parte reparavimus, tectum restauravimus, vitricum elegimus, iuvantibus senioribus [civitatis. Postea] sic deo volente fratres minores de observantia vocavimus, illis domo, prout modo est, constructa, et ita de bono in melius rem ipsam commutavimus. Et quia restabant adhuc quasi decem octo marce sine media pro huiusmodi capellano sustendando solvende, quas quidem marcas, quia ordo ille easdem ex institutione habere nolebat, contulimus, eciam consilio et consensu moderni domini episcopi Johannis, capellano nostro domino Gewconi Swab de nova villa, et tandem eo mortuo successoribus suis legittimis, quos dominus episcopus pro tempore instituerit et ordinaverit, veluti ordinarius et indubitatus collator; sic tamen, ut per eundem capellanum [dictum sive legitimum successorem due misse legantur sive ce]le-

brentur in capella Polo[norum erecta in cemeterio] parochialis ecclesie [Luboviensis: hoc] proviso, ut huiusmodi misse, si possibile erit, diebus festis fiant propter presentiam plebei et [servilis po]puli poloni[calis tunc ex devotione] ad divina audienda confluentis. Relique due misse [celebrentur in capella castri absque cantu. Et] pro stipendio suo, unde commode vivat, habeat levare inprimis [illas] duodecim [marcas a nobis comparatas in Grabaw], et quindecim similes marcas in Rosental ab olim spectantes pro huiusmodi [capellano, unacum duabus marcis cum] media similibus, similiter ad eundem capellanum deputatis; ita tamen quod huiusmodi marce prenarrate [sint pro perpetuo beneficio ecclesiastico] sine cura deputate, sic parimodo idem capellanus noster, quem actu investimus per bireti [nostri capiti suo] imposicionem et illi eciam actu providemus, prout providimus in dei [nomine per presentes], una [cum successoribus suis legitimis] sint perpetue beneficiati, ut premittitur, merito et digne tali modo provisi, cessante qualicunque illegitimo excogitato impedimento. Harum, quibus sigillum nostrum subappensum est, testimonio et vigore mediante. Presentibus ibidem venerabilibus dominis Nicolao Crapitz, nepote nostro, et Michaele Polon, canonicis ecclesie nostre et nobili Laurentio Orloffzky burgrabio. Datum in castro nostro Lubouiensi ipso die sancte Katherine virginis et martiris anno domini Millesimo Quingentesimo decimo.

*Original auf Pergament mit dem Streifen zum Siegel, das verloren ist, im Culmer Diöc.-Archiv. Abschrift bei Mauritius nr. 121. Die Lücken wurden aus der Abschrift ergänzt.*

## 790.

***1511. Januar 17. Petrikau.*** *Sigismund I., König von Polen, bittet den Bischof von Culm wegen des Todes des HM.'s um Rath.*

Sigismundus rex episcopo Culmensi, thesaurario Prussie.

Mortuo magistro Cruciferorum jus regni nostri negligere nolentes, volumus ea agere, que ad id necessaria sunt. Vra. etiam Ptas. ad id nobis sua consilia impertiat, et ex officio suo admoneat tenutarios castrorum nostrorum, ut easdem arces custodiant et servent diligenter, armis et commeatu instruant. Idem ad civitates nostras scribimus, nonnullas etiam copias militares in Prussiam isthuc ad loca oportuna mittimus. Nam ubi ordo declinare a recto voluerit, nos ius nostrum armis asserere non pretermittemus. Dat. Piotrkovie XVII Januarii MDXI.

*Acta Tomiciana I 142 nr. 170. Ebenda nr. 173 ein Schreiben desselben an denselben von Anfangs Februar 1511.*

## 791.

***1511. Mai 19. Althausen.*** *Johannes, Bischof von Culm, bestätigt den Verkauf des Gutes Crapitz.*

In nomine domini amen. Quoniam multis erroribus occurri credimus, dum illa, que geruntur, literarum apicibus et testium annotationibus muniuntur: Hinc est, quod

nos Joannes, dei et apostolice sedis gratia ecclesie Culmensis episcopus, notum facimus per presentes, quibus expedit, universis, presentibus et futuris, harum noticiam habituris, quod coram nobis famatus Franciscus Pstichen de Thorunia, vice et nomine honeste Gedule sue genitricis, ex una, et validus Joseph de Dzierzanowo partibus ex altera comparentes retulerunt, quomodo invicem quendam emptionis contractum super bona Crapycz in terra Culmensi et districtu Papaw sita fecissent, itaque preassertus Franciscus bona predicta Crapicz cum iuribus et limitibus, prout ab olim distincta et ab eo et suis antecessoribus, a quibus illam genitricem eius emisse asserit, sunt possessa, prefato Joseph pro centum et quinquaginta marcis numeri prutenicalis, monete vero polonicalis vendidisset, omnibus modo, forma et solemnitate adhibitis, que circa contractum eviternum solent et debent. Verum quia prefata Gedula ex bonis memoratis Crapitz annuum censum quattuor marcarum singulis annis nobis solvere consuevit, eo quod bona illa ad districtum Papow ab antiquo pertinebant et pertinent; ideo nobis hincinde est supplicatum, ut contractum huiusmodi corroborare et huic consentire dignaremur. Nos vero attendentes, quod sepedicta bona inculta iacent et prefatus Joseph suam deinceps ibidem cupit habere residentiam, eundem contractum per presentes admittimus, sequentibus tamen clausulis in se semper servatis, sic quod prefatus Joseph ipse et heredes seu successores sui, quicumque illi fuerint, censum predictum quatuor marcarum singulis annis pro festo sancti Martini in moneta consueta nobis et successoribus nostris episcopis solvere et extradere debent realiter et cum effectu, et semel in anno, quando nos aut successores nostros hic in provinciam ad aliquam convencionem proficere contigerit, cum uno equo inservire. In fidem premissorum sigillum nostrum, quo inpresenciarum ex certa nostra sciencia utimur, est subappensum. Actum et datum in castro nostro Aldenhaws ipso die sancte Potenciane virginis anno domini Millesimo quinquagesimo undecimo. Presentibus ibidem et consencientibus venerabilibus fratribus nostris Rafaele Wayner, Nicolao Crapitz, ecclesie nostre canonicis, nobis in Christo dilectis.

*Transsumpt und Confirmation des Königs Sigismund von 1520 im Archiv des Domkapitels in Pelplin.*

## 792.

***1511. Juli 13. Brzesc.*** *Sigismund I., König von Polen, ersucht den Bischof Johannes von Culm, sich der Verwaltung des Schlosses Golub anzunehmen und von Nicolaus Szpott die Rechnung abzunehmen.*

Sigismundus rex Joanni episcopo Culmensi.

R^me^ etc. Intelleximus Theodoricum Servillam, tenutarium castri Golub, languere et in extremis vite esse; expedit itaque, ut ipso adhuc vivente et presertim, si in periculo vite esset, providere, ut post eius decessum castrum nostrum in tuto relinquatur, et ne res et suppellex tam castri quam sua distrahatur. Nam idem sine prole et sine herede est, et ex Lithuania ortum ducens, amicos et cognatos non habet et castrum in meliori

conditione relinquere debuit. Pertinet itaque ad vram. Ptem., uti ad thesaurarium istius provincie, ne res castri dilabantur ac distrahantur. Ac ut vre. Pti. credatur, mittimus eidem literas nostras ad eundem Theodoricum eiusque officiales scriptas. — Committimus preterea vre. Pti., ut, cum generosus Nicolaus Szpott in proximo annum sue administrationis compleverit, eodem vra. Ptas. vadat et Joannem Balinski notarium ad officium dispensatoris illuc instituat; rationem vero, adiunctis sibi capitaneis Marienburg, ab ipso Nicolao Szpott accipiat, quam postea nobis plane perscriptam transmittat. Et dispensatori mandet, ut in officio suo frugalem se exhibeat. Valet vra. Ptas felicissime. Brzescie XIII Julii MDXI.

*Acta Tomiciana I 204 nr. 267.*

## 793.

***1511. Juli 30. Brzesc.*** *Sigismund I. ladet die Bischöfe Lucas von Ermland und Nicolaus von Culm zum Erscheinen auf dem Landtage zu Marienburg ein.*

Sigismundus rex Luce, episcopo Varmiensi. Nicolao, episcopo Culmensi.

Reverende in Christo pater, sincere nobis dilecte. Heri reverendissimus in Christo pater dominus Joannes Laski, archiepiscopus Gnesnensis primas etc. per nuncium suum referri nobis curavit de omnibus, que in conventu Gedanensi, Pte. vra. adiuvante, egerit ad nostrum et regni nostri decus et commodum, tum etiam quomodo aliquid communi intelligentia cum Pte. vra. pro iustitia ministranda constituerit. Tametsi opere pretium esset, ut nos ipsi simul cum Pte. vra. et cum aliis consiliariis tam regni quam terrarum istarum Prussie istuc venientes solidiora iustitie remedia constitueremus, que et faciemus, cum brevi, deo volente, in terras Prussie concedemus: tamen eadem, que vos una cum prefato rev. dno. archiepiscopo constituistis, probantes, rata esse volumus, quamdiu istuc non venerimus. Et ideo a Pte. vra. postulamus, cooperari velit, ut omnia, sic uti sunt ordinata, observentur. Et quoniam prefatus rev. dnus. archiepiscopus de omnibus rebus, que sibi a nobis demandate fuere, propter certas causas in isto Gedanensi conventu constituere et determinare non potuit, significavit nobis, quod, accedente consilio vre. Ptis et aliorum tunc presentium, conventum pro festo S. Bartholomei generalem in Marienburg indixerit, ut in eo determinetur tam de his, que preposita fuere et manserunt indeterminata, quam etiam de aliis, que bono statui terrarum Prussie sunt necessaria, constituatur. Cum autem eum conventum absque presentia Ptis. vre. non credimus posse habere bonum exitum, quandoquidem eadem et nostris et reipublice rebus prudenter consulere solet: hortamur illam, ut ad ipsum conventum Marienburgensem se recipiat, et illic una cum consiliariis, optimatibus et civitatum magistratibus terrarum istarum Prussie tam de his, que suspensa remansere, quam etiam de aliis, que nomine nostro proponentur, sagaciter et opportune consulat. Id quod confidimus, eam sic, ut nostra voluntas est et reipubice status requirit, libenter facturam. Brzescie XXX Julii MDXI.

*Acta Tomiciana I 217 nr. 285.*

## 794.

***1513. Januar 12. Thorn.*** *Der Franciscaner Baptista von Oestreich ertheilt den Benedictiner-Nonnen bei Thorn die Erlaubniss, die Eucharistie in ihrer Kirche zum hl. Kreuz in einer geweihten Monstranz zur Anbetung auszusetzen.*

Universis et singulis venerabilibus Episcopis, Presbyteris, Religiosis ceterisque presentes literas inspecturis, Frater Baptista de Austria, ordinis minorum observantie quoad exequutionem bullae et aliarum literarum apostolicarum pro fabrica ecclesie principis apostolorum de Urbe commissarius terre Prussie apostolicus licet immeritus, salutem in domino perpetuam. Presentium tenore vobis fidem facimus et attestamur per nos medio fratris Baptiste de Austria ordinis minorum subdelegati nostri concessam fuisse licentiam et facultatem devotis virginibus sanctimonialibus ordinis sancti Benedicti extra muros oppidi Thorunensis in ecclesia sancte Crucis degentibus sacramentum Eucharistie in monstrancia consecrata decenter et honeste habendi, tenendi, videndi adorandique, eo quod fabrice prefate ecclesie principis apostolorum de Urbe secundum conventionem factam manus adiutrices porrexerint. Quam licentiam et facultatem christifidelibus impartiendi nobis et nunciis nostris a sanctissimo domino nostro, domino papa Julio, divina gratia moderno concessum, ut patet per literas apostolicas in forma brevis datas Rome sub annulo piscatoris duodecimo Februarii anno Millesimo Quingentesimo Octavo, pontificatus sui anno Quinto. Inhibet preterea papa omnibus ordinariis, visitatoribus ecclesiarumve prelatis et aliis quibuscunque sub pena excommunicationis late sententie et quingentorum ducatorum, ne post concessionem huiusmodi de premissis seu quovis modo intromittere vel tales contribuentes molestare seu, quominus istius modi facultatibus et gratiis libere uti possint, impedire presumant. In quorum corroborationem et testimonium presentes fieri fecimus. Datum in Thorunia duodecima die istius mensis Januarii, anno Millesimo Quinguentesimo Decimo tercio.

*Aus dem Copiarium Nr. 2 fol. 32 der S. Jacobskirche in Thorn.*

## 795.

***1513. Juni 10. Neuhoff.*** *Die königlichen Commissarien, der Bischof Johannes und der Palatin Johannes Dąbrowski von Culm, sprechen den Nonnen in Thorn das Recht der Fischerei im See beim Gute Lewen (Mlewiecz) zu.*

Joannes dei gratia episcopus, Joannes de Dąbraw palatinus Culmensis. Notum facimus per presentes, quibus expedit, universis, quod nos per Sacram Maiestatem Regiam, dominum nostrum gratiosissimum, in differentiis inter sanctimoniales ecclesie S. Spiritus extra muros Thorunenses tanquam actores ex una, et generosos Joannem et Stanislaum de Sczawino fratres parte ex altera, ex parte cuiusdam piscature in lacu prope predium Lewen sito emersis et exortis commissarii deputati fuimus. Unde volentes partibus iuxta

mandata Maiestatis Regie debitam administrare iustitiam ad situm lacus memorati condescendimus, veram positionem differentiarum eiusmodi oculatim inspicientes. Auditis siquidem partium propositionibus et responsionibus servatisque observandis, solam iustitiam pre oculis habentes, per hoc presens decretum nostrum definivimus et decrevimus, definimusque et decernimus per presentes: Quod sanctimonialibus prefatis liberum sit et esse debet piscare cum minoribus retibus in lacu supramemorato iuxta duntaxat consuetudinem communem, prout alii nobiles faciunt, quorum limites et granicies ad lacus concernunt. Quod decretum nostrum partibus observandum iniunximus et per presentes iniungimus, et in corroborationem maiorem eiusdem nomine Maiestatis Regie mandavimus et mandamus, quod neutra pars aliquam violentiam sub pena quadringentorum florenorum Hungaricorum Maiestati Regie persolvenda exerceat, sed si quidpiam partes hinc inde experiri voluerint, hoc ipsum volumus, quod iuris ordine faciant. Actum in campis ville Neyhoff prope lacum, super quo ratione huiusmodi piscature controversia habita est, feria sexta ante Viti et Modesti anno domini Millesimo Quingentesimo decimotercio.

*Aus dem Copiarum Nr. 1 fol. 16 der S. Jacobskirche in Thorn.*

## 796.

***1513. Juli 26. Althausen.*** *Johannes, Bischof von Culm, empfiehlt dem Danziger Rathe den Ueberbringer, Pfarrer Valentin, und bittet um Vorschläge zur Besserung des traurigen Zustandes der Culmer Schule.*

Den . . Herren Burgermeister vnd Rathmannen der Stadt Dantczke etc.

Wir haben offtmals vff gehaldenen tageferten gemehnen nutcz zcum besten der Schwlen zcum Culmen gedacht, vnd derwegen den herren Rethe von Landen vnd Stete vmb roth hilff vnd zcuthat angefallen, domit dasz arme haws, dorawsz dach (wy vor oughen) desem Lande vnd sunderlich der geistlickeit vil guttis entstanden, szo gantcz nicht vorginghe; dan bey vnsz alleyne seint wirs vnuormoghen, dasselbige in geburlichen standt, wy denne von noten, zcwsetczen. Haben dach derhalben desen anzceigher, den andechtigen her Valentin, mit mannichfaltigen vorslehgen bey vnsz gezcoghen vnd besz vff hewtigen tagk vff gehalden, vnd vff dasz er besz geneigt bey vnsz zcwbleiben, haben wir ym vnsir pfarrekirche doselbst zcum Culmen vorlehgen ursache: so er sich von vnsz wendete, ist am taghe, wy dy schwle stehen wurde. So ist er dach och ye sterblich. Dorvmb wol vonnoten, dasz men vff andir weghe trachte, damit dasz hawsz mit anderen lewthen vorsorget, bey gutten wirden blebe. Wir haben vorm yore vnd och vormols an dy brwder kegen Swolle geschreben, vnsz isz keyn antwurth wurden vnd vorsteen. Dyweil deme hawse mit zcy[m]lichen zcwgenghen nicht hilff geschit, das wir von ynen nymandes obirkommen: dorvmb e. w. fruntlich bitten, geruchen dese dingk zcw gemutte zcw zcihen, vnd vnsz yres rathes bedenken zcwkennen geben. Och bitten wir, woldet

neben vnsz vor desen anzceigher gemelten her Valentin an seines ordens obirsten vicarien in Dennemarckt vmb zcwlas, (dasz er sein wesen bey vnsz enden mochte), schreiben. Woynne E. w. gutten willen sullen erbitten, seint wir alle zceit geneigt. Gote befolen. Datum vffim Altenhawse am taghe Anne ym XIII Jore.

Johannes Bischoff zcw Culmensze.

*Original Papier mit Siegel im Danziger Stadtarchiv.*

## 797.

***1513. September 12. Löbau.*** *Johannes, Bischof von Culm, erigirt die von seinem Amtsvorgänger, dem Bischofe Nicolaus, gestiftete Vicarie in der Kathedrale zu Culmsee.*

In nomine sancte et individue trinitatis, patris et filii et spiritus sancti Amen. Ad perpetuam rei memoriam. Nos Johannes, dei et apostolice sedis gratia episcopus ecclesie Culmensis, significamus tenore presentium, quibus expedit, universis presentibus et futuris, harum noticiam habituris: Quomodo in nostra presentia constitutus personaliter reverendus in Christo pater et dominus, dominus Nicolaus, eadem gratia quondam nostre dicte ecclesie Culmensis episcopus, maior et benefactor noster, attendens, quomodo apud eandem ecclesiam cathedralem Culmensem pauci admodum essent sacerdotes beneficiati, et ob id tenuem sancte Trinitatis, que ibidem patrona esset, cultum et honorem, et presertim, qui episcopo pro tempore in pontificalibus et alias celebrando assisterint ministrando pro decentia status episcopalis: Unde ad laudem eiusdem sancte et individue trinitatis, pro salute anime sue et omnium fidelium defunctorum et maiori divini cultus augmento ac episcoporum successorum suorum ampliori decentia et splendore, animo bene deliberato, censum annuum, videlicet triginta sex marcas in Thorun ex magistratu pro nongentis marcis polonicalis monete, numeri vero pruthenicalis, videlicet pro marca triginta medi-antes computando, ex olim habito labore et industria acquisitis et collectis sub titulo reemptionis super proventibus et redditibus universis prefati opidi Thorun rite et legittime comparatas, prout in literis desuper confectis plenius continentur, offerret, daret atque donaret, obtulit, dedit atque donavit ipsi sancte trinitati, et perpetuas missas sive perpetuum beneficium et vicariam in eadem ecclesia cathedrali Culmensi fecit, ordinavit et fundavit. Et Capitulum dicte nostre ecclesie sive canonicos, confratres nostros, veros, legittimos et indubitatos patronos et collatores omnibus melioribus modo, via, iure et ordine fecit, constituit et ordinavit, dans et concedens Capitulo sive canonicis predictis omnimodam potestatem, facultatem, iuspatronatus et dispositionem huiusmodi perpetui beneficii et vicarie, ita quod pleno iure super illo disponere et ordinare possent, et presbiterum ydoneum eorum literis episcopo ad investiendum, dum vacaret, presentare, ita tamen quod sui consanguinei et affines ceteris preferantur. Presbiter vero investitutus ad tres duntaxat missas in septimana, videlicet unam de Sancta Trinitate cum collectis de Annunctione beate Marie virginis et de omnibus sanctis, secundam pro defunctis, terciam

de tempore obligaretur, conformaretque se ceteris presbiteris in thurificacionibus et processionibus ac matutinis decantandis. Et protunc idem reverendus dominus Nicolaus supradictus honorabilem dominum Baltazar Lehwalt de Zcandersdorff, actu presbiterum dyocesis Gneznensis, suum affinem, nobis ad investiendum presentavit, quem tunc sic presentatum per bireti nostri capiti suo impositionem, recepto primitus ab eo ad sancta dei ewangelia consweto corporali iuramento, instituimus et investimus, et per presentes nostra auctoritate ordinaria instituimus et investimus. Preterea reverendus maior et benefactor noster predictus optavit, voluit, nobis supplicando, quatenus huiusmodi perpetuum beneficium sive vicariam sic fundatam nostra auctoritate ordinaria erigere, perpetuare, approbare, ratificare et confirmare vellemus. Nos vero predicti domini maioris et benefactoris nostri voluntati, ut tenemur, moramgerere cupientes, attendentes huiusmodi beneficii perpetui sive vicarie fundacionem et erectionem fore ad laudem omnipotentis dei, nostre ecclesie honorem et splendorem et decentiam, huiusmodi fundatum perpetuum beneficium in omnibus clausulis et punctis effectuare et perpetuare ac execucioni debite demandare volentes, omnia et singula supradicta disposita et ordinata approbamus et ratificamus, dictumque censum videlicet triginta sex marcas in ecclesiasticum beneficium et perpetuam vicariam ereximus, creavimus et confirmavimus, ac auctoritate nostra ordinaria in Christi nomine erigimus, creamus et confirmamus, et eiusmodi censum dicto perpetuo beneficio annectimus, incorporamus et invisceramus per presentes, ac cum principali sive capitali pecunia in sortem, proprietatem, emunitatem et condicionem ecclesiasticam asscribimus, assumimus et aggregamus temporibus perpetuis et eviternis; harum serie mediante decernentes et presentibus statuentes, quatenus inantea et per amplius divini iuris censeri debeant, nec ad laycos usus unquam applicari; adhortantes atque contestantes prefatos canonicos sive Capitulum ecclesie nostre, tanquam talismodi beneficii perpetui sive vicarie patronos, ad quos inantea et perpetuo iuspatronatus spectabit et permanebit, quorum industrie confidimus et conscienciis, ut omnia et singula supradicta fideliter studeant et curent adimplere. In quorum omnium et singulorum premissorum fidem et testimonium presentes literas fundationis, iuspatronatus, dationis et erectionis per notarium publicum infrascriptum scribi, subscribi et publicari mandavimus, nostrique et prefati domini benefactoris nostri sigillorum subappensione iussimus et fecimus communiri. Actum et datum in castro Lubaw, anno domini Millesimo quingentesimo tridecimo, indictione prima, die lune, hora quasi meridiei, duodecima mensis Septembris, sanctissimi in Christo patris et domini nostri, domini Leonis divina providentia pape decimi anno eius pontificatus primo. Presentibus ibidem venerabilibus dominis Nicolao Crapitz et Michaeli Polen canonicis, eximio viro domino Philippo Hulkener, legum licenciato, cancellario, et discreto domino Jacobo capellano nostro, necnon Gewkone de Nova villa etc. dyocesium nostre Culmensis, Warmiensis, Wladislauiensis, testibus ad premissa vocatis specialiter atque rogatis.

Et ego Raphael Weiner, presbiter Culmensis diocesis, apostolica et imperiali auctoritatibus publicus notarius, quia etc.

*Original auf Pergament mit dem kleinen Siegel des Bischofs Johannes Konopacki; das erste Siegel des Bischofs Nicolaus ist verloren. Abschrift bei Mauritius nr. 153.*

## 798.

***1513. October 8. Vilna.*** *Sigismund I., König von Polen, schreibt dem Bischof Johannes von Culm über dessen Zugehörigkeit zur Gnesner Kirchenprovinz.*

Sigismundus rex Joanni episcopo Culmensi.

Jam antea Paternitati vestre mandavimus et nunc iterum denuo mandamus, ut nusquam alias quam ecclesie Gnesnensi metropolitane subiectione attineat. Quod quidem mandatum nostrum iustum est, cum reges et duces, predecessores nostri, ecclesie vestre paternitatis fundatores, et eandem ecclesiam a primeva eius fundatione ecclesie Gnesnensi, et non Rigensi, subiecerunt. Quod si secus fuerit, nostram et totius regni nostri indignationem non effugeret. Et tametsi commiserimus reverendo domino archiepiscopo Gnesnensi, oratori nostro, ut apud sedem apostolicam eius rei memoriam habeat: tamen iterum admonemus, ut Paternitatem vestram ab illa impetitione eximat. Quod vero P$^{ta}$ v$^{ra}$ in hoc conventu preterito Graudecensi favorabiliter in rem nostram egerit, ei habemus gratias et officiis nostris referemus. Vilne VIII. Octobris MDXIII.

*Acta Tomiciana II 255 nr. 346.*

*Bischof Nicolaus Crapitz starb den 2. Februar 1514 und wurde in der Franciscaner-Kirche zu Löbau begraben. Vgl. ob. p. 525 Anm. 2.*

## 799.

***1514. Mai 17. Culm.*** *Eine königliche Commission trifft Bestimmungen über mehrere Differenzpunkte zwischen dem Bischof von Culm und der Stadt Culm.*

Christi nomine invocato, Nos Stanislaus Coszceletczky Juniwladislauiensis et capitaneus Marienburgensis, Tucholnensis, Sthumensisque, Georgius de Baysen Marienburgensis palatini, Lwdowicus de Mortanghen castellanus Gedanensis, commissarii per Maiestatem Regiam dati et deputati inter partes infrascriptas, videlicet reverendum dominum Joannem, dei gracia episcopum Culmensem ex una, et subditos sue reverende paternitatis consules, scabinos et totam communitatem civitatis Culmensis partibus ex altera, super controversia dudum habita super electione proconsulis, consulum et sculteti, super piscatura histule et lacuum, necnon venacione in eorum limitibus et molendino Wopitsch dicto, auditis proposicionibus et responsis, vigore regio et nostre commissionis desuper date talem inter partes superius scriptas tulimus sentenciam. In primis super electione consulum decre-

vimus perpetuo observandum: Itaque deinceps Culmenses liberam habebunt electionem, tali condicione, ut ipse electiones intimari debent episcopo Culmensi vel castri prefecto, si electioni interesse voluerit; sin minus, possunt nichilominus electioni intendere et eligere viros probos. Cum vero aliquis vel mortuus vel ex aliqua causa locus unus vacaret, in cuius locum ad officium proconsulatus duos ex consulibus, ad officium consulatus duos ex scabinis, domino episcopo aut eius capitaneo presentare debent, e quibus dominus episcopus vel eius capitaneus unum habebit eligere. Similis modus observandus est in electione sculteti, verum scabinorum pro libito libera erit eis electio. Et habebunt ius Magdeburgense. Item de piscatura histule pronunciavimus et decrevimus, quod illam iuxta antiquum privilegium a villa quadam, que dicitur Topolna per descensum usque ad lacum, qui Rensze vocatur, cum omni utilitate, exceptis castoribus et insulis, habebunt. . . . . llum etiam est ut piscatores pisces, quos prendiderint alibi, nisi in foro civitatis Culmensis vendant, ita tamen quod rhete domini episcopi iuxta antiquam consuetudinem aliis rhetibus preeat. Quod autem lacus concernit in limitibus eorum existentes, lacus, qui dicitur Nydder Sehe, domino episcopo et eius ecclesie perpetue spectabit. In cuius recompensam piscatoribus iuratis in histula piscare liberum erit, tuguria erigere et lignis pro eorum usu in ipsis tuguriis uti. Etiam liberum erit predictis piscatoribus sive civibus per dictum lacum usque in histulam navigium, absque tamen iactura et preiudicio domini episcopi, ita quod obstacula nasse aut sacci in ora lacuum non ponuntur, quibus impediretur introitus piscium in predicta . . . . ium et alios lacus . . . tari remanentes. Silva etiam Pintcz dicta apud predictos cives remanebit. Item de venacione decrevimus, quod liberum erit domino episcopo, sicut et Culmen[sibus] venari in desertis et silvis civitatis predicte, tali modo, ut cum magnas feras venari placuerit, alter alterum admoneat, et quisque suis impensis insimul venari debebit, et quisque de captione recipiat suam partem. Dorcades vero et lepores cuilibet capere pro libito liceat, extraneos vero venari minime patiantur. Item pronunciavimus et decrevimus, quod molendinum Wopitcz, de quo, ut assertur, duodecim marce prutenicales annui census domui Starigrodt quotannis ex antiqua inscriptione provenire debebunt, et nunc domui fratrum dicte civitatis Culmensis a domino episcopo datum et ordinatum est, quod ipsi fratres predictum molendinum in perpetuum possidebunt. Pro censu autem huc usque non dato predicti cives dominum episcopum contentaverunt in bombardis, rhetibus, lateribus et calce. Item decrevimus, quod consules Culmenses nomine tocius communitatis in recognitionem dominii domino episcopo debent et tenebuntur singulis annis pro festo sancti Martini unum talentum cere et quinque denarios culmenses dare. Hanc autem nostram diffinitivam sentenciam, sic ut premittitur, per nos vigore regio et nostre commissionis factam decrevimus robur firmitatis obtinere et observari per presentes sub pena ducentorum florenorum in auro Maiestati regie persolvendorum per partem contravenientem, centum florenos medietatem parti lese et alteram partem commissariis Maiestatis regie. In cuius rei

testimonium sigilla nostra presentibus sunt subappensa. Actum et datum in civitate Culmensi feria quarta post festum Zophie, anno domini Millesimo quingentesimo quartodecimo.

Ab extra: Hec sentencia nunquam venit ad plenam executionem, nec hodie servatur in electione consulum etc. Ideo cauti sint episcopi in usu harum literarum. — Culmenses etiam renunciarunt huic sentencie, ut habetur in literis restitutionis lacus Podviesk.

*Original auf Pergament mit drei Pergamentstreifen, von denen die Siegel verloren sind, im Archiv des Domkapitels von Culm.*

## 800.

***1514. Juni 4. o. O.*** *Johannes, Bischof von Culm, zeigt dem Danziger Rath an, dass er zugleich mit Georg von Bayzen und Jacob Sewszen vom Könige beauftragt sei zu Marienburg die Accise in Empfang zu nehmen, wozu er Montag nach Johannis Bapt. eintreffen werde, und ersucht, an diesem Termine das gesammelte Geld einzuzahlen.* Dat. im Szuntage zcw Pfingsten im vierzehenden Jare.

*Original auf Papier mit Siegel (Wappen eine mit drei Zinnen bekrönte Mauer) im Danziger Stadtarchiv.*

## 801.

***1514. September 8. Heilsberg.*** *Der Pfarrer Valentin von Culm lässt von einem Notar drei Indulgenzbullen des Papstes Bonifacius IX. für die Kirche des Kollegiatstiftes in Gutstadt transsumiren.*

In nomine domini Amen. Anno a nativitate eiusdem Millesimo quingentesimo decimo quarto, indictione secunda, die vero Veneris octavo mensis Septembris pontificatus sanctissimi in Christo patris ac domini nostri, domini Leonis divina providentia pape decimi Anno secundo, in mei notarii publici testiumque infrascriptorum ad hoc specialiter vocatorum et rogatorum presentia, personaliter constitutus religiosus vir dominus Valentinus, plebanus in Culmen, habens et tenens in suis manibus quasdam indulgenciarum litteras sanctissimi in Christo patris et domini olim bone memorie Bonifacii pontificis maximi, eius vera bulla plumbea cum filis sericeis rubei citrinique coloris more romane curie impendente bullatas, sanas, integras, non viciatas, non cancellatas neque in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus vicio et suspitione carentes, quas mihi notario infrascripto presentavit et de verbo ad verbum perlegit, requirens me, ut huiusmodi litterarum vigore vidimus in forma autentica instrumenti publici conficerem — — —, etiam veram copiam sive transsumptum facere et cum originali collationare, collatione facta transsumptum sive copiam [harum litterarum] in publicam formam redigere curarem. Tenor vero litterarum, unde supra fit mencio, sequitur et est talis:

Bonifacius, Episcopus etc. Universis Christifidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Splendor paterne glorie etc. *(Es folgt hier die im Codex dipl. Warmiensis III*

*232 nr. 261 aus dem Original abgedruckte Indulgenzbulle für die Kirche in Gutstadt für den Sonntag nach der Frohnleichnams-Octave vom 12. Septbr. 1392.)* Datum Rome apud sanctum Petrum secundo Idus Septembris, pontificatus nostri anno tercio.

Bonifacius, Episcopus etc. Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Splendor paterne glorie etc. *(Folgt die zweite Indulgenzbulle für die Kirche in Gutstadt vom 17. December 1392, aus dem Original mitgetheilt a. a. O. III 234 nr. 264.)* Datum Perusii XVI Kal. Januarii, pontificatus nostri anno quarto.

Bonifacius, Episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Dudum omnibus etc. *(Folgt die Declarationsbulle der Indulgenzen für die Kirche in Gutstadt, aus dem Original mitgetheilt a. a. O. III 270 nr. 290 vom 26. October 1394.)* Datum Rome apud sanctum Petrum VII° Kal. Novembris, pontificatus nostri anno quinto.

Quas quidem litteras ego notarius ad me recipiens, ipsis visis et perlectis, vidimus seu transsumptum atque copiam earundem cum ipsis litteris originalibus preinsertis, per me notarium infrascriptum diligenter auscultatis, in omnibus et per omnia iuxta ipsarum litterarum tenorem concordare reperi et inveni, idcirco transsumptum huiusmodi sive actum auctenticum in publicam formam redigi curavi, signoque et subscriptione mei notarii subscripti consuetis signavi, ut eisdem tanquam litteris originalibus in quocumque foro sive in judicio et extra fides adhibeatur et adhiberi potest plenaria. Super quibus omnibus et singulis premissis idem dominus Valentinus sibi a me notario publico infrascripto unum vel plura, publicum seu publica, fieri peciit atque confici instrumentum et instrumenta. Acta fuerunt hec in arce Heilsberg sub anno, indictione, die, mense et pontificatu, quibus supra; presentibus ibidem honorabilibus dominis Dionisio Coronatoris et Joanne Geist, presbiteris Warmiensis diocesis, testibus ad premissa vocatis atque rogatis.

Et ego Jacobus Gleser, clericus Wladislaviensis diocesis, publicus apostolica et imperiali auctoritatibus notarius, quia etc.

*Original des Notariatsinstrumentes auf Pergament im Culmer Diöcesan-Archiv.*

## 802.

***1514. September 16. Althausen.*** *Johannes, Bischof von Culm, gestattet die Publication aller von Bischöfen dem Nonnenkloster in Culm verliehenen Ablässe und verleiht selbst noch einen Ablass von vierzig Tagen.* Datum in arce nostra Altehaus Sabbato post Exaltacionis crucis A. d. MCCCCCXIIII.

*Vgl. den Ablassbrief des Rigaer EB. Stephan von 1483 oben nr. 700.*

## 803.

***1514. October 7. Frauenburg.*** *Georg von Delau, Domcantor, General-Vicar und Official von Ermland, transsumirt und beglaubigt vierzehn, die Besitzungen des Culmer Bisthums betreffende Urkunden.*

In nomine sancte et individue trinitatis, patris et filii et spiritus sancti. Amen. Noverint universi hoc presens transsumptum inspecturi, quod nos Georgius de Delau, cantor et canonicus Warmiensis, necnon reverendi in Christo patris ac domini, domini Fabiani, dei et apostolice sedis gracia episcopi eiusdem Warmiensis ecclesie, vicarius et officialis generalis in spiritualibus, habuimus, vidimus et diligenter inspeximus quasdam litteras donacionis, empcionis, confirmacionis, inscripcionis, consensus, obligacionis ac dotacionis ecclesie Culmensis quorundam inclitorum principum, regum, ducum, baronum, militum etc. suorumque sigillorum appensione munitas, omnimoda suspicione carentes. Inprimis videlicet serenissimi principis Conradi, ducis Mazouie Cuyauie, cuius tenor in continentia erat ista:

[I] In n. s. et ind. tr. Ego Conradus dei gracia dux Mazouie Cuyauie notum facio etc. *vgl. Preussisches Urkundenbuch I 27 nr. 41.* Acta sunt hec in Loniz Anno ab incarnacione domini MCCXXII Nonas Augusti, regnante domino nostro Jhesu Cristo.

In calce vero harum litterarum asscripte fuerunt eiusdem, ut apparuit, manus littere a superioribus parum disiuncte huiusmodi ut sequitur tenoris:

Quoniam de gestis hominum etc. *vgl. Preuss. Urk.-B. I 36 nr. 50 bis* Mistiwoy castellanus Sandomirie.

Que quidem littere novem sigillorum appensione munite fuerunt, partim ut apparuit vetustate corruptorum, quorum primum et sextum multum convulsa et attrita penitus cognosci non poterat; secundum vero, tercium et quintum episcoporum effigies pre se ferebant; quartum vero et septimum imaginem beate Marie virginis et sub ea hominem genuflexum palmas complicantem; quorum omnium circumscriptiones propter vetustatem oblitterate legi non poterant. Penultimum vero habebat imaginem beati Stephani, cuius talis erat scriptura: „S. Conradi ppi“, reliquis litteris oblitteratis; ultimum autem hominem veste sacerdotali indutum cum huiusmodi scriptura: „Sigill. abbatis de gronenhagē“, et baculum pastoralem dextra, sinistra librum tenentem.

[II] Consequenter vero vidimus et in manibus nostris tenuimus ac inspeximus cuiusdam militis donationis litteras, quarum tenor sequitur et est talis:

I. n. s. tr. a. Ego Cristinus miles, Martini filius de Chrosna, universis cristifidelibus etc. *vgl. Preuss. Urk.-B. I 34 nr. 46.* Actum in Bresno anno ab incarnacione domini MCCXXIII decimo Kal. Augusti, coram omni exercitu cruce signatorum.

Que quidem littere sex sigillis appensis roborate fuerunt huiusmodi. Primum quidem episcopalem effigiem continebat cum scriptura propter vetustatem illegibili. Secundum simili modo formam episcopi sedentis habebat cum scriptura tali: „Sigillū Laurencii d. g. wratizlauiēn epi.“ Tertium vero ducalibus insignibus indutum, dextra vexillum tenentem,

et a sinistris clipeo accinctum, cum scriptu[ra] huiusmodi circumferenciali: „Sigillū Hinrici ducis Zlesie.“ Quartum vero virum militari habitu, dextra gladium evaginatum, sinistra clipeum gerentem, cum scriptura similiter propter antiquitatem illegibili. Ultima vero duo vetustate corrupta cognosci non poterant.

[III.] Deinde autem vidimus, et in manibus nostris tenuimus, inspeximusque illustris ducis Conradi donationis litteras, quarum tenor sequitur et est talis:

I. n. s. tr. a. Ego Conradus, dei gracia dux Masouie et Cviauie, universis etc. *vgl. Preuss. Urk.-B. I 35 nr. 47.* Actum in Bresno anno ab incarnacione domini M. CC. XXIIII tercio Kal. Augusti, coram omni exercitu cruce signatorum.

Que quidem littere sex sigillis munite fuere. Primum et ultimum vetustate confracta cognosci non poterant. Secundum vero episcopi sedentis effigiem habebat, cum tali in margine scriptura: „Sigillum Laurencii d. g. Wratizlauien.“ Tercium vero viri ducali ornatu induti, dextra vexillum tenentis, et ad latus sinistrum clipeo protecti, cum tali in circumferentia scriptura: „+ Sigillū Henrici ducis Zlesie.“ Quartum similiter formam viri ducali habitu induti, dextra vexillum tenentis et sinistra clipeo protecti, cuius in circumferentia scriptura ob vetustatem maxima parte effracta et caduca fuit, ut legi non possit. Quintum penultimum figuram viri armati, dextra gladium et sinistra clipeum cum lancea tenentis, oblitterata propter antiquitatem in margine scriptura.

[IV.] Postea autem vidimus, ac in nostris manibus tenuimus, atque inspeximus illustris principis Kazimiri ducis Lancicie et Cuiauie donacionis litteras, quarum tenor sequitur et est talis:

I. n. s. et i. tr. a. Noverint universi, tam presentes quam futuri, quod nos Kazamirus dei gracia dux Lancicie et Cuiauie etc. *wie oben Culmer Urk.-B. 36 nr. 51.* Acta sunt hec super fluvium Wel anno gracie MCCLVII In die beate Eufemie virginis XVI Kal. Septembris. Testes etc. Ewerhardus etc. *bis* Margravius.

Harum vero litterarum sigillum unum appensum figuram habebat viri armati cum corona regia ante arcem stantis, et contra leonem erectum scuto et gladio innitentis, habebatque hanc in circumferencia scripturam: „S. Kazimiri dei gracia ducis Lacicie et Cuauie.“

[V.] Deinde vero vidimus ac nostris in manibus tenuimus, eciam inspeximus quasdam litteras empcionis bonorum in terra Culmensi, quarum tenor sequitur et est talis:

Quoniam de gestis hominum etc. *vgl. Preuss. Urk.-B. I 36 nr. 50 bis* Mistiwoi castellanus Sandomirie.

Harum autem litterarum quedam sigilla deperierunt, ut apparuit in cordulis quinque rubeis appositis sine sigillis. Fuerunt eciam appensa sigilla quatuor, quorum duo, primum et quartum propter vetustatem discerni non poterant. Secundum, ut apparuit, habebat hominem equestrem, dextra tenentem gladium, cum huiusmodi scriptura: „S. Comitis Pagoslai“. Tercium vero hominem equestrem conversum ac retrorsum insilientem ursum lancea arcentem, scriptura illegibili.

[VI.] Postea autem vidimus manibusque nostris tenuimus ac inspeximus quasdam donationis litteras illustris principis ducis Polonie, quarum tenor sequitur in hec verba:

Ego Lestico, dei gracia dux Polonie, notumfacio etc. *vgl. Preuss. Urk.-B. I 37 nr. 51 bis* Strez pincerna.

Quarum quidem litterarum sigillum unum duntaxat habebat hominem equestrem conversum et retrorsum insilientem ursum lancea arcentem, scriptura propter vetustatem illegibili.

[VII.] Deinde vidimus ac in manibus nostris tenuimus et inspeximus cuiusdam ville donationis litteras, cuius tenor sequitur et est talis:

I. n. s. tr. Ego Craico cum filio meo Thoma notumfacio etc. *vgl. Preuss. Urk.-B. I 36 nr. 49 bis* Lassota.

Harum quidem litterarum sigillum, medietatem vetustate consumptum, parte, qua cognosci potuit, apparebat homo equestris dextra crucem tenens, litteris in circumferentia admodum oblitteratis.

[VIII.] Deinde vidimus et in manibus nostris tenuimus et inspeximus quasdam litteras cessionis, cuius tenor sequitur et est talis:

I. n. d. a. Ego frater Henricus dictus abbas de Lugna, et ego frater Johannes dictus abbas de Linda, universis etc. *vgl. Preuss. Urk.-B. I 54 nr. 74.* Acta sunt hec in Vlodizlauia anno gratie M. CC. XXX mense Januario, presentibus etc. *bis* Amen.

Harum litterarum bina sigilla fuerunt, quorum utrorumque imago fuit viri stantis, veste sacerdotali induti et baculum pastoralem dextera tenentis. Primum vero eorum talem habebat scripturam: „Sigillum abbatis“; de reliqua parte litterarum vetustate attritis et effractis. Alterum vero scripturam habebat talem: „Sigillum abbatis lendensis.“

[IX.] Deinde vidimus nostrisque manibus tenuimus ac inspeximus quasdam litteras obligationis, cuius tenor sequitur et est talis:

Universis christifidelibus presentem paginam inspecturis frater . . Magister ac ceteri fratres hospitalis sancte Marie Ihrlitan. Teuthonicorum in Pruscia etc. *vgl. oben 23 nr. 37 A.* Datum in Thorn anno domini Millesimo CC quinquagesimo quinto Kal. Februarii. Scriptum per manum Herwici sacerdotis.

Harum vero litterarum contextis duobus sigillis munitis, primum funiculo sericeo citrini coloris appensum talem habebat imaginem, videlicet beate Marie virginis cum puero asello insedentis, Joseph ut apparuit precedente, cum tali in margine scriptura: „S. preceptoris domus s. Marie teuth. in Prussia“. Alterum vero, funiculo sericeo rubei coloris appensum, talem habebat imaginem, videlicet equitem armatum vexilliferum cum scuto cruciato ante se ferentem, cum hac scriptura: „Sigillum borgensium in Culmen“.

[X.] Deinde vidimus ac in manibus nostris tenuimus et inspeximus quasdam litteras consensus, cuius tenor sequitur et est talis:

I. n. d. a. Nos frater H. dictus de Grunenbach hospitalis sancte Marie Irlmtani. magister Pruschie notumfacimus etc. *wie oben S. 43 nr. 59.* Actum in Nessaw VIII ydus Maii Anno domini MCCLX.

Harum vero litterarum unicum dumtaxat sigillum huiusmodi habebat imaginem, videlicet beate Marie peregrinantis, sedentis in asello cum puero, previo ac duce itineris Joseph, cum tali scriptura: „S. preceptoris domus S. Marie theuth. in Prussia.“

[XI.] Deinde vidimus ac in manibus nostris tenuimus et inspeximus cuiusdam militis litteras, cuius tenor talis est:

> Dilectis in Christo Magistro et fratribus domus teuth. in Prussia, Albertus miles de Pach debitum obsequium. Vestre etc. *wie oben S. 43 nr. 58.* Datum Anno domini M. CC. LX° in die beate Agate virginis et martiris.

Hec proxime suprascripte littere duobus sigillis munite fuere, quorum unum aquilam extensis alis et pedibus in se continebat, litteris in circumferentia undeque propter vetustatem fractis. Alterum vero propter vetustatem effractum cognosci non poterat.

[XII.] Deinde vidimus in manibusque nostris tenuimus ac eciam diligenter inspeximus reverendi patris Heidenrici, Culmensis ecclesie episcopi, litteras erectionis ecclesie cathedralis in Culmense ac dotationis eiusdem et quedam alia in se continentes. Cuius tenor sequitur in hec verba:

> Universis christifidelibus presentem paginam frater Heydenricus de ordine predicatorum episcopus Culmensis, salutem in nomine Jhesu Christi. Noverit etc. *wie oben S. 16 nr. 29 A.* Actum in Culmense Anno domini M. CC LI. in die beate Marie Magdalene.

Quarum quidem litterarum sigillum tale fuit: figura viri, videlicet stantis, episcopali habitu infulati, baculum pastoralem sinistra tenentis, cum tali scriptura in circumferentia: „S. Heidirici epi Culmen fris m pd.“

[XIII.] Deinde vidimus, in manibus nostris tenuimus ac diligenter inspeximus serenissimi ac illustrissimi domini Allexandri regis Polonie etc. litteras, in quibus episcopo Culmensi perpetuo donat civitatem Culmen cum castris et districtibus Staragrod et Papau villisque ad ea ex antiquo pertinentibus. Cuius tenor talis est:

> I. n. d. a. Ad perpetuam rei memoriam. Culmini convenit regio ea, que etc. *wie oben S. 625 nr. 768.* Actum in convencione Radomiensi generali feria secunda infra octavas sanctissimi Corporis Christi anno domini M. V$^{c}_{=}$ quinto, regni vero nostri anno quarto. Presentibus etc. *bis* cancellarius subscripsit.

Harum vero litterarum sigillum figuram habebat circularem, in cuius medio scutum habebat quadripartitum; cuius due partes contra se posite et per transversum superior inferiori formam habebant aquile; reliquarum vero duarum partium superior viri armati equestris ac gladio probantis figuram habebat; inferior autem leonis rapacis effigiem. Erant (!) autem in medio huius scuti principalis parvum quoque scutum, divisionum commissuram contegens, in quo erat superficies quedam oblonga designata per transversum; super scutum vero corona regia eminebat. In reliqua vero circumferentia erant alia sex parva scuta circumposita diversarum effigierum. Huius demum sigilli scriptura in margine fuit talis: „Allexander dei gra[cia] rex Polonie magnusdux Lituanie Russie Prussieque dominus et heres.“

[XIV.] Deinde vidimus, ac in manibus nostris tenuimus, ac diligenter inspeximus serenissimi atque illustrissimi principis et domini, domini Sigismundi, regis Polonie, magni ducis Lituanie, Russie Prussieque domini et heredis etc. litteras inscriptionis bonorum Culmen, Staragrod et Papow reverendo domino Nicolao episcopo Culmensi ad vitam suam, non obstante resignacione ecclesie Culmensi, et quod post mortem suam dicta bona debeant redire ad ecclesiam Culmensem perpetuo. Cuius tenor talis est:

> Sigismundus dei gratia rex Polonie, magnus dux Lituanie, Russie Prussieque dominus et heres etc. Significamus tenore presentium universis, quemadmodum etc. *wie oben S. 632 nr. 773.* Datum Cracouie feria sexta ante dominicam Judica proxima Anno domini M v$^{c}$ septimo, Regni vero nostri primo. Johannes de Lasko prepositus Poznensis R. P. Cancellarius subscripsit.

Harum autem litterarum erat forma sigilli magni figure circularis, in cuius medio scutum erat, in quo erat aquila coronata alis extensis, et in summitate scuti corona regia posita; in circumferentia vero erant alia parva scuta XI diversarum formarum. Scriptura autem sigilli in extremo margine erat ista: „Sigismundus dei gratia rex Polonie, magnus dux Lituanie, Russie Prussieque dominus et heres."

Quibus quidem litteris diligenter inspectis, ad requisitionem venerabilis domini Philippi Holkener, cancellarii reverendissimi in Christo patris ac domini, domini Johannis, episcopi Culmensis, et eiusdem procuratoris, per notarium publicum infrascriptum ipsas exemplari et transsumi mandavimus, ac in publicam formam redegi; decernentes et volentes, ut huic transsumpto publico sive exemplo plena fides deinceps adhibeatur ubilibet in locis omnibus et singulis, quibus fuerit oportunum, ipsumque transsumptum fidem faciat ac illi stetur, acsi originales ipse littere apparerent. Quibus omnibus et singulis auctoritatem nostram ordinariam interposuimus et decretum, et ad ampliorem evidentiam premissorum sigillum nostrum presentibus duximus apponendum. Acta sunt hec Warmie, in presentia venerabilium dominorum Andree de Cletz custodis, doctore Nicolao Coppernig, canonicis (!) ecclesie Warmiensis, in edibus consuete nostre residentie, die septima Octobris anno domini M. V$^{c}$ decimoquarto.

Signum Notarii. Et ego Clemens Leonardi, clericus Warmiensis diocesis, publicus sacra apostolica auctoritate notarius ac venerabilis capituli ecclesie Warmiensis scriba juratus, quia etc.

*Aus dem Original im Culmer Diöcesan-Archiv. Es besteht aus acht zusammengehefteten Pergamentenblättern, von denen jedoch nur Blatt 2—6 beschrieben, die übrigen Blatt 1, 7, 8 leer sind. Daran hängt an einem Pergamentstreifen das älteste bekannte Siegel des ermländischen General-Vicariats. Es ist rund und zeigt das Bild der nach links blickenden Jungfrau Maria mit dem Kinde auf dem linken Arm, in halber Figur; unter demselben ein nach unten zugespitztes Wappenschild, worauf ein nach rechts gekehrtes Lamm, die Kreuzfahne mit dem Fusse haltend. Die Umschrift in einer grossen gothischen Minuskel lautet:* + s ↓ vicariatus ↓ ecce ↓ warmien.

## 804.

***1514. October 7. Frauenburg.*** *Georg von Delau, Domcantor und Generalvikar und Official von Ermland, transsumirt auf Bitten des Philipp Holkener, Kanzlers des Bischofs Johannes von Culm, 1. die Schenkungsurkunde des Königs Alexander über Culm, Papau und Althausen an den Bischof von Culm vom 26. Mai 1505 und 2. die Urkunde Sigismunds I. vom 19. März 1507, worin er die Einkünfte von Papau und Althausen dem Bischof Nicolaus reservirt.*

In nomine sancte et individue Trinitatis, patris et filii et spiritus sancti. Amen. Noverint universi hoc presens transsumptum inspecturi, quod nos Georgius de Delau, cantor et canonicus Warmiensis necnon reverendi in Cristo patris ac domini domini Fabiani, dei et apostolice sedis gratia episcopi eiusdem Warmiensis ecclesie, vicarius et officialis generalis in spiritualibus, habuimus, vidimus et diligenter inspeximus quasdam litteras donacionis, dotationis et ratishabitionis Serenissimi ac Illustrissimi principis domini Allexandri, regis Polonie, magni ducis Lituanie, Russie Prussieque domini et heredis. Cuius tenor in continentia erat ista:

I. n. d. A. Ad perpetuam rei memoriam. Culmini convenit regio etc. *wie oben S. 625 nr. 768.* Actum in conventione Radomiensi generali feria secunda intra octavas sacratissimi Corporis Christi Anno domini M. quingentesimo quinto. Regni vero nostri anno quarto. Presentibus etc.

Harum vero literarum sigillum figuram habebat circularem, in cuius medio scutum habebat quadripartitum. Cuius due partes contra se posite, et per transversum superior inferiori formam habebat aquile; reliquarum vero duarum partium superior viri armati equestris ac gladio verberantis figuram habebat, inferior autem leonis rapacis effigiem. Erant (!) autem in medio huius scuti principalis parvum quoque scutum, divisionum commissuram contegens, in quo erat superficies quedam oblonga designata per transversum, super scutum vero corona regia eminebat. In reliqua vero circumferencia erant alia sex parva scuta circumposita diversarum effigierum. Huius demum sigilli scriptura in margine fuit talis: „Allexander dei gratia rex polonie Magnus dux Lituanie Russie Prussieque dominus et heres.“

Deinde vidimus ac in manibus nostris tenuimus ac diligenter inspeximus serenissimi atque illustrissimi principis et domini domini Sigismundi, regis Polonie et magni ducis Lituanie Russie Prussieque domini et heredis etc. literas inscripcionis bonorum Culmen, Staragrod et Papaw reverendo domino Nicolao episcopo Culmensi ad vitam suam, non obstante resignacione ecclesie Culmensis, et quod post mortem suam dicta bona debent redire ad ecclesiam Culmensem perpetuo. Cuius tenor est talis:

Sigismundus etc. *wie oben S. 632 nr. 773.* Datum Cracovie feria sexta ante dominicam Judica proxima Anno domini Millesimo quingentesimo septimo. Regni vero nostri primo.

Harum autem literarum erat forma sigilli magni figure circularis, in cuius medio scutum erat, in quo erat aquila coronata alis extensis, et in summitate scuti corona regia posita: in circumferentia vero erant alia parva scuta XI diversarum formarum. Scriptura autem sigilli in extremo margine erat ista: „Sigismundus dei gratia Rex Polonie, Magnus dux lituanie, Russie Prussieque dominus et heres.“

Quibus quidem litteris diligenter inspectis ad requisitionem venerabilis domini Philippi Holkener, cancellarii reverendissimi in Cristo patris ac domini domini Joannis episcopi Culmensis et eiusdem procuratoris, per notarium publicum infrascriptum ipsas exemplari et transumi mandavimus ac in publicam formam redigi, decernentes et volentes, ut huic transsumpto publico sive exemplo plena fides deinceps adhibeatur ubilibet in locis omnibus et singulis, quibus fuerit oportunum, ipsumque transsumptum fidem faciat ac illi stetur, acsi originales ipse littere apparerent, quibus omnibus et singulis auctoritatem nostram ordinariam interposuimus ac decretum. Et ad ampliorem evidentiam premissorum sigillum nostrum presentibus duximus apponendum. Acta sunt hec Warmie in presentia venerabilium dominorum Andree de Cletcz custodis, doctore Nicolao Coppernig canonico (!) ecclesie Warmiensis in edibus consuete nostre residentie, die septima Octobris anno domini Millesimo quingentesimo decimoquarto.

Et ego Clemens Leonardi, publicus sacra apostolica auctoritate notarius ac venerabilis capituli ecclesie Warmiensis scriba juratus, quia etc.

*Original auf Pergament mit dem Siegelstreifen, wovon das Siegel abgefallen ist, im Culmer Dioec.-Archiv.*

## 805.

***1514. October 25. Wilna.*** *Sigismund I., König von Polen, fordert den Bischof von Culm auf zu berichten, ob der eingekommene Schoss in Marienburg sicher deponirt sei.*

Sigismundus rex episcopo Culmensi, Palatino Marienburgensi, et Jacobo Sewszen magistro curie (!) Thorunensis.

Reverende in Christo pater et domine, magnifice ac famose sincere, et fideles nostri dilecti. Dudum commisimus vobis, ut pecuniam ex decima marca contributivam congregaretis, et congregatam in loco tuto, videlicet in arce Marienburgensi, deponeretis conservandam ad nostram informationem; quam autem diligentiam hac in re facitis, ignoramus, presertim quod nos de ea re hactenus certiores non fecistis. Ne itaque ex negligentia vestra reprehendi valeatis, vos hortamur mandantes, faciatis diligentiam expeditam et opportunam, et nos subinde certiores de quantitate pecuniarum congregatarum et depositarum faciatis. — Sic facturi pro gratia nostra. Datum Vilne XXV Octobris MDXIV.

*Acta Tomiciana III 243 nr. 319.*

## 806.

***1516. Januar 6. Culmsee.*** *Hugo von Schmollung, Culmischer Bannerführer, urkundet über einen mit dem Bischof Johannes Konopacki von Culm vollzogenen Tausch seiner Erbgüter.*

Ich Hewcke vom Schmollung, Colmescher bannerfurer, beckenne vffintlich, vnd beghere wyssentlichen sein allermeniklichen, wie ich yn vorgangenen iaren offtmolls von

den erwirdigen yn got vateren vnd herren, herren Stephano vnd Nicolao der kirchen czu Colmesehe byschoffen seliger meldung angeret byn worden, myr zcuuorstehen gebend, zo szie mitsampth dem gesinde, eren czugh aus den Löbeschen gutter vnd gebitte kegen Colmezehe, götlichs dinsts merungh vnd nuczes betrachtung wegen, hetten offte vorgenommen, geczwungen weren, fremde behawsunge vnd herberge czuersuchen; ein sulchs haben sie mit schwerem gemutte angesehen, vnd an mich gebrocht. So ich yren gnaden, meine erbliche gutter vnd possesion, nemlich denn hoff mit dem forberg, Grosse Plowcze, mit dörfferen czugehorenden, czu yrer vnd nochkummenden herren byschoffen beqwemikeit geebent, gesinnet were czuuorkoffen, sie mich gerne vorgnugen wölten, myr ein sulchs czu den selben geczeiten, angesehen meine kinder vnd ander vrsachen mehr, yn keiner weisze zcuthuen anstunde. Warumb ich noch yn gleicher mosse, von dem hochwirdigen herren Joanne Conopaczki, von gotes genaden der selbigen kirche iczygem byschoff, mich seiner gnaden yn der gestalt zcubewilligen, zcu seiner czeit, byn angelangt worden, hab ich vormittelst meiner elichen hawsfrawen, Dorothea, vnd meines ersten geboren sones von der ersten frawen Felicis, och anderer frunde vorlibunge vnd wylligem consens, mit wolbedochtenem gemutte, vnd reyffem rothe, ein sulch wechsel habe mit dem obengenumpten hochwirdigen herren Joanne Conopaczki, der gedachten kirchen byschoffe, yn sulcher nachfolgender gestalt vnd weysze gethon alzo: das ich seiner vaterlichen gnaden meyne erbliche gutter vnd possession, die ich ym Redenschem gebitte gehabt habe, als den hoff mit dem forberg grosse Plowcze, mit dorfferen zcugehörenden Freywald, Mirkaw, Clementkaw, vnd czehn huben zcwyschen dem hoffe grosse Plowcze vnd dem dorfe Freywald, die muelhe, vnd sechs huben bey der selbigen muelhen zcu dem ehebestimptem hoffe czugehorende gelegen mit allen rechten, vnd gerichten, czinseren, orberen, czugengen, fruchten, nuczen, heyden, welden, felden, eckeren, wysen, weden, sihen, teychen, flusseren, uberen, fyschereyen, brucheren, vnd anderen wasseren, mit allen iren abflussen, wie sulche gutter bynnen den reinen vnd greniczen vmbffenklich sein begriffen, gegeben, vnd abegetreten habe, gebe vnd abetrete yn krafft dyss briffs, mit aller hirschafft vnd eygenschafft, kein recht, hirschafft, eygenschafft, nucz addir einkommen vor mich, noch meine erben, yn den gemelten gutter behaldende. Dorvor hot mir der ebenumpthe hochwirdige herr Johannes Conopaczki, von gnaden gotis Cölmescher byschoff, aus seiner gnaden gebruder des ganczen Capitels vorwillunge, etliche dörffer nemlich Bobrow ym Strosbergschen vnd Wapicz in Althauseschen gebitten gelegen, vnd das forberg Awczigk[1]) genant, nohe bey dem Colmen kegen Althawsze wercz, mit allen rechten vnd gerichten, czinseren, orberen, zcugengen, fruchten, nuczen, heiden, welden, erkeren, wysen, felden, weden, sihen, teychen, flusseren, fyschereyen, brucheren, vnd anderen wasseren, mit allen yren abflussen, wie sulche gutter bynnen den reinen vnd greniczen von alders

1) *Die Dörfer Uscz und Wapcz gehörten früher dem Hospital zum h. Geist, welches für diese Abtretung vom Bischof anderweitig entschädigt wurde. Seemann, die Culmer Pfarrkirche. Programm. Culm 1856 8 S. 17. Anm. 54.*

vmbfencklich seint gelegen, abegetreten vnd gegeben mit aller herschafft vnd eygenschafft, wie seiner gnaden vorschreibunge mir doruber gegeben klerlicher gestalt thut beweyszen. Och hot seine gnade mir vnd meinen erben yn dem wasser Chelmnycz vnd Lachen, der bey gelegen, yn ergissendem wasser czwelff secke zcu ffohunge der fysche vorgunt czustellen, ausgenommen in dem ainganghe vnd des wassers ainfflus, welches seiner gnaden fischereye czum vorffang were. Do neben hot ouch seine gnade mir vnd meinen nochkomelingen das steinhaus in der Stat Colmen kegen der pharkirchen vber gelegen, mit allen gerten, eckeren, wysen, von alders czugehorenden, czu ewiger czeit fridsamklich czubesiczen vnd gebrauchen gegeben vnd abegetreten. Des zcu vhester sicherheit, hab ich mein gewonlich mitsampt dem wohlgebornen herren Ludwig von Mortangen Danczker Castellanen ingesigeln vnden an disen briff lassen hangen. Der gegeben ist am sontage der heiligen drey konigen tage, czu Colmesehe yn des obengemelten herren byschoffs hoffe im jare Christi Thawsent Vunffhundert vnd sechsczehende. Czum geczewgnis seint yn kegenwerd gewesen die achtbarwirdige wolgebornen edlen vorsichtigen herren, her Raphael Wainer, her Merten Zceme official, her Nicolaus Crapicz, her Jorge Hincze, der gedachten kirchen thumherren, her Ludwig vom Mortangen Danczker castellan, her Thomas seiner gnaden schaffer, her Jacub seiner gnaden capellan, Junckher Augustin Salesky, Junckher Hanns Dulski seiner gnaden marschalk, Franciscus Kargk seiner gnaden schreiber, vnd ander vill trauwirdiger lewthe.

*Original auf Pergament mit den beiden wohlerhaltenen Siegeln an Pergamentstreifen im Culmer Dioec.-Archiv. Abschrift bei Mauritius nr. 180.*

## 807.

***1516. April 1. Culmsee.*** *Landrichter und Landschöppen des Culmischen Landes beurkunden, dass das Gut Prussi an den Bischof von Culm verkauft und übergeben worden sei.*

Wir Landtrichter vnd Landtscheppen Colmeschen Landes thun kunth vnd offenbar vor jedermenigklich eine schrifft so in vnserem landtscheppenbuch verfasset von wort zw wort also lauttend, Also:

Lantding gesessen zw Colmsee, dinstag nach quasimodo geniti anno M. D. XVI.

Item Niklas Ponkoczky hat verkaufft das gut Prussi bey Frideck gelegen in seinen grenczen dem gnedigen herren Bischoff zw Colmensee vor dreissig markh gerings, welchs zw foller genuge beczalt ist vnd derreicht vnd derlangt ist dem Paul Plutowsky ins herren bischoffs namen gelobende vor alle nochmanung geistlich vnd weltlich. Zw mer vrkunth mit des edlen erntuesten Georg von Pliement Lantrichters signet versigelt.

Geben aus lantgehegtem ding den dinstag nach Lamperti im XLV. Jar.

*Originalextrac von 1545 im Culm. Diöc.-Archiv. Abschrift bei Mauritius nr. 159.*

## 808.

***1516. Juni 24. Wilna.*** *Sigismund I., König von Polen, bestätigt den zwischen dem Bischof Johannes von Culm und dem Bannerführer Hugo von Smollangk vollzogenen Gütertausch.*

In nomine domini amen. Ad perpetuam rei memoriam. Nos Sigismundus, dei gratia rex Polonie necnon terrarum Cracovie, Sandomirie, Siradie, Lancicie, Cuiauie, magnus dux Lithuanie, Russie Prussieque, Culmensis, Elbingensis et Pomeranie dominus et heres etc. Significamus tenore presentium, quibus expedit, universis, quia exhibite sunt coram nobis littere generosi Hugonis de Smollangk, vexilliferi Culmensis, in sermone germanico scripte, ipsius et generosi Ludovici de Mortangen, castellani Gdanensis, sigillis appendentibus signate. Quibus ipse Hugo de Smollanck recognoscit et fatetur, se cum reverendo in Christo patre domino Joanne, episcopo Culmensi moderno, talem bonorum suorum infrascriptorum hereditariorum, in terra Culmensi et districtu Redyn sitorum, permutationem fecisse, ipsaque pro aliis bonis mense eiusdem domini episcopi iam illi resignavisse eisque cessisse. Inprimis vero recognoscit predictus Hugo, quod resignaverit ex causa huiusmodi permutationis ipsi domino episcopo Culmensi eiusque successoribus episcopis curiam suam, maiorem Ploweze nuncupatam, cum predio et villis Freywalth, Nirkaw et Clementkaw, ad eandem curiam spectantibus, et decem mansis inter eandem curiam et villam Freywalt iacentibus. Item molendinum, etiam prope illam curiam situatum, cum sex mansis ad illud pertinentibus, cum omni iure, dominio ac proprietate, nihil iuris pro se aut suis successoribus penitus in eisdem bonis reservando, pro quibus confitetur in litteris predictis ipse Hugo se recepisse a memorato domino episcopo de consensu ipsius capituli villam Bobraw nuncupatam in Brodnicensi, et villam Wopitz in Culmensi districtibus sitas, cum uno predio Awczigk dicto, non procul a civitate Culmensi, eundo versus castrum Altehawsz, distante. Item unam domum muratam, que est sita in ipsa civitate Culmensi, e regione ecclesie parochialis, cum omnibus agris, pratis ac iuribus omnibus et pertinentiis eius. Ultra hec memoratus dominus episcopus concessit dicto Hugoni et ipsius legitimis successoribus liberam facultatem piscandi, hoc est ponendi in lacu Chelmnycz et aquis ex eodem lacu profluentibus tempore inundationis eius duodecim obstacula sive saccos, excepto duntaxat illo loco, ubi primo Wistula (!) in eundem lacum Chelmnycz influit. Que omnia et singula premissa in prenominatis litteris prefati Hugonis latius continentur. Cumque supplicatum esset nobis nomine dicti domini episcopi Culmensis, ut hanc permutationem dictorum bonorum, et omnia in litteris memorati Hugonis contenta approbare, ratificare et confirmare dignaremur: Nos qui ad omnes ecclesias orthodoxe fidei, presertim vero cathedrales, propensiorem, uti merito debemus, gerimus affectum et comoditates bonorum ipsarum libenter videmus, supplicationibus huiusmodi inclinati, easdem ipsas litteras dicti Hugonis ac permutationem bonorum inscriptorum ac omnia et singula in eis contenta per omnia approbanda, ratificanda et confirmanda duximus, approbamusque, ratificamus et confirmamus ac robur

perpetue firmitatis habere volumus, dictamque curiam maiorem Plowcze cum molendino, predio, mansis et villis, quas ipse Hugo de Smollangk habuit et possedit, mense episcopali Culmensi, quantum in nobis est, perpetuo appropriamus, incorporamus et invisceramus, ac immunitati ecclesiastice asscribimus; decernentes eandem curiam cum predio, villis, mansis et molendino prefatis esse et fore ecclesiastica, debereque eisdem immunitatibus, libertatibus et privilegiis potiri et gaudere, quibus alia bona dicte mense et aliarum ecclesiarum cathedralium potiuntur et gaudent; transferentes ex eadem curia et villis ac aliis premissis iura nostra regia et onus bellice expeditionis ac alia onera omnia, que possessores illorum bonorum pro tempore existentes de iure vel consuetudine sustinebant, ad illaque nobis et predecessoribus nostris obligabantur, et imponimus ea super bona seu villas Bobraw et Wopitz predictas, que dicto Hugoni ex ipsa permutatione cesserunt, et volumus semper esse salva, tenore presentium mediante. In quorum omnium et singulorum fidem, robur et testimonium premissorum sigillum nostrum presentibus est appensum. Actum et datum in civitate nostra Wilnensi, die nativitatis sancti Joannis Baptiste anno domini Millesimo Quingentesimo sexto decimo, regni nostri anno decimo. Presentibus reverendo in Christo patre domino Petro Chomyczky, episcopo Premisliensi et regni nostri vicecancellario, necnon venerabilibus et generosis Joanne Conarsky archidiacono, Andrea Crziczky preposito sancti Michaelis Plocensi, Stanislao Tharlo archidiacono Lublinensi, canonicis Cracoviensibus, Stanislao de Olesznycza Gneznensi canonico, secretariis nostris, Janussio Swyerczewsky, castellano Byecensi, Stanislao Chrobersky incisore, pincerna et vexillifero, Nicolao Ocziesky Juniwladislaviensi, Costensi, Pisdrensi et Conynensi capitaneo et magistro stabuli, et Silvestro Czarowsky, succamerario curie nostre, ceterisque dignitariis, officialibus et aulicis nostris, ad premissa testibus fidedignis sincere nobis et fidelibus dilectis. Datum per manus prefati reverendi in Christo patris domini Petri episcopi Premisliensis et regni nostri vicecancellarii sincere nobis dilecti. — Relatio eiusdem reverendi in Christo patris domini Petri episcopi Premisliensis et regni Polonie vicecancellarii etc. Petrus Episcopus et vicecancellarius scripsit.

*Aus dem Original auf Pergament mit der Siegelschnur von grüner, rother und weisser Seide im Culmer Diöc.-Archiv. Abschrift bei Mauritius nr. 98.*

## 809.

***1517. März 22. Wilna.*** *Sigismund I., König von Polen, beauftragt den Bischof Johannes von Culm mit Einziehung der von den preussischen Ständen 1516 bewilligten Steuern.*

Reverendo in Christo patri domino Joanni episcopo Culmensi, terrarum nostrarum Prussie thesaurario sincere nobis dilecto.

Sigismundus d. gr. rex Polonie, magnus dux Lithuanie, Russie, Prussie etc. dominus et heres. Rev$^{de}$ in Christo pater, sincere nobis dilecte! Incumbunt nobis hiis venturis

temporibus multe et ardue necessitates faciendorum sumptuum et impensarum. Proinde hortamur vestram P^tem^, ut pecunias omnium exactionum in conventu Marienburgensi anno preterito institutarum ab incolis civitatum et oppidorum et ab aliis subditis nostris istarum terrarum quam celerius colligat collectasque numeratas et sigillo vestre paternitatis obsignatas ad thesaurum castri nostri Marienburgensis deponat: illicque tantisper illas teneat, donec, quid cum eis v. P^tis^ agere debeat, illam per alias literas nostras reddamus cercionem facturam pro debito officii sui et gracia nostra. Datum Wilne dominica Letare anno domini M. D. decimo septimo, Regni nostri undecimo. — Commissio regie Maiestatis propria.

*Abschrift im Danziger Stadtarchiv.*

## 810.

***1517. Juli 17. Rom.*** *Papst Leo X. bestätigt die von den Königen von Polen dem Culmer Bisthum gemachten Schenkungen.*

Leo Episcopus, servus servorum dei. Ad perpetuam rei memoriam. Ex iniuncto nobis desuper apostolice servitutis officio ad ea libenter intendimus, per que ecclesiarum omnium, presertim insignium cathedralium, ac eis presidentium aliarumque personarum commoditatibus consulatur, et hiis, que propterea concessa fuisse dicuntur, ut firma perpetuo et illibata persistant, libenter, cum a nobis petitur, apostolici adiicimus muniminis firmitatem. Sane pro parte venerabilis fratris nostri moderni episcopi et dilectorum filiorum capituli Culmensis nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim nonnulli reges Polonie, qui pro tempore fuerant, provide attendentes, quod bona ecclesie Culmensis bellorum incursibus non parum deteriorata fuerant et divinus cultus in illa diminutus extiterat, et propterea dicte ecclesie compatientes, nonnulla opida, castra, villas, districtus et alia bona immobilia, cum omni eorum iure dominii et proprietatis, ac certa privilegia episcopo Culmensi pro tempore existenti perpetuo donarunt et concesserunt, et deinde nonnulli alii ipsorum regum successores, etiam reges Polonie, qui similiter pro tempore fuerunt, huiusmodi donationes et concessiones approbarunt, prout in diversis ipsorum regum litteris desuper confectis dicitur plenius contineri. Quare pro par[te moderni episcopi et capituli] predictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut donationibus, concessionibus et approbationibus huiusmodi [pro illarum — firmitate robur apostolice] confirmationis adiicere aliasque in premissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur: Nos igitur modernum episcopum et singulares personas capituli huiusmodi a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et penis, a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum presentium duntaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, donationes,

concessiones et approbationes huiusmodi ac in dictis litteris contenta quecunque, auctoritate apostolica tenore presentium approbamus et confirmamus, ac perpetue firmitatis robur obtinere et inviolabiliter observari debere decernimus; non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre absolutionis, approbationis, confirmationis et decreti infringere vel ei ausu temerario contravenire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Rome apud sanctum Petrum, Anno incarnationis dominice Millesimo quingentesimo decimo septimo, Sexto decimo Kalendas Augusti, Pontificatus nostri Anno Quinto.

*Original auf Pergament mit rother und gelber Schnur, deren Bulle abgefallen ist, im Culmer Diöc.-Archiv. Abschrift bei Mauritius nr. 150, aus der die verblichenen Stellen ergänzt wurden.*

## 811.

***1517.*** *Urkunde des Bischofs Johannes von Culm über einen Gütertausch mit seinem Domcapitel zur Unterhaltung des Organisten an der Domkirche.*

*Angeführt in dem Urk.-Verzeichniss des Löbauer Archivs von 1611 also:* „48. Privilegium eiusdem episcopi [Joannis] continens permutationem villarum episcopalium Melberg et Rautenberg alias Sarnowo, cum censu 10 marcarum in Greden, et quatuor mansis in Arensdorf, pro organario sustentando, reservatis capitulo aratralibus, pro praediis capitularibus Gdzyn et Wenclaw, cum censu 19 marcarum in villa Kilewo Anno 1517 cum sigillo maiori pensili sub lit. G. V.“

## 812.

***1518. April 18. Krakau.*** Johannes Konopaczki, episcopus Culmensis, *ist bei der Vermählungsfeier des Königs Sigismund mit der Herzogin Bona von Bari anwesend*, die dominica secunda post Pascha 1518.

*Acta Tomiciana IV p. 310, 319.*

## 813.

***1518. Mai 6. Krakau.*** *Sigismund I., König von Polen, ertheilt dem durch den Culmer Domherrn Raphael Weyner zu einer Stiftung angekauften Dorfe Druszien die kirchliche Immunität.*

Sigismundus, dei gracia rex Polonie, magnus dux Lituanie, Russie Prussieque etc. dominus et heres. Significamus tenore presentium universis et singulis harum noticiam habituris, quia cum reverendus in Christo pater dominus Joannes, episcopus Culmensis sincere nobis dilectus, exposuisset coram nobis, venerabilem Raphaelem Weyner, canonicum ecclesie sue Culmensis, emisse villam hereditariam Druszien nuncupatam, in districtu Brodnicensi sitam, pro fundando et erigendo aliquo beneficio ecclesiastico, supplicavit deinde nobis, ut eandem villam immunitati et libertati ecclesiastice adscribi facere seu consentire, ipsamque et eius possessores pro tempore existentes a bellica expeditione absolvere et eximere de benignitate nostra regia dignaremur. Nos huiusmodi suppli-

cationibus ipsius domini episcopi Culmensis ac etiam venerabilis prefati Raphaelis canonici sui annuentes, eandem villam Druszien per ipsum pro erigendo beneficio ecclesiastico emptam cum incolis ipsius immunitati et libertati ecclesiastice adscribendam, et pro dicto beneficio de novo erigendo incorporandam consentimus, et nos, quantum in nobis est, adscribimus et incorporamus ipsamque ac incolas eius pro tempore existentes a servitute bellice expeditionis et ab aliis oneribus secularibus quibuscunque absolvimus; declarantes eam ipsam villam esse amodo ecclesiasticam debereque eisdem immunitatibus et libertatibus gaudere, ut alia bona ecclesiastica in diocesi Culmensi potiuntur et gaudent, perpetuis temporibus et in evum. Harum, quibus sigillum nostrum est appensum, testimonio litterarum. Datum Cracovie in vigilia natalis sancti Stanislai anno domini Millesimo quingentesimo decimo octavo, regni nostri anno duodecimo. — Relatio reverendi in Christo patris domini Petri episcopi Premisliensis et R. P. vicecancellarii.

Petrus Episcopus vicecancellarius.

*Original auf Pergament mit den Einschnitten im Culm. Diöc.-Archiv. Das Siegel ist abgefallen. Abschrift bei Mauritius nr. 104.*

## 814.

***1518. September 22. Thorn.*** *Bruder Baptista de Austria vom Franciscanerorden, Subdelegirter des Franciscaner-Generals und päpstlichen Nuntius Christoforus de Forlivio, ertheilt den Benedictinerinnen in Thorn mehrere geistliche Facultäten.*

Frater Christoferus de Forliuio, ordinis sancti Francisci regularis observantie minister generalis totius ordinis quamvis immeritus ac moderni Jubilei infrascripti in provinciis Polonie, Ungarie, Boheinie et Austrie nuncius apostolicus et commissarius, concedimus apostolica auctoritate religiosis ac deodevotis virginibus ordinis S. Benedicti monasterii sancti spiritus extra oppidum Thorun, Angelice dicti conventus abbatisse dignissime, Magdalene Hockin priorisse, Barbare Rubetin subpriorisse, Elizabeth Koppin, Sophie Barczkenne, Katarine Barischin, Catharine Czerfonki, Anne Peschelyn, Barbare Sonenne, Barbare Wildyn, Anne Peschelenne, Kristine Czigahalszyn, Anne Grossene, Barbare Molneryn, Kataryne Donmenne, Elizabeth Copenne, Barbare Adami, Sophie Paternosteryn, Gertrudi Szeryn, Anne Sontagii, Agnethi Crapiczenne, Ursule Guryn, Catharine Brozien, Barbare Esthenne, Sophie Peschken, Ursule Stantyn, Barbare Schereryn, Dorothee Rawsene, Katarine Bottnyne, Catharine Rymerinne, Sophie Sempkene, Gertrudi Schone, Margarete Satlinne, Dorothee Famulene, Barbare Iwoskine, Anne Fischyn, Magdalene Bottnyn, Catharine Ralofenne, Magdalene Stulczy, Barbare Hymelreich, Margarethe Sprikvaldy, Elizabeth Weysse, Anne Badynne, Magdalene Fischyn, Anne Puscheryn, Hedvigi Szumkien, Valdenne, per venerandum patrem fratrem Leonem de Lanczant, eiusdem ordinis provincie Polonie ministrum, cui vices nostras duximus committendum in hac parte, aut ab eo deputandos vel subdelegandos gaudere privilegio bullarum et literarum apostolicarum sanctissimi domini

nostri, domini Leonis pape Decimi anno domini 1517 die quinta Augusti emanatarum sub annulo piscatoris, ob contributionem eleemosynarum secundum formam apostolici indulti in subsidium basilice principum Petri et Pauli apostolorum urbis Rome oblatam, quoad hoc, quod quemvis idoneum possint eligere presbiterum confessorem, secularem vel cuiusvis ordinis regularem, etiam mendicantium, qui confessione earum diligenter audita pro commissis per eas delictis et peccatis quibuslibet et excessibus, quantumcunque gravibus et enormibus, etiam sedi apostolice reservatis, et a censuris ecclesiasticis etc., quarum absolutio dicte sedi reservata foret, etiam de his, que in Coena Domini reservantur, preterquam occasione machinationis in personam sanctissimi pontificis, iniectionis manuum violentarum in episcopos aut alios superiores prelatos, falsificationis bullarum aut literarum apostolicarum, delationis armorum aut aliorum prohibitorum ad partes infidelium, ac sententiarum et censurarum occasione alymim Tulphe (!), ac de partibus infidelium ad fideles contra prohibitionem apostolicam delatorum incursis, non tamen sub spe et pretextu presentis concessionis (ac previa satisfactione de iure competenti) semel in vita necnon in mortis articulo et quoties de illo dubitatur, absolutionem et remissionem ac plenariam indulgentiam indulgere valeat. In non reservatis vero casibus et censuris, licet aliis inferioribus pape forent reservati, toties quoties id fecerint, absolvere ac penitentiam salutarem iniungere et eucharistie sacramentum, preterquam in die Pasche et in mortis articulo, aliis anni temporibus sive per se sive per alium auctoritate apostolica per has literas concessa ministrare possit et valeat eisdem, ac etiam emissa per eas vota quecunque, ultramarino et religionis ac castitatis duntaxat exceptis, in alia pietatis opera commutare. Concedimus etiam predictis imponentibus in capsam tantam indulgentiam et peccatorum remissionem, quam consequentur, si singulis diebus Quadragesimalibus singulas dicte urbis et extra eam ecclesias, que a christifidelibus propter stationes urbis visitari solent, personaliter visitarent. Insuper prefatis contribuentibus eadem apostolica auctoritate concedimus, quod cum debita reverencia et honore altare portatile retineant, super quo in locis ad hoc congruis et honestis, etiam non sacris, etiam ecclesiastico interdicto auctoritate ordinaria suppositis, dummodo causam non dederint huiusmodi interdicto, etiam antequam elucescat dies, circa tamen diurnam lucem, in earum ac suarum familiarium domesticarum presentia missas et alia divina officia celebrare aut celebrari facere, ac tempore interdicti huiusmodi divinis interesse, et eucharistiam ac alia sacramenta ecclesiastica sine alicuius preiudicio preterquam in Paschate recipere possint, et earum corpora tradi ecclesiastice sepulture sine tamen funerali pompa. Ac ut quadragesimalibus et aliis temporibus prohibitis ovis, butyro, caseo et aliis lacticiniis ac etiam carnibus de utriusque medici consilio uti, frui et vesci libere et licite absque conscientie scrupulo possint. Similiter in confraternitatem omnium bonorum, suffragiorum, ieiuniorum, orationum, missarum, horarum canonicarum, peregrinationum et omnium aliorum bonorum, que fuerint et fieri poterint in tota universali sacrosancta ecclesia militante, ut participes fiant, predictas suscipimus.

Inhibet autem Romanus Pontifex omnibus ordinariis et aliis quibuscunque sub penis excommunicationis late sententie ipso facto et quingentorum ducatorum predicte fabrice applicandorum, ne post absolutionem et concessionem huiusmodi de commissis casibus se quovis modo intromittere vel tales contributiones molestare seu, quominus huiusmodi facultatibus et gratiis libere uti possint, impedire presumant, aut commissario vel delegandis vel subdelegandis ab eo aut eorum ordini modo aliquo in premissis vel eorum occasione detrahere, aut easdem dictas indulgentias vel facultates emisse vel super eis cum aliquo composuisse asserere. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon privilegiis et indultis, etiam Mare maximum nuncupatis, etiam motu proprio et ex certa scientia de apostolice potestatis plenitudine forsan concessis, ceterisque in contrarium facientibus quibuscunque. In quorum fidem ego frater Baptista de Austria eiusdem ordinis ad premissa subdelegatus et deputatus manu propria me subscripsi. Datum in Thorun die 22. mensis Septembris Anno domini 1518 apostolico sub sigillo.

Forma absolutionis plenarie Leonis pape Decimi. Misereatur tui etc. Dominus noster Jesus Christus per meritum sue sanctissime passionis te absolvat, et ego auctoritate ipsius et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius et summi pontificis Leonis pape Decimi mihi commissa et tibi in hac vice concessa absolvo te ab omni vinculo excommunicationis et omni censura ecclesiastica, et restituo te sanctis sacramentis ecclesie, si indiges. Iterum eadem auctoritate absolvo te ab omnibus peccatis, delictis et excessibus tuis, quantumcunque enormibus, et do tibi plenissimam remissionem eorundem, et remitto tibi omnem penam in purgatorio pro eisdem debitam. In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen. — In infirmitate tamen gravi addatur hec clausula: Quod si hac vice non morieris, conservo tibi illam pro ultimo articulo mortis tue.

Facultates presentis confessionalis Leonis pape Decimi. Prima facultas. Habentes huiusmodi confessionales literas possunt illis eligere confessorem idoneum, secularem sive cuiusvis ordinis regularem, etiam mendicantium. — 2. Ut possint absolvi ab omnibus peccatis, delictis et excessibus, quantumcunque gravibus. — 3. Ut possint absolvi ab omnibus censuris ecclesiasticis, preterquam ut patet in literis. — 4. Quod possint absolvi ab omnibus casibus in Coena domini reservatis. — 5. Quod possint absolvi plenissime semel in vita. — 6. Ut possint absolvi plenissime in omni mortis periculo. — 7. Quod possint absolvi plenissime in quolibet mortis articulo. — 8. Ut possint absolvi in casibus pape reservatis. — 9. Ut possint absolvi in non reservatis casibus pape toties, quoties id petierint. — 10. Ut possint communicari extra parochiam omni tempore anni, preterquam in Pascha et mortis articulo. — 11. Quod possint illis commutari omnia vota preter tria, ut patet in literis. — 12. Ut possint consequi indulgentias stationales quadragesimales urbis Rome omni anno. — 13. Ut visitans septem altaria seu loca per septimanam deputanda seu deputata ad promerendas dictas stationales indulgentias per totam Quadragesimam quolibet die unum altare cum quinque Pater noster totidemque Ave Maria et unico

Symbolo, ibidemque felicem statum totius christianitatis deo commendans obtinebit infinitas indulgentias et plenissimas, ac liberabit in singulis quadragesimalibus temporibus omni anno sex animas de purgatorio et hoc cunctis suis diebus. — 14. Quod possint sacerdotes celebrare missam in altari portatili in locis congruis et honestis non sacris. — 15. Ut possint audire missam tempore interdicti ipsius domini ordinarii, dummodo causam non dederint interdicto. — 16. Ut possint audire missam et celebrari facere ante se tempore interdicti etiam ante diem. — 17. Et possunt sumere Eucharistie sacramentum tempore interdicti. — 18. Quod earum corpora possint tradi ecclesiastice sepulture tempore interdicti absque tamen funerali pompa. — 19. Ut tempore infirmitatis ac interdicti sacrosanctam unctionem percipere valeant. — 20. Ut possint in qualibet confessione absolvi apostolica auctoritate absolutione infrascripta, iniuncta penitentia salutari. — 21. Ut possint apostolica auctoritate uti, frui, vesci ovis, butyro, caseo et aliis lacticiniis tempore quadragesimali et aliis temporibus prohibitis absque conscientie scrupulo. — 22. Quod possunt tempore infirnitatis vesci carnibus in Quadragesima et aliis prohibitis temporibus, de consilio tamen medici utriusque. — 23. Quod possunt participes fieri omnium bonorum spiritualium, ut supra, que fuerint et fieri poterint in universali ecclesia sacrosancta. — 24. Quod possint et amici participes façere eleemosynis animas parentum, fratrum, sororum, benefactorum, omnium bonorum spiritualium et mediante stationibus illas de purgatorio liberare. — 25. Et quodlibet confessionale continet in se triplicam absolutionis formam apostolicam. — 26. Et vigore harum literarum derogatur omnibus statutis, privilegiis apostolicis et synodalibus ac ceteris quibuscunque. — 27. Quod possint has concessiones et facultates impediens excommunicari excommunicatione apostolica ipso facto. — 28. Ut impeditores harum concessionum et facultatum per expressum apostolice bulle possint obligari et sub censuris compelli ad quingentorum ducatorum apostolice camere solutionem etc.

Forma absolutionis totiens quotiens. Misereatur tui etc. Dominus noster etc. Et ego auctoritate apostolica absolvo te ab omni vinculi excommunicationis et ab omnibus peccatis delictis et excessibus. In nomine p. e. f. e. sp. s. Amen.

Secunda forma absolutionis pro votorum commutatione. Eadem auctoritate votum seu vota per te seu pro te emissum seu emissa tibi in alia pietatis opera commuto et te plenarie ab illo vel illis redimo. In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

Ego frater Baptista, qui supra, me manu propria subscripsi.

*Aus dem Copiar Nr. 2 f. 33—35 der St. Jacobskirche zu Thorn. Daselbst ist bemerkt, dass die Urkunde auf Pergament geschrieben und mit dem Siegel behangen sei.*

## 815.

***1519. Juli 7. Culm.*** *Johannes, Bischof von Culm, übergiebt den Lehrern am Particular die Pfarrkirche in Culm, welche er zu einer Collegiatkirche erhebt, und bestimmt ihre Einkünfte, Rechte und Verpflichtungen.*

In nomine domini amen. Nos Joannes, dei gratia Episcopus Culmensis. Ad perpetuam rei memoriam universorumque christifidelium noticiam presentia nostra scripta deducere volentes omnibus et singulis, quorum conspectui audituique subiecta fuerint, salutem in domino sempiternam adoptamus. Cum ergo ex gratia superne celsitudinis (cuius dispositione tam in celo quam in terra universa gubernantur) pastorali officio gaudeamus, ad ea, que ad laudem divine potentie in grege nobis commisso instaurare valemus, salubri sollicitudine semper intendimus. Attendentes itaque, quod nedum in sola temporalitate bonorum salus et ratio christifidelium satis tuta sit nec habeatur, ideo nostra pastoralis sollicitudo et ad ea, que spirituale incrementum generant indies, propensior redditur; preterea nunc nostrum eo divertimus officium, quo mediarum ecclesiarum status, quo salus christifidelium propagatur, summo decore augeretur, ipsarumque personarum ecclesiasticarum copiosior commoditas in administratione spiritualium et temporalium haberetur; proinde cum scholastica prefectura studii particularis in nostra civitate Culmen per honorabiles patres presbiteros domus clericorum ibidem existentium hactenus moderata propter preceptorum inopiam scholasticis disciplinis tum ipsis scolaribus omnino exorbitare et labefactari soleat, ita ut ipsa respublica ecclesiastica in terra Prussie decrescere videatur: Conantes tanto defectui conulere et dictam scolasticam prefecturam in pristinum morem redigere, animadvertimus [ecclesiam] parochialem ibidem in honore summi dei sub titulo gloriosissime genetricis eius virginis Marie constructam et consecratam in divino cultu quodammodo deficere, circa quam dictorum presbiterorum multiplicem operam tam in sacrosanctis predicationibus quam aliis officiis solemnibus hucusque impensam accepimus. Volentes in ea salutem omnium christifidelium animarum, prout expedit, curare et augere, dictumque studium per sepedictos patres presbiteros restaurare, ipsam ecclesiam parrochialem cum omnibus iuribus parochialibus altaribusque et beneficiis in ea fundatis ac erectis, et in futurum fundandis ac erigendis, duobus demptis sancte Hedvigis videlicet et trium regum, ex consensu venerabilium dominorum fratrum nostrorum ecclesie nostre Culmensis canonicorum, eis donamus, conferimus et assignamus, quam ecclesiam parochialem in ecclesiam collegiatam immutamus instituimusque, ipsam eo nomine in posterum perpetuo appellari auctoritate presentium decernentes, nequaquam tamen curam animarum cum administratione spiritualium et temporalium ab ea auferentes, sed ipsam dictis presbiteris eandem ecclesiam tenentibus reservamus et committimus, quos presbiteros eorumque successores in canonicos collegiatos eiusdem ecclesie tanquam collegiate creamus, ipsos eo nomine in posterum nominandos ac vocandos ducimus. Eis quoque dictam scolasticam prefecturam cum omnimoda doctrinarum dispositione demandamus dirigendam, volentes, ut

magistrum in artibus (si expedit) cum duobus baccalauriis eiusdem philosophice professionis pueris erudiendis preficere debeant, et cum expensis ac salario, prout antea fecerint, eis provideant. Et ut omnia et singula prefate schole disciplinam tum dicte ecclesie divinum cultum concernentia per eosdem canonicos collegiatos et eorum successores eo diligentius et commodius observari valeant: volumus, quod de bonis a deo eis collatis vel aliquo iusto titulo ex laboribus scholasticis tum beneficiis ecclesiasticis aut donationibus quibuscunque vel ultimis voluntatibus per eos acquisitis aut acquirendis, in communi, quemadmodum antea consueverunt, vivere debeant; atque unum de gremio collegii eorum in conversatione et administratione spiritualium ac temporalium magis approbatum in seniorem citra ambitionis labem aut simoniacam pactionem unanimi voce et consensu eligant, qui vita, exemplo, moribus et scientiis, ceteros sibi in domino associatos antecellat atque instituat, quem ceteri sui confratres canonici, si a recto sui officii tramite bona communia male administrando deviaverit aut levitatibus mundanis, ex quibus collegio eorum iactura oriri possit, inheserit, (de scientia tamen nostra) amovere et deponere, aliumque eligere et in eius locum surrogare valeant, toties quoties fuerit conveniens et opportunum. Eidem vero sic electo et approbato omnes et singuli eiusdem collegii canonici in omnibus licitis et honestis humiliter ac fideliter animo minus rebelli obsequi et parere studeant, qui in victu et amictu quotidiano ex communibus eorum proventibus omnibus suis fratribus canonicis de eodem collegio existentibus necessaria procuret et communicet. Et ut eorum vite conversatio eo commodior et honestior sit ac habeatur, de assensu venerabilium fratrum nostrorum ecclesie nostre Culmensis canonicorum, preposituram ecclesie sancti Spiritus intra muros civitatis nostre prefate eidem ecclesie collegiate incorporavimus, univimus et adiecimus, ac per presentes auctoritate predicta incorporamus, unimus et adiicimus, eandemque preposituram cum omnibus iuribus suis eisdem canonicis collegiatis donamus, assignamus et adscribimus, volentes ut tam spiritualium quam temporalium curam cum provisione pauperum ibidem degentium habeant, super qua provisione conscientias eorum oneramus. Capellam quoque divi Martini haud longe a dicta prepositura situatam, prout ab antiquo observatum est, cum administratione ecclesiastica eis etiam assignamus. Molendinum quoque prope villam Wopitz[1]) eorum vite necessitatibus congruens proprio et utili iure cum omnibus emolumentis inde provenientibus libere possidendum habendum et utifruendum damus et adscribimus. Bona etiam villarum Gogel et Steinweg, quorum usum et usufructum iure proprio hactenus habuerunt, cum omni libertate iuris tanquam bona ecclesiastica munimus, et presentibus plenius dantes confirmamus. Villam vero Newendorff, quantum nostra interest et quantum de iure possumus, eis donamus et assignamus. Volentes, quod pro huiusmodi nostra liberalitate ac donacione pro nobis ad perpetua tempora singulis annis anniversarium cum vigiliis et solenniis missarum exequiis

[1]) *Mauritius bemerkt am Rande:* Istud molendinum ad praesens annum 1773 vocatur Żak, Gogel vocatur Gogelin, Wopitz vocatur Wabz.

decantent, pro nostris vero successoribus dominis episcopis, qui vitam fatis cesserint, in eodem nostro anniversario memoriam funebrem habeant, necnon pro cuiuslibet nostre cathedralis ecclesie canonici anima, quamprimum ex vivis fuerit sublata, vigilias et iusta depromant, qui canonicus eisdem canonicis collegiatis pro huiusmodi precibus depromendis in suo testamento aut ultima voluntate testari ac legare debet, eatenus quatenus sibi ad salutem anime sue videtur oportunum. Et ut iidem canonici collegiati eorumque successores ac posteri virtutum studiis et ecclesiastice discipline honoribus, omnibusque et singulis tam spiritualibus quam temporalibus actibus, ad dictam prefecturam scolasticam et ecclesias per nos eis assignatas et collatas spectantibus, eo ferventius alacriusque insistant, auctoritatem nostram ordinariam interponentes, concedimus eis omnimodam potestatem ac libertatem statuendi, faciendi et condendi, ordinationes, observationes et statuta, nostre tamen iurisdictioni minime derogantia, quam ab eisdem semper salvam esse volumus, sub penis congruis et rationabilibus per ipsos canonicos eiusdem collegii pro tempore observanda, necnon immutandi et de novo faciendi eadem statuta, quoties illa pro commodo ac profectu eorum videbitur expedire, iuxta que in divino exercitio et extra id vivere sint obnoxii; adiicientes quod rebelles et inobedientes aut in aliquo crimine deprehensos corrigere, incarcerare ac de eorum societate pro modo culpe reiicere (nos tamen de huiusmodi excessibus prius certificantes) potestatem habeant. Decernentes quoque quod dictus senior canonicus, qui primas superioritatis partes habuerit, ceterique confratres sui eiusdem collegii canonici eorumque successores ac posteri omnibus et singulis libertatibus ac privilegiis ecclesiis collegiatis a iure communi concessis perpetuo fungi ac gaudere debeant, in quibus omnibus et singulis omnium dubiorum interpretationem nobis reservamus. Volentes preterea, quod de bonis, intuitu earundem ecclesiarum eis collatis aut aliquo privilegio mediante concessis aut concedendis, nec per donationem nec venditionem nec per aliquam ultimam voluntatem sub pena excommunicationis sententie alienare quicquam presumant. Preterea nos Joannes, episcopus prefatus, ad incrementum dicti studii particularis divinique cultus honorem et reipublice ecclesiastice commoditatem, et ut nostri nostrorumque successorum dominorum episcoporum perpetua memoria habeatur, reformationem hanc scholasticam prenominatarumque ecclesiarum institutionem et unionem, tum eciam prefatorum canonicorum collegiatorum creationem et denominationem, presentibus nostris literis confirmamus in dei nomine; supplentes in eis omnes defectus, si qui interciderint aut quovis modo in eis reperti fuerint. In quorum omnium premissorum fidem et testimonium nostri et capituli ecclesie nostre Culmensis sigillorum appensione presentes nostras literas duximus muniendas. Actum Culmen in domo sepedictorum canonicorum collegiatorum, in solita eorum stuba, feria quinta post Visitationis gloriosissime virginis Marie. Presentibus ibidem venerabilibus egregiis et honorabilibus dominis Raphaele Wainer, Martino Czeme officiali nostro generali, Nicolao Crapitz, Georgio Hintze, ecclesie nostre Culmensis canonicis, patre Johanne de Zelyslaw ordinis minorum custode,

Petro Vlman preposito sancti Georgii extra oppidum antiquum Thoren, Hieronymo aurimontano artium ac utriusque medicine doctore phisico, et Francisco parocho Soldauo secretario nostris, testibus ad premissa vocatis et requisitis. Datum loco, die, quibus supra, anno vero christiane salutis Millesimo quingentesimo decimo nono.

*Original auf Pergament mit den Einschnitten zum Siegel im Culmer Diöc.-Archiv. Abschrift bei Mauritius nr. 154.*

## 816.

***1520. Januar 9. Thorn.*** *Sigismund I., König von Polen, verleiht der Stadt Thorn für das ihm abgetretene Schloss Schwetz das Schloss Birglau mit den Dörfern Birglau, Lansen, Pansau, Swirczyn, Wybcz, Wrangrau, Worst, Szmolin, Grunau und Klein Rogowa. nebst dem Vorwerke Seyde, dem Zins vom Vorwerk Piwnicz und der Mühle Leyne.* Dat. in conventione generali Thorunensi, feria secunda proxima post festum trium Regum a. d. MDXX. Regni nostri a. XIII. *U. d. Zeugen:* Johannes Konopacki Culmensis episcopus.

— ***September 5. Thorn.*** *Derselbe transsumirt und bestätigt auf Bitten des adlichen Joseph von Dzierzamo die Genehmigung des Culmer Bischofs Johannes zum Kauf des Gutes Crapitz vom 19. Mai 1511. (Vgl. oben nr. 791.)* Actum in civitate nostra Thorunensi feria quarta ante festum nativitatis glor. virg. Marie a. d. MD vicesimo, R. n. anno XIV. *U. d. Zeugen:* Joannes Conopeczki Culmensis episcopus.

*Zernecke, Thornische Chronica S. 107—111 und Original auf Pergament mit königl. Siegel im Archiv des Domkapitels zu Pelplin.*

## 817.

***1520. October 6. Thorn.*** *Johannes, Bischof von Culm, erigirt das vom Domherrn Raphael Weiner, Pfarrer in der Altstadt Thorn, auf die Einkünfte aus dem Dorfe Druszin gestiftete kirchliche Beneficium in der Domkirche zu Culmsee.*

In nomine sancte et individue trinitatis, patris et filii et spiritus sancti. Amen. Ad perpetuam rei memoriam. Nos Joannes dei et apostolice sedis gracia Episcopus ecclesie Culmensis. Significamus tenore presentium, quibus expedit, universis presentibus et futuris, harum noticiam habituris, quomodo in presentia nostra constitutus personaliter venerabilis vir dominus Raphael Weiner, canonicus ecclesie Culmensis, confrater noster, et plebanus antiquioris opidi Thorun, ut asseruit, memor fragilitatis et condicionis humane, cui ab ipsius initio mortis dominatur imperium, animadvertens egritudinem corporalem tanta vehemencia hominem plerumque corripere et conquassare, ut, quod nedum corpori verum etiam anime et animabus saluberrimum foret, disponere, procurare et ordinare nequiret; perinde sanus corpore et racionis compos, quod iudicio suo ipsi maximo deo esset acceptabilius, devocius ac denique sanctius, videlicet quoniam quod ipsa hostia agnus sine macula, ipse dominus Jesus Christus, deus, mundi redemptor et salvator, in memoria sue passionis tum pro vivorum tum pro defunctorum salute ipsi deo patri suo immolaretur, disponeret, procuraret et ordinaret, ut, dum staret ante districtissimi iudicis tribunal, cuius

immensam et copiosam speraret bonitatem et misericordiam eterne felicitatis, dum eius cultum et honorem aliquid pro posse suo cooperaretur, reciperet beatitudinem sempiternam. Unde ad laudem et honorem sancte et individue Trinitatis, cuius cultum apud ecclesiam cathedralem nostram Culmensem, cuius esset membrum, cum quadam mentis compassione ob presbiterorum paucitatem intueretur tenuem, illi itaque compatiens totis visceribus, quantus pro facultate sua modica illum augmentaret, animo dudum bene deliberato, ad illius laudem perpetuam, sui parentumque suorum et propinquorum immortalem memoriam, ac denique pro sue eorundemque ac omnium fidelium animarum refugio et salute, villam Druschin in districtu Strosberg sitam, quam pecuniis suis totam emit, preter unum mansum, quem adhuc libenter vita comite emeret, et si non posset, voluit, ut tempore oportuno ex censu ibidem collecto emeretur, dedit, donavit, obtulit, ordinavit et legavit, cum omni censu, utilitate et dominio, ac quocumque emolimento, libertate et usufructu, ad perpetuum beneficium in eadem ecclesia nostra cathedrali fundandum et erigendum et ecclesiastice incorporandum immunitati et libertati, cum censu octo marcarum, quam pro centum marcis comparavit et sub titulo redempcionis emit, apud nobilem Nicolaum heredem in Glauche, prout in libro terrestri Culmensi seu scabinorum sive iudicii esset inscriptum et ordinatum, cum duabus marcis et media census, quem emit sub eadem condicione a nobili Joanne herede in Glauche, prout in libro iudicii sive scabinorum in Culmense esset inscriptum, atque censu domus et horti ante Culmense sitorum, de quibus singulis annis solvitur una marca cum media. Quodsi census huiusmodi reemeretur, tunc per duos capitulares et patronos, prout melius possit, deberet alius comparari. Insuper si villa Druschin censu destueretur aut desertaretur, et ne ex huiusmodi tenuitate censuum tale beneficium negligeretur aut periret, sed relevari, instaurari ac in pristinum bonum statum reduci [posset], voluit, disposuit et ordinavit, ut eiusmodi beneficium cum beneficio altero in Thorun, etiam per eum fundato, simul uni conferretur et daretur, qui ita preesset, quatenus consilio et auxilio venerabilium dominorum capitularium ita sustentaretur, ut semper de censu pars pro restauracione aut conservacione deputaretur. Et propterea beneficium et fundacio sunt immutata, quia antea census sub titulo redempcionis fuerat apud consulatum Thorunensem, qui capitalem summam restitueret, pro qua quidem pecunia et alia addita villa Druschin est empta et possessionata. Preterea voluit, ordinavit et disposuit, quod presbiter, qui huiusmodi beneficio fuerit beneficiatus, cum propter officium datur beneficium, esset ad duas missas legendas in qualibet septimana obligatus, nisi legitime impeditus, videlicet primam de sancta Trinitate in altari maiore sive summo, additis collectis de Assumpcione beate Marie virginis et de omnibus sanctis; secundam pro defunctis cum collectis: „Presta quesumus omnipotens deus, ut, anima famuli tui sacerdotis etc. Deus, qui nos patrem et matrem etc.“ et: „Fidelium deus omnium conditor et redemptor etc.“ et tunc vigilias legere cum eisdem collectis, et dare unam eleemosynam sive denarium pauperi, ac denique unam missam in duabus septimanis ad

minus in capella sancti Georgii extra muros ibidem. Insuper deberet duntaxat in festis totis duplicibus interesse vesperis, matutinis et processionibus, nec ad alia onera qualiacunque adstrictus. Preterea quatenus huiusmodi beneficium in perpetuum firmiter permaneret ac tanto diligencius ordinaretur, constituit, fecit, ordinavit et deputavit eiusdem beneficii patronos venerabile Capitulum Culmense et suos legitimos heredes consanguineos aut affines. Sed si contingeret ex tempore tales non esse, devolveretur ius patronatus eorundem ad consules Thorunenses. Voluit autem potissimum, ut tale beneficium uni semper detur ex consanguinibus aut affinibus ubicunque constituto ad hoc idoneo sine omni condicione. Et si per triennium in studio universali commorari vellet, eidem admitteretur, etiam quod per substitutum semper posset eidem beneficio deservire, alias daretur capellano seniori, qui longius apud ecclesiam servisset. Si tamen de Thorun oriundus aliquis apud ecclesiam cathedralem serviret capellanus aut choralis idoneus, preferretur. Ut vero domus, quam edificasset, cum horto, ac alia omnia ad huiusmodi beneficium pertinentia, in sua structura essent permanenda et semper permanerent, tenebitur presbiter ad reparacionem ac super inventario dominis capitularibus et patronis respondere. Nobis etiam debita cum instancia humiliter supplicans, quatenus huiusmodi perpetuum beneficium sic fundatum nostra ordinaria auctoritate erigere, perpetuare, approbare, ratificare ac confirmare dignaremur: Nos igitur Joannes episcopus antedictus prefati domini Raphaelis Weiner supplicacionibus, utpote iustis et racioni consentaneis, benignitate acclinati, attendentes, quod iusta petentibus assensus non est denegandus, eiusmodi fundatum perpetuum beneficium pium conceptum ac bonam ordinacionem in omnibus suis clausulis ac punctis effectuare, perpetuare et execucioni demandare volentes, ob honorem sancte Trinitatis et gloriosissime virginis Marie animarumque refrigerium factum, fundatum, dispositum atque ordinatum, omnia et singula supradicta approbamus, ratificamus et confirmamus, dictamque villam Druschin, cum omni censu, utilitate et dominio, ac quocunque emolimento, libertate et usufructu, ac censum pro pecunia sub titulo reempcionis comparatum in ecclesiasticam beneficium ereximus, creamus et confirmamus, ac auctoritate nostra ordinaria in Christi nomine erigimus, creamus et confirmamus, ac dicto perpetuo beneficio deputamus, annectimus, incorporamus et invisceramus per presentes, et in sortem, proprietatem, immunitatemque et condicionem ecclesiasticam asscribimus, assumimus ac aggregamus perpetuis temporibus et eviternis; decernentes et presentibus statuentes, quatenus in antea et per amplius divini iuris censeri debeant nec ad laicos usus unquam applicari. Adhortantes et contestantes prefatos patronos, ad quos in antea et perpetuo ius patronatus spectabit eiusmodi beneficii et pertinebit, quorum industrie confidimus et conscientie, ut omnia et singula supradicta studeant et curent diligenter adimplere. Deputavimus etiam, dedimus et contulimus perpetuo, et per presentes damus et conferimus pro eiusmodi beneficii presbiteri habitatione et mansione specialem aream, fundum et locum per nos designatum. In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium premissorum

presentes literas fundacionis, iuris patronatus, dacionis et ereccionis per notarium publicum infrascriptum scribi, subscribi et publicari mandavimus, nostrique sigilli appensione iussimus et fecimus communiri. Actum et datum in Thorun, Anno domini Millesimo Quingentesimo Vicesimo, indiccione octava, die Saturni sexta mensis Octobris, hora quasi terciarum, sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Leonis divina providencia pape Decimi Anno eius pontificatus Octavo. Presentibus ibidem venerabili et circumspecto domino Francisco parocho Soldensi, U. J. Baccalaureo cancellario, Nicolao Neumann capellano, et nobilibus Adalberto de Weyden marschalco et Gregorio de Segersdorff familiari eiusdem R$^{mi}$ domini Episcopi, ac discreto domino Valentino Misky ecclesie parochialis sancti Joannis ibidem in Thorun altarista, testibus ad premissa vocatis et rogatis atque requisitis.

S. N. Et ego Ambrosius Sculteti filius, clericus diocesis Culmensis, imperiali auctoritate publicus notarius, quia etc.

*Original auf Pergament (theilweise beschädigt) mit dem Siegel des Bischof Johannes von Konopat an rother Schnur im Culmer Diöc.-Archiv. Abschrift bei Mauritius nr. 151.*

## 818.

***1521. Februar 24. Thorn.*** *Sigismund I., König von Polen, transsumirt und bestätigt 1. der Stadt Posen das Privilegium über den freien Markt.* Act. in civitate Thorunensi, dominica Reminiscere a. d. MDXXI. *U. d: Zeugen:* Joannes Conopeczki Culmensis episcopus; *2. das den Kaufleuten in Polen von seinen Vorgängern gegebene Privileg über Zollfreiheit.* Act. ut supra, dominico die Oculi. *U. d. Zeugen:* Joannes Konopeczki Culmensis episcopus.

*Raczyński, Cod. majoris Pol. 143 nr. 107 und 130 nr. 103.*

## 819.

***1522. Juni 20. Culmsee.*** *Johannes, Bischof von Culm, beurkundet, dass sein Domkapitel ihm gegen das Dorf Kunzendorf das Dorf Pluskewantz und zwei Capitalien von je 100 Mark abgetreten und sich ausserdem zur Abhaltung eines Anniversariums für ihn verpflichtet habe.*

In nomine sancte et individue trinitatis, patris et filii et spiritus sancti Amen. Nos Joannes, dei et apostolice sedis gracia Episcopus Culmensis, notum facimus per presentes, quibus expedit, universis presentibus et futuris, quomodo attendentes humana negocia future perpetuitati commendanda in hominum memoria haud facile posse subsistere, nisi inprimis firma scripturarum consignentur annotatione, quare, habita eiusdem defectus humani ratione, contractum permutationis in nonnullis bonis nostre mense episcopalis et venerabilis Capituli nostri infradescriptis solenniter inter nos celebratum et consumatum, in formam hanc sub tenore, qui sequitur, redegimus ac conscribi mandavimus, volentes eum ipsum sub firmitate roboris perpetuis futuris temporibus duraturum. Hinc est, quod nos, matura deliberatione tum rationabili nostrorum consiliariorum consilio, freti, pen-

santes extremos labores nostros, quos in locatione colonorum hinc et inde in locis nostri episcopatus per disturbia bellorum desertis ac omnino devastatis et multis aliis commoditatibus pro commodo nostro successorumque nostrorum atque ecclesie nostre Culmensis fecimus, et habentes rationem ad damna eiusdem his novissimis bellis experta, propter que cultus divinus impediri ac penitus deficere soleat; volentes preterea anime nostre tum consanguineorum nostrorum saluti spe future celestis consolationis in hac miserabili vita nostra consulere; villam nostram Cuntzendorff cum omnibus iuribus, proventibus, agris, pratis, silvis, nemoribus, lacubus, piscinis, molendinis, mellearіis ac universaliter omnibus et singulis emolumentis, quocunque utilitatum titulo de facto vel iure censendis, in limitibus suis contentis, venerabili Capitulo ecclesie nostre sub titulo contractus permutacionis cessimus, assignavimus ac dedimus cum effectu pro villa Plawskewantz, quam prefati Capituli domini canonici ac fratres nostri in Christo cum omni iure, dominio et proprietate, usufructu ac proventibus universis, quemadmodum ad eos pertinebat, una cum ambobus lacubus ibidem existentibus nobis cesserunt, assignarunt et dederunt, cum obligatione anniversarii persolvendi, quem pro nostra nostrorumque parentum ac consanguineorum omnium [salute] singulis annis post fata nostra peragendum perpetuis temporibus, consensu omnium eorum ad hoc accedente, se obligarunt, quos et nos ad eundem modo consueto et solenni observandum presentibus perpetuo astringimus ac obligatos esse volumus. Insuper quadringentas marcas, quas super bonis Tawsche inscriptas habuerunt, censum inde percipientes, et alias quadringentas super eadem villa Cuntzendorff habitas nobis et successoribus nostris dimiserunt ac relaxarunt, nos et successores nostros de eisdem octingentis marcis penitus quittantes ac liberantes, prout eorum littere nobis desuper date lacius declarant. In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium sigillum nostrum presentibus est subappensum. Actum et datum in Colmeze apud ecclesiam cathedralem feria sexta post Corporis Christi, anno salutis Millesimo quingentesimo vigesimo secundo. Presentibus ibidem honorabilibus ac nobilibus viris dominis Thoma Polchen prefecto in Althaus, Joanne de Glauchen, Henrico Holtst prefecto in Colmenze et Christofero Kalkstein testibus ad premissa vocatis et requisitis.

*Original auf Pergament mit dem Siegelstreifen, woran das Siegel abgebröckelt ist, im Culmer Diöc.-Archiv. Abschrift bei Mauritius nr. 140.*

## 820.

***1522. Juli 4. Culmsee.*** *Johannes, Bischof von Culm, tauscht gegen das Dorf Pluskowancz von seinem Bruder Georg das Dorf Targowicz bei Löbau ein.*

In nomine Christi domini nostri amen. Nos Joannes, dei gratia et sancte sedis apostolice episcopus ecclesie cathedralis Culmensis, manifestum facimus universis et singulis, presentes literas visuris, audituris et lecturis, quod nos in prospectu habentes nostras

et successorum nostrorum dominorum episcoporum utilitates et commoditates, que in presens et in futurum possent accrescere et obvenire, presertim vero castro nostro Lobaw, quod in proxime preteritis bellis in suis censibus et proventibus ac etiam laboribus, qui Scharwerck vulgo nuncupantur, non parum sed multum incommodi et detrimenti accepit, cupientesque idem castrum ad priorem statum et conditionem reducere, fecimus propterea et consumavimus, matura deliberacione et consilio prehabito ac de unanimi consensu capituli nostri, in rem et commodum nostrum successorumque nostrorum dominorum episcoporum cum magnifico charissimoque fratre nostro domino Georgio de Konopath, Pomeranie palatino et Suecensi capitaneo, legitimam et liberam permutationem, modo et forma, que sequitur. Ita videlicet, quod nos illi ac eius veris heredibus et successoribus dimisimus, cessimus, dedimus et appropriavimus villam nostram menseque nostre Plewskanwancz, oppido nostro Colmeze prope adiacentem, cum omnibus eius terminis et limitibus, prout ab antiquo est limitata, una cum duobus parvis lacubus, et cum omni usufructu ac utilitate quomodolibet nominatis ac nominandis, nec non cum omni proprietate, nihil excipiendo preter piscaturam in lacu Colmezeeensi, quam nobis et capitulo nostro reservatum esse volumus. Respectu vero huius nostre permutationis et loco bonorum nostrorum predictorum a memorato fratre nostro sortem ipsius eum concernentem in villa Tergowicz circa Lobaw situata, cum eo toto, quicquid in eadem habuit, recepimus et consecuti sumus. Ultra hoc ipse prefatus frater noster quingentas marcas prutenicales in prompta pecunia nobis addidit, quam pecuniam nos ab illo tempore belli integre recepimus, et e contra quando ipse ordo cum suo exercitu in terram Culmensem irruperat et oppidum Nevmarckt interceperat, pro defensione et conservatione castri nostri et civitatis Lobaw, ubi nos tunc personaliter fueramus, necessario expendimus, et ita ad eam commoditatem, per quam ecclesia nostra et nos ipsi a damno fuimus preservati, prescriptam pecunie summam convertimus. Et proinde ob confirmationem istius permutationis, sicuti premissum est, de consilio suo et voluntate nostri capituli facte, et sine ulla contraditione et controversia perpetuis futuris temporibus, ita ut premissum est, firmiter observande, nostrum et capituli nostri sigilla presentibus literis subappendi fecimus. Date sunt he litere in curia nostra in Colmeze, feria sexta post festum beatorum Petri et Pauli apostolorum, anno nativitatis Christi Millesimo Quingentesimo vigesimo secundo. Actum die quo supra, in presentia eximiorum et venerabilium dominorum fratrum nostrorum charissimorum Raphaelis Wayner, Martini Ceme de Plowcze, Nicolai Crapice et Georgii Hincze canonicorum ecclesie nostre cathedralis, et aliorum complurium testium fidedignorum ad premissa vocatorum et rogatorum.

*Aus dem mit königlichem Siegel behangenen Original-Transsumpt des Königs Sigismund III. vom 3. October 1622 von der Bestätigung des Königs Sigismund I. vom 22. Juli 1526 im Archive bei St. Jacob zu Thorn.*

## 821.

***1523. Februar 1. Culmsee.*** *Das Domkapitel von Culm überweist dem Domherrn Nicolaus Crapitz, welcher von dem verstorbenen Bischof Nicolaus die Hälfte des Dorfes Pluskewantz auf Lebenszeit erhalten hatte, nach dessen Abtretung an den bischöflichen Stuhl dieselbe Rente in Kunzendorf.*

Nos Raphael Wayner, Martinus Czema, Georgius Hintze, canonici cathedralis ecclesie Culmensis. Notumfacimus per presentes universis, quod nemini hactenus dubium fuerit, quomodo reverendissimus in Christo pater dominus Nicolaus, eiusdem ecclesie olim episcopus, in Christo defunctus, tempore vite sue per villam Plawskewantz eidem ecclesie ex speciali sua gracia providere destinaverit medietatem eiusdem venerabili domino Nicolao Crapitz, nepoti suo, eiusdem ecclesie sue canonico et fratri nostro dilecto, ad tempora vite sue utifruendam deputando, quam tandem post mortem suam jure substitutionis vulgaris ad capitulum prefate ecclesie ex integro spectare voluit. Cum itaque ex consensu ipsius et nostrum omnium eadem villa Plawskewantz pro villa reverendissimi in Christo patris et domini Johannis, dei gracia episcopi nostri Culmensis, Kuntzendorff titulo permutacionis sue reverendissime paternitati a nobis cessa et data sit, habita racione prefate sue partis in eadem villa Kunczendorff sibi quatuor kmethones cum censu viginti quinque marcarum et dimidia, sic quod dicti kmethones quatuor pleno iure dominio ac proprietate ad eundem pertineant duntaxat et hoc quoad vixerit, in recompensam sue partis, quam in Plawskewantz antea habuit, cedimus per presentes, quos sibi ultra nostrum communem usum deputavimus et assignavimus. In cuius rei fidem et testimonium sigillum capituli nostri appendi iussimus. Datum apud ecclesiam prefatam Culmenze in vigilia Purificationis Marie anno domini Millesimo quingentesimo tertio.

*Nach dem wegen eines Schreibfehlers in der Jahrzahl verworfenen Original im Culmer Dōc.-Archiv. Abschrift bei Mauritius nr. 139. Vgl. oben Nr. 772.*

## 822.

***1523. August 3. Culmsee.*** *Johannes, Bischof von Culm, überlässt in Folge der Schenkung des Königs Alexander von 1505 seinem Domkapitel die Dörfer Brzosie und Bratuczewo, quittirt über den Empfang von 2525 Mark zur Bezahlung der Kriegsschuld und verpflichtet dasselbe zum Absingen der Horae B. Mariae V.*

In nomine sancte et individue trinitatis, patris et filii et spiritus sancti Amen. Nos Joannes, dei gratia Episcopus Culmensis, universis et singulis harum noticiam habituris, salutem in domino optamus. Cum rationi humane congruat de futuris ea, que sunt meliora, cogitare cogitataque in sensum perspicua deferre, delata demum in commoditatis usum disponere: Hinc nos rationabili occasione moti, volentes ecclesie nostre Culmensi in conservacione divini cultus pro viribus consulere, eundemque divino auxilio in esse conservare, nobisque ac successoribus nostris non minus commodum facere, attenta imprimis donacione (felicis memorie) serenissimi principis domini Alexandri, dei gratia regis Polonie

et cet. domini nostri clementissimi, quam nobis et capitulo nostro zelo devocionis ductus ob augmentum divini cultus in ecclesia nostra Colmeze per districtus Althaus, Culmen et Papaw fecerat ac donaverat, quod ex eadem Capitulum nostrum nondum, ut debuimus, contentum reddiderimus; ideoque ea ratione perpensa, villam nostram Brzosza in districtu Löbau sitam et quedam bona Bratheschaw eidem ville adiacencia, antiquis bellorum temporibus devastata, pro certa summa pecunie, videlicet duorum millium quingentarum et vigintiquinque marcarum prutenicalium levis monete, eidem capitulo nostro vendidimus realiter et cum effectu, eique omne ius nostrum, quod in utrisque prefatis bonis habuimus, una cum omni usu et usufructu, quocunque nomine censendo, annonis videlicet, censibus, agris, pratis, pascuis, nemoribus, lacubus, aquis et aliis quibuscunque emolumentis cessimus, assignavimus et adscripsimus, cedimusque, assignamus et adscribimus per presentes perpetuo possidendum, utendum ac utifruendum, quocumque modo eidem Capitulo nostro visum fuerit oportunum, nihil iuris dominii et potestatis aut proprietatis in eisdem bonis seu possessionibus preter iurisdictionem ecclesiasticam nobis reservantes. De qua quidem summa pecunie videlicet duorum millium quingentarum vigintiquinque marcarum idem Capitulum nostrum presentibus quittamus et quietum reddimus, fatentes de tanta summa pecunie pro huiusmodi [bonis nobis esse satisfactum. Volentes preterea, ut dictum Capitulum nostrum, ita de prefatis bonis Brzosza et Bratheschaw] ratione predicte donacionis regie particeps factum, ad horas beate Virginis, per R$^{m}$ [dominum Nicolaum pie memorie episcopum Culmensem predecessorem nostrum deductis duobus millibus marcarum] fundatas, decantari faciendas in ecclesia nostra Colmese perpetuo sit obnoxium et adstrictum. Ne itaque quispiam successorum nostrorum dominorum episcoporum causetur aut pretendere valeat, quod nos eum contractum emptionis et vendicionis super prefatis bonis sine legitima [occasione] attentaverimus, noverit imprimis, quod in prefata donatione regia, presertim pro exemptione districtuum Althaus et Papaw, tria fere milia marcarum partim de accommodatis tam propriis pecuniis exponere coacti sumus, alioqui[n] districtum Papaw mandato serenissimi regis Sigismundi iam interveniente amisissemus. Insuper in introitu nostri episcopatus omnia edificia castrorum tum prediorum ubique diruta, que alioqui[n] penitus corruissent, et sine extremo ecclesie damno refici nequivissent, nostris propriis impensis pro statu ecclesie nostre conservando ereximus ac restauravimus, sese prorsus omnibus facultatibus nostris, ere etiam alieno gravati, spoliantes. Preterea quoque bello proxime inter Maiestatem regiam et dominum Magistrum ordinis habito, non minores impensas, interventu etiam eris alieni per nos accommodati, pro ferendo milite ad resistendum hosti in omnibus nostris castris sustulimus, quo, non obstante certas villas in districtu Löbaw et molendina penitus solo igne adequata ab eodem hoste conspicientes, iterum a novo restaurari fecimus. Quorum omnium et singulorum premissorum respectu habito, huiusmodi pecuniam, videlicet duorum milium quingentarum et vigintiquinque marcarum a venerabili Capitulo nostro pro prefatis bonis accepimus, ut eo facilius et commodius

statum ecclesie nostre pro commodo nostro et successorum nostrorum per eandem reficeremus ac restauraremus, ad quem conservandum animum nostrum semper propensum gerimus. Actum in opido nostro Colmeze circa ecclesiam nostram cathedralem, feria secunda ipso die invencionis sancti Steffani prothomartiris Anno christiane salutis Millesimo quingentesimo vigesimo tercio, presentibus ibidem honorabilibus ac nobilibus Thoma Polychen de Bromberg Gneznensis diocesis presbitero et arcis nostre Althaus prefecto, Simone Lichtenstein de Lõbaw capellano, Gregorio de Segersdorf marschalko, Henrice Holst advocato in Colmense, Christofero Kalkstein aulico, fidelibus nostris in Christo dilectis testibus ad premissa vocatis et rogatis. Datum loco, die et anno, quibus supra.

*Original auf Pergament mit dem Pergamentstreifen, wovon das Siegel verloren ist, im Culmer Diöc.-Archiv. Die Lücken sind aus der Abschrift bei Mauritius nr. 107 ergänzt. — In dem öfters citirten Urk.-Verzeichniss von 1611 ist die Urkunde also aufgeführt:* „51. Privilegium Joannis Epi. super venditione bonorum Brzoze et Bratoszewo pro duobus millibus quingentis viginti quinque marcis a Capitulo persolutis, quarum duo millia a domino Nicolao Crapic pro horis B. Virginis in ecclesia cathedrali decantandis concessae fuerant. Ideoque capitulum obligatur ad eas horas decantari faciendum iuxta fundationem praedicti Crapicii Anno 1523, cum sigillo maiori pensili sub litt. ff. VIII.“ *und noch eine andere, die vermisst wird:* „52. Recognitio Capituli super quingentas viginti quinque marcis a domino Nicolao Crapic perceptas, quas capitulum reposuit in emptione villarum Brzoze et Bratoszewo Anno 1523 cum sigillo capitulari maiori pensili sub lit. G. VI.“

## 823.

***1523. August 3. Culmsee.*** *Johannes, Bischof von Culm, verspricht, sein Domkapitel wegen der Kaufsumme der Güter Brzosie und Bratuszewo schadlos zu halten, falls der Orden während des Waffenstillstandes dieselbe einnehmen sollte.*

Nos Johannes, dei gratia Episcopus Culmensis, notum facimus per presentes, quibus expedit universis, quomodo legitimis occasionibus moti venerabili capitulo nostro ecclesie nostre Culmensis certa bona nostra, videlicet Brzosa et Bratheszewo in districto Lobaviensi sita, pro summa duorum millium quingentarum et vigintiquinque marcarum pruthenicalium levium, omni solemnitate contractus emptionis et venditionis adhibita, vendidimus, cessimus et assignavimus, prout latius in literis originalibus super eodem contractu confectis continetur. Casu autem, quo dicta bona, durantibus his induciis inter sacram Maiestatem regiam et magistrum, ab ordine eidem capitulo nostro adimerentur, tunc id ipsum in hac parte ratione tante summe pecunie de omni indemnitate liberum servare et manutenere presentibus pollicemur promittimusque. Harum testimonio mediante, quibus sigillum nostrum maius est subappressum. Datum in Colmeze feria secunda ipso die inventionis divi Stephani, Anno ab orbe redempto Millesimo quingentesimo vigesimo tertio.

*Abschrift bei Mauritius nr. 147.*

## 824.

***1523. August 19. Thorn.*** *Bürgermeister und Rath von Thorn bescheinigen eine im Jahre 1507 Juni 30 durch die Brüder Racken an das dortige Jungfrauen-Kloster zum hl. Geist gemachte Schenkung von 50 Mark.*

Wir Burgermeister vndt Rathmann der stadt Thorun thuen kundt vnd bekennen offentlich mit dieser schriefft vor idermeniglich, das vor vns im sitzenden Rath sey erschienen der wirdige her Pauel Lymberg, probst vnd vorstender des Jungfrauenklosters hier zum heiligen geist, im namen vnd von wegen des gantzen Convents vnd hat eyne etzliche signatur vnd ausschriefft vnsers buchs erlangt von wordt zu wordt wie folgt beschrieben:

Fridrich, Hans vnd Lucas Racken, gebruder, haben bekanth, das sie dem Kloster der Jungfrauen zum heilige geist vor Thorun gelege, nach todes irer mutter funfftzig marg geringe schuldig sein. Solch geld vorschreiben vnd vorweysen sie den obgeschriebenen Jungfrauen auff das gutt Schönbroth; so das verkaufft wirdt, so sollen sie ir gelt vor idermenigklich am ersten aufheben und entfangen. Auch haben sie gelobt, so sie in mitler zeitt, ehe weme das gutt vorkaufft würde irkeyne zinse oder genusz entfehen, so wellen sie den Jungfrauen auch zinsz geben. Actum Donnerstag vor Visitationis Marie im Jare Tausend fünffhundert vnd sibenden.

Zu vrkundt vnd mehrer sicherheitt haben diesen brieff mit vnserem stadtvest (!) versigeln lassen, der gegeben ist zu Thorun am Mitwoch nach Assumptionis Marie im Jare Tausendt funffhundertt vnd drey vnd zwanzigsten.

*Aus dem Copiar. nr. 4 f. 110 der S. Jacobskirche zu Thorn. In der polnischen Uebersetzung daselbst wird „Schönbroth" durch „Czystoleb" (ein Vorwerk bei Rynsk) wiedergegeben.*

## 825.

***1524. März 9. Danzig.*** *Erzbischof Johannes (Łaski) von Gnesen, die Bischöfe Mathias (Drzewicki) von Cujavien und Johannes (Konopacki) von Culm u. a. schliessen als Gesandte des Königs Sigismund I. von Polen mit den Gesandten der Herzöge von Mecklenburg und Stettin ein Freundschaftsbündniss.* Dat. Gedani, feria quarta post dom. Letare a. d. MDXXIV.

*Orig. im polnischen R.-Archiv. Invent. arch. Crac. p. 50. Dogiel I. 576. Acta Tomiciana VII. 12 nr. 10.*

## 826.

***1524. März 12. Danzig.*** *Königliche Commissare, unter ihnen Bischof Johannes von Culm, bestimmen in der vor ihnen gegen Gabriel von Baysen auf Zahlung einer seinem Oheim geliehenen Geldsumme erhobenen Klage der Gebrüder Gluchowski, dass Georg von Baysen den königlichen Consens zur Verpfändung des Dorfes Falanczyn auf der nächsten Versammlung der preussischen Räthe vorzulegen habe.*

Joannes, dei gratia sancte Gneznensis ecclesie archiepiscopi et primas legatusque natus. Mathias Wladislawiensis et Joannes Culmensis eadem gratia ecclesiarum episcopi,

Stanislaus de Cosczielecz palatinus Calisiensis, Mariemburgensis Stumensis Bidgostiensis capitaneus, iudices commissarii per sacram Maiestatem Regiam dominum nostrum clementissimum ad causas audiendas ad presens huc in Gdanum destinati, significamus tenore presentium, quibus expedit, universis harum noticiam habituris, quomodo, dum coram nobis iudicialiter congregatis constituti essent nobiles Joannes et Nicolaus germani Gluchowsky et exponerent contra magnificum ibidem presentem dominum Georgium de Bayzen, palatinum Marienburgensem et capitaneum Gnevensem, tanquam heredem et legitimum successorem magnifici olim Gabrielis de eadem Bayzen, tunc palatini Culmensis, quomodo ipse vivens in humanis recepisset mutuo a nobili Joanne de Gluche, predecessore et avo materno ipsorum, tunc etiam vivente, ducentas et septuaginta marcas leves pruthenicales, quas idem Gabriel sibi Joanni Gluchowsky, creditori suo, literis suis recognitoriis de consensu, ut in literis illius suis scripsit, et voluntate serenissimi olim Kazimiri, Polonie regis, tunc feliciter regnantis, in et super bonis regalibus tenute sue, videlicet curia Bote in districtu Lip[n]e et villa Ditrichsdorff alias Falanczin nuncupata in districtu Papow consistente inscripserat, cum adiecta condicione, quod, si ipse olim Joannes de Gluche aut ipsius successores damnum aliquod occasione dicte inscriptionis summe esset perpessus, in ipso Gabriele et successoribus suis repeti deberet. Quam inscriptionem isto modo faciendo ipse olim dominus Gabriel dederat ipsi creditori suo dictorum bonorum Falanczin, in summa prescripta, realem et actualem possessionem, quam et ipsi conquerentes in summas prefatas iure naturali succedentes, vigore predicte inscriptionis recognitarie aliquamdiu continuabant, videlicet tamdiu, quoadusque reverendus pater dominus Joannes, dei gratia episcopus Culmensis, collega noster prefatus, proprietatem dictorum bonorum, puta ville Falanczin tociusque districtus Papoviensis a serenissimo olim domino Alexandro rege fuerat assecutus. Et quia donationis illius regie vigore idem dominus episcopus villam prefatam Falanczin ceu iam suam hereditariam de manibus dictorum conquerentium iuris decreto fuerat assecutus, summam prefatam eis non exsolvendo, eo quod regium consensum supraexpressum non reposuerant. Petentes sibi dicti conquerentes de ipso Georgio palatino vigore dicte clausule pro ipsorum indemnitate per dictum olim dominum Gabrielem inscripte iusticiam ministrari et decerni, ut, cum villa illis est ob carenciam consensus regii recepta, ipse dominus Georgius palatinus summam predictam illis solveret et eos indemnes redderet iuxta vim et continenciam predicte inscriptionis predecessoris sui prefati. Exadverso ipse dominus Georgius palatinus, licet non existens in ius vocatus, respondendo ad hanc querelam affirmavit, prefatum dominum olim Gabrielem patruum, predecessorem suum memoratam villam Falanczin predecessori conquerentium predictorum cum consensu regio legitime inscripsisse seque eiusmodi consensum regium habere, et ob hoc se suosque coheredes ad solutionem non esse obligatos. Extunc nos, attenta ipsius domini Georgii allegatione confirmationeque, decrevimus decernimusque, quod idem Georgius consensum regium preallegatum debebit reponere coram consiliariis in prima

et proxima conventione prutenica terrestri Mariemburgensi vel alias quocunque locorum celebranda et dum reposuerit, debent ipsis nobilibus dari aut littere originales consensus illius aut transsumptum eiusdem, ut cum eiusdem consensus suffragio et vigore predictarum litterarum obligatoriarum ipsi nobiles iusticiam pro pecuniis ob carenciam consensus non habiti eis non solutis iure curarent assequi in personis, contra quas illis ius videbitur competere. Harum, quibus sigilla nostra sunt subimpressa [testimonio]. Actum et datum Gdani, sabbato proximo ante dominicam Judica, anno domini Millesimo Quingentesimo vigesimo quarto.

*Nach dem Original-Transsumpt des K. Sigismund vom J. 1530 im Culmer Diöc.-Arch. Abschrift bei Mauritius nr. 129.*

## 827.

***1524. Mai 8. Culmsee.*** *Johannes, Bischof von Culm, schenkt die von ihm in Kiewo angekauften sieben Hufen seinem Bruder Georg von Conopat und bewilligt, nachdem letzterer diese geschenkten sieben Hufen gegen acht, in seinem Dorfe Konradswalde gelegenen, mit einer Rente für die Vicarie S. Wolfgang in Thorn belasteten Hufen eingetauscht hat, den Verwaltern genannter Vicarie, dass die Naturallieferungen an sie von den sieben Hufen geschehen und die Rente von dem bischöflichen Amte gezahlt werde.*

In nomine domini amen. Nos Joannes, dei gratia episcopus Culmensis, universis et singulis harum noticiam in futurum habituris salutem in Christo Jesu sempiternam. Nemo christifidelium ambigit, quam sapienter quamque sagaciter humana ratio adinvenerit, ut ea, que ob suam fragilitatem memoria comprehendere nequeat, posset saltem ea literarum apicibus posteritate salva conservare. Hinc est, quod nos certis respectibus nonnullorum vicinorum nostrorum, nobilis videlicet Myrosch et alterius Pauli Maszur, in nostra villa Kyewo demorantium, seque in communibus servitutibus eiusdem ville nostre cum nostris subditis conformare volentium moti, septem mansos, ab altero videlicet Myrosch quinque et ab altero duos, ibidem in ea villa sitos cum omni iure tam directi quam utilis dominii ab eisdem emimus comparavimusque, quos nostro proprio ere realiter et cum effectu ipsis solvimus, prout et idipsum liber terrestri iudicii inscripcione sua semper testabitur. Tandem vero ex necessitate sanguinis erga fratrem nostrum, magnificum dominum Georgium de Conapat, palatinum Pomeranie capitaneumque Sweczensem, eius preterea filios, nepotes nostros, solo fraterno [amore] ducti, eo quod idipsum tempus proxime sublati belli a nobis optime meruerit, prefatos septem mansos cum omni iure dominio ac proprietate sibi donavimus perpetuo possidendos. Qui tandem occasione pociore pensanda eosdem septem mansos, nostro consensu ad hoc accedente, pro octo mansis in sua villa Conradtswalden sitis, et ad altare sancti Wolffgangi parochialis ecclesie antique civitatis Thoronensis ex fundatione pertinentibus, ac sedecim marcas censuantibus (!), honorabilibus dominis Steffano Fredewalt et Mathie Szwertfeger, eiusdem altaris vicariis, et eorum successoribus vigore solemnis ac legittime permutationis cum omni eorum usufructu ac proprietate utifruendos

atque obtinendos dedit et perpetuo assignavit. Nos preterea ob salutem anime nostre tuendam futurorum discriminum eiusdem beneficii curam habentes, non minusque castri nostri Althaus commoditatem in hac parte perpendentes consideravimus, quod iidem presbiteri aut quicunque alii in futurum eorum successores directioni eorundem mansorum ipsorumque agricolarum ob cultum divinum commode vacare non possint. Cum neque hii, qui divinis student, idipsum curare consueverint, dictos septem mansos unacum agricolis in nostram nostrorumque successorum dominorum episcoporum tuicionem defensionem ac gubernacionem ea lege recepimus recipimusque per presentes de assensu dictorum vicariorum; ita ut eisdem vicariis ac eorum successoribus dicto altari deservientibus a prefatis septem mansis pro censu, pullis, avena ac rusticis laboribus, qui alioqui scharwerck dicuntur, sedecim marcas prutenicales, quas antea ab ipsis octo mansis in Conradtswalden ex fundatione habuerunt, singulis annis pro termino sancti Martini confessoris ex nostra camera castri nostri Althaus solvere volumus ac promittimus, ad quam solutionem ob tante commoditatis accrescenciam dicte nostre arci ex prefato usufructu obventuram nos nostrosque successores dominos episcopos presentibus perpetuo obligamus et astringimus. Quas quidem sedecim marcas, si nos aut nostri prefati successores solvere noluerimus aut noluerint, extunc liberum erit dictis vicariis et eorum successoribus huiusmodi septem mansos, a prefatis venditoribus videlicet Myrosch et Paulo Maszur emptos, bene instructos et locatos, cum plenitudine iuris, dominii, proprietatis atque usufructus prefati, videlicet censu duarum marcarum a quolibet manso, binis pullis, duobus modiis avene a quolibet manso et rustico labore presentibus revocare, revocatosque in dicti beneficii usum convertere, vendicare et appropiare, secundum quod illis commodius videbitur expedire. In cuius rei testimonium sigillum nostrum maius presentibus est subappensum. Actum in Colmenze in curia nostra episcopali dominica infra octavam Ascensionis domini, presentibus ibidem venerabilibus dominis Francisco parocho Soldensi, U. J. licentiato, cancellario nostro, et magistro Joanne Matcz plebano tunc predicatore Thoroniensi etc. testibus fidedignis ad premissa requisitis et rogatis. Datum loco die, quibus supra. Anno vero incarnacionis domini 1524.

*Geichzeitige Copie auf Papier im bischöfl. Arch. Frauenburg D. 66 fol. 88.*

## 828.

***1524. Mai 25. Marienburg.*** *Die preussischen Räthe transsumiren für Georg von Baysen die Erlaubniss des Königs Kazimir von 1457 zur Verpfändung des Dorfes Falanczyn. Vergl. No. 628.*

Nos Regie Maiestatis Polonie consiliarii terrarum Prussie, in conventione presenti Mariemburgensi congregati, coram omnibus, cuius condicionis, venerabilitatis, dominationis ipsi esse possint, manifeste presenti nostro vidimus recognoscimus, quod coram nobis in communi conventione ad singularem peticionem nobilium et generosorum Joannis et Nicolai

Gluchowsky magnificus et generosus dominus Georgius de Bayzen, Mariemburgensis palatinus et in Gmiewo capitaneus, regias litteras in papiro scriptas Kazimiri bone memorie regis Polonie apposuit, illeso regio rubee cere sigillo impresso, duobus aquilis et duobus armatis equitibus sigillato cum debita relacione ita continentes: „Relacio reverendi patris domini Joannis de Brzezyc utriusque iuris doctoris, Electi ecclesie Varmiensis et R. P. vicecancellarii“ tali conditione et forma, ut sequitur, de verbo in verbum ita continentes et scriptas:

Kazimirus, d. gr. rex Polonie etc. *vgl. ob. p. 506 nr. 628.* Dat. Piotrcovie in convencione feria tertia die s. Nicolai episcopi anno Christi natalis MCCCCLVII.

Sicuti talia scripta et littere sine macula a consiliariis terrarum et civitatum visa et audita condicione suprascripta coram nobis apposita testificamus presentibus nostris litteris apertis coram omnibus et singulis, quas nos ob meliorem tutelam communi terre sigillo sigillare permisimus. Datum in vigilia corporis Christi post Christi natalem anno Millesimo Quingentesimo Vicesimo Quarto.

*Aus dem Original der Bestätigung des K. Sigismund I. vom J. 1530 im Culmer Diöc.-Arch. Abschrift bei Mauritius nr. 129.*

## 829.

***1524. Juli 18. Thorn.*** *Johannes, Bischof von Culm, beauftragt den Culmer Domherrn Raphael Wainer, den Magister Johannes Maths als Pfarrer von St. Johann in Thorn in sein Amt einzuführen.*

Joannes, dei gracia Episcopus Culmensis, venerabili viro domino Raphaeli Wainer, ecclesie nostre Culmensis canonico, fratri in Christo dilecto, salutem in domino sempiternam. Vacante parrochiali ecclesia tituli Sancti Joannis antique civitatis Thoren nostre diocesis per tuam ipsius liberam resignacionem, de consensu patronorum spectabilium senatorum eiusdem civitatis nobis factam, cuius iuspatronatus pro hac vice ad serenissimum principem et dominum dominum Sigismundum, dei gracia regem Polonię, magnum ducem Lythuanię, Russię Prussięque etc. dominum et heredem, dominum nostrum clementissimum, ex alternata sorte pertinere dinoscitur, eam ipsam venerabili viro domino magistro Joanni Maths Thorunensi, studii Lipcensis academie collegii beate Virginis collegiato, et eiusdem parrochialis ecclesie concionatori, nobis in Christo dilecto, ad sue Maiestatis Sacre Regie presentacionem cum omnibus et singulis iuribus parrochialibus ac pertinenciis suis conferendam et assignandam duximus conferimusque et assignamus per presentes, ipsum preterea ad eandem gubernandam per manus nostre capiti suo imposicionem, accepto ab eo (ut moris est) fidelitatis iuramento instituimus et investivimus, instituimusque ac investimus per presentes, curam animarum et administracionem spiritualium ac temporalium rerum in eadem sibi committentes. Quapropter te, venerabilem fratrem in Christo, hortamur in domino, quatinus ad requisicionem presencium tibi intimatam, adhibitis

solemnitatibus, que in tali actu fieri consueverunt, accercitis eciam ob honestatem nonnullis presbiteris, in presencia populi ipsum dominum magistrum Joannem in eiusdem ecclesie realem, actualem et corporalem possessionem introducas, atque vigore presencium instituas, faciendo et mandando sibi de omnibus et singulis proventibus ac universis iuribus parrochialibus per eos, quorum interest, plenarie responderi. In quorum omnium premissorum fidem et testimonium sigillum maius est subappensum. Actum et datum Thorunię die lune proxima post ferias apostolorum anno Christi Millesimo quingentesimo vigesimo quarto.

*Original auf Pergament ohne Siegel, das verloren ist, im Rathsarchiv zu Thorn.*

## 830.

***1524. December 4. Thorn.*** *Die Bischöfe Mauritius von Ermland und Johannes von Culm erlassen auf dem Landtage zu Thorn ein Schreiben an den Papst* „de re Lutherana in Prussia exorta". Dat. in conventu Thorunensi (die) quarto Decembris 1524.

*Aufzeichnung im bischöfl. Archiv zu Frauenburg. A. 86 fol. 13, 16.*

## 831.

***1525. März 29. Rom.*** *Clemens VII. ermahnt die Bischöfe von Ermland und Culm, in ihrem Eifer beim Kampfe gegen die Irrthümer zu beharren.*

Copia Brevis Pape ad Warmiensem et Culmensem episcopos.

Clemens Papa VII. Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem. Legimus litteras fraternitatum vestrarum, que mentem nostram varie admodum affecerunt. Nam cum pro pastorali nostro officio et cura dominici gregis universi nobis ab omnipotenti deo demandata interitum minime etiam ovis graviter feramus, quanta nos sollicitudine et molestia affici existimatis, intelligentes tot fidelium iacturam, qui salutari sacri baptismatis unda perfusi, deo dicati et consecrati, perditorum hominum et iniquitatis filiorum violenciis fallaciisque decepti et inducti, se Sathane addixerunt, et a recto fidei tramite declinantes in cecas errorum tenebras coniecerunt, unde ex perpetua vita et felicitate, ad quam ab ipso deo vocati erant, ad sempiternam mortem et infinitas calamitates atque miserias merito condamnentur. Rursum nobis gratissimum fuit intelligere, vos et pie et constanter pro vestro sacerdotali officio et in Christi fidem debito adversus malignos spiritus, zizanie seminatores et bonorum frugum corruptores, vestram virtutem opponere, et a venenatis illorum sermonibus et scriptis mentes fidelium, qui vestre fidei commissi

sunt, magno studio et vigilancia custodire, quod profecto vestrum egregium et bonis episcopis conveniens factum nos in domino commendamus plurimum. Cum enim pertineat maxime ad nos, tum universam catholicam fidem puram et illibatam conservare, tum etiam singulorum vel hominum vel populorum salutem custodire, quorum nobis in tanto munere et opere facilius sustinendo virtus parata est, eorum voluntatem et operam omni nostra commendatione et benevolencia prosequimur. Nunc quoniam perfectum opus in omnibus Christi fidelibus et in episcopis precipue est perseverancia: vos in domino valde hortamur, ut similem et constanciam et virtutem ad extremum usque perducatis, quam rem et apud ipsum deum dominum nostrum premium beatitudinis sempiterne et apud homines gratiam et laudem vobis comparaturam, eodem domino faciente, pollicemur. Nos certe et quantum apud misericordiarum patrem nostris precibus possumus, et apud homines auctoritate valemus, omni vigilancia, labore, sollicitudine ac severitate eciam, quam in ipsos impios exerceri mandavimus, in istius heresis pestem longe lateque vagatam extinguendam et in veterem totque iamdiu seculis per spiritum sanctum conservatum ordinem fidei orthodoxe instaurandum incumbere non desistimus neque desistemus, ac fraternitatibus vestris tum ad vestra et ecclesiarum vestrarum bona in integrum restituenda, tum ad dignitatem vestram constituendam, quantum cum dei gratia possumus, nulla in re defecturi sumus. Datum Rome apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die XXIX Marcii M. D. XXV pontificatus nostri Anno Secundo.

*Abschrift im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 64 nr. 5.*

## 832.

***1525. April 9. Krakau.*** *Friede zu Krakau zwischen dem Könige Sigismund I. von Polen und dem Hochmeister des deutschen Ordens, nunmehrigem Herzoge Albrecht von Brandenburg.* Datum Cracovie, die dominica Palmarum, Anno domini MDXXV. regni nostri Anno XIX. presentibus . . . . patribus dominis Joanne de Lasko, archiepiscopo Gnesnensi, Legato nato et Primate, Petro de Thomice Cracoviensi et Posnaniensi ac regni nostri vicecancellario, Mathia a Drzewica Vladislaviensi, Raphaele de Leczno Plocensi, Mauritio Warmiensi, Andrea Krycki Premisliensi, Joanne Culmensi, Jacobo Chelmensi, Laurentio Camenecensi episcopis, ac . . . . Georgio de Baysen palatino Marienburgensi et capitaneo Mevensi, Georgio de Konopat Pomeraniae et capitaneo Swecensi palatinis etc.

— — *Die bei dem Friedensschlusse zu Krakau anwesenden Bischöfe (s. zuvor) berichten dem Papste Clemens VII. über den traurigen Zustand der katholischen Kirche in Polen und schicken zwei Domherren von Gnesen an ihn ab, um ihm das Nähere mündlich mitzutheilen.* Ex Cracovia nona mensis Aprilis a. d. MDXXV.

*Dogiel IV 225 nr. 168 u. Instrum. Miscell. Poloniae bei Theiner, Mon. Pol. II 426 nr. 451.*

## 833.

***1525. December 8. Thorn.*** *Die Räthe der Lande Preussen sprechen in einem Processe zwischen der Stadt Culm und den Brüdern des dortigen Schulhauses letzteren die Güter Gogolin und Steinwege zum beständigen Niessbrauch zu.*

Decretum Consiliariorum terrarum Prussie in causa ratione bonorum Gogolin et Steinwegk.

Nos Prelati, Palatini, Castellani, Succamerarii Terrarum et Civitatum, Sacre Regie Maiestatis Poloniarum domini nostri clementissimi Consiliarii, in generali conventu hic Thorunii in termino S. Barbare congregati, notum facimus presentibus, coram nobis iudicialiter comparuisse venerabilem dominum Valentinum, ecclesie parochialis Culmensis predicatorem, una cum spiritualibus dominis ac fratribus domus scholaris ibidem, nomine Joanne et Conrado, ab una, et honoratos senatus Culmensis Paulum Werner et Marcum de Berge suo et eiusdem civitatis nomine ab altera partibus, ratione bonorum Gogolin et Steinwege, que dicta civitas quondam domui fratrum perpetuis temporibus resignavit, prouti litere desuper emanate obloquuntur; Coram nobis contestantes, qualiter fratres contra dictam civitatem conquesti sunt, quod supradicta bona ideo, quia prefatam scholam in solita perfectione non servant, recipere velit. Quod adversa quoque pars concessit ea mente, si quidem ipsis civitas bona illa saltem ad triginta annos utifruenda concessit, de perpetua autem donatione penitus ignorat, in quam nequidem consentire potest. Fratres econtra binas produxerunt literas sue donationis privilegium in se continentes, suppliciter rogantes, uti iuri consonum erat, ipsos circa eadem sententia et decreto nostro mediante conservari et sibi adiudicari. Cum a parte adversa nulla subsidia preter supranominata allegarentur, deum et eius iustitiam pre oculis habentes, auditis ambarum partium propositione et responsione, sententiamus et pronunciamus: Predicta bona penes domum fratrum vigore literarum eius, quas legitimas censemus, remanere debere per fratres, uti hactenus, pacifice utifruenda; quantum vero ad censum et quartum manipulum pro hac vice attinet, que civitas uti sequestrata ex permissu nostri Vellui (!) ad se recepit, ea dictis fratribus a civitate reddi restitui et referri debent. Maioris securitatis causa sigillum provinciale subapprimi fecimus. Datum Thorunii in die Conceptionis Marie sanctissime deipare 1525 Anno.

*Aus einer Abschrift im bischöflichen Archiv zu Pelplin, in Sedlag's Manusc. p. 216.*

## 834.

***1526. Januar 1. Culmsee.*** *Verschreibung des Culmer Domcapitels über die Mühle in Kunzendorf.*

Wir Raphael Weiner, Martinus Czema, Nicolaus Crapicz, Georgius Hintze vnd das gantze Capittel der Colmischen kirchen be-

Nos Raphael Wayner, Martinus Czema, Nicolaus Crapicz, Georgius Hintze, universumque ecclesie Culmensis capitulum, palam

kennen offentlich yn dissem brieffe vor allen, den er vorkumpt zu horen ader lesen, das wir dem ersamen Albrecht Charst, seynen rechten erben vnd nochkomlingen, vnse mole zu Kunczendorff mit enem kornrade vor hundert margk geringes prewschs geldes vorkofft haben zu Colmischem rechte erblich vnd ewiglich zu besitzen; vorleien ym freie fischerei mit klenen geczewge zu irem tische yn dem teiche zur molen gehorende; vorleien ym frey bornholcz zu yrem fewer, das yn vnser hede vnd weldern zu holen; vorleien ym och frei bawholcz zu der molen notdorfft, das zu hawen yn vnser hede vnd weldern, das wir yn, wen is gehawen ist, furen sollen, vnd sie sullen denne dy mole selber besseren vnd bawen. Wir sullen yn och den tham besseren, wen es not tuth. Were es aber sache, das der tham ausbreche vor vorszewmnusz des molners, so solden wir nitz dozu thun, es were denne vnser gutter wille. Och wen dy vorflut besserung bedarff, dy sollen wir thun. Vorleien yn klene garne zu haben vnd wynde zu halden. Och vorleien yn enen garten frei, wie er yn geweisst ist. Vorleien yn zcuw huben ym dorffe, ene frei vnd von der ander II. margk jerlich zcinsen sal, des Scharwerks frei. Wir wollen och, ob es hernoch moles geschege, das ymand kweme mit elderen hantfesten, die off die mole sprechen, das sulche hantfesten tod sullen sey vnd vnmechtig. Hie von sal der egemelter Albrecht, seyne erben vnd nochkomlinge vns zcinsen ene last koren jerlich ane alle widderrede, nemlich vff alle Quatertemper XV scheffel, dy ane metze vnd frei malen, sal och vns alle malcze schrot (alias

recognoscimus hisce literis coram universis et singulis, quibus litere presentes offerentur, audituris pariter ac lecturis, quod nos famoso Alberto Chrast (!) suisque legitimis heredibus ac posteris molendinum nostrum in villa Cunczendorff cum una rota molendinaria siliginis pro centum marcis levioris prusicalis monete vendideramus pro juris culmensis dispositione hereditarie et in perpetuum possidendum. Concedentes illis cum parvis retibus liberam piscationem ad usum et mensam eorum in stagno ad molendinum pertinente. Similiter illi concedimus liberam lignationem pro suo igne fovendo eamque in silvis et nemoribus nostris cedendam. Concedimus quoque illi libera robora ad molendini necessariam edificationem in silvis et nemoribus nostris deicienda, que quidem robora excisa nos illis vehere tenemur atque illi ipsi molendinum edificare et meliorare debent. Nos ibidem quandocunque necessitas postulaverit, aggerem illi restaurabimus. Si autem agger huiusmodi per molitoris negligentiam rumperetur, nos ad hoc nihil conferre obligamur, nisi ex nostra bona voluntate. Similiter si aquefluxus restauratione egeret, ad eam nos tenemur. Concedimus etiam illis, ut parva retia habeant canesque venaticos alant. Similiter illis concedimus liberum hortum, sicuti illi demonstratus fuit. Concedimus illis in villa duos mansos, unum liberum et de altero duas marcas prutenicas annuatim nomine census solvere tenebitur, ab omni tamen ministerio alias szarbarg exemptus est. Nos quoque volumus, si postmodum acciderit quempiam antiquiora privilegia contra dictam venditionem offere, quod illa mortificata et invalida et enervata esse

hospex) frei malen, so offte [wir] zur molen senden werden. Zu ewigem gedechtnusz disser dinge haben wir vnsers Capitels Segel hy vnden angehangen, dobei gewest sein die erbar menner Hans und Niclos von Glowchaw gebrudere, Peter von Labeschin, Hans von Wysokky molners, Pawl scholcze von Kuncendorff. Gescheen vnd gegeben am Newjors tage im jor M. CCCCC vnd ym XXVI$^{ten}$ vffem thume zu Colmensehe.

Dornoch ist er mit vns vmb das ander korenrath einsworden, do von sal er jerlich zcinsen X scheffel koren. So wirt ys ober alle I. last X scheffel. Dis korn sal er vnd seine erben jerlich czynsen vnd frey malen. Kein behulff gebroch des wassers ym sommer yn entschuldigen sal, worumme. er habe wasser ader nicht, oben bestimpten zcins geben sal. Dis gescheen trium Regum ym dem selbigen Jore.

debeant. De his prenominatus Albertus sui heredes et posteri nobis pro censu annuo unam lastam siliginis sine omni contradictione annuatim dare tenebuntur, nimirum pro quolibet quadrante anni quindecim modios parvos consuetos, atque illos libere molere debet et tandem quoque braseos nostros et ospas libere molere, quotienscunque ad molendinum missuri sumus. Ad cuius rei perpetuam memoriam et firmitatem nos quatuor nostri Capituli sigillum hic infra addidimus in presentia famosorum ac nobilium Joannis et Nicolai de Gluchouo fratrum et Petri de Labissino, Joannis de Wysoky, Pauli sculteti de Conczendorff. Actum et datum die Circumcisionis domini Anno 1526 in summo Culmen.

Postea convenit nobiscum ratione alterius rote, quod ratione istius rote alterius debet decem modios siliginis annuatim persolvere, et huiusmodi siliginem ille, illius heredes, annuatim solvent et libere molent, nullum subterfugium deficientis aque in estate pretendendo, qua propter, is aquam habeat sive non, supra denominatum censum dare debebit. Hoc factum die trium Regum illo eodem anno.

*Aus der gleichzeitigen Abschrift im Nachtrag des Cop. Culmense nr. 79 und deren Copie bei Mauritius nr. 174.*

## 835.

***1526. März 23. Marienburg.*** *Sigismund I., König von Polen, befiehlt, die im Culmerlande gebräuchlichen kirchlichen Abgaben an Bischof, Domcapitel und Pfarrer nach alter Gewohnheit fortzuentrichten.*

Sigismundus dei gratia rex Polonie, magnusdux Lithwanie, Russie ac omnium terrarum Prussie Masouieque etc. dominus et heres. Notum facimus per presentes, quibus expedit, universis, quomodo coram nobis totoque nostro regio senatu tam regni nostri Polonie quam eciam nostrarum terrarum Prussie in conventu generali Marienburgi in

arce nostra celebrato, constituti reverendus in Christo pater dominus Joannes, episcopus Culmensis, sincere nobis dilectus, suo ac sui Capituli nominibus ex una, et nobilitas ac civitates terre Culmensis parte ex altera, ubi dominus episcopus questus est contra eandem nobilitatem, civitates, opida et villas, quod sibi et suo capitulo ecclesie Culmensis annonas aratrales, quas pluzne vocant, a quolibet aratro unum videlicet modium siliginis et alterum modium tritici, loco decimarum institutas, pretextu Luterane factionis solvere recusant, censuras quoque ecclesiasticas in hac parte non curantes, quas quidem annonas a ducentis annis et ultra eorum predecessores ac ipsimet sine aliqua contradictione semper cum bona voluntate exsolverunt, prout testimoniis litterarum et antiquorum registrorum a domino episcopo comprobatum, altera parte suam recusacionem nullo litterarum elogio comprobante. Nos itaque cum amplissimo nostro regio senatu huiusmodi iuste querele domini episcopi et sui capituli equam rationem habentes, considerantesque, quod huiusmodi annone aratrales ex donacionibus ac pactionibus principum, de consensu omnium subditorum nostrorum utriusque status terrarum Prussie, antiquitus emerserit, locoque decimarum institute sint, et a sede apostolica litteris sufficienter confirmate, quas et *nos* ratificamus et confirmamus presentibus; tum quod ipse dominus episcopus Culmensis cum suo capitulo easdem annonas aratrales ultra longissimam prescriptionem per suos predecessores ac se ipsum perceperit et pacifice iure suo semper potitus est; nolentes pretextu prefati Luterani erroris in nostro regno nostrisque dominiis quicquam innovari aut per aliquem cuiuscunque status, quod contra ecclesie instituta esset aliquid fieri debere, decernimus presentibus, ut prefata nobilitas terre Culmensis unacum suis agricolis, et cives ipsi quarumcunque civitatum aut opidorum eiusdem terre ac dyocesis Culmensis, *qui* agros colunt, easdem annonas aratrales et quecunque alia iura episcopalia aut parrochialia ipsi domino episcopo et suo capitulo ac ipsis plebanis, ut antea consueverunt, sine aliqua contradictione, iuxta antiquam consuetudinem solvant realiter singulis annis, intra terminum dierum a festo sancti Michaelis incipiendo usque ad festum sancti Martini confessoris inclusive. Proinde nichil sua temeritate pretextu alicuius novi erroris innovent aut permutare audeant; et quemadmodum nobis nostrisque successoribus regibus in temporalibus, ita etiam in ecclesiastico statu in spiritualibus iuxta maiorum suorum sacrosancta instituta fideliter obediant, ritibus sancte Romane ecclesie in omnibus se conformantes, censuras quoque ecclesiasticas ut fideles christiani pre oculis habeant, illas omnino metuentes. Preterea quicunque ex nobilitate huic nostre sentencie contravenerit, premissis satisfacere nolendo aut se quovismodo opponendo, volumus, ut ad requisicionem domini episcopi vel eius capituli dominus Palatinus Culmensis pro tempore existens in talem contumacem nobilem pignoribus et aliis penis solitis animadvertat, donec se satisfacione et emendacione sue pertinacie domino episcopo et ecclesie ipsi reconciliet. Hoc ipsum de civibus opidanis et villanis contumacibus, ut in suis locis ordinariis prescriptis penis pignoracionis et aliis puniantur, et ad satisfactionem compellantur, presentibus dispositum esse volumus.

Actum ac datum in arce nostra Marienburgensi, feria sexta ante festum Annunciacionis sancte Marie domine nostre, anno domini Millesimo quingentesimo vicesimo sexto, Regni nostri anno vigesimo. — Relacio reverendi in Christo patris domini Petri Thomyczki episcopi Cracoviensis et regni Polonie vicecancellarii.

Petrus Episcopus et Vicecancellarius subscripsit.

*Aus der gleichzeitigen Abschrift im Nachtrag des Cop. Culmense nr. 78 und deren Copie bei Mauritius nr. 78. Gedruckt in Acta Tomiciana VIII 35.*

## 836.

***1526. Juni 14. Danzig.*** *Sigismund I., König von Polen, erneuert das Privilegium des Jacob Rokusz über die Güter und Dörfer Dzwierzno, Zaionskowo, Ostrów, Oczyn und die Hälfte von Zeglno.*

In nomine domini Amen. Ad perpetuam rei memoriam. Quia in continua rerum et temporum varietate res geste hominum facile e memoria labunter, ideo necesse est, quod perpetuis literarum munimentis commendentur. Proinde nos Sigismundus dei gratia rex Polonie, magnus Dux Lithuanie, Russie, Prussie, terrarum Cracouie, Sandomirie, Syradie, Łancicie, Cuiauie ac omnium terrarum Prussie et Pomeranie etc. dominus et heres. Significamus etc. Quia nos habentes in bona consideratione fidem et integritatem, simul ac fidelia servitia generosi Jacobi Rokusz de Dzwierzno, terrigene nostri fidelis dilecti, quibus nedum nobis sed etiam divo Vladislao, Hungarie et Bohemie etc. regi, patri nostro desideratissimo, plurimum se viderit commendatum, tum etiam recensentes fratris (?) sui grata et per multos annos nobis exhibita servitia generosi olim Joannis Rokusz, qui dum annis superioribus cum illustri domino Alberto, marchione Brandenburgensi etc. duce in Prussia, nepote charissimo, bellum gereremus, cum omni (!) laude decertare se imbuit, volentesque dictum Jacobum Rokusz consolatum efficere ac ad futura obsequia nostra et reipublice promptiorem facere, sibi et eius legitimis successoribus per hoc presens novum privilegium nostrum, et bona et villas has, Dzwierzno, Zaianczkowo, Ostrow, Oczyn et medietatem ville Zeglina in terra Culmensi et districtu Coualiensi consistentes, ex certa scientia et speciali gratia regiis nostris, ac de consilio et assensu Consiliariorum nostrorum regni Polonie et terrarum Prussie, iure Culmensi et hereditario, alias prout illas legitime prius tenebat et possidebat, tenetque et possidet de presenti, dandum donandum et inscribendum duximus, damusque donamus et inscribimus presentibus in evum, nihil iuris dominii et proprietatis nobis et successoribus nostris in eisdem bonis et villis suprascriptis reservando, per ipsum Jacobum Rokusz et suos legitimos successores vigore presentis privilegii nostri villas prefatas, omnes et singulas Dzwierzno, Zaianczkowo, Ostrow, Oczyen et medietatem villae Zeglina, cum omnibus earum iuribus libertatibus pertinentiis et coherentiis universis incolis, advocatis, scultetis, colonis, agricolis, inquilinis, tabernatoribus, piscatoribus et cum contributionibus omnium piscium, hortulanis et eius

tributariis, advenis, curiis, areis, prediis, domibus, edificiis, allodiis, horreis, pomariis, hortis, tabernis, hortulaniis, censibus, proventibus, redditibus, tributis, solutionibus, laboribus, iuvaminibus, quibuscunque censeantur, omnibus serviciis, lacturis et quibuslibet oneribus, penis, angariis, laboribus, . . . . riis, datiis pecuniariis et frumentariis, ac etiam mellis, agris, campis, arvis, pascuis, pratis, graminetis, sylvis, gaiis, nemoribus, indaginibus, mericis, sareptis (!), rubetis, dumetis, quercetis, dumetis desertis, borris, gaiis, inemptionibus (?), mellificiis, apiastris, apibus et melle ex eis proveniente, venationibus quarumlibet ferarum, aucupiis, fluviis, fluminibus, obstaculis piscium et castrorum rivis torrentibus, aquis earumque decursibus, paludibus, stagnis, lacubus, piscaturis, piscinis et earum demissionibus, vinariis, piscariis, molendinis aquaticis equinis ventilibus inaquatilibus constructis et construendis eorumque proventibus et utilitatibus, et quibuslibet emolumentis aliisque omnibus et singulis fructibus, redditibus, proventibus, et obvencionibus, universis quibuscunque modis, nominibus, cognominibus, et vocabulis vocitantur, nullis prorsus exceptis ad prefatas omnes et singulas villas quamlibet ab antiquo spectantes et pertinentes, que nunc sunt in eisdem bonis, et in futurum industria humana excogitari restaurarique poterint, et que in hoc privilegio nostro omnia pro expressis et nominatis dictis haberi volumus decernimusque presentibus et quibuscunque in iure dominio et proprietate ita longe et late et in circuitu, prout prefata bona omnia et singula in se et suis veris et legitimis limitibus ab antiquo sita conferendum tenendum habendum utifruendum pacificeque et quiete possidendum ac cuidam donandum, vendendum, obligandum et in usus ipsius Jacobi Rokusz et eorum legitimorum successorum beneplacitos convertendum perpetuo et in evum, tenore presentium mediante. In cuius rei testimonium sigillum nostrum presentibus est subappensum. Actum in civitate nostra regia Gedanensi feria quinta proxima post festum sancti Antonii, anno domini Millesimo Quingentesimo Vigesimo Sexto Regni nostri anno vigesimo. Presentibus reverendis in Christo patribus, dominis Petro de Tomice Cracoviensi, regni nostri vicecancellario, Matthia de Drzewica Vladislaviensi, Joanne de Latalice Posnaniensi, Mauricio Varmiensi, Andrea Czycio Premysliensi, Joanne de Konopath Culmensi episcopis; necnon magnificis generosis et venerabilibus Christophero de Schydłowiec palatino et capitaneo Cracoviensi, ac regni nostro cancellario, Stanislao de Koscielecz Posnaniensi et capitaneo Marieburgensi, Andrea de Thenczyn Sandomiriensi, Hyeronimo de Laski Syradiensi, Nicolao de Koscielecz Calissiensi, Georgio de Baysen Mariemburgensi, Joanne de Lusianis Culmensi, Georgio de Konopath Pomeranie palatinis, Luca de Gorka castellano Posnaniensi et capitaneo maioris Polonie generali, Nycolao de Schydłowiec Sandomiriensi regni nostri thesaurario, Joanne comite de Tacnow Woynicensi et capitaneo Sandriensi, Stanislao de Sprowa Sandecensi, Joanne de Wyeczwina Plocensi et capitaneo in Bratian, castellanis; Petro Cmytha de Wyshnice marschalco curie nostre Premisliensi et Scepusiensi capitaneo, Joanne Karnkowski Cracoviensi et Scarbimiriensi, Nicolao Zamoyski Tarnoviensi preposito et canonicis Cracovien-

sibus, Joanne Chocenski archidiacono Cracoviensi secretariis nostris et aliis quam plurimis dignitariis, officialibus ac curiensibus nostris ad premissa testibus fidedignis sincere et fideliter dilectis. Datum per manus prefati magnifici Christopheri de Schydlowiec in Szczmielow et in magna Opathow palatini et capitanei Cracoviensis ac regni nostri cancellarii, tum Syradiensis, Sochaczoviensis Goseniensis ac Nove Civitatis Corczyn etc. capitanei syncere nobis dilecti. Relatio magnifici Christopheri de Schydlowiec palatini et capitanei Cracoviensis ac R. P. cancellarii.

*Aus einer Confirmation des Königs Sigismund III. vom 26. September 1622 im Original auf Pergament im Archiv der Jakobskirche in Thorn.*

## 837.

***1526. Juni 21. Danzig.*** *Sigismund, König von Polen, erneuert 1) dem Simon Pirchen die Besitzurkunde über die Dörfer Grabowo, Burkartzdorff, Montzaw und Banthomino in Pomerellen.* Dat. in civitate nostra Gedanensi feria 5 proxima ante festum Nativitatis S. Johannis Bapt. a. d. MDXXVI. regni anno XX. presentibus dominis Petro de Thomice Cracoviensi et regni n. vicecancellario, Mathia de Drzewicza Wladislaviensi, Johanne Latalski Poznaniensi, Mauricio Warmiensi, Andrea Crziczki Premisliensi, Joanne de Konopat, Laurencio Miedzileski Camenicensi episcopis, necnon — Joanne de Lusianis Culmensi, Georgio de Baysen Marienburgensi palatinis. etc.

*2) dem Melchior von Parzkau die Handfeste des Dorfes Parzkau im District Putzig.* Dat. et testes, ut supra.

— ***Juli 17.*** *Derselbe bestätigt 3) dem Cistercienser-Nonnenkloster zu Sarnowitz die Schenkung des Dorfes Wirkoczino durch Herzog Swantopolk v. J. 1257.* Dat. — feria 3. post festum divisionis apostolorum 1526. Testes, ut supra.

— ***Juli 22.*** *Derselbe verleiht 4) den Besitzern von Kl. Malschau, Kr. Stargard, ein Privilegium.* Dat. — feria 6 ante f. Marie Magdalene 1526. Testes ut supra.

— ***Juli 23.*** *Derselbe schenkt 5) dem Bürgermeister Eduard Nyderhoff in Danzig den Hof Solemyn bei Danzig.* Dat. — sabbato proximo ante fest. Marie Magdalene a. d. 1526. Testes ut supra.

*1) Cod. dipl. Cartusiae Paradisi B. M. V. (Manusc. in Pelplin) f. 264. 2) Zeitschrift des hist. Vereins für Marienwerder H. VIII 91. 3) Rzyszczewski, Cod. Pol. II 608 nr. 447. 4) Orig. o. S. im Kgsb. St.-Archiv. 5) Cod. dipl. Cartusiae Paradisi B. M. V. f. 310.*

## 838.

***1526. Juli 22. Danzig.*** *Sigismund I., König von Polen, bestätigt den zwischen dem Culmer Bischof Johannes von Konopath und dessen Bruder im Jahre 1522 geschehenen Austausch des Gutes Pluskowenz bei Culmsee gegen einen Theil von Targowisko bei Loebau.*

In nomine domini amen. Ad perpetuam rei memoriam. Cum necessarium et expediens sit, ea, que vel concordia aut aliquo contractu transacta sunt, ut firma illibataque persistant et ne in recidive contentionis scrupulum relabantur, auctoritate principum et literarum presidio communiri: Proinde nos Sigismundus, dei gratia rex Polonie, magnus dux Lithuanie, Russie omniumque terrarum Prussie etc. dominus et heres, manifestum

facimus tenore presentium universis et singulis, presentibus et futuris harum notitiam habituris, quia constitutus personaliter coram nobis magnificus Georgius de Konopath, palatinus Pomeraniae ac Suecensis capitaneus, syncere nobis dilectus, exhibuit literas originales reverendi in Christo patris domini Joannis episcopi Culmensis, fratris sui germani, syncere nobis dilecti, eius patris necnon venerabilis capituli sui Culmensis sigillo communitas, permutationem bonorum, videlicet Plewszkanwancz in districtu Papoviensi mense prefati domini episcopi pro sorte ville Targouicz circa oppidum Lobaw site ad prenominatum magnificum Georgium, palatinum Pomeranie, iure hereditario spectante, supplicavitque nobis idem magnificus palatinus Pomeranie, ut eam ipsam permutationem bonorum prefatorum, et alia, que in dictis literis continentur, auctoritate nostra approbare ratificareque et confirmare dignaremur. Quarum quidem literarum ex sermone germanico in latinum diligenter et fideliter translatarum tenor sequitur et est talis.

Nos Joannes, etc. *wie oben nr. 820.* Date sunt he litere in curia nostra in Colmeze, feria sexta post festum beatorum Petri et Pauli apostolorum, anno nativitatis Christi MDXXII etc.

Nos itaque Sigismundus, rex Polonie predictus, considerantes iustam esse supplicationem memorati magnifici Georgii de Konopath, palatini Pomeranie, cuius singularem virtutem et in rebus agendis dexteritatem exploratam habemus et compertam, eam ipsam eius supplicationem ad exauditionis gratiam non gravatim admisimus, ratamque et gratam habentes permutationem dictorum bonorum in preinsertis literis expressorum, per ipsum reverendum dominum episcopum et magnificum palatinum Pomeranie prefatum citro ultroque factam, illam perinde approbavimus et confirmavimus approbamusque et confirmamus, acsi tunc cum consensu nostro facta fuisset, et robur debite perpetue firmitatis eam ipsam permutationem habere decernimus, dictamque sortem ville Targouicz, quondam ad eundem magnificum Georgium de Konopath palatinum Pomeranie pertinentem, ipsi reverendo domino episcopo Culmensi et eius fratris mense episcopali ac immunitati ecclesiastice perpetuo asscribimus, decernentes eandem sortem ville predicte Targowicz esse ecclesiasticam ac iuri ecclesiastico subiacere, debereque ea libertate potiri et gaudere, qua alia bona ipsius domini episcopi aut eius fratris mense et ecclesie Culmensis potiuntur et gaudent. Villam vero Plewszkanwancz, que ex huiusmodi permutatione prenominato magnifico Georgio de Konopath, palatino Pomeranie, cessit, ipsi et eius legitimis successoribus seu heredibus appropriamus et iuri terrestri subiicimus, transferentes ex suprascripta sorte ville Targouicz, prout harum serie literarum transferimus, onus bellice expeditionis, iuxta consuetudinem terrarum nostrarum Prussie obeundum, in dictam villam Plewszkanwancz per ipsum magnificum Georgium de Konopath eiusque legitimos heredes et successores cum omni iure dominio et proprietate, cum omnibusque et singulis eius censibus, reditibus, proventibus, colonis, agris, prediis, campis, pratis, pascuis, hortis, sylvis, nemoribus, molendinis et eorum emolumentis, ac duobus parvis lacubus in preinsertis literis descriptis, necnon piscinis, piscaturis intra limites ville predicte Plewszkanwancz, ac aliis

utilitatibus quibusvis presentibus et futuris, et cum iis omnibus pertinentiis, prout ipsam villam predictam memoratus dominus episcopus Culmensis possedit et ea usus fuit, ita late longe et circumferentialiter, prout in suis terminis continetur, sic quod specialitas generalitati et generalitas specialitati non deroget, nihil in eadem villa et eius usufructu excipiendo, preter piscaturam in lacu Colmesecensi pro mensa ipsius domini episcopi et eius capituli reservatam, tenendum, habendum, utifruendum quieteque et pacifice possidendum, ac dandum, donandum, vendendum, alienandum et in suos suorumque successorum usus beneplacitos convertendum, prout ipsi magnifico palatino prefato et ipsius successoribus legitimis melius et utilius videbitur expedire. In quorum omnium et singulorum premissorum fidem et testimonium sigillum nostrum est presentibus appensum. Actum et datum in civitate nostra Gedanensi, die sancte Marie Magdalene anno domini Millesimo Quingentesimo vigesimo sexto, regni nostri anno vigesimo. Presentibus reverendis in Christo patribus dominus Petro de Tomice Cracoviensi et regni nostri vicecancellario, Mathia de Drzeuica Wladislaviensi, Joanne Latalski Posnaniensi, Mauricio Varmiensi, Andrea Krzycki Premysliensi, Joanne de Konopath Culmensi episcopis; necnon magnificis generosis et venerabilibus Christophero de Schidlowiecz palatino et capitaneo Cracoviensi et regni nostri cancellario, Stanislao de Koscielec Posnaniensi et capitaneo Marienburgensi, Bidgostiensi et Stumensi, Nicolao de Koscielec Calissiensi, Jeronimo de Lasko Syradiensi, Joanne de Lusianis Culmensi et capitaneo Radzinensi, Georgio de Baysen Marienburgensi et capitaneo Gmevensi, Georgio de Konopath Pomeranie et capitaneo Suecensi, palatinis; Luca de Gorka Posnaniensi et capitaneo maioris Polonie generali, Nicolao de Schidlowiecz Sendomiriensi et regni nostri thesaurario ac Radomiensi Osuianczimensi Zatoriensi Crzepriensi et Olsztinensi capitaneo, Joanne comite de Tarnow Wornicensi et capitaneo Sandomiriensi, Joanne de Koscielec Lanciciensi et capitaneo Tucholiensi, Joanne de Tarnow Sandecensi et capitaneo Pilsnensi, Janussio Swierczewski Wisliciensi et Trebouliensi ac Ropczicensi capitaneo, Stanislao de Sprowa Biecensi et capitaneo Opocznensi, castellanis; Petro Kmyta de Wisnice marschalco curie nostre ac Scepusiensi Premysliensi et Colensi capitaneo, Joanne Czarnkowski Cracoviensi et Scarbimiriensi preposito, Joanne Choinski Posnaniensi et archidiacono Cracoviensi, Sylvestro Ozarowski succamerario nostro et Zavichostensi capitaneo, Nicolao Tomicki tribuno Lanciciensi, prefecto stabuli nostri ac Costensi Pyzdrensi et Coninensi capitaneo, Joanne Tharlo de Sczetarzowice incisore regni nostri et aliis quamplurimis dignitariis, officialibus et aulicis nostris ad premissa testibus fidedignis. Datum per manus prefati reverendi in Christo patris domini Petri episcopi Cracoviensis et regni nostri vicecancellarii syncere nobis dilecti.

*Nach einem aus den Acten der kleinen polnischen Cancellei gefertigten und mit dem königlichen Siegel versehenen Original-Transsumpt des Königs Sigismund III. vom 3. October 1622 im Archive des Culmer Domcapitel.*

## 839.

***1527. Januar 4. Culmsee.*** *Das Domcapitel von Culm urkundet, dass der kürzlich verstorbene Domherr Raphael Weyner zum Besten der von ihm an der Kathedrale zu Culmsee gemachten Stiftung der Stadt Strasburg das Eigenthumsrecht des Dorfes Druszyn und auch ein Mitpatronatsrecht gegen einen jährlichen Zins von 18 Mark eingeräumt habe.*

Nos Capitulum ecclesie Culmensis significamus tenore presentium universis, quibus expedit vel expedire poterit, quomodo pie recordationis venerabilis dominus Raphael Weyner, confrater noster, noviter in domino defunctus, gravi infirmitate corporis detentus, sanus tamen mente et bene compos rationis, coram nobis tanquam patronis beneficii sui, hic circa ecclesiam cathedralem pro salute anime sue et pro consecutione felicitatis eterne fundati et erecti, cum famosis et providis viris Martino Hecht consule et Georgio Neithart notario oppidi Strasbergk, nunciis per consules et communitatem oppidi prefati racione ville Drosczyn ad eum missis, cum plena facultate agendi disponendi et negotium terminandi huiusmodi, prout sequitur, compositionem fecit inviolabiliter observandum. Ita quod dicti oppidani omnes in solidum tanquam unum bonorum Drosczyn pro sua meliori utilitate et commodo habere debent prefata bona pleno iure dominii ac proprietate, et possidere in perpetuum cum omni usufructu ac libertate, prout idem dominus Raphael, canonicus Culmensis, eadem bona Drosczyn tenuit et possedit, secundum tenorem literarum consensus serenissimi domini domini Sigismundi, dei gratia regis Polonie etc. desuper impetratarum, et singulis annis pro die natalis domini absque ulteriori protractione et contradictione, videlicet decem octo marcas leves numeri pruthenicalis monete tunc currentis pro dicto beneficio in esse conservando per nuncium proprium in Culmense mittere debent, et in manus sacerdotis, qui dicto beneficio provisus fuerit, presentare. Voluitque idem dominus fundator, ut et ipsi domini consules et communitas opidi Strosbergk omnes in solidum eiusdem beneficii compatroni essent, ita quod vicissim prevacantis dicti beneficii collatio fieret, una vice capitulum conferret et alia vice consules cum communitate, ut tanto melius pro meliori conservatione dicti beneficii superintenderent ex utraque parte. Postremo etiam utraque pars composuit, consensit et concordavit, quod si dicta villa seu bona Drosczyn per bellorum strepitum (quod deus avertat) deserta maneret, ex tunc huiusmodi solutio decem octo marcarum, iuxta communem ritum in tali eventu hic in terris ab olim servatum aut secundum quod consuetum fuerit, cessare debet, quousque eadem villa sive bona ad pristinam perveniant reformationem. In quorum evidentiam et robur firmitatis perpetue presentes scribi fecimus ac sigilli nostri munimine roborari. Actum et datum in Culmense feria sexta ante festum sanctorum trium regum proxima Anno domini Millesimo quingentesimo vigesimo septimo.

*Original auf Pergament mit dem Siegel des Domcapitels von Culm an einem Pergamentstreifen im Culmer Diöc.-Archiv. Die Schrift ist beinahe erloschen. Abschrift bei Mauritius nr. 105.*

## 840.

*1527. Januar 4. Culmsee. Der Rath zu Strasburg stellt über den von dem Dorf Druszyn an den Priester der Wayner'schen Stiftung zu entrichtenden Zins von 18 Mark einen Revers aus.*

Vor allen und iczlichen, in welcher kegenwertikeit disser Brief kompt czu sehen horen adder lesehn, bekennen und thun kunt offenbar wir Burgermeister Rothmann und gancze gemeine der stadt Stroszbergk, das wir einsgeworden und einen freuntlichen ewighen contract gemacht mit dem erwirdighen vnd achtbaren herren Raphael Wayner, thumherren der kirche czu Culmensee, obyr das Dorff Drosczyn im Strosbergschen Gebitte gelegen, welchs obgenan(t)e(r) herr Raphael hat gekowfft czu einer uffrichtunge eines lehenes in der kirche czu Culmense. Dyweil den einen beqwemen nucz, wy her vorhoffte, nicht mochte gehaben durch weither der stelle gelegenheit, welchen wir durch neher gelegenheit gefuglichr erlangen moghen, haben wir mit wolbedachtem mutte willen und eintrechtighem rothe angesehn und irkant eczlichen fromen und beqwemikeit sonderlichs nuczes und behuffs unser Stadt, vnd das dorf Drosczynn vff fruntlichs des erwirdighen herrnn Raphael ansuchen, und der achtbaren herren Prelaten des Capittels czu Culmense anmuthen angenommen mit aller gerechtikeit, herschafft, egenschafft vnd freiheit, und mit allen czughenghen, fruchten, gebrauchung vnd cinseren, in ewikeit czu besitczen, szo als der offgenan(te)r herre Raphael das salbige hot gehalten und besessen; vnd sollen ior ierlich vff alle Weynachten ane alle vorczegnys geben und cinszen Achtczehen Margk geringhe preuscher czall solcher monett, wy im lande wirth genghe vnd gebe sein. Welchen Cinsz szollen phlichtigk sein czu brenghen durch vnseren bothen ken Culmesee, vnd in dy hende des Pristers, der mit dem Lehnn versorghet, obirantwerthen. Ouch hot vns der erwirdige herr Raphaell des irlewchtigsten herrn herrn Sigismundi, von gotis gnode Konyghes in Polen etc. vorbrieffete freiheit des czoghes krighes gelownysz, wy nach clerlicher der saltighen inhalt obyr das Dorff Drosczyn obirreicht vnd gegebn. Ouch hot uns der erwirdige herre Raphael vorheischn vnwandelbar czuhalden, das dy achtbaren herren Prelaten des Capittels czu Culmensee dy gerechtikeit sollen haben, das Altare czuvorlehenen ein moll und wir das andermoll, und vorbasz also eins umb das ander. Ouch allenthalben vorwillet, szo das Dorff Drosczyn durch offenbarlichs kryghes gelowfftyns, das got nicht verhenghe, czustoreth wurde, sal nach erkentnys solcher cynsz achtczehen Margk nicht gegeben werden, szo langhe das dorff widder czukreffte gebracht werde. Disser dinghe geczeuge sint dy achtbaren herrn Prelaten des Capittels czu Culmen Merten Czeme, Nicolaus Crapitz, Jorge Heyntz etc. vnd wirdighen herren Simon polnischer predigher der pfarrekirche sanct Johannes czu Thorun, vnd Johannes Jawr altarista doselbigest, vnd ander trawirdighen personen. Geschen und gegeben czu Culmense am nehesten freitag vor der heilghen drey konighe, im Jore tausent funffhundert vnd im Siben vnd Czwenczigsten nach Christi vnsers liben herren

geburth, czu mherem bokentnys vnd ewighem gedechtnys mit vnser stadt secrete vnden angehangn besigelt.

*Original auf Pergament mit dem Pergamentstreifen, dessen Siegel abgefallen, im Culmer Diöc.-Archiv. Es hat durch Nässe stark gelitten, so dass der mittelere Theil nur mit Hülfe der Abschrift bei Mauritius nr. 183 gelesen werden konnte.*

## 841.

***1528. Juni 26. Loebau.*** *Johannes, Bischof von Culm, meldet dem B. Mauritius Ferber von Ermland, dass er auf dem nächsten Landtage persönlich erscheinen werde.*

R$^{mo}$ — — domino Mauricio d. gr. Episcopo Warmiensi etc.

Reverendissime etc. Literas p. v. R$^{me}$ hac hora, qua versus Culmenseh abire volui, accepi, ex quibus convencionem pro feria quarta post Margarethe per p. v. R$^{mam}$ institutam esse intellexi. Id quod michi admodum placet ac deo dante pro eodem die ac loco personaliter constituam. Pro quo quidem negocio, ut a p. v. R$^{ma}$ cercior fierem, hesterna die ad eandem p. v. R$^{mam}$ literas miseram. Literas alias ad personas et loca sine omni mora misi. Cum his me eidem p. v. R$^{me}$ commendo, que et quamfaustissime semper valeat. Datum Lubouie feria sexta post Joannis Baptiste anno 1528.

Joannes d. gr. Episcopus Culmensis.

*Original auf Papier im bischöfl. Archive zu Frauenburg D. 66 fol. 168.*

## 842.

***1528. Juli 1. Loebau.*** *Johannes, Bischof von Culm, ersucht auf Anregung des Thorner Rathes den Bischof Mauritius von Ermland, den zur Berathung über die Münze nach Marienburg berufenen Landtag von dort nach Thorn verlegen zu wollen.*

R$^{mo}$ — — domino Mauricio d. gr. Episcopo Warmiensi etc.

R$^{me}$ etc. Nolo latere vestram R. p. me recepisce heri in predio Povasch literas dominorum Jostii Decii (!) et consulum Thoroniensium, quibus se difficiles reddunt venire ad convencionem Marienburgi institutam pro die divisionis apostolorum proximo, causas allegantes, quas ex ipsorum literis presentibus alligatis v. R. p. intelliget. Et michi consulcius videtur, hunc futurum conventum, quantuscumque esse debeat, illic Thoronie, ubi rei monetarie officina est, celebrari; ubi eciam omnia et singula ad rem ipsam spectantia domini oculis conspicere possent, focum, ignes, instrumenta et laboratores; ibidem quoque probatores monete ex civibus eligi debent, que omnia tanto facilius ipsi domini expedirent, quanto magis utilitatem reipublice privatis commodis anteponere obnoxii sunt. Ibidem eciam omnia subjici possent conspectui, tractatibus, consultacionibus et id genus. Preterea videre licebit es et pecunia Swidnicensis igni et liquidacioni supponenda; nam alioquin populus murmurat, quod multo peior moneta nova cuditur, ipsa Swidnicensi. Ergo ad

tollendum huiusmodi cavillationes auderem consulere predictam conventionem futuram pocius Thoronie quam in Marienburgk celebrandam. Thoronie eciam corporeo sensu singula facile tractari possunt; Marienburgi vero sola speculatione imaginaria, que fallit et fallitur. Propendat hoc ipsum apud se R. p. v. et sentenciam suam mihi super his rescribat. Et magnificis dominis palatino Marienburgensi et castellano Gdanensi necnon dominis Elbingensibus et Gdanensibus dictam convencionem futuram ad Thorun transferendam literis insinuat. Que convencio videtur in eo ipso die divisionis apostolorum celebrari aut in dominica post festum ipsum proxima, que omnia v. R. paternitatis salubriori consilio relinquo. Et ego similiter magnificis dominis palatinis Culmensi et Pomeranie, et castellano Elbingensi ac dominis Thoronensibus scribam. Cum his R. p. v. commendo et diutissime et felicissime incolumem valere cupio. Ex arce Lubaw in vigilia visitacionis B. Marie virginis anno domini [15]28.

Joannes dei gracia Episcopus Culmensis.

*Original auf Pergament mit aufgedrücktem Signet (eine Mauer mit drei Zinnen auf dem Schilde, über demselben Mitra und Stab) im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 66 fol. 170.*

## 843.

***1528. Juli 24. Thorn.*** *Johannes, Bischof von Culm, gestattet der Jungfrau Barbara, Schwester des Kirsten Stroband, ohne weitere Verpflichtung sich im Jungfrauen-Kloster zum hl. Geist in Thorn aufzuhalten.*

Idermeniglich sey kundt vnd offenbar, das wir Joannes, von gottes gnaden Bischof zu Culmenseh, ausz vnser ordentlicher authoritet vnd macht, darzu auch durch sonderliche zimliche vnd billiche vrsachen, welche vnser gemite darzu bewegen, vergunt haben vnd gunen in kraft dieses briffes, das die tugenthaftige undt erbare Jungfraw Barbara, eine begebene klosterperson vnd leibliche natürliche schwester des erbaren vnd namhafftigen heren Kirsten Strobanth, in vnd bey den gotbegebenen vnd tugenthaftigen Jungfren im kloster des heiligen geists vor der stat Thoren an der Weisel gelegen one einige beschwernis der bürden, die sich inhalts des gebrauchs solchs klosters ergeben, allein das ienige, was sie aus guttem freyem herzen thun kan oder vermagk, dorinne sie sich allergebür nach irem vermegen vnd auszweissung irer krafft halten sal, friderlich one inands hindernis, leben, bleiben vnd sich vorhalten mege. Das so hat genanter Kirsten Strobant ausz christlicher naturlicher liebe, one die zinser, die er seiner obgemelter schwester zu leiblicher enthalt zu machen gesinnet, verheischen vnd versprochen, gelobet vnd zugesaget vor vns, das er genantem kloster geben wil vnd zueignen einen zins, soviel als hundert mark hauptgut zutragen kan, auff einen widerkauff, bey dem bescheide, das seine schwester obgenandt den selbigen zins jar jerlich auch zu irer leiblicher enthaltunge sol vnd möge an alle irnusze ir leben langk haben, halten, auffheben vnd gebrauchen fridelich vnd

gerugsam. Vnd so es sache were, das genante Jungfer Barbara im selben kloster wurde bleiben, doselbst nach gotliches willen den lezten tag ires lebens beschlissen, so sol solcher angezeigter zinsze vnd die hundert margk hauptgut bey dem obgedochtem kloster stets vnd ewigk one alle einrede seiner person oder seinen erben vnd nachkomlinge bleiben. Vnd wer die wolt ablössen, sol dem kloster hundert margk sampt dem zinsse ablegen vnd bezalen. Zu vrkundt mit vnserm kleinen sigel hirunden besigelt. Actum vnd datum zu Thoren im obgedachten Jungkfferkloster Freitage vor Jacobi des heiligen zwelffboten im jar tausent funffhundert vnd acht vnd zwanzig.

*Aus dem Copiar. nr. 4 fol. 136 der S. Jacobskirche zu Thorn. Lateinische Uebersetzung fol. 127.*

## 844.

***1528. August 24. Althausen.*** *Johannes, Bischof von Culm, berichtet dem Bischof Mauritius Ferber von Ermland über die Verhandlungen wegen der Münze und seinen Zwist mit Gluchowski.*

R$^{mo}$ — — domino Mauricio d. gr. Episcopo Warmiensi etc.

Reverendissime etc. Accepimus nuper literas d. v. R$^{me}$ de data ultimo die mensis Julii una cum literis ad dominum Ludovicum Jostum scriptis et copia illarum nostris inclusa, quas mox illi Thoruniam versus misimus. In quibus d. v. R$^{ma}$ magnam racionem habet in estimacione florenorum obmissa, quod in eodem proxime transacto Thoronensi conventu floreni et maxime hornenses non sint in certam taxam positi, ut et idipsum illustri domino duci Prussie potuisset in noticiam scriptis transferri. Nos quidem memoria tenemus, tractatum fuisse de taxa eorundem, sed nihil omnino conclusum ob defectum nove monete, tum quod nonnulli dicerent, id esse in mercatorum racione, qui, visa nova moneta, facile et auri taxam inter se ponerent, non attenta eciam nostrum omnium communi estimacione. Ob id non arbitramur quippiam scriptum esse de hac re illustri domino duci Prussie ex eodem conventu Thorunensi, sed omnia, que isthic non essent sufficienter conclusa, reiecta esse in conventum Graudeniczensem proxime futurum, ubi non dubitamus d. v. R$^{mam}$ ob amorem reipublice presenciam suam omnino relaturam maioremque sollicitudinem in hac re monetaria adhibituram. In qua et nos id hactenus egimus, quod erat in nostris viribus. Rescribit eciam et ipse Jostus suam in his et aliis rebus Thorunii tractatis sentenciam, multa cavillando, que et ipse tunc temporis comprobabat. Cuius literas d. v. R$^{me}$ iam dudum miseramus, de prefecto ad prefectum nostrorum dominiorum transferendas, ut tandem Luboviensis easdem ad d. v. R$^{mam}$ certo transmitteret nuncio, que tandem nescimus; cuius negligencia huc ad nos una cum aliis nostris nobis remisse sunt, quas non sine mediocri tedio accepimus. Rogamus itaque magnopere, quatenus eadem d. v. R$^{ma}$ non egresserat (!) hanc negligenciam preter spem nostram commissam. Insuper R$^{me}$ domine, d. v. R$^{mam}$ latere nolumus, nobis ab ipso Georgio Gluchowski iterum literis comminatum esse more eciam diffidatorio, ut sibi

satisfaceremus de et super abolita quadam inscripcione bonorum Valenczino, de qua iamdudum d. v. R$^{mam}$ nos ipsi tum et per cancellarium nostrum certam reddidimus, quod sibi racione illius nichil debeamus, et non dubitamus, quin eidem d. v. R$^{me}$ adhuc in memoria hereat, quod parens suus Joannes Gluchowski, cum quo nobis super hac re controversia vertitur, cui quoque data erat nuper in Marienburgensi conventu copia regii mandati per nos producti ad respondendum super eodem cum deliberacione, ex eodem conventu, insciis omnibus dominis consiliariis, nobis eciam invitis et re ipsa infecta, se subduxerit, judiciumque eorundem temere aspernarit, cui alioqui in Elbingensi conventu sub 400 florenorum vadio inhibitum erat, ut quippiam violento modo contra nos presumeret. Iam vero filius illius, nullo iuris processu contra nos attentato, diffidacione indebitum pro debito expostulat; nescimus certe, cur tantorum audaculorum licencia in terris pacificis inulta feratur a dominis palatinis, contra quos sunt alioqui certi articuli editi, ne usque in terris his foverentur, sub certis penis, et tamen nemo est, qui in talibus minimum eciam cure impenderet. Nos singulis horis a nebulone iacturam spectamus, cuius parens et familia pene omnis sub nostris agit limitibus. Nescimus preterea, an consultum nobis esset, insalutato rege domino nostro clementissimo, damnum damnq compensare, si id ipsum nobis ab eo contingeret; non libenter enim publicam tranquillitatem nec dominum nostrum clementissimum aliquo tumultu offenderemus, cui alioqui ex debito subieccionis omnem vindictam contra tales facinorosos debemus. Rogamus d. v. R$^{mam}$ obnixe, velit nobis quoque in hac re suum communicare consilium. Significavimus enim eidem hosti nostro futuram convencionem in Graudenicz in brevi immineri, ubi sibi et aliis quibuscumque coram dominis harum terrarum consiliariis respondere velimus, sed ignoramus, an quicquam apud eundem proficiemus. De novis autem rebus nichil hac vice habemus. Cum his preterea d. v. R$^{mam}$ ad longissimos annos quam faustissime semper valere exoptamus; nosque illi commendamus. Datum in Althaus, ipso die feriarum divi Bartholomei anno M°. D. XXVIII°.

Joannes d. gr. Episcopus Culmensis.

*Original auf Papier mit Spuren vom Siegel im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 66 fol. 77.*

## 845.

***1528. December 19. Marienburg.*** *Die preussischen Stände transsumiren die Urkunde des Königs Alexander von Polen, in welcher er im Jahre 1505 die Schlösser Culm, Althausen und Papau an den Bischof von Culm schenkte.*

Nos Prelati, Palatini, Castellani, Succamerarii, Terrigene et Civitates terrarum Prussie S. Maiestatis regie, domini nostri clementissimi, Consiliarii, in conventu Marieburgensi edicto sue Maiestatis sacre feria quinta post Lucie instituto simul congregati. Notum facimus per presentes, quibus expedit, universis, quomodo in medio nostrum omnium

constitutus reverendissimus in Christo pater, dominus Johannes, episcopus Culmensis, exhibuit nobis pergamenas regias literas serenissimi principis et domini, domini sacre memorie Alexandri, olim regis Polonie, appenso sigillo zona viridis et glauci serici munitas, sue Maiestatis donationem sive provisionem ecclesie Culmensi factam in se continentes, quas coram nobis legi ac tandem vidimari ac in forma transumpti sub sigillo terrarum Prussie communi redigi petiit, quarum tenor de verbo ad verbum sequitur et est talis:

I. n. d. a. Ad perpetuam rei memoriam. Culmini convenit regio etc. *wie oben nr. 768.* Actum in conventione Radomiensi generali, feria secunda infra octavas ss. Corporis Christi, Anno domini Millesimo quingentesimo quinto, regni vero nostri Anno Quarto. Presentibus etc.

Ex quo itaque prefati domini episcopi petitio omnino equitati conformis exstitit, et prefate regie litere tam in pergameno scriptura et sigillo, quam in aliis omnibus et singulis clausulis et articulis in eisdem expressis integre, sane ac ab omni suspicione immunes, a nobis invente ac vise sint, ideoque eas ad illius instantiam legi, vidimari ac in hanc formam transumpti publicam redigi fecimus et admisimus, decernentes ac definientes, ut ea fides, que originalibus debetur, huic quoque transumpto nostro ac vidimationi a nobis legitime facto adhibeatur, et de omnibus et singulis in se, ut prefertur, contentis fidem indubitatam faciat. In quorum omnium et singulorum premissorum robur et testimonium sigillum commune terrarum Prussie presentibus est subappensum. Datum Marieburgi, sabbatho post Lucie, anno domini M. D. XXVIII.

*Abschrift bei Mauritius nr. 103.*

## 846.

***1529. Mai 31. Löbau.*** *Johannes, Bischof von Culm, spricht gegen den Bischof Mauritius von Ermland seine Meinung aus über die mit dem Herzog Albrecht von Preussen zu treffende Münzvereinbarung.*

R$^{mo}$ — — domino Mauricio d. gr. Episcopo Warmiensi etc.

R$^{me}$ etc. Literas p. v. R$^{me}$ per presencium exhibitorem, nobilem Franciscum Qwosz, tum etiam exemplum literarum ill. d. Ducis in Prussia, in literis eiusdem p. v. R$^{me}$ inditum, accepimus, legentes quoque easdem totum negocium intelleximus, ubi nos quoque consilio atque sentencie ill. d. Ducis in hac re accedimus adherimusque, quo constitucio ac ordinatio omnium rerum in tota Prussia unanimi voto consilioque, ita ut et quando erat conclusum, statueretur. Sed id fieri consulte minime potest, nisi fiat in aliqua convencione, quam ut Regia Maiestas, dominus noster clementissimus, instituat inscribatque; nostri est enim consilii. Quare eandem p. v. R$^{mam}$ amice rogamus, ut hoc negocium ad suam M$^{tem}$ sacram regiam non gravate describere suamque M$^{tem}$ rogare velit, quo tempus, diem locumque convencionis omnibus harum terrarum ordinibus nominare dignaretur, tum eciam omnes capitanei, civitates, magneque et parve, una cum oratoribus ill. d. Ducis, ad eandem convencionem inscriberentur. Si vero alius terminus conveniendi esse

non potest, sit ergo ille pro festo divi Michaelis in Graudencz, qui et nobis non nichil placet. Nam tempora messis adsunt, multeque alie cause negociaque in causa sunt, quominus convencio institui ante festum Michaelis non potest. Pro eisdem vero iam diebus temporibusque nullus non dominorum consiliariorum est, qui domi esse non velit, ita ut p. v. R$^{ma}$ apud sese optime hoc intelligere potest. Attamen hoc omne, quicquid est, eiusdem p. v. R$^{me}$ pro sagaciore suo consilio deliberandum consultandumque deferimus. Ad hec summopere diligenciam atque operam p. v. R$^{me}$ commendamus, ut non suis admittat, quod si est alius, v. enim p. R$^{ma}$ id facile facere potest, antiquum accipere denarium. Nos vero, cum videmus civitatem nostram Lubaviensem circumdatam undique cum civitatibus d. Ducis esse et quasi in horto roseo inter illas iacentem, in quibus enim civitatibus omnis denarius monetaque cum magno nostrorum subditorum damno atque periculo accipiebatur accipiturque, hoc cum perspexissemus, vicinis civitatibus totique eciam terre Culmensi esse liberum facere, nostris quoque rem ad tempus, nam quottidie mandata regia exspectantes, dissimulare cogimur. Hec sunt, que p. v. R$^{me}$ latere noluimus. Que ut valeat quam faustissime ad longissima tempora ex intimis visceribus animi nostri cupimus. Datum Lubauie 31 Maii anno domini M° D° XXIX°

Joannes dei gratia Episcopus Culmensis.

*Original auf Papier mit Siegelfragmenten im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 66 fol. 130.*

## 847.

***1529. Juni 23. Löbau.*** *Johannes, Bischof von Culm, schreibt an den Bischof Mauritius Ferber von Ermland in Betreff der Münze.*

R$^{mo}$ — — domino Mauricio d. gr. Episcopo Warmiensi etc.

R$^{me}$ etc. Literas p. v. R$^{me}$ paucis ante elapsis diebus, una cum responso illustris domini Ducis nobis aliisque harum terrarum M$^{tis}$ Regie, domini nostri clementissimi, consiliariis datas, ad loca personasque sine aliqua temporis dilatione transmisimus. Dominationes quoque suas scriptis eciam nostris summe ac amice rogavimus, ut quicquid ille de ordinatione ista provinciali pro commodo utilitateque reipublice instituenda, si nova moneta transitum suum per universam Prussiam habere debeat, censerent; hoc ipsum nobis ut scriberent significarent, oravimus. Sed preter dominorum Thorunensium responsum accepimus nullum, qui enim verisimile uti et p. v. R$^{me}$ nobis dedere. Sed p. v. R$^{ma}$ sciat, quod nos his diebus in nostris causis negociisque propriis in Culmensehe constituemur, ubi et magnifici domini Culmensis ac Pomeranie palatini dominique Thorunenses aderunt, cum quibus nos super hoc ipso negotio loquemur, sermonesque ad hanc rem arduam necessarios cum illis seminabimus, et quicquid isthic de hac re concluserimus, votaque eorum et mentes, ubi acceperimus, hec p. v. R$^{me}$ transmittemus. Quod autem ad generalem conventum Graudeniczensem pro termino divi Michaelis attinet celebrandum,

ad quem ista negocia omnia, si quid saltem salubriter concludi volumus, ut rejiciatur oportet. Si eciam alium regia M^tas^ conventus locum dare dignabitur, eundem libentissime cerciores saltem de eo facti acceptabimus; nam in Graudencz, vt p. v. R^me^ optime constat, hospicia non admodum bona aliaque necessaria non ita, ut in Elbingo aut Marienburgo, inveniantur et haberi possint. Novarum rerum, ut p. v. R^me^ scriberemus, non habemus; sed eadem ut quam faustissime ad longissimos annos bene valeat, deum optimum maximum imprecamur. Datum Lvbouie in vigilia Joannis Baptiste anno etc. XXIX°.

Joannes dei gratia Episcopus Cvlmensis.

*Original auf Papier mit Siegelfragmenten im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 66 fol. 199.*

## 848.

***1529. September 23. Löbau.*** *Johannes, Bischof von Culm, stimmt der Verlegung des zu Michaeli in Marienburg anberaumten Landtages bei.*

R^mo^ in Christo patri et domino domino Mauricio d. gr. Episcopo Warmiensi, amico charissimo et maiori observando.

Reverendissime etc. Literas p. v. R^me^ per presencium exhibitorem ad nos datas accepimus earumque continenciam bene intelleximus. Placet enim nobis plurimum ill. d. ducis tum et p. v. R^me^ consilium, videlicet quod iste conventus pro die Michaelis Marienburgi celebrandus ob aëris pestiferi in his quoque et terris inauditi horrendique intoxicacionem pro termino in literis M^tis^ sue nominato, cum consensu quidem scienciaque M^tis^ Regie, domini nostri clementissimi, prorogetur prolongeturque. De qua et re in vigilia divi Mathei preterita p. v. R^me^ scripsimus, quod et obnixe rogavimus eandemque et nunc summopere rogamus, quo non gravate hanc plagem dei in hac terra ob nostra merita hinc inde sevientem M^ti^ Regie scriptis suis manifestare suamque M^tem^ devotissimis orationibus rogare velit, ut ad hanc prorogationem conventus consentire ac omnes ordines pro termino prefixo iterum inscribere dignaretur. Nam his omnino aliis dominis consilariis in Culmensi ac Pomeranie territorio sedem habentibus consultum esse videtur, ut notarius noster Hieronymus, qui apud d. suas in musis nostris erat, hodie domum rediens nobis narravit. Literas etiam omnes una cum novitatibus ad legendum nobis missas, presentibus annexas, p. v. R^me^ remittimus summasque illi gratiarum actiones habentes offerentesque eiusdem p. v. R. ad quevis beneplacita nos quam paratissimos. Que tandem quam fautissime in longa tempora bene optimeque vivat valeatque. Datum Lebaw feria quinta post Mathei anno domini M° D° XXIX°.

Joannes dei gratia Episcopus Cvlmensis.

*Original auf Papier mit Resten vom Siegel im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 66 fol. 62.*

## 849.

***1530. März 18. Krakau.*** *Sigismund, König von Polen, transsumirt und confirmirt den Brüdern Johannes und Nicolaus Gluchowski zwei Urkunden über die Verpfändung von Falanczyn durch Gabriel von Baysen.*

Sigismundus, dei gratia rex Polonie, magnusdux Lithuanie, Russie tociusque Prussie ac Masouie etc. dominus et heres. Significamus tenore presentium, quibus expedit, universis harum noticiam habituris, quomodo nobilis Joannes Gluchowsky, terrigena noster districtus Starogrodensis, in terris nostris Prussie possessionatus, coram presencia Maiestatis nostre Regie comparens, exhibuit originaliter literas decreti commissarialis iudicum nostrorum commissariorum introcontentorum titulis et sigillis huiusmodi commissarialibus obsignatas, necnon et alias literas sigillo impresso provincie nostre pruthenice obsignatas, caractere germanico scriptas, in latinum tamen ydioma per nos translatas, petens eas idem Gluchowsky ex certis respectibus in presentes literas nostras simul transferri, nostreque Maiestatis auctoritate approbari, ratificari et confirmari decerni tenoris subsequentis.

Joannes dei gratia sancte Gneznensis Ecclesie Archiepiscopus etc. *wie oben nr. 826.* Actum et datum Gdani sabbato proximo ante dominicam Judica Anno domini MDXXIV.

Nos Regie Maiestatis Polonie consiliarii terrarum Prussie etc. *wie oben nr. 828.* Dat. in vigilia corporis Christi post Christi natalem A. MDXXIV.

Proinde nos attendentes litteras preinsertas utrasque iustas esse et legittimas, illas in toto earum tenore in presentes litteras nostras transferendas esse censuimus nostreque Regie Maiestatis auctoritate approbavimus ratificavimus et confirmavimus, approbamusque, ratificamus et confirmamus decernentes eas robur firmum habituras tenore presentium mediante. Quibus in testimonium sigillum nostrum est subimpressum. Datum Cracovie in convencione generali feria sexta proxima ante dominicam Oculi Anno domini Millesimo Quingentesimo Tricesimo, Regni autem nostri anno Vigesimo quarto. — Relatio Magnifici Christophori de Schidlowiecz castellani et capitanei generalis Cracoviensis ac Regni Polonie Cancellarii etc.

Cristoforus de S. cast. et c. Crac. ac R. P. Canc. sscrip.

*Original auf Pergament mit dem königlichen Secret im Culmer Diöc.-Archiv. Abschrift bei Mauritius nr. 129.*

## 850.

***1530. April 4. Krakau.*** *Sigismund, König von Polen, befreit die Güter des Nonnenklosters in Culm von allen öffentlichen Abgaben.*

Sigismundus, dei gratia rex Polonie, magnusdux Lithuanie, Russie Prussie Masovieque etc. dominus et heres. Significamus tenore presentium, quibus expedit universis, quia nos permoti supplicationibus consiliariorum terrarum nostrarum Prussie pro deodicatis virginibus monasterii et conventus Culmensis nobis factis, habentesque benignam rationem

earum inopie, ipsis, quo commodius cultui divino, ad quem destinate sunt, vacare possent, talem libertatem et immunitatem concessimus ac concedimus per presentes, quod ex earum prediis nullas exactiones et contributiones publicas, quomodocunque nominentur, pro necessitate rei publice terrarum nostrarum Prussie in eisdem terris institutas, ac in futurum instituendas solvere debeant, ad earum solutionem astringi non possint, sed tamen coloni in villis ad predictum monasterium virginum prefatarum pertinentibus huiusmodi contributiones solvere teneantur. Quocirca vobis exactoribus ipsarum contributionum et exactionum in ipsis terris nostris Prussie institutarum et instituendarum, ac thezaurario earum terrarum, modernis et pro tempore existentibus, mandamus, ut prenominatas virgines monasterii Culmensis in hac libertate et immunitate per nos eis concessa conservetis, nullasque exactiones et contributiones in ipsis terris nostris Prussie institutas et instituendas ab eisdem virginibus et prediis ipsarum exigetis, nec exigi permittatis, pro gratia nostra. Harum quibus sigillum nostrum est appensum testimonio literarum. Datum Cracovie feria secunda proxima post dominicam Judica anno domini Millesimo quingentesimo tricesimo, Regni vero nostri anno vigesimo primo.

Sigismundus Rex ssc.

*Gleichzeitige Abschrift im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 67 nr. 44.*

## 851.

***1530. April 24. Löbau.*** *Georg von Conopat, Palatin von Pommerellen, zeigt dem Bischof Mauritius Ferber an, dass sein Bruder, der Bischof von Culmsee, am gestrigen Tage verstorben sei.*

Dem erwirdigsten yn got fursten vnd heren her Mauricio von gotis genoden der kirchen zw Ermelant bischoffe, meinem genedigen heren.

Erwirdigster yn got furst, genediger her! Meyn stet unvordrossene dinste E. g. zw vor an bereit. Nicht weis E. g. mit weheklagendem herzen zw bergen, am gestergen tage umb mittages stunde meynen genedigen heren vnd gelipten bruder bischoff von Culmensehe alhie yn got vorscheiden. Got sey der selen genedig. Noch dem denn noch mitbrengen des landes privilegii vorhalten, das prelaturen vnd sunst andere ampter der stende disser lande Preussen den eynzoglingen vnd Preussen solten gegeben vnd vorligen werde, were meyn bedencken, das wir vns mit vnseren schrifften bey Konig. Ma$^{t}$. m. a. g. heren theten bearbeiten, vff das das bistum der kirchen Culmensehe dem edlen vnd wolgebornen her Georg Targowski, Culmischem vnderkemerer, der denn mit mannichfaltigen dinsten vnd erbeiten dem gemeinem nuze szowol der lande Preussen als der Cron von Polen gedinet hot, von Konig. Ma$^{t}$. vorligen mochte werden. Were jo noch zw vorhoffen, das er ymande alhie eynem eynzoglinge das mechte zw fugen. Szo aber eyn fremder am ersten alhie eynreissen wurde, were vast zw besorgen, das swerlich aus der fremde hende solches were zw reissen. Welches ich yn E. g. meherem bedencken

stelle, do mit mich E. g. als meinem genedigem heren thw befelen. Gegeben vffe Lobaw sontag noch Sanct Georgii ritter, im etc. XXX jor.

E. g. Bereitwilliger Georg von Conopat,
pomerellisser Woywod, vffe Sweze Hauptmann.

*Originalbrief mit dem eigenhändigen Präsentatumvermerk des Bischofs Mauritius „1530 26 Aprilis de obitu Culmensis Epi." im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 90 nr. 8.*

## 852.

***1530. April 28.*** *Mauritius, Bischof von Ermland, empfiehlt dem Könige von Polen den Johannes Flachsbinder zum Bischof von Culm und bittet um die Verwaltung des unter Polen stehenden Theiles des Bisthums Pomesanien.*

Regi Polonie.

Dignetur in gratia scire Sacra Maiestas vestra regia, quod reverendus in Christo pater olim dominus Joannes, episcopus Culmensis, sacre M$^{ti}$ vester fidus et integer nec minus tam regno quam his terris utilis prelatus, proximo sabato, que fuit XXIII Aprilis, sub meridianam horam ex hac luce migrans, diem suum clauserit extremum. Cuius anime eternam requiem precor. Unde cum hec prelatura nunc vacet, et de dispositione sit S. M. v., privilegiaque harum terrarum ita disponant, quod prelature, dignitates etc. non debeant nisi indigenis conferri, inprimisque sacre R. M$^{tis}$ v. ac nostra omnium, qui sumus a consilio eiusdem pruthenico, magni referat, quis et qualis in locum defuncti succedat: diligenter rogo et sub debito meo fideliter consulo, sacra M. v. dignetur privilegiorum terrarum suarum Prussie ac episcopatus et loci, quem possessurus est illius successor, clementem habere rationem ac eundem episcopatum reverendo domino Joanni Flachsbinder, fideli tam sue quam reginalis M$^{tum}$ servitori, vel alteri cuipiam ex indigenis Prussie, quem ad hoc oneris subeundi abilem et idoneum ac consilio pruthenico utilem iudicaverit, conferre. Ceterum idem dominus episcopus Culmensis habebat favore sacre M. v. administrationem et gubernationem partis episcopatus Pomesaniensis, sub ditione eiusdem vestre Maiestatis comprehense, propter lutheranam heresim sibi commissam, que similiter nunc vacat. Et ex quo universa iurisdictio mea, que sub dicione illustrissimi domini in Prussia ducis est, mihi per Illustritatem eius adempta est, ac cum sacra M. v. Gedani feliciter ageret, eadem illius episcopatus sub dicione M$^{tis}$ vre., ut prefertur, comprehensi administracio per nonnullos dominos a consilio regni mihi oblata fuit. Ego vero ea spe, quod Illustritas sua ad cor sanum aliquando reditura meam mihi iurisdictionem salvam redderet, et quod iam tum prefato domino episcopo defuncto, quem utique turbare nolebam, ipsa administratio commissa esset, oblatam conditionem tunc accipere nolui. Nunc autem quia dicti episcopatus Pomesaniensis pars sub dominio sacre M. v. comprehensa vacat, et totus episcopatus Culmensis integer et in sua iurisdictione salvus est, de

mea vero iurisdictione recuperanda nulla spes reliqua sit, humillime ac diligentissime rogo, dignetur S. M. v. mihi illius sepedictam episcopatus Pomesaniensis partem administrandam gratiose (ita ut eam dominus episcopus Culmensis defunctus habuerat) suis authenticis litteris commendare. Id ego pro virili mea, ut semper fideliter et indefesse feci, omnibus obsequiis ac fidei integritate inservire studebo erga sacram M. v., quam omnipotens deus per misericordiam suam diu nobis ac christianitati sue servet florentem et incolumem. Me ac ecclesiam meam cum omnibus fortunis nostris in gratiam illius diligentissime commendando. Datum Heilsberg 28 die Aprilis Anno M° D° XXX°.

*Abschrift im Copiebuch des Bischofs Mauritius im bischöfl. Archiv zu Frauenburg A 1 fol. 213 nr. 425. Gleichen Inhalts sind die Briefe desselben an die Königin und den Bischof von Krakau von demselben Tage a. o. O. nr. 426—427.*

## 853.

***1530. Mai 4. Krakau.*** *Georg Hegel benachrichtigt Johannes Dantiscus, dass er zum Bischof von Culm nominirt sei.*

Dem erwirdigen vnd hochgelorthen hern Johann Dantisco Ko. M. zu Poln an Kay. M. hoff orator vnd erwolten bischoff zu Colmensee, meinem gnedigen heren zu handen. —

*Recepi: Augusti 27 Juni.*

Wirdiger her! Ich hab e. w. nechst mol geschriben mit dem Bernhart, was von nothen was. Nun hat sich seydem begeben, das der bischoff von Kolmensee mit tode abgangen ist; sind ir ful gewesen, die sich vm das bystumb gemigeth haben, sonder m. g. her der her bischoff von Craca vnd doctor Borgh aus gottes hilff haben das fur e. w. erhalten, das e. w. nun durch Ko. M$^{t}$ durch anhaltung der konigin zu gesagt ist worden. E. w. wirdt auch darbey erhalten werden. Der almechtig got verleich e. w. ful glick darzu, das e. w. die gnod kunst vnd vernunft, die got e. w. yberflissig geben hatt, e. w. recht geprauchen meg got zu ere vnd dem reych zu Poln zu nuz, es bedarff sein gewislich wol. Doctor Borgk vernam jo, es sey in kein weg zu thun, das e. w. das Canonicat zu Helsperg solt ybergeben, dem wirdt e. w. wol wissen recht zu thun. Hiemit auch ein brieff von Johan Nipschitz, wirdt e. w. gewislich auch dar von melden. — — — Datum zu Craca ad 4. Mai A$^{o}$ 1530. E. w. gutwilliger Jorg Hegel.

*Original auf Papier mit Siegel im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 90 nr. 9.*

## 854.

***1530. Mai 31. Heilsberg.*** *Mauritius, Bischof von Ermland, schreibt an den Bischof Johannes Choienski von Krakau in Betreff des vom Könige überwiesenen Theiles des Bisthums Pomesanien.*

Choienski.

R$^{de}$ domine etc. Litteras R$^{de}$ d. v. Sandomirie XIII Maii datas hodie accepi, ac pro opera mei causa suscepta gratias ago. Et quia Sacre M$^{ti}$ R. ita deordinanda episcopatus

Pomesaniensis parte visum est, fuissetque ante de hoc domino Dantisco prescriptum et provisum, libenter eam M^tis^ R. voluntatem, cui omnino parendum est, fero. Non enim lucri gracia sed ob lutherane hereseos contaminationem, ne et eo serperet, eam partem administrandam petebam. Unde iustam Sacre R. M^tis^ ordinationem probans, bene de hoc contentus sum. — — — Ex Heilsberg ultima Maii Anno 1530.

*Abschrift im bischöfl. Archiv zu Frauenburg A 1 fol. 224 nr. 454.*

## 855.

***1530. Juli 3. Stargard.*** *Fabian Czeme, Hauptmann von Stargart, beglückwünscht Johannes Dantiscus zu seiner Beförderung.*

Dem erwirdigen in got herren Joannes E. Bischoff zw Kolmisehe, meynem genedigen vnd gunstigen herren. — *Recepi: Augusti 4 Julii.*

Erwirdiger vnd gnediger herr! Ich habe erfaren, das e. w. aus dem willen gotis ist bisschoff zw Kolmisze worden; dy czeytunge ist mir szunderlich lip vnd trostlich, gebe got der almechtige, dasz szelbe e. w. zw gluk vnd der szelen szelikeyt vnd dissem lande zu szunderlichem trost vnd rettunge, wy hye alle menschen hoffen. Weyter bit ich e. w. welle meyn gunstiger herr szeyn, wy ich von viel gunst vnd fruntszofft an e. w. erkant hab; wo inne ich hye das szelbe vorschulden kan, wyl keynen vleys sparen. Hiemit befel ich mich abermals in e. g. gunst. Der almechtige got gebe, das e. g. in kurcz geszunt vnd glukszelik her kume. Do mit E. g. got bevele, der e. g. lange geszunt vnd glukszelik friste. Geben zw Stargart am Freytag vor pfingsten XXX Jore.

E. g. gancz williger Fabian Czeme. hantt.

*Original mit Siegelresten im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 90 nr. 12.*

## 856.

***1530. Juni 5. Krakau.*** *Albertus Kiewiensis berichtet an den Bischof Mauritius von Ermland über die Besetzung des Bisthums Culm.*

R^mo^ domino Mavricio, d. gr. episcopo Warmiensi.

R^me^ etc. Accepi literas Rme. d. vre. de mense May preteriti ad me datas, quibus Rma. d. vra. pro invicta virtute humanitateque sua commonefacere me dignata est, ut non deessem mihi ipsi utererque occasione, quam attulit vacacio episcopatus Culmensis, ad quem non imprudenter coniectabat sublimandum fuisse aut dominum Joannem Dantiscum aut dominum Plotowski[1]), quorum uterque obtinet canonicatum in ecclesia Rme.

[1]) *In einem Schreiben des Danziger Castellans Johannes Balynski an den Bischof Mauritius von Ermland d. d. Marienburg 11. Mai 1530 im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 67 nr. 15 heisst es:* Reginalis Maiestas pro episcopatu Culmensi laborat pro persona R^di^ domini Johannis Flaxbinder, illustris dominus Castellanus Cracoviensis agit negocium R^di^ domini Pauli Plotowski prepositi Warmiensis. Quis illorum bravium accipiet, postea experiemur.

d. vre. Varmiensi. Gracias ago et habeo immortales Rme. d. vre., quod non solum non putaverit esse infra dignitatem suam, ut ad me ultro literas suas daret, verum eciam me nichil de se merentem futurarum mearum admonuerit. Faxit deus, ut olim talium occasionum fiam compos, per quas tante illius erga me gracie saltem aliqua in parte respondere possit hec mea imbecillitas. Puto autem pervenisse iam ad noticiam Rme. d. vre. electum esse episcopum Culmensem dominum Joannem Dantiscum non absque magna et aule huius regie universe et omnium nostrum, qui sumus de terra Culmensi, leticia et applausu, quippe quem noscamus esse virum non solum virtute et erudicione egregia preditum, sed eciam humanum et cordatum dignumque, quem universi pastorem et patrem patrie salutemus. Quia vero, ut audio, et servatus est ei canonicatus, quem habet in ecclesia Rme. d. vre. Warmiensi, existimavi non esse, quod ego spem aliquam concipere debeam in illo consequendo. Itaque quod alia obtulit occasio, curavi provideri michi vigore iuris mei apud sedem apostolicam obtenti de canonicatu eiusdem ecclesie post obitum nepotis olim Rme. d. vre. nuper vita functi vacante per Rmum. dominum meum Cracoviensem. Et proinde supplico Rme. d. vre., ut quantum ex ipsa est, iuvare et promoveri velit auctoritate et patrocinio suo hanc meam provisionem, quo efficiar voti mei et promissi Rme. d. vre. compos. Id ego Rme. d. vre. eiusque domui et familie universe curabo perpetua servitute mea demereri per quamlibet occasionem. Novi nichil hic peperit mundus hoc tempore preter id, quod Mtas. Regia agit de concordia inter serenissimos Hungarie et Bohemie reges sarcienda. Cesar eciam fertur Augusti applicuisse illicque cum serenissimo rege Ferdinando convenisse. Me gracie Rme. d. humillime commendo, quam cupio diu sanam felicem et incolumem esse. Cracovie die quinta Junii Anno domini 1530.

Eiusdem d. vre. Rme. humillimus servitor Albertus Kiewiensis.

*Original auf Papier im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 67 nr. 19.*

## 857.

***[1530.] O. J. u. D. Venedig.*** *Hosius wünscht dem Johannes Dantiscus, Gesandten des polnischen Königs beim Kaiser, Glück zu seiner Beförderung zum Bischof von Culm.*

*Original in der Czartoryskischen Bibliothek zu Krakau. Abgedruckt im Stan. Hosii Epistolae ed. Hipler et Zakrzewski. Cracoviae 1879 I 9 nr. 6.*

## 858.

***1530. Juli 7. Augsburg.*** *Kaiser Karl V. empfiehlt dem Papste Clemens VII. den an seinem Hofe weilenden Gesandten des polnischen Königs Johannes Dantiscus.*

Beatissime pater, domine R^me^! Scribimus ad oratorem isthic nostrum, ut pro R^do^ Joanne Dantisco, e[lecto] Culmensi, Ser^mi^ regis Polonie apud nos oratore, viro nobis

gratissimo, sanctitatem vestram alloquatur, quam maiorem in modum rogamus, ut homini summam fidem habere et quod ab ea petimus, nobis concedere dignetur. Quod nos vicissim omni filiali observancia promereri curabimus erga sanctitatem vestram, quam feliciter valere et iste sancte sedi apostolice diu preesse optamus. Datum in civitate nostra imperiali Augusta, die VII mensis Julii, anno domini M. D. XXX. imperii nostri decimo et aliorum regnorum nostrorum quinto decimo.

Carolus d. f. c. R. Imperator Augustus ac Germanie, Hispanie, utriusque Sicilie, Hierosolimi etc. Rex, Archidux Austrie etc.

*Gleichzeitige Abschrift im bischöfl. Archive zu Frauenburg D. 130 fol. 49.*

## 859.

***1530. Juli 10. Augsburg.*** *Der Kardinal Campeggi empfiehlt dem Papste Clemens VII. den zum Bischof von Culm nominirten Johannes Dantiscus.*

Sanctissimo domino nostro Pape.

Beatissime pater, post pedum oscula beatorum. Venit ad me Joannes Dantiscus per regem Polonie ad ecclesiam Culmensem nominatus, longamque calamitatis ac miseriarum suarum seriem, in quam, dum rem christianam tueri et ab ecclesie finibus Lutheranam pestem arcere repellereque conatur, incidisse hominem constat, omnesque propterea Culmensis ecclesie facultates direptas ac vastatas fuisse, pluribus verbis enarravit, petiitque ac pro summa inter nos benevolentia vehementissime contendit, ut se beatitudinis tue pedibus de meliori nota commendarem: quod profecto non illius aut mea magis quam tua, pater s., causa libenter facio. Nam etsi amico homini dolcissimoque rerum ferme omnium egenti officium meum prestare quam diligentissime debeo, ad te tamen totius reipublice christiane principem spectare iure optimo videtur, ut eos, presertim tuo beneficio ornatos, tua gratia cumulatos velis, qui Christi cause pene periclitanti egregiam operam navant, qui se suaque omnia, ut rempublicam servarent, fortune ictibus obiicere ac funditus perdere non recusarint. Que omnia Dantiscum fecisse pariterque fuisse perpessum, ita testatum atque adeo illustre esse apud omnes censeo, ut ea literis exequi minime opus sit. Equidem in hanc rem plura scriberem, nisi, que tua est incredibilis bonitas, singularis clementia admirabilisque animi magnitudo, te tua sponte sine ulla mea commendatione daturum operam plane confidere, ut viri huius cum docti tum frugi, de te ac republica optime meriti miseriis calamitatique consultum velles. Bene felicissimeque valeat sanctitas tua, cuius s$^{mis}$ pedibus humillime commendo me ac trado. Auguste sexto Idus Julii 1530.

Humilis servus L. Card. Campegius.

*Litt. ad Nuntios Tom. XVIII fol. 40. Theiner, Mon. Pol. II 468 nr. 512.*

## 860.

***1530. August 3. Rom.*** *Papst Clemens VII. zeigt dem Erzbischof von Riga die Ernennung des Electen Johannes zum Bischof von Culm an.*

Clemens episcopus servus servorum dei. Venerabili fratri . . Archiepiscopo Rigensi, salutem et apostolicam benedictionem. Ad cumulum tue cedit salutis et fame, si personas ecclesiasticas, presertim pontificali dignitate preditas, opportuni presidii et favoris gratia prosequaris. Hodie siquidem ecclesie Culmensi, per obitum bone memorie Johannis, episcopi Culmensis, extra Romanam Curiam defuncti pastoris regimine destitute, de persona dilecti filii Johannis Electi Culmensis nobis et fratribus nostris ob suorum exigentiam meritorum accepta, de fratrum eorundem consilio apostolica auctoritate providimus, ipsumque illi in episcopum et pastorem prefecimus, curam et administrationem ipsius ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum igitur, ut idem Johannes Electus in commissa sibi predicte ecclesie cura facilius proficere valeat, tuus favor sibi fore noscatur plurimum opportunum: Fraternitatem tuam rogamus et hortamur attente per apostolica scripta tibi mandantes, quatenus predictum Electum et commissam sibi ecclesiam tuam suffraganeam habens pro nostra et apostolice sedis reverentia propensius commendatos, in ampliandis et conservandis iuribus suis sic eos tui favoris presidio prosequaris, quod ipse Electus per tue auxilium gratie in commisso sibi prefate ecclesie regimine se possit utilius exercere, tuque divinam misericordiam et nostram et dicte sedis benedictionem et gratiam valeas exinde uberius promereri. Datum Rome apud sanctum Petrum Anno incarnationis dominice Millesimoquingentesimotrigesimo Tertio Non. Augusti Pontificatus nostri Anno Septimo.

*Original auf Pergament mit der Bleibulle an hanfener Schnur im Archiv des Domcapitels in Frauenburg. — Die Bulle des Papstes an den König Sigismund von Polen über die Bestätigung des Electen Johannes für Culm im polnischen Reichsarchiv. Inc. Arch. Cracov. p. 9.*

## 861.

***1530. August 30. Rom.*** *Johannes Colardi, litterarum apostolicarum scriptor, benachrichtigt Johannes Dantiscus, erwählten und ernannten Bischof von Culm, über den Fortgang der Verhandlungen zu seiner Provision.*

Reverendissimo domino Electo Culmensi. apud C. M. illustrissimi regis Polonie oratori. — *Rec.: Augusti 23 Septembris.*

R^de^ etc. In quo statu et ordinatione est confirmatio ecclesie vestre Culmensis, et quid desuper ageretur et sentiretur, ultimis meis literis apertius R. p. v. declaravi, mittendo memoriale instructivum quoad expeditionem ullius ecclesie, annate solutionem et antique taxe reductionem, videlicet ut obtinerentur litere a Cesarea et Regia M. edocentes sanctissimum dominum papam sacrumque collegium Cardinalium, vestram ecclesiam Culmensem multum depauperatam et ad eam esse redactam exiguitatem, quod,

ubi preteritis temporibus ex illa duo millia ducatorum annue percipi poterant, vix nunc mille ducati percipiuntur, ut dixit mihi doctor penitenciarius, ut ea ratione dicta taxa ad mediam taxam aut tertiam partem reducatur. Memoriali recepto rei vestre diligenter, si placet, consuletis. Proinde pro confirmatione electionis vestre id, quod potuit fieri et excogitari pro amico, fieri procuravi et faciam, donec ipse effectus voluntatem meam erga d. v. planius demonstrarit. Quoad provisionem vestram bulle sunt plumbate et nunc in manibus meis regestrande et expediende, quas, ut spero, cum primo cursore bene expeditas recipietis voluntati et desiderio vestro satisfaciendo; seriem expeditionis et expensas, ut alia pro vobis facta, primis literis diffusius declarabo. Pro solutione annate sub obligatione de illam solvendo obtinuimus hanc solutionem ad festum Resurrectionis domini nostri prorogari. Interim omni diligencia procurandum est, ut fiat reductio, pro qua ambassiator Hispanie et ego totis viribus elaborabimus, prout hactenus per nos elaboratum est. Crederem consultum iri, si Cardinalis Campegius legatus in vestri favorem Sanctissimo et Cardinalibus prefatis scriberet, concludendo ita p. v. se gerat, ut sui memor Euripedis poete clarissimi Odicentis Odi sapientiam ipsam plus sapiat nichil hiis; sanus feliciter et fauste valeat humillimus orator. — Ex Urbe ultima Augusti 1530.

E. p. v. R. humillimus servitor Johannes Colardi
litterarum apostolicarum scriptor.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 67 nr. 33.*

## 862.

***1530. September 17. Rom.*** *Henricus de Busseyo, scriptor apostolicus, stattet an Johannes Dantiscus über den Stand seiner Provision zum Culmischen Bischof Bericht ab.*

Reverendo domino Johanni, Electo Culmensi. In curia Cesaree maiestatis. —
*Recepi: Augusti 3 October.*

R^d^ etc. Mirabar et dolebam, quod post trinas magnifici domini Antonii Longi oratoris ill. d. Monachi, domini mei observandi, negotium d. v. R. non veniebat ad manus meas expediendum, ut possem et illi et eidem d. v. R. effectu demonstrare, quod mente desiderabam. Gaudeo tandem et congratulor d. v. R., quod res ipsa favore R^mi^ domini mei, domini Cardinalis Sanctorum Quatuor, meaque diligentia ita peracta sit, quod exinde obvenit lucrum CC ducatorum et ultra eidem R. d. v. Testes autem et laboris et voluntatis mee sunt reverendi domini Johannes Colardi scriptor apostolicus, d. Stanislaus penitentiarius apostolicus et d. Quirinus Galler, qui vere et libenter et diligenter dederunt hanc, quam potuerunt, operam pro re ipsa ad vota expedienda. Remansitque obligatus in camera apostolica idem dominus penitentiarius pro residuo solutionis dicte expeditionis, videlicet pro DLIX ducatis cum Juliis (!) quibusque (?), quia totalis summa ascendit ad mille centum et quinquagintanovem ducatos cum Juliis (!) v. prout in computo per nos

quatuor subscripto continetur, in quo d. v. R. videbit nichil pro sollicitatione et laboribus meis positum fuisse, immo id remisi et remitto beneplacito eiusdem R. d. v., cui bene prosit longeviter et ad maiora feliciter, cuique me ex corde et humili commendo ei officio. Ex Urbe XVII$^{a}$ Septembris 1530.

E. d. v. R. humilis servitor et deditissimus Henricus de Busseyo scriptor apostolicus.

*Original auf Papier im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 67 nr. 34.*

## 863.

***1531. Februar 18. Rom.*** *Stanislaus Reczycza benachrichtigt bei Uebersendung des apostolischen Breve den Bischof Johannes Dantiscus über den zur Vollziehung seiner Consecration gesetzten Termin.*

R$^{mo}$ d. Joanni, Electo Confirmato Culmensi, serenissimi regis Polonie aput Maiestatem Cesareum oratori, in curia M$^{tis}$ Cesaree dentur. — *Rec.: Bruxellis 13 Marcii.*

R$^{me}$ in Christo pater etc. Mitto v. p. R. apostolicum Breve, quo v. p. r. a consecracione in episcopum ad annum unum a termino possessionis per v. p. r. procuratores in ecclesia vestra Culmensi accepta computandum. Quem terminum, eo elapso, si v. p. r. cordi erit, prorogari curabimus in alterum annum etc. — — — Rome decimaoctava Februarii 1531.

V. p. r. devotum mancipium Stanislaus Reczycza.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 67 nr. 57.*

## 864.

***1531. Februar 25 — März 1. Culmsee.*** *Bernhard von Höfen quittirt im Namen seines Bruders, des Bischofs Johannes von Culm, dem Verwalter der Ländereien Papau und Althausen sowie dem Domcapitel von Culmsee über gezahlte bischöfliche Einkünfte.*

Ego Bernhardus de Curiis, frater Rmi. domini Episcopi Culmensis, ex mandato eius speciali fateor et agnosco per presentes manu mea propria, quod realiter et cum effectu recepi ab honorabili domino Thoma, prefecto districtuum Papaw et Althaus, ex censibus collectis per eundem octingentas et quatuor marcas et 7 grossos bone monete prutenicalis, marcam per viginti grossos computando, de qua pecunia nomine Rmi. domini Episcopi eundem dominum Thomam quitto et liberum facio. Insuper quitto eundem super racione coram me facta de certis perceptis et expositis pro necessitate eorundem districtuum, que se extendunt ad ducentas quadraginta duas marcas et octo grossos. Quod protestor hac manu mea propria. Actum et datum in Colmense sabato ante Invocavit, Anno Millesimo Quingentesimo tricesimo primo, in presencia venerabilis domini Jeorgii Hyntze canonici Culmensis.

Ego Bernhardus de Curiis, frater Rmi. domini Episcopi Culmensis, ex mandato eius speciali fateor et recognosco per presentes manu mea propria, quod realiter et cum effectu recepi a venerabili Capitulo ecclesie Culmensis ex censibus et reditibus annonarum aratralium ex bonis episcopalibus Mille trecentos minus decem florenis, per triginta grossos polonicales in florenum computando, de qua summa nomine domini mei Rmi. quitto et liberum facio venerabile Capitulum ecclesie Culmensis. De qua summa accepi pro matre domini Rmi. centum florenos et mihi pro itinere nonaginta pro reditu ad suam dominacionem Rmam., quod protestor manu mea propria. Actum et datum in Culmense prima Marcii Anno 1531.

*Abschrift im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 90 nr. 44 und D. 67 nr. 58.*

## 865.

***1531. April 17. Culmsee.*** *Das Domcapitel von Culm verschreibt zwanzig Hufen in Szambrze an Sebastian von Glambotzk zu Lehnrecht.*

In nomine sancte et individue trinitatis, patris et filii et spiritus sancti. Nos Martinus Czema, Nicolaus Crapytz, Georgius Hyntze, Johannes Meckler, canonici et capitulum ecclesie Culmensis, significamus tenore presentium universis et singulis, presentibus et futuris, harum noticiam habituris, quomodo prehabita inter se mutua et matura deliberatione, certis causis et rationibus legittimis permoti, et presertim eo, quod bona capituli districtus Kawrnick, alias Kwrszentnyck, proximo hic in Prusia habito bello, ferro et incendio fuerunt vastata et desolata in maximum damnum ecclesie et proventuum diminutionem, itaque ut illa bona eo melius debite locari et restaurari per nos possent, vendidimus XX. mansos desertos et incultos, ex sola cruda radice eradicandos, in villa capituli vocata Szambrze nobili Sebastiano de Glambotzk ac eius veris ac legitimis heredibus jure feudali in perpetuum possidendos ac tenendos more aliorum ecclesie prefate Culmensis feudalium, pro quibus mansis nobis secundum emptionem factam totalem et integram fecit solutionem pro terminis sibi assignatis. Et ideo prefatos XX. mansos ibidem in villa Szambrze situatos sibi cum omni iure dedimus et assignari fecimus secundum veterem consuetudinem ecclesie circa vendicionem bonorum huiusmodi semper observatam, per eum et suos veros ac legittimos heredes in perpetuum possidendos cum omnibus fructibus et redditibus, agris cultis et colendis, campis, pratis et pascuis aliisque emolumentis et pertinenciis, ad prefatos mansos ex antiquo spectantibus eidem Sebastiano conferimus et resignamus habendos et utifruendos debito iure. Que omnia et singula premissa decernimus robur debite perpetue firmitatis obtinere presentium tenore mediante, quibus maius sigillum capituli est subappensum. Actum et datum apud ecclesiam cathedralem Culmenze, secunda feria conductus pasche, anno domini Millesimo quingentesimo XXXI°.

*Original auf Pergament mit dem Siegel des Domcapitels im Culmer Diöcesan-Archiv. Abschrift bei Mauritius nr. 125.*

## 866.

***1531. Mai 24. Gent.*** *Johannes, confirmirter Bischof zum Colmen, Königl. Majestät Botschafter, dankt der Stadt Danzig für den Glückwunsch zu seiner Standeserhöhung, der ihm um so lieber, als es das erste ist, das er von ihr erhalten hat, und theilt mit, dass er in der Sache des Heinrich von Ress vom Kaiser noch keine Antwort erhalten habe, empfiehlt zuletzt dem Rath seine liebe Mutter und klagt über seinen Commendarius Magister Urban Ulrich, der, so lange er auswärts wäre, kein Schreiben an ihn gerichtet und keine Rechnung gelegt habe.* Dat zcw Genndth in Flandern den 24 May 1531.

*Original mit dem Signet im Danziger Stadtarchiv.*

## 867.

***1531. December 1. Rom.*** *Papst Clemens VII. gestattet dem Elect Johannes Dantiscus von Culm, seine Consecration noch ein zweites Jahr aufzuschieben.*

Dilecto filio Joanni Dantisco Electo Culmensi.

Clemens PP. VII. Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. Meritis tue devotionis inducimur, ut petitionibus tuis, quantum cum deo possumus, favorabiliter annuamus. Cum alias postquam nos ecclesie Culmensi, tunc certo modo pastoris solatio destitute, de persona tua de venerabilium fratrum nostrorum consilio per quasdam sub plumbo expeditas providendum duxeramus, preficiendo te illi in episcopum et pastorem, tibi, ut usque ad unum annum proxime futurum a fine temporis de consecrandis episcopis a canonibus definiti computandum munus consecrationis suscipere minime tenereris, nec ad id a quoquam invitus compelli posses, per alias in forma Brevis litteras indulserimus, prout in litteris ipsis plenius continetur. Et sicut exponi nobis nuper fecisti, tu, qui, ut asseris, pro charissimo in Christo filio nostro Sigismundo, Polonie rege illustri, apud charissimum etiam in Christo filium nostrum Carolum Romanorum Imperatorem semper Augustum orator destinatus, et circa ardua negocia tam ipsum Sigismundum regem quam orthodoxam fidem concernentia apud ipsum Carolum Imperatorem non parum prepeditus existis, munus ipsum infra dictum annum, cuius finis, ut eciam asseris, de proximo instare dignoscitur, suscipere commode posse non speres: Nos commodis tuis in premissis per amplius consulere volentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, annum prefatum, infra quem, ut asseris, adhuc existis, ad alium annum a fine primo dicti computandum, quo durante munus consecrationis huiusmodi suscipere minime tenearis, nec ad id a quoquam invitus compelli possis, premissis ac Lateranensis Concilii et quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non dicte ecclesie etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscunque nequaquam obstantibus, auctoritate apostolica tenore presentium prorogamus et extendimus. Datum Rome etc. die prima Decembris 1531. Pontificatus nostri Anno Nono.

*Reg. orig. An. IX. Brev. Tom. LI ep. 784. Theiner, Mon. Pol. II 483 nr. 533.*

## 868.

***1531. December 7. Culmsee.*** *Martin Czeme, Domherr und Administrator des Culmer Bisthums, stattet an Johannes, erwählten Bischof von Culm, Bericht über ökonomische und kirchliche Verhältnisse des Bisthums ab.*

R^me^ domino Johanni, d. gr. Episcopo Culmensi et Administratori Pomezaniensi, atque serenissimi Polonie regis apud Cesaream Maiestatem oratori.

R^me^ etc. Accepi literas unas R^me^ p. vre. tredecima Novembris ex Bruccellis, iterum alteras septima Decembris in eodem loco datas, ex quibus iocundissimo animo intellexi, eandem divinitatis propicio numine sanam et incolumem esse; faxit deus misericors in longissimum usque evum pro sui episcopatus salubri regimine nostroque solamine speciali, et ut in brevi, singulis negociis feliciter peractis, ad nos sospes redire valeat. R^me^ dne. Eas quadringentas marcas, prout in commissis habui, spectabili domino Jacobo Hellwych, civi Gdanensi, numeratas dedi, ipso die Invencionis sancti Stephani, recepto ab eo recognitionis cirographo, eoque instanti literas ad R. p. vestram dedi, istius facti executionem significantes. Frumentorum hyemalium hoc anno ut preterito equalis crescencia fuit satis competens, estivalia vero nimio calore exusta pauca provenerunt. Ex prediis et annonis, quanto velocius poterit summa diligencia, frumenta in opido Grawdnytz ad granarium reponenda, de Lobaw, Plowesze, Fredeck et Raden faciam duci, ex Papaw vero et Aldenhaws in Culmen, et ex eisdem locis, foro facto, pro meliori commodo R. p. vre. per eundem mercatorem, cui addicta sunt et vendita fuerint, navigio in Gedanum demittantur. Ea tamen summa LXX. lastarum, provisione bona et necessaria castrorum et prediorum prehabita, vix esse poterit, nec pro tam brevi future Quadragesime termino omnia congregari et mercatori emensurari possunt, quia frumentorum trituracio in prediis ob pabula pecorum conservanda fieri solet usque in estate, et subditorum v. r. paternitatis vectura multum difficilis erit ob malam viam. Tamen omni studio, omni diligencia operam dabo, ut tanto maior summa vendatur frumentorum et ad loca deputata eo ocius deducatur. Census R^me^ p. vre., quamprimum ex integro collectus fuerit, dabitur pro festo Epiphaniarum proximo in manus domini Georgii Multis, factoris dominorum Fuggarorum, Thoronie, recepto ab eodem recognitionis cirographo. Organista Bartholomeus illa opera organorum complere differt, postulat sibi maius superaddi precium, quam pro parva marca, prout tunc usque solvendi fuit, conductus est; nunc maiorem marcam habere cupit per XX. grossos computandam; in ea re R. d. vra. me informare dignetur, quid sit agendum. Nepotes R. p. v. bonis studiis et virtutibus in Culmen exercitantur, impensa R. p. vre. bene provisi. Illustrissimus et Reverendissimus princeps Johannes Albertus marchio Brandenburgensis etc., si in dominium R. p. v. venerit, cunctis necessariis unacum suis pro maiori facultate honorabitur, pro voto R. p. v. Hic in episcopatu circa castra et predya omnia recte aguntur. Culmenze[1]) tamen opidum, quod bonum censum dare solebat,

[1]) *Vgl. Lengnich, Geschichte der preussischen Lande I 119.*

ex infortunio ignis incendio consumptum est; miseri incole pene omni substancia sua sunt privati. Deus omnipotens eorum inopie subvenire dignetur. Lutheriana secta presertim in civitatibus et opidis aboleri et extingui non potest, in dies maiores resumit vires, ex prava apostatarum inductione obedientia spernitur, jus spirituale minuitur, cultus divinus vilescit, annone male solvuntur; quamvis Regie Maiestatis mandatum habetur, palatinus tamen Culmensis in eius executione est tepidus et minus curat, frequenter per processus monentur, excommunicati denuncciantur, omnia vilipendunt ex illo infelici errore. Deus altissimus auferat ab eis cor lapideum et innovare dignetur spiritum rectum in visceribus eorum. Nos omnes hic omni conatu resistimus, ne magis ille error invalescat in commune discrimen animarum omnium christifidelium. Cum hiis eandem R. p. vram. felicissime valere exopto in Nesthereos usque annos, ad nos in brevi deo duce reddituram, pro cuius incolumitate deum continue deprecor. Ex Culmenze in crastino sancti Nicolai anno domini etc. XXXI.

Eiusdem R. p. vestre humilis Cappellanus et servitor

Martinus Czeme, canonicus Culmensis.

*Original auf Papier im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 67 nr. 101.*

## 869.

***1532. Februar 3. Heilsberg.*** *Mauritius, Bischof von Ermland, geht Johannes, Bischof von Culm, dringend darum an, keine Mühe beim Könige zu sparen, dass er zurückberufen werde, und in seinem Bisthum sobald als möglich Residenz nehme.*

Joanni episcopo Culmensi.

R$^{me}$ in Christo pater et domine, frater et amice charissime. Dedi superiori tempore diligentem operam, quod R$^{ma}$ d. v. pacificam canonicatus et prebende in ecclesia mea Warmiensi possessionem assequeretur; instando etiam apud Reginalem M$^{tem}$ Polonie, quatenus pro R$^{ma}$ d. v. id ageret, ut hoc sacerdotium apud sedem apostolicam, cui affectum videbatur, pacificum illi redderetur. Id quod et d. v. R. per litteras significare non destiti, quas in manus secretarii reginalis M$^{tis}$ ad mittendum R$^{me}$ d. v. consignatas recepisse eas mihi Cracovie tunc in comitiis regni agenti retulit. Postea mihi idem secretarius notificavit R. d. v. ita sibi de hoc sacerdotio cavisse, ut de pacifica possessione secura in posterum sit futura. Quod ipsi ex animo gratulor. Cum etiam vacaret episcopatus Culmensis, quid tunc in officio amici fecerim, constabit ex litteris meis tunc ad regiam M$^{tem}$ datis. Et ut felix faustusque sit episcopatus ille, ac ut inde ad maiora exaltatur, illi precor. Nunc superest, ut semel sponse et ecclesie sue amplexibus iungatur. Et quamquam ex litteris reverendissimorum dominorum Petri Cracoviensis et Mathie tunc Wladislaviensis episcoporum constet, id R. d. v. apud regias M$^{tes}$, ut revocata apud ecclesiam suam resideat, sedulo agere ac sollicitare: rogo tamen, ne perpetuis interpella-

tionibus, quo id quantocius fiat, instare cesset. Ut autem citra moram fiat, me quoque ultro id facturum polliceor, instaturumque ac diligenter rogaturum Regias M^tes, ut iam tandem R^mam d. v. post diuturnos labores et negociorum difficultates pacifica tranquillitate frui ac ad ecclesiam suam venire permittant. Est enim hoc et necessarium et huic patrie nostre utile, ut sit hic in senatu prutenico, cum comicia publica aguntur, (fortassis enim ego id per absentiam ex adversa valetudine causatam egre facere valebo), prelatus presidens propter arduas nonnumquam res ac negocia alia his terris incumbentia. Quo fit, ut admodum cupiam presentiam R^me d. v., cuius ad nos adventum maturare eamque interea felicem ac florentem conservare dignetur Christus. Ex Heilsberg 3 Februarii Anno 1532.

*Abschrift im bischöfl. Archiv zu Frauenburg A. 1 fol. 322.*

## 870.

***1532. August 1. Culmsee.*** *Der Domherr Martin Czeme beglückwünscht den Bischof Johannes von Culm zu seiner Ankunft in Krakau und theilt Einzelheiten aus der Verwaltung des Bisthums mit.*

R^mo domino Johanni d. gr. Episcopo Culmensi et Administratori Pomezaniensi.

R^me et gratiosissime domine! Jocundissimo animo vestram R. d. felicem et incolumen advenisse Cracoviam accepi; deus omnipotens annuere velit, ut in suo dominio eo velocius adesse possit pro sui episcopatus decenti gubernamine et nostro solamine speciali. Hic circa messem omni opera insistimus isto tempore, curando ut omnia tempestive in horrea congregentur. Mercatori ante octo dies frumenta vendita sunt, quelibet lasta pro XV. marcis siliginis; seorsum et specialiter triticum venditum, modius per VIII. grossos, meliori foro vendi non potuit. R^mam p. vram. obnixe obsecro et oro, significare non dedignetur, quo tempore apud suam ecclesiam adesse velit, ut eo commodius omnia necessaria pro eiusdem adventu subordinari possint. Cum hiis me gratie R^me. d. vre. commendo, et eandem diutissime felicem et incolumem valere exopto. Ex Culmenze ipso die ad vincula sancti Petri anno domini etc. XXXII°. Propter celerem abitionem nunccii plura scribere non potui.

Eiusdem Rme. d. vre. humilis servitor

Martinus Czeme, canonicus Culmensis.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 67 nr. 53.*

## 871.

***1532. August 12. Culmsee.*** *Der Official und das Domcapitel zu Culmsee urkunden über einen zwischen dem verstorbenen Bischof Johannes von Konopath und Laurentius Knopf geschehenen Gütertausch.*

. . . . . [Verwa]lter vnd Official Thuemherre des lobelichen stiffts czu Culmenseh vnd das gancze Capitel . . . . . [vn]d vffenbaer idermenniglich, dem

dieszer iegenwurtiger brieff wirt furgetragen, vnd dye ..... [hor]en adyr leszen, was standes weszendes adyr wyrde die szein megen. Wye das vns sampt ..... [w]isszend vnd vffenbar ist, das ym iare noch der gepurdt Christi Tausunt funffhundertt ..... [w]irdigeste in gott herre herre Joann von Canapat die zeidt ym lebende vnd gnantes stiffts ..... herre am tage sancti Georgii allhie czu Culmenseh mit deme erszamen vnd weyszen herren ..... czu Thorun mit vnszrem radt wisczen vnd wyllen eynen vffrichtigen rechten ..... ... werenden furtrag, wexel vnd vorgleychung czwisschen eynander von erben czu erben ..... [na]chkomlingen vnuorrogt czupleyben auffgericht angenommen vnd gemacht hot Nemlich ..... in deme dorffe Traenitcz gelegen mit aller czubehoer nutcz zcinsze anfelle aygenthum vnd hv ..... [beh]alten vnd czu besitczen. Do vor szall vnd wyl der obgenant vnszer gem ..... aller ..... stlich Sibendehalbhundertt mark vff czwee termine, nemlich vff Martini desselbigen jares ..... gende ym Sibenczehenden jare zcu wynnigisten tail czwehundertt vnd funffzig mark, welche (?) ..... nd all czu gutter genuge vnszer gemelter in got verstorbener herre hingelegt ainzelt (?) vnd gege[ben] ..... szal vnd wyl. Ouch hott do czu moel vnszer genediger herre voer sich genommen dye sechshun[dertt] ..... her Laurenntcz Knoppff iegen der Lobauw schuldig war. Do von ouch der herre Bysschoff dem ..... schultbrieff vorraichet hott, vnd ist cassirt wurden, do von gemelter herr Laurenntcz adir szeyne er[ben] ..... szollenn. Dergleichen ouch vier hubenn im dorffe Zcarnensehe ewygliche szeine gnad ouch mit ..... lung hott erstatett. Weiter szol gnanter Lorennz von vnszrem genedigen herren haben Wye ..... nd itczund szeyne eliche hausfrawe Magdalene sampt iren elichen hintergelaszennen kinde[ren] ..... iste gutter, die gnant szeyn Ky . nndorff vnd Szhaynn mit allen nutczen zcinszeren gerichten aynkunften vnd allen anderen czufelligen vrbaren, wie die ymmer mogen gnant szein adir kunfftig gnant werden, nichts auszgenommen, in alle yren enden vnd grenitczen, wie von alters geweszen, ouch mit allem aygentthum herlickaytt vnd rechter gewisszer were czu halten, haben, besytczen, gebrauwchen, vnd in szeine adir szeiner erbenn wolgefelligen brauch vnd nutczung erblichen vnd ewiglichen ane alle ainrede czukeren vnd czuwenden, mit fuller gerechtickait czuverkauffen, czuuerpfenden, czuuerwexelen, vnd domit czunehmen vnd czulaszen noch szeynem besten adyr szeiner erben wolgefallen, als mit yrem aigennen gutte, ane alle argelist treuwlich vnd festiglich von beyden thaylen czuhalten. Wo ayn geschriffte hie iegen weren, die szollen von allen taylen vntauglig vnd machtloesz szayn. Bey sollichem furtrage do zcu mole gescheen, wye obsteett, vnd gescheenner voraynygung adyr wexel seint geweszen dye wyrdigen andechtigen erbaren namhafften vnd vorsichtigen her Raphael Wayner thuemherre ..... herren Bisschoffs Capellaen, der Voyt von Caurnig Nicles . dewaltt, her Ludwig Engelhardt vnd Hermann .... Noch .... im szollichem

contract, voraynyung vnd wexel mit vnsers in got erstorbenen herrn Bisschoffs, ouch vnszer bewylligung gescheenn, vnd doch czu bayder seidt vorsicherung bys an hier kayne schrifftlicher bewereter schayn gemachett. Domit . . . . . fftig zcwisschen itczigem vnszrem genedigen wirdigen herren Joan Bisschoff czu Culmenseh, ouch der frauwe Magdalenen obbestympt vnd iren kynderen erben vnd nochkomlyngen, kaine irrung adyr zcank entstehe . . . . vnd . . . . angemercktt, das ayn ider tayl das szeyne szo lange jare in gutter ruyger besitczung gehabtt vnd noch hot, szo szeint wyer genoszamelt (!) wurden ausz rechter lyebe der gottlichen warhait vnd auff filfeltig billig anregen gnanter frauwen Magdalenen vnd yrer freuntschafft, dero geschichte alle wyr obgemellt, ayne ware sychere vnd gewissze ewig werende kuntschafftt von vns zcugebennde vormittelst vnd in krafft dieszes brifes, dem wyer czu meher sicherhait vnszeres capitels eingesigel haben anhengen laszen. Vnd gegeben czu Culmenseh an dem zcwelfften tage des Augst Monats nach der gepurt Jesu Christi vnszers aynigen haylants Tausennt Funffhundertt Zcwe vnd Dreysig jaer.

*Aus dem Original auf Pergament mit Resten vom Siegelstreifen im Culmer Diöc.-Archiv. Die Schrift ist durch Nässe an vielen Stellen unleserlich geworden. Ausserdem fehlt der Anfang der ersten 21 Zeilen, indem durch Zusammenfalten des Pergaments in sechs ziemlich gleiche Theile das erste Sechstel sich abgetrennt hat und verloren ist.*

## 872.

***1532. August 31. Mewe.*** *Georg von Baisen berichtet an Mauritius, Bischof von Ermland, von dem Empfange des Bischofs Johannes Dantiscus von Culm.*

Dem erwirdigsten in got vatter vnd herrn herrn Mauricio v. g. g Bischoff zu Ermelant vff Heilisbergk.

— — — Item der bischouff von Culmensehe d. Joannes Dantiscus ist komen ken Crokow 28 Julii, aldo ehrlich entfangen vnd gehalten, dennoch bei achtagen hot in die podogra innebehalten. Iczt vff Bartholomei sol seine g. gecronet sein wurden zcu Peterkow, von dannen, wirt geredt, sol sich hereyn begeben etc. — — Geben zcur Meve sonobends am leczten Augusti anno 1532.

E. v. g. bereitwillige Georg von Baisen etc. vfr Meve, Achacius Zceme m. p.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 90 nr. 128.*

## 873.

***1532. September 18. Sgrnyevice.*** *Der Erzbischof Mathias Drzewicki von Gnesen zeigt dem Bischof Johannes von Culm die Ausschreibung eines Jubelablasses gegen die Türken an und befiehlt ihm, denselben in seiner Diöcese zu publiciren.*

R^mo^ domino Joanni d. gr. episcopo Culmensi, fratri etc.

R^mo^ etc. Salutacione fraterna premissa, omne bonum vra. R. d. a domino deo precamur. Sanctissimi domini nostri Clementis pape VII. in religionem sancta pietas nos

Christifideles inflamans et excitans ad devocionem, et cupiens, ut christifidelium devocio religiosa apud dominum deum salvatorem nostrum accepta sit. Atque ut preces devote omnium Christifidelium pro peccatis humiliter penitencium in hac moderna necessitate, qua primitur respublica christiana Turci crudelissimi viribus, misericorditer exaudiantur: misit sua sanctitas nobis breve apostolicum cum copiis seu transsumtibus bulle, plenariam indulgenciam seu jubileum presentem per universam christianitatem indicentis, nobis mandantes, ut in nostra provincia diligentissime per omnes diocceses omnibus suffraganeis nostris easdem indulgencias et copias seu transsumpta bulle publicanda mitteremus. Quapropter nos mandato sanctissimi domini nostri pape obsequentissime parentes, vre. R. d. voluntatem s. domini nostri intimamus, et copiam seu transsumptum bulle jubilei plenariam indulgenciam tribuentis cum brevis apostolici ad nos dati insercione mittimus, vram. R. d. in virtute sancte obediencie adhortantes, ut in sua diocesi eundem jubileum publicari iuxta bulle tenorem faciat, ut tam pientissima gratia omnibus christifidelibus fructum ex sincera devocione afferat, et hostis perfidissimi truculenciam, qua christifideles persequitur, conterat, quod faxit deus per sue misericordie plenitudinem, ut christianus populus ab omni formidine tam crudelis hostis, qui non modo corpus, sed et animam perimere conatur, liberetur. Cupimus autem v. R. d. bene valere. Datum in Sgrnyevice die decima octava Septembris M° D° XXXII°.

Vre. R. d. bonus frater Mathias dei gratia Archiepiscopus Gnesnensis et primas legatusque natus apostolicus manu propria scripsit.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 64 nr. 7. Auf der Adresse wird bemerkt, dass bei Abwesenheit des Bischofs das Domcapitel den Brief öffnen solle.*

## 874.

***1532. October 2. Königsberg.*** *Herzog Albrecht von Preussen antwortet dem Bischof Johannes von Culm, dass er dem Wunsch desselben entsprechend den nächsten Sonntag nach dato behufs einer Besprechung nach Riesenburg kommen werde.*

Dem erwirdigen in got vnsern bsondern lieben freunt herren Johansen, erwelten Bischofn zw Colmensehe.

Erwirdiger in got besonder lieber freundt. E. L. schreiben des datum steht Altenhauss den 25 Sept. dis ytzigen jars haben wir heut dato allererst emphangen. Dweyl wir nu daraus befinden, das sich E. l. gern mit vns, allerlei sachen halben, notdurfftiglichen wolten vndterreden, angesehen das solchs der federn nit zuuortrawen, vnd derhalben fur nutz vnd guet angesehen, das wir vns zu E. l. gen Rysenbergk fugen welten. Dweil vns aber E. l. keynen gewisen tag bestymmen vnd wir besorgen, das es nu mehr etwas zu spät fallen mochte, vnd E. l. geschefft villeicht nit langen vorzugk leyden mochten, so ist an E. l. vnser freuntliche bith dieselb wellen sich nit beschweren lassen

ein wenig zuuorziehen, dan wir gewieslichen auf den nehsten Sontag nach dato zu Rysenburgk eynkomen wellen, vns E. l. begern nach mit derselben zu vndterreden. E. l. allem freuntlichen wellen zugeleisten seindt wir gewogen. Datum Konigspergk den andern tag Octobris Anno etc. im XXXII$^{\text{len}}$.

Von gots gnaden Albrecht, Marggraue zw Brandenburg, zu Preussen, zu Stetin Pomern, der Cassuben vnd Wenden Hertzog, Burggraue zu Nurenberg vnd Furst zu Rugen.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 90 nr. 135.*

## 875.

***1532. October 15. Löbau.*** *Joannes, Bischof zu Culmen, bittet Danzig der Wittwe des Martin Hase und seinem Schwager Bartholomeus Senger in dem Erbstreite mit Jorgen Angermünde zum Recht zu verhelfen und für den Unterhalt seiner Kapläne an seiner Pfarrkirche durch den Commendarius Sorge tragen zu lassen.* Dat. zcw der Lobenn 15 October 1532.

*Original mit Signet im Danziger Stadtarchiv.*

## 876.

***1532. October 25. Heilsberg.*** *Bischof Mauritius von Ermland dankt dem Bischof Johannes Dantiscus für die ihm gemachten Geschenke.*

R$^{\text{mo}}$ domino, Joanni d. g. Episcopo Culmensi, fratri etc.

R$^{\text{me}}$ etc. Per magnificum dominum Joannem a Lusianis, palatinum Culmensem, R$^{\text{me}}$ d. v. cum litteras tum munera (nempe Cesaream celsitudinem atque R$^{\text{inam}}$ d. v. effigiatas, reliquaque linthea paraphrasesque) recepi. Que ut mihi sunt admodum grata, ita magnas gratias ago. Habiturus ea magno in precio et mutue amicicie fraternique amoris testes. Id vicissim sibi de me, quod de candido amico et fratre expectandum est, persuadeat velim R$^{\text{ma}}$ d. v., cui omnium fortunarum successum cum status dignitatis et honoris incremento ex animo cupio et opto. Ceterum novitates impartite fuerunt mihi admodum iucunde auditu, quas et veras esse omnibus votis optandum est. Et si quas posthac christianis populis et utiles et letas habitura est, R$^{\text{ma}}$ d. v. eas, ut cepit, mecum communicare pergat, meque sibi commendet rogo, ac tandem felix ac sospes per Christum valeat. Ex Heilsberg XXV. October Anno M. D. XXXII.

Vestre R$^{\text{me}}$ d. bonus frater

M. Episcopus Warmiensis subscr.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 8 fol. 2. Concept a. a. O. A. 1 fol. 345.*

## 877.

***1532. November 29. Löbau.*** *Bischof Johannes von Culm empfiehlt dem Danziger Rath seinen Administrator und bittet, dem Pancratius die Verkündigung des Evangeliums nur allein in der alten hergebrachten Weise zu gestatten.*

Den — — Herrn Burgermeister vnd Rathmannen der Kon. Stadt Danczke.

Unsern etc. Vnser kirchen stadthalder, den wir geseczt, ist hie bey vns gewest, mith dem wir vorlossenn, so her Ew. Er$^{t}$ angenhem vnd gefallen ist, das her in allen sachen zcw Ew. Er$^{t}$ zcwflucht soll haben vnd alle dasselbige thun, was her schuldigk vnd Ew. Er$^{t}$ zcw willen thun kann. Derhalben wir Ew. Er$^{t}$ vleissigk bitten, wollt in mith alle seinem anligen bepholen vnd handt haben, nemlich wider den Officiall, der vns vnd die vnsern keine rechenschafft thuende vnd sunderlich diesen vnsern stadthalter tuth verfolgen, das wir mith der czeit woll finden wollen. Auch bitten wir, wie auch der her Erczbischoff vnd der her von der Coyen an Ew. Er$^{t}$ geschrieben, so Ew. Er$^{t}$ die prediger in vnser kirchen seczen, wold Pancracium dazcw halten, das her nichts anders dan das heilige ewangelionn, wie dasselbige die cristliche kirche vnd vnser alt herkomende vetter gepredigeth vnd vorstanden, predige vnd deutte, nichts dorausz entwerffe vnd dem gemeynnen manne vorsage, woraus das irthumb, das negst gewest, vnd andere schwere auffrur mochten erwachssen; hierinne thunde Gotte dem allemechtigen sunderlichen vnd schuldigen dienst, Kon. Mat. willen, euch selbst nucz vnd ehre mith behaldener eintracht vnd vns allewege zcuvorscholden, ein grossen wolgefallen, warinne wir widerumbe Ew. Er$^{t}$ viel liebes vnd freuntlichen willen, mith der tath werden wissen zcuerczeigen, wollen wir alleczeit enthalde Ew. Er$^{t}$ in langweriger gesundheit vnd gelugseligem zcwnhemen lange czeit. Dat. vff vnserm Slosse Lobaw den 29 Novembris im 1532 Jore

Joannes B. zu Culmen m. ppria.

*Original auf Papier mit Siegel im Danziger St.-Archiv.*

## 878.

***1532. December 4. Thorn.*** *Zwei Schreiben des Bürgermeisters und der Rathmannen der königlichen Stadt Thorn an den Bischof Johannes von Culm.*

*1. Sie überschicken ihm, der in diese Lande neu angekommen und mit ihren Angelegenheiten noch nicht vertraut ist, Abschrift der am Stanislaus-Landtage eingereichten Supplication und bitten um seine Unterstützung.* „Auf Ew. gnaden schreyben haben wir angesichts briffs den vorlouffnen Mönch Conradum, welchem aus mangell vnd gebruch der glaser ein zceittlangk auff behagh vnd gefallen E. h. g. zcum arbeyten zcu gelossen, vor vnsers radts samlunghe vorbotten lassen, welchem wir noch vorlesungh Ew. hochw. gnod. briff ernstlich geboten, sich zcu seinen brudern zcu begeben, aber die stadt zcu rewmen; hot ehr noch filem vorwenden sich gehorsam zcu halten auff eins Ers. Radts bofelich erboten. Domit aber

die purgerschafft, von welcher ehr nicht wenigk auff arbeyt empffangen, von im kein beschwerde ader betrugk entpffunde, hatt ehr frist bis auf fastnacht gebeten, mittler zceitt sich zcu befleissigen iderm seine arbeyt fertigk zu machen, vnd also mennigklich zcalende von hinnen sich zcu begeben zcu gesagt, welches im vmb guttes glimpffs willen, domit die purgerschafft nicht beschedigt werde, vorhoffen nicht wider E. g. willen, ist zcu gesagt worden. Bitten E. g. das selbige vns nicht wolle vorargen. Was aber Simon Holczte belangett, haben wir inen gleichmessigk vorforderen lassen, anzeigende ime E. g. schrifftliche meynunghe. Welcher sich auch aller gebur jegen bebstliche heylickeyt beuor, auch E. h. g. als seinem prelaten vnd herren zcu halten gelobett hatt vnd zcugesagt, derhalben ehr sich auch zcun E. h. g. kurczlichen begeben wyrtt. — Geben eylendis zcu Thorn am 4 Decembris im jor etc. XXXII.

*2. Sie verwenden sich für Simon Holste, welcher sich zum Bischofe begeben will, und bitten, die Sache entweder durch bischöfliche Dispensation beizulegen, oder wenn dies nicht geschehen kann, sich zu gedulden, bis die päpstliche Dispens von Rom herbeigeschafft ist.* Geben zcu Thorn am 4. Decembris im Jor etc. XXXII.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 90 fol. 151, 152.*

## 879.

***1533. Januar 2. Wolborz.*** *Johannes Karnkowski, Bischof von Leslau, dankt Johannes Dantiscus für die übersandte „paraphrasis Psalterii", sagt Abhülfe zu in Betreff der über den Official Urban (Ulrici) erhobenen Beschwerden, und bespricht die dermaligen kirchlichen Zustände in Danzig.*

R$^{me}$ etc. Reddite sunt mihi vre. d. Rme. littere, ex quibus ego singularem quandam eiusdem R. d. v. erga me voluntatis significacionem habunde cognovi; redditum eciam cum iis exemplum paraphrasis Psalterii nuper ad hebraicam veritatem versi, opus plane meo iudicio, ut primo potui intuitu conspicere, singulare, ac verum prophete sensum mirum in modum elucidans, quo ego non mediocriter capior, ita quod eo, de quo R. d. v. mihi scribit, auro et argento longe gracius est idque multo magis eo nomine, quod ab eadem R. d. v. sit profectum, in quoddam veteris illius coniunctionis nostre mutue et amicicie testimonium, pro quo ego ago et habeo eidem R. d. v. ingentes gratias, daturus operam, ut aliquando eciam intelligat me sibi semper et bene velle ac omnibus studiis et officiis gratificari cupere. Proverbia Salomonis et Ecclesiasten, de quibus R. d. v. scribit, apud me in expectacione sunt. — Ceterum queritur R. d. v. de Urbano, officiali meo Pomeranie, quod parum recte sese erga R. d. v. gesserit, et maxime in eo, quod de administrata per eum aliquot annis parrochiali ipsius R. d. v. in Gdano, cuius commendarium agebat, nullam hactenus reddiderit racionem etc. Quodque eciam nonnullas eiusdem d. v. R. res de domo plebanali asportaverit et ecclesiam illam absque omni ordine et sacrorum administratore reliquerit, et nescio quem dominum Stanislaum preter

scienciam eiusdem R. d. v. in locum suum istic subrogaverit etc. Et item quod dominum Georgium Muchav, quem istic R. d. v. in commendarium constituit, modis omnibus persequeretur etc. Ego profecto, mi Rme. d., hec omnia ab eo non grato accipio animo. Cuperem enim, ut omnes mei et officiales et servitores ita se erga eos, quibus ego benevolo vel morem gero, conservent, quemadmodum ipse ego. Itaque scribo eidem, ut omnino se de omnibus vre. d. R. iustificatum faciat, racionemque de per eum administratis reddat, et hunc d. Georgium Muchau, quem v. d. R. ecclesie sue commendarium esse voluit, in quiete officium suum et debitum agi permittat, cui ego commendam in manus R. d. v. mitto. Quodsi Urbanus ipse mandatis meis non acquieverit fueritque adhuc incivilis, et ut scribit Rma d. vra., inurbanus erga illam, neque reddiderit illi sufficientem racionem de perceptis per eum, faciam ego eidem R. d vre. de eo omnimodam iusticiam. — Preterea pergratum mihi vehementer est illud, quod vestra d. R. magistratui Gdanensi scribere dignata est, eumque commonefaciens, quo Pancracium monachum Dominicanum, per eum in ecclesia R. d. v. istic concionatorem institutum, qui sopites utcunque iampridem istic ignes suis erroneis dogmatibus, quos in vulgum inertem de suggesto spargit, plane excitare videtur, inde ablegaret; fecit Rma. d. vra. sane officium boni presulis et pastoris. Idem ego eciam superioribus diebus feci, non modo per meas sed eciam Mtis. Regie et Rmi. dni. Archiepiscopi litteras, feci eciam per nuncium proprium, cupiens eum ipsum magistratum ad officium iri reductum. Verum et ipse nihil profeci, pollicitus si quidem erat id se facturum per omnem eam occasionem, per quam aliquis in populo tumultus suboriri non possit, id pretexens, quod, si subito ammotus inde fuerit, fieri non poterit absque gravi ipsius magistratus et tocius istic cleri periculo et discrimine vite. Sed iam diu est, quod ista expectatur occasio, et interim pestis hec in dies magis ac magis, ut scribit R. d. v., gliscit atque pullulat. Sed si mandata et leges per manus et Mtis. Regie eidem tradita, ex quarum prescripto urbs illa regi debebat, contemnunt, quid sperare debemus? quanti nostras faciet commoniciones, facile quisque iudicare potest. Ego tamen, quoad fieri poterit, non deero debito et officio meo, contendamque cum consilio R. d. v. in id, quod prestare poterimus ex re religionis sacrosancte. — De domo illa Beginarum, de qua ad me R. d. v. scribit, quod illam magistratus ipse Gdanensis miseris cuperet adimere mulierculis, que curant infirmos et ecclesiis inserviunt etc. Item et de Conrado Suchten ac Michaele pictore Schatman et cèteris Lutheriane farine hominibus, qui olim eciam fuere Gdani motus illius labefactate religionis autores, in quibus nunc rursum illi quasi iam oblitterati errores repuerascunt, scribo ad officialem meum Pomeranie, ut hiis de rebus faceret summariam inquisicionem meque plene informaret, ut se res habeat, et quod eciam ageret cum ipso magistratu meo nomine tam de ipsis Beginis et earum domo, quo eas quiete domum illam permittat in ea, qua ante use sunt libertate, possidere etc., quam eciam ut in ipsos Conradum et Michaelem etc. debite animadvertat. Alioqui si ea in re parum officiosum sese nobis declaraverit, curabo profecto ea omnia

Maiestati Regie deferre. Bene valeat Rma d. vra. meque solito amore prosequatur. Ex Wolborz 2 Januarii[1]) Anno domini M. D. XXXIII.

Eiusdem R^me^ D^nis^ vre. totus

Joannes dei gracia Episcopus Wladislaviensis.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 67 nr. 164.*

## 880.

***1533. Januar 6. Löbau.*** *Joannes, Bischof zu Culmen, Administrator des Bischtumbs Pomezan, empfiehlt dem Rath in Danzig den durch Unglück heimgesuchten Bürger Antonius Korte zu einem Amte.* Dat. aus vnserm slosse Lobaw den 6 Januarii 1533.

*Original mit Siegel im Danziger Stadtarchiv.*

## 881.

***1533. Januar 17. Petrikau.*** *Johannes Karnkowski, Bischof von Leslau, antwortet dem Bischof Johannes Dantiscus von Culm in Betreff einiger in dem eben abgesandten Briefe erledigten Angelegenheiten, in Bezug auf die bischöfliche Consecration und die beschwerliche Aufgabe der Gesandtschaftsreisen.*

R^mo^ domino Joanni, d. gr. Episcopo Culmensi, domino amico et fratri.

Rme. etc. Accepi R^me^ d. v. eas, quas novissime ad 29 Decembris ad me dedit litteras, quibus me eadem d. v. R. invisere voluit, cupitque etiam ad eas litteras, quas paulo ante ad me dedit, sibi responsum iri. Cui ego primum pro ea d. v. Rme. benevolentia et animi propensione, quod se prestat semper mei memorem, ago et habeo quam maximas gratias. — Ad ea autem, que superioribus diebus d v. R. tam de illo officiali meo Gdanensi inurbano, quam de beginarum domo et magistratu Gdanensi ac Pancratio concionatore etc. scribere voluit, iam satis habunde per meas, quas ad proximas ferias Natalis Christi, priusquam huc me ex Wolborz contuli, ad v. d. R. dedi litteras, responsum esse puto, que per meum Wladislaviensem prefectum in manus d. v. R. citra moram perferri debebant, ex illis, nihil iam dubito, d. v. R. esse sufficienter resolutam, atque ita non opus esse censeo, ut ea rursus repetam. — Scribit preterea R^ma^ d. v. cupiens, ut eiusdem consecrationi, quam deus prestet auspicatissimam in longa utriusque nostrum sospitate, preessem; obibo non gravatim eam provinciam unacum R^mo^ d. Episcopo Plocensi in gratiam d. v. R^me^, et si placet in ecclesia mea Wladislaviensi, quod esset mihi pergratum, ubi ego ea, quibus expediens erit usui et necessitati d. v. R^me^ subministrabo. Sin minus ita eidem visum fuerit, vadam quocunque et quandocunque iusserit, maxime vero tum, cum ipse circa ecclesiam meam adfuero. Cuperem autem ego, si deus dabit

[1]) *Am 2. Januar 1533 eröffnet der Bischof Johannes von Culm den ausserordentlichen preussischen Landtag zu Graudenz. Lengnich I 124, 128.*

vivere, per dies quadragesime proximos usque ad festa Pasche inclusive illic agere. Verum opus erit ante omnia, quod d. v. R$^{ma}$ promoveatur in presbyterum, idque fieri non poterit, si d. v. R$^{ma}$ specialiter dispensata non est, quod extra tempora a iure prescripta ordinari possit, nisi temporibus a iure statutis. Alioqui non esset d. v. R. capax consecrationis. — Ceterum quod queritur d. v. R. se cum in obeundis legationibus M$^{tis}$ Regie et regni tum etiam expeditione litterarum episcopatus sui, plurimum esse extenuatam, facile credo, mi R$^{me}$ domine, non modo illam esse extenuatam, sed etiam, ut ita dicam, exenteratam, nam ipse quoque, quantum sumptus requirat munus oratorum, qui ex dignitate principis sui et regni illud obire volunt, probe novi, et arpiarum illarum Romanarum rapacitatem periculo meo satis cognitam habeo, adeo quidem, quod et ipse propterea adhuc ere alieno gravor etc. Credo itaque quod d. v. R$^{ma}$. tot et tantis peregrinationibus, curis et laboribus saciata cuperet iam tandem respirare ac valetudini sue consulere. Ea in re quicquid ego possem unacum Rmo. domino nostro Archipresule prestare, quod ex re et commodo ac dignitate eiusdem fore censebitur, profecto non deerit studium ac diligentia mea. Unum autem scio, quod d. v. R$^{ma}$ se excusare neque poterit neque illam alias facere fuerit licitum, quin veniat Cracoviam tum, cum per Regiam M$^{tem}$ accersenda erit . . . . Cesaree M$^{tis}$ et serenissimi domini Regis Romanorum oratores ac tractandum de pace cum oratoribus regis Joannis Hungarie venient, quorum adventum brevi speramus, et de hoc sibi d. v. Rma. certo persuadeat, quod ad eum actum vocabitur, vocabuntur etiam ceteri Primores Regni et illic comitia presentia, hic iam utcunque cepta, Regia M$^{tas}$ terminabit. Cupio tandem d. v. Rmam. quam diutissime salvam et incolumem vivere. Cui me ex corde commendo. Ex Pyotrkow XVII Januarii Anno domini M. D. XXXIII.

Vestre Rme. d. integerrimus

Johannes Wladislaviensis Epus sscrips.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 67 nr. 173.*

## 882.

***1533. Februar 15. Heilsberg.*** *Bischof Mauritius von Ermland macht dem Bischof Johannes von Culm Vorschläge über den Weg, auf welchem er zu ihm kommen solle.*

Episcopo Culmensi.

R$^{me}$ etc. Accepi litteras v. R. d. 14 Februarii datas, ex quibus didici statutum diem ad hunc locum sui adventus, qui ut faustus felixque sit, demum precor. Sed hoc displicet, quod v. R. d. decrevit premittere suum dispensatorem, qui hospicia disponat, necessaria comparet. Ne autem hoc fiat, sed ut sese cum universa sua familia et comitatu recto itinere ad arcem hanc recipiat, v. R. d., rogo; secus id mihi non esset gratum et minus tolerabile; patefient eidem R. d. v. omnia, que hec domus pro sua exiguitate

potest et valeat, equorum dumtaxat pars, si pluralitas fuerit in oppido, stabula cum pabulo necessario ex mea provisione accipient. Propinquius iter ex Osterrode seu Hogenstein huc proficiscendi v. d. R. habebit per oppidum nostrum Gutstat, in quo domus mea nondum est restaurata, nec ibidem habeo prefectum, sed in curia Smolein, distans medium miliare ab illo. Est tamen in Gutstadt hospitium apud proconsulem Thomam Ungerman conveniens, in quo illustris dux Prussie hinc Petercoviam annis duobus effluxis pergens cum sua consorte etiam pernoctavit. Si etiam v. R. dⁿⁱ non erit onerosum circuitum facere per oppida mea Wartenberg et Seburg, mandabo meis burgrabiis, quo vre. R. d. ibidem in arcibus meis debitam pro posse provisionem procurent. In novis habeo etc. interea Rᵐᵃᵐ d. v. salvam et felicem esse cupio. Datum Heilsberg 15 Februarii 1533.

*Abschrift im bischöfl. Archiv zu Frauenburg A. 1 fol. 355.*

## 883.

***1533. März 26. Heilsberg.*** *Mauritius, Bischof von Ermland, berichtet dem Könige von Polen über das ermländische Canonicat des Bischofs von Culm.*

Regi.

Dignetur scire Serᵐᵃ Mˢ vra., quod cum anno domini M. D. XXV Cracovie cum Illᵐᵒ domino Prussie etc. duce pax concluderetur, misit ad me reginalis Maˢ magnificum dominum Wolski, sue domus magistrum, rogans, quatenus ego domino Joanni, moderno episcopo Culmensi, tunc in minoribus existenti, canonicatum et prebendam ecclesie mee Warmiensis primo ordinario mense vacantes conferre vellem. Cui respondi, quod in vacatione prebendarum ecclesie mee unicum dumtaxat et primum haberem votum, consequens et quilibet canonicus suum prestaret votum, me libenter sue reginali Maiestati in hac prima petitione eius obtemperare velle sperareque capitulum meum ad hoc etiam induci posse. Contigit post hoc anno etc. XXIX mense Februario et ordinario decedere quondam Albertum Bischof canonicum ecclesie mee; effeci tandem cum capitulo meo, quod Rᵐᵒ domino Culmensi illi canonicatus et prebenda authoritate ordinaria conferrentur. Dicebatur eo tempore a nonnullis, quod prefatus Albertus, dum humanis frueretur, fuisset familiaris Julii pape, et ideo hoc beneficium esset per huiusmodi familiaritatem sedi apostolice reservatum. Quod illico reginali Mᵗⁱ significavi, quo operam apud papam prestaret, si ita, uti ferebatur, esset, ut etiam auctoritate pape ipsum Rᵐᵘᵐ dominum Episcopum faceret securum, et sic nec ante nec post hoc tempus usque in hunc diem ulla prebenda mense ordinario vacavit, itaque quantum in me et capitulum meum fuit, puto nos promissioni nostre sacre reginali facte sinceriter satisfecisse. Accidit deinde, quod quidam Alexander Sculteti, canonicus ecclesie mee, prout iactitat se, prefatos canonicatum et prebendam impetraverit apud sedem apostolicam. Utrum autem familiaritas quondam Alberti talis

fuerit, quod ex ea beneficium predictum apostolice sedi sit reservatum, me fugit; hoc tamen scio, quod R$^{mus}$ dominus Culmensis hactenus in sua possessione fuit quietus et pacificus, et in quartum annum a nemine citatus in litem, nisi quod prefatus Alexander eum velle impetere et molestare se audiri facit. Ego, ser$^{me}$ rex, Alexandrum, qui a mea iurisdictione et ferula exemptus et privilegio apostolico ipsi sedi apostolice subiectus est, dudum paterna admonitione monui et adhortatus sum, quo R$^{mum}$ dominum Culmensem inmolestatum permitteret, alioquin non esset sibi in his terris tranquilla mansio. Quievit hactenus. Insuper etiam nuper illi, que a vestra sacra Maiestate habeo in commissis, indicavi. Que omnia eandem Sacram M. v., cui longum vivere, recte valere ac regnare a deo precor, latere nolui, me ac ecclesiam meam in solitam gratiam ipsius devotissime commendando. Datum (Heilsberg) 26 Martii 1533.

*Abschrift im bischöfl. Archiv zu Frauenburg A. 1 fol. 361—362 und D. 67 fol. 249.*

## 884.

***1533. März 31. Heilsberg.*** *Bischof Mauritius von Ermland verwendet sich bei seinem Domcapitel für den Bischof Johannes von Culm in Betreff der Präsenz.*

Capitulo Warmiensi.

R$^{mus}$ dominus Episcopus Culmensis heri hinc abiens rogavit nos, ut eam prerogativam ac dispensationem, que et aliis quibusdam, qui uno duntaxat die isthic residentes tempora residencie sue compleverunt, et depositis statutis fructuum participes sunt facti, concessa est, a f. v. impetraremus, ea potissimum ratione, quod nunc in episcopali dignitate constitutus non sine suo incommodo atque adeo indignitate quadam isthuc ad ecclesiam venire ac tempus residentie sue complere posset; vellet autem pecuniam statutorum iuxta ecclesie consuetudinem deponere. Nobis visum est, ut habita ratione dignitatis et status d$^{nis}$ eius R$^{me}$, que alioquin ecclesie honori et utilitati esse potest, fraternitates vestre gratia illi facta secum dispensarent, et acceptis statutis a procuratore eius participem fructuum, ut moris est, facerent, ita ut non sit opus tempus residentie sue complere. Pollicetur enim d. eius R$^{ma}$ pro hac gratia dispensatione sibi facta per omnem occasionem cum ecclesie tum fraternitatum vestrarum honori et utilitati inserviturum. Cupimus itaque, ut f. v. super hoc negocio deliberent, voluntatemque et sentenciam suam cum primis nobis rescribant; nam d. eius R$^{ma}$ mittet huc capellanum suum pro Crismate adferendo. Convenit autem inter nos, ut cum eo capellano d. eius R. responsum rescribere debeamus. Fraternitates vestras bene valere cupimus. Ex Heilsberg ultima Martii 1533.

*Abschrift im bischöfl. Archive zu Frauenburg A. 1 fol. 357.*

## 885.

***1533. April 5. Löbau.*** *Joannes, Bischof zu Culmen, schreibt an den Rath in Danzig unter anderem:* — — Wir sein heut acht tage vorgangen von Heilsbergk einkomen vnd den sontagk Letare subdiaconus, in vnser lieben Frawentagk der vorkundungk diaconus, dornoch den Sonobend mit menschlicher vnwirdigheit von vnserm lieben frunde dem hern Bischoffe von Ermeland zcw pryester geweyeth wurden, vnd so wir vns vorgsaczt mit gots hulff den ersten sontagk noch Ostern vnser ehrste messe zcwthun, bitte wir E. Er$^{n}$ als vnsere gunstige frunde vnd gelipte lanczleuthe, wold gotthe zcw dinste vnd ehren, hie her zcw vnser erhsten messen erscheinen vnd vorgutt nhemen von newer wirtschafft, was das hausz hot; vnd so jo E. Er$^{n}$ nicht mugen alle komen, wolten vnsern sundern gutten freundt hern Hansen von Werden E. Er$^{n}$ mittels Burgermeyster vnd Borgreue, oder welche sunst E. Er$^{n}$ wollen vff solche vnsere freude schicken, wolle wir noch vnserm vormugen vorschulden. — Dat. vff vnserm Slosse Lobaw 5 April 1533.

*Original auf Papier mit Siegel im Danziger Stadtarchiv.*

## 886.

***1533. April 15. Thorn.*** *Der Rath der Stadt Thorn beglückwünscht den Bischof Johannes von Culm zur Feier seiner ersten heiligen Messe.*

DEm hoegwirdigesten in gott Fursten vnd herren herren Joann
des ruhmlichen Thuemstiffts czu Culmenseh Bisschofe vnd Administratori czu Pomezaen,
vnszerm gnedigen herren.

Vnszre bereudttwyllige, stete vnd vnuordrosszene dinste seynt euver hochwirdigen gnaden allwege mit demutigem herczen entpholen. Hoegwirdygester in gott furste, genedigester herre. Vns hott hochlichen vormols erfreuvett euver gnaden erhebunge czum bischofflichem stande. Nu aber ist vns ain freuvdenreicher tag mit weiszen perlen der ewickeit zcumercken yrleuchtet, szo wir vorstanden, das ewer gnade, den fusstappen Christi vnd der heyligen apostelen meh vnd meh folgende, in die vberswentliche wirdickeit des pristerlichen ampts zcum czaichen ains rechtschaffennen vnd wahren hirten, der vns allen vnd die schafe von gottlicher ordnung entpholen in vnd ausz auff die gottliche wayde seliglichen wirdt furen, nu gluglich aus gotes schickung ist getreten. Musszen vns aber nu noch meh in vnszeren herczen mit freuvden erheben, das euver gnade vns nicht hott vorbey gegangen, bszunder mit filen andren hoeggepreiseten herren vnd frunden eyngeladen zcu sollichen hogen freuvden, szo euver gnade das erste hailige ampt der messzen, (wilches vnd sunt alles andere got durch szeine gutige barmherczickaitt szelich gluglich vnd czum gnedigenn anfange, mittel vnd ende zcufuren geruche) genaigt ist auff den kunfftigenn Suntag czufullenbrengen. Wyer weren ouch nicht vngenaigett, eweren gnaden zcu dinste vnd eren, szo file an vns gelegen, doselbigest czur Lobouv mit andren eingeladenen czuerscheinen, wo vns neben der weythait der stellen vnd das auff kunfftigen dingestag vnszers rats unlegeneszen, nicht in wayniger czael am landtgedinge szeyn musszen, ouch andre vnuerhoffte vorfallende gescheffte, drane vnszer stadt

merglichenn gelegen, nicht hetten vorhindert vnd abgehalten. Mit demutiger bethe euvere gnade welt vnszre entschuldyung vnd auszbleybe mit gnedig auffnehmen vnd ins beste deuten. Idennoch czum czugnussze vnd bestetyunge vnszer guttwillickait dinste vnd steten wolgefallen haben wir auff dieszen heutigen tag ayne lage Maluasia bekommen, die wir dann euver gnaden mit dem wirdigen herren Gasparo Liszeman, prister vnd supranumerario zcu Culmenseh, czu der andren vor hin gsanten, dann wir do czumoel kaynen besszeren Weyn in vnszer stadt wusten, ouch zcufertigen; hochlichen bittende vnd begerende, Ewer gnad die klayne vnd geringe vorehrunge mit frolichem angesichte von szeinen guttwilligen vnd dinsthafftigen geruche auffczunemen, vyle mehr das dinstbare hercze, dann dye gaben in sich ermesszende. Worinne wir euver gnaden, die got lange gsunt enthalte, czum eren vnd gefallen wisszen czu leben, findet men vns allwege vnuordrosszen. Gegeben zcu Thorun am Dingestage ym hohen feyr czu Osteren, am XV tage Aprilis, im jare Christi vnsers heulants Tausent Funffhundert im Drey vnd Dreisigsten Jare.

E. Hoegwirdigesten gnaden

dinstwillige
Burgermeister vnd Radtmanne der
Ko$^{n}_{m}$ stadtt Thorun.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 91 fol. 20. Ebendaselbst befinden sich fol. 16, 21, 22 noch drei andere bei derselben Veranlassung erlassene Gratulationsschreiben an den Bischof Johannes und zwar 1) von dem* Burgermeister vnd Rathmanne *der Stadt Danzig,* d. d. am obende Pasce *(12. April)* 1533, *welche ihm ihre Ehrfurcht bezeugen* „mit zcwen Amen reynisch wein und II logel Barstert, mit sampt vier vas bier, vnder welchen die II vas, so mit dem crewtze beczeichnet, die sterckste sein." *2) Von dem Danziger Burggrafen Johann von Werden, welcher schreibt,* am Sonnobendt vor Ostern 1533, *dass er seinem Schwager Hans Hoffman zu Thorn den Auftrag gegeben habe,* „von den besten mehrerschen weynen, so er dyczmol hoth, 3 logel bynnen dieser osterlichen feyer" *einzusenden. 3) Von Achatius Czeme, datirt* Elbing am Ostertage 1533.

## 887.

*[1533.] O. D. u. O. Sigismund I., König von Polen, befiehlt dem Rath und der Gemeinde von Graudenz, aufs strengste den alten Gottesdienst in den Kirchen der Stadt wieder herzustellen.*

Sigismundus etc. Famosis consulibus et toti communitati oppidi nostri Graudnicensis gratiam nostram meritam. Questus est nobis per litteras suas reverendus in Christo pater dominus Joannes, episcopus Culmensis et administrator Pomezaniensis, consiliarius noster sincere dilectus, quibus modis, quum aberat, contra voluntatem officialis eius quendam Andream, heresim Luteranam publice apud vos concionantem, fovistis et tenuistis, et illum ecclesie apud vos bonis ritibus, in canendis matutinis, missis, exequiis et aliis solennibus ceremoniis derogare, atque ipsam parrochialem domum et scholam diripi et destrui, et tandem illum ad ducendam uxorem nostro adminiculo impune abire permisistis, et quod inter vos plurimi sint hac labe infecti contra seria mandata nostra, que in his per regnum et omnia nostra dominia dedimus. Quum autem ipse dominus episcopus pro

vobis intercesserit, ne in crimine divine et nostre lese maiestatis contra vos animadvertamus, volens vos pro pastorali suo benigno officio ecclesie reconciliari, precibus eius non gravate annuimus. Unde si, quemadmodum et capitaneo nostro scripsimus, ad gratiam nostram confugeritis, in eam modo resipiscatis, ad ipsius domini episcopi intercessionem vos — clementer hac tamen lege recipiemus, ne deinceps maior . . . . . puniendi in priorem errorem reincidatis. Et quo ipse dominus episcopus ecclesiam sic apud vos collapsam rursus erigat, concessimus — et tenore presentium concedimus, quod pro hac vice vigore — patronatus nostri vobis parrochum seu plebanum commodum — possit, qui munia ecclesie antiquitus apud vos observata — que ecclesiam et animarum vestrarum salutem spectant —. Qua propter vobis mandamus omnino habere volente — — . . vos est proventuum, quos plebano et altaribus ecclesie — et ex fraternitatibus pro censu annuo et pro cereis et aliis ecclesiam concernentibus dare quolibet anno consuevistis, (de retentis facta domino episcopo racione) illos rursus plebano et ecclesie vicariis et ministris, ut prius fuerunt in usu, pendatis et ex integro persolvatis, sub gravi indignacione nostra secus facere non ausuri.

*Abschrift im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 110 fol. 9.*

## 888.

***1533. April 15. Löbau.*** *Johannes, Bischof von Culm, richtet an die Graudenzer strengen Tadel wegen des von ihnen an ihn gerichteten Briefes und ihres Verhaltens in den kirchlicheu Dingen und ermahnt sie, die ihnen angebotene Gnade des Königs aufzusuchen.*

Joannes von gots gnaden Bischoff zcw Culmen vnd Administrator des Bisthumbs zw Pomezan. Unsere billiche gunst zuuoran. Ersame libe geistlichen getrewen. Wir haben ewr vnbedacht vnd vnczimlich schreiben an vns durch ewren weysen geschickten Manholt nicht sunder vordrisz vnd schwermuttigheit vberlesen, darinnen ir vnser ehr vnd gutten namen, den wir vor kaysern, konigen, fursten vnd idermenniglichen, got hab lob, vberkomen, vnd weiter mit gots hulff vnbefleckt bisz in vnser grab so mit vns zcwnemen gedencken, fast groblich antast, gleich wie wir vnser wort vnd zcwsage euch gethan nicht gehalten, das keinem erlichen Prelaten, wie wir gerne sein, auch davor sten wollen, mag mit billicher worheit werden zcwgemessen. Daruff wir euch disz mol in der kurcze so antwurtten, das wir euch kein zcwsage oder globnisse vor denn, wie ir sie genent, ins stiffts haus gethan, sunder wir haben euch vor vns gefurdert vnd euch ewr vncristlich keczerisch leben, das ir in vnserm abwesen getriben, vorgehalten, vnd vnser pflicht noch euch mit guttlichen vetterlichen wortten gestroft, ermanende von dem vordamten von der heyligen christlichen romischen kirchen leben zcwlossen, vnd euch vetterliche mildigheit nicht abgeschlagen, sunder alle dasjenige, das ir wider vns gethan, so ir euch wurdet

bessern, vorgeben, vnd euch nichts, wie ir schreibt, globt oder zcwgesagt; vnd was wir euch vorgeben haben, derhalben seit ir durch vns biszher nye angeczogen, haben auch dasjenige, dar innen ir vns strefflich vorfallen, nye von euch lossen manen, vnd euch also die selbige vbertrettung vnd straff vorgeben, nichts hier innen anders zcwgesagt. Das wir aber K$^{r}$ M$^{t}$ vnserm allergnedigsten heren nicht sulden zcwschreyben, wie wir vnser bisthumb gefunden, vnd was irtumb in vnserm abwesen dar innen erstanden, vnd wie ir gelebt, das allen, die vmb euch wonen vnd weiter, wislich vnd das die zcwgenge der pfarkirchen bey euch mit dem gesenge vnd altem herkomen, auch mit slissung der schule vnd andren widrigen gebreuche der heyligen kirchen, doneben . . . das ir den vorgessen an gott vnd an im selbst, der dozcwmol bey euch pfarrer gewest, gehort, gefolget, gefurdert vnd geholffen habt, auch der stadt thor von seynen wegen vor den vnseren geslossen, mit andren vnsers ampts anligenden sachen, die wir billich vnserm eidt noch Ko$^{r}$ M$^{t}$ vnserm allergnedigstem hern zcw antragen sein pflichtig gewest, das hab wir euch nicht mocht zcwsagen, auch nye zcwgesagt. Was vns belangt, hab wir euch vorgeben, vnd euch widerumb der heyligen christlichen romischen kirchen zcuvorsunen in vnser vetterliche gunst genomen, doch bey dem bescheide, das ir vns soldt rechenschafft thun von allen geystlichen einkomen, die ir oder ander vnder euch entphangen vnd vnderdruckt haben biszher. Vnd domit ir klerlicher vnsere gunst gen euch mocht mercken, hab wir, wie ein geistlicher vatter vor muttwillige vncristliche kinder, in dem das ir wider Ko. M$^{t}$ vnsers allergnedigsten hern mandat vffentlich gethan vnd dovon ir mit loken nicht muget komen, Ko. M$^{t}$ vor euch gebetten vnd vor euch erhalten, das Ko. M$^{t}$. vnser allergnedigster her euch alles vorgibt, so ir von Ko$^{r}$ M$^{t}$ werdet genod bitten. Derhalben wir euch nicht allein vndanckpar sunder auch schender vnd beflecker vnser ehre, welche mit vnwarheit nicht magk beschmuczt werden, gefunden, vnd wollen vns das vffentlich rumen, das wir, so wir noch in kleynerm stande gewest, bisz vff disse czeit nymands haben was zcwgesagt in vffrichtigen sachen vnd hendlen, das wir nicht hetten gehalten, wor inne wir vns nichts zcwczihen sunder gotte dem allmechtigen . . nick — — diessem erlichen vornemen nye hot verlossen, auch mit seiner gotlichen hulff nimmer verlossen wirt. So ir aber durch Peter oder Pawl, wie die sein, vorfurt vnser ehre vnd gutten namen mit ewrm schreyen so vnbesunnen vnd keynem grunde habt angegriffen vnd vorleczt, czyhe wir vns das hochlich, wie eym erlibenden prelaten geburt, zcw gemut vnd zcw herczen, vnd so vns derhalben nicht mit billicher straff abtragk geschicht, wolle wir solche schandtflecke vnd smoheit von euch nicht leiden, sunder das vor bapstliche heyligkeit, Ko$^{r}$ M$^{t}$ vnserm allergnedigstem hern, vnd wer das stelle czeit vnd weyle wirt haben, suchen vnd das do bey thun, das zcw erhaltung ehre gelimpff vnd guttem namen gehort. Dis hab wir euch, so vff ewr vnlustig vngegrundt schreyben, vnd das der worheit gancz entgegen, vetterlicher christlicher meynung nicht wolt bergen, vnd bitten gott den allmechtigen, wold euch furen vf den wegk der selen seligheit vnd

geben euch bessere synne vnd vorstant. Datum vff vnserm slosse Lobaw den XV Aprilis den dinstag in ostern 1533.

*Concept mit der gleichzeitigen Aufschrift:* „Responsio Graudnicensibus" *im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 67 nr. 193.*

## 889.

***1533. April 21. Rom.*** *Papst Clemens VII. verlängert dem Elect Johannes Dantiscus von Culm den Termin zum Empfang der Bischofsweihe auf weitere acht Monate.*

Dilecto filio Johanni Dantisco Electo Culmensi.

Clemens PP. VII. Dilecte fili, salutem etc. Meritis tue devotionis etc. *wie oben S. 728 nr. 867.* Et sicut exponi nobis nuper fecisti, infra dictum annum, ut premittitur, ultimo prorogatum, cuius finis de proximo instat, cum animi tui quiete certis de causis munus consecrationis huiusmodi commode suscipere non speres, et propterea nobis humiliter supplicari feceris, ut annum ultimo tibi concessum huiusmodi ad aliquod aliud tempus prorogare de benignitate apostolica dignaremur: Nos commodis tuis in premissis amplius consulere volentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, annum predictum ultimo prorogatum, infra quem, ut asseris, adhuc existis, ad octo menses, a fine ultimo dicti anni huiusmodi computandos, quibus durantibus munus consecrationis huiusmodi suscipere minime tenearis, nec ad id a quoquam invitus compelli possis, premissis etc. tenore presentium absque spe ulterioris prorogationis pariter extendimus. Datum Rome apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die XXI. Aprilis MDXXXIII. pontificatus nostri anno decimo.

*Reg. orig. An. X. Brev. Tom. LIII ep. 174 p. 570. Theiner, Mon. Pol. II 499 nr. 550.*

## 890.

***1533. August 7. Pultaw.*** *Bischof Andreas Krzycki von Plock schreibt an den Bischof von Culm in Betreff der Consecration des letzteren.*

R$^{me}$ mi domine. Tantum abest, ut indigeam rogari pro impendendo vre. R$^{me}$ d. consecrationis munere, ut etiam nihil mihi gratius contingere possit, eamque significationem ab illa per totum Maium et Junium in Ploczka summo cum desiderio expectarim. Quare plurimas ago gratias vre. R$^{me}$ d., quod non dedignatur munus ipsum a deo immortali per manus nostras indignas accipere, quod ministerium ego alacriter et libentissime illi prestabo. Locus, ubi id fiat, nullus est honestior et commodior, quam Ploczka vel ob hoc quod propinquior, quo ego venturus sum pro festo Natalis domine nostre. Inter eos vero dies, quibus illic morabor, nullus erit expensis omnibus eque appositus et conveniens huic rei, quam dies dominicus Exaltationis S. Crucis, que erit XIIII Septembris. Pro eo itaque die dignetur vra. Rma. d. ita familiariter venire, ut ad domum aut predium suum proprium, neque opus est, ut vel sumptum aliquem in hoc iter faciat, vel quicquam

paret aut sumat secum; quod ad ornamenta pontificalia aut munus hoc suscipiendum pertinet, omnium istorum mea sit cura et provisio. Si dominus episcopus Camenecensis adesse poterit pro illo die, bene quidem; sin minus, habeo meum suffraganeum, est et alter vicinus Vladislaviensis, qui semper haberi potest. In summa, nihil rogo vra. Rma. d. vel cogitet vel faciat, quod vel illam angat ob eam rem, vel sumptu aut apparatu eius aliquo egeat; nam et modo est, cui se illis spectatum prebeat preter notos amicos et apud me necessaria omnia in promtu. Si tamen longum videretur vre. R^me^ d. eum diem expectare, significare mihi vel tribus verbis dignetur; nam et hic, ubi adest dominus Camenecensis, non minus commode hoc negocium absolvi posset, quocunque tempore vellet. Donum, quod Rma. d. misit, est mihi gratissimum, et cum operis elegantiam contemplor, facile divino, quam elegantes habeat textrices, quas illi ex animo gratulor. Referam illi mearum quoque operibus, si non adeo elegantibus benivolentiam tamen meum erga illam testantibus, cuius fraterne gratie me ex corde commendo. Poltouie die Jovis 7. Augusti 1533.

R^me^ d. v. addictus Plocensis subscripsit.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 67 nr. 213.*

## 891.

***1533. October 31. Graudenz.*** *Johannes, Bischof von Culm, bestätigt die Ueberlassung des Pfarrgutes Lissakowo an den Rath in Graudenz gegen einen jährlichen Zins von 20 Mark.*

Nos Joannes, dei et apostolice sedis gratia Episcopus Culmensis, administrator Pomezaniensis, salutem in domino, universis et singulis, presentibus et futuris. Ad perpetuam rei memoriam. Quum pontificii nostri sit muneris et functionis ecclesiarum diocesis nostre commodis, quanta possumus diligencia providenciaque prospicere, curandum a nobis opera sit cum pia tum vigilanti, ut, qui spiritualibus cibis verbo dei, qui vere animi cibus est, commissas sue cure oves pascunt, ab hiis vite alimenta pia gratitudine recipiant. Sane quum parochialis ecclesia oppidi Graudencii Pomezaniensis diocesis ita redditu suo et obvencionibus annuis aliquot iam annis decreverit, ut egre sacerdos, qui in ea rem divinam facit, victum suppeditatum habeat, quum tamen apostolus servientium altari ab altari victum constituerit, nec ipse magister noster Christus bovi trituranti obligari interius os voluit: Quapropter quum dicta parochialis ecclesia octo tantum mansos terre culte Leisacks vulgariter appellatos, sitos in hiis limitibus et confiniis inter predia Clode, Sarnowke, Rogoszigk et flumen Prenczellam, in capitaneatu Graudentino dicte diocesis ex omni dote reliquos habeat, qui pro certo annuo censu elocati mininum quiddam ad victum pastori necessarium dependeant, ut nec pastor, si ipse coleret, quum longius ad tercium propemodum miliarium a Graudencio distent, non tam suo cum fructu quam decessu cultus divini et impartiendorum ecclesiasticorum sacramentorum ingruente

necessitate impedimento colere posset; consulatus autem Graudencii nostro, quem fecimus eis in domino, hortatu studioque pietatis adductus cum honorabili nobis in Christo dilecto Paulo [Andrew], moderno dicte parochialis ecclesie rectore, contractu permutacionis pro dictis mansis de nostro consensu inito, scilicet quo dictus consulatus iure perpetuo predictos mansos, sicut ipsa ecclesia et parochus eius hactenus possederunt, haberet teneret et possideret, dicteque parochiali ecclesie Graudencii et presenti et pro tempore successuris rectoribus eiusdem ex redditu et proventu ipsius oppidi Graudencz in compensam annuis viginti marcis pruthenicis, in singulos annos pro festo divi Michaelis decem et festo Pasche reliquis decem marcis, in quamlibet marcam 20 grossos computandum, ex redditu civitatis persolvendis pro se et successoribus suis, quemadmodum in litteris obligatoriis dicti consulatus pro se et successoribus suis perpetuo futuro tempore sese solemniter obligaverit;[1]) Rogantes nos, ut, quia immobilium ecclesiasticarum rerum alienacio nisi causa cognita et ob evidentem ecclesiarum utilitatem citra consensum episcopi sui iure non firmetur, quatenus auctoritate nostra episcopali constito de evidenti prius per diligentem cognicionem dicte ecclesie utilitate, eandem. permutacionem et alienacionem ratam firmamque habere et adprobare dictas viginti marcas annuas sub ecclesiastica protectione recipere dignaremur. Nos itaque premissa diligenti tractatu invenimus modis omnibus non solum dictam permutacionem in ipsius parochialis antedicte ecclesie utilitatem evidentem cedere sed omnino modo sacerdos victu destitui non deberet cultusque dei omnipotentis intermitti, pernecessariam esse, et ideo diligenter litteris obligacionis ipsius consulatus Graudencii recensitis et expensis permutationeque in eisdem contenta et eius causa considerata auctoritate nostra, qua fungimur in hac parte, dictam permutacionem, alienacionem assignacionemque ipsarum viginti marcarum tenore presentium approbamus et ratificamus, transferentes omne ius utile cum directo dominio ex nunc ipsorum octo mansorum eiusque possessionem cum omnibus pertinentiis suis in predictos consules eorumque successores iure perpetuo tenendos et possidendos sine alicuius contradictione pacifice. Et insuper recipimus in protectionem ecclesiasticam nostram et successorum nostrorum catholice intrantium dictas viginti marcas annuas, volentes omnino quod rectores pro tempore ipsius ecclesie pro illis singulis annis ad constitutam in litteris diem exigendis ecclesiastica libertate gaudeant et fruantur, iureque et immunitate dotis dotationisque ecclesiastice ab omni alia prophana iurisdictione, nisi quantum ad iuris subsidium, eximimus exemptosque esse perpetuo declaramus per presentes, assignantes eundem redditum ecclesie parochiali memorate utili directoque dominio possidendum vel quasi omnibus futuris temporibus sine omni molestia pacifice et quiete, decernentes prorsus firmitudinem nullam habere, si quis in contrarium fecerit. In cuius rei robur ad perpetuam rei memoriam hac litteras confirmatorias proinde dedimus sigillique nostri appensione communiri fecimus. Actum

---

[1]) *Die hier erwähnte Urkunde des Rathes vom 3. October 1533 bei Frölich, der Kreis Graudenz I 110.*

in conventu Graudentino terrarum Prussie ad festum divi Michaelis congregato die ultima mensis Octobris sub anno a nativitatis domini 1533.

*Aus dem Concept, das die Ueberschrift* „Scribatur in membrana“ *hat, im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 67 nr. 237.*

## 892.

***1533. December. Löbau.*** *Die Räthe der preussischen Lande versammeln sich in Löbau und führen unter anderen auch Klage über den Landschatzmeister Stanislaus Kostka wegen seines Benehmens gegen den Bischof von Culm.*

*Lengnich, Gesch. Pr. I 138. Docum. 144 nr. 61.*

## 893.

***1533. December 29. Löbau.*** *Johannes, Bischof von Culm und Administrator von Pomesanien, zeigt dem Domcapitel an, dass er die durch freie Resignation des Domherrn Leonard Niederhoff vakante Präbende dem Pfarrer Vincentius Kerger von Schöneck durch Institution übertragen habe und befiehlt, ihn in diese Stelle einzuführen.*

Joannes, dei gracia episcopus Culmensis et administrator ecclesie Pomezaniensis, venerabilibus dominis Canonicis totique Capitulo ecclesie nostre cathedralis Culmensis, salutem in domino. Quia venerabilis dominus Leonardus Niderhoff, decanus Varmiensis et canonicus dicte ecclesie nostre Culmensis, per procuratores suos coram nobis personaliter constitutos, dictos suos canonicatum et prebendam in personam honorabilis domini Vincencii Kerger, plebani in Schoneck Wladislaviensis diocesis, in manibus nostris simpliciter pure et libere resignavit: Nos vero huiusmodi resignationem ab ipsis procuratoribus dicti domini Leonardi ad sancta dei evangelia, quod in dicta resignatione non intervenit neque interveniet fraus, dolus, simonie labes vel quevis alia illicita pactio vel corruptela, recepto primitus in animam ipsius domini Leonardi Niderhoff corporali iuramento, recipientes, prefatum dominum Vincencium in et ad dictos canonicatum et prebendam per manus nostre traditionem et capiti suo impositionem investivimus et instituimus, tenoreque presentium investimus instituimus et de eisdem providemus, stallum ei in choro et vocem in capitulo cum plenitudine juris canonici in ipsis canonicatu et prebenda assignantes. Quocirca vobis supradictis venerabilibus dominis canonicis Capituli nostri Culmensis fratribus nostris charissimis vestrumque cuilibet mandamus, quatenus prefatum D. Vincencium in et ad dictos canonicatum et prebendam et ad eorum possessionem corporalem et realem auctoritate nostra presentibus vobis hac in re commissa inducatis, ipsumque in canonicum et in fratrem nomine dictorum canonicatus et prebende in dicta nostra ecclesia Culmensi, recepto tamen primitus de observandis statutis et consuetudinibus dicte ecclesie nostre Culmensis iuramento, recipiatis, ac stallum in choro ac vocem in capitulo cum plenitudine juris canonici sibi assignantes, nichilominusque de omnibus et singulis fructibus

redditibus proventibus juribus et obventionibus universis dictorum canonicatus et prebende sibi integre respondeatis et ab aliis, quorum interest, responderi faciatis. In quorum omnium maiorem fidem et robur sigillum nostrum presentibus subappendi fecimus. Actum et datum in arce nostra Lubauiensi die XXIIII mensis Decembris Anno domini M°. D°. XXXIII°.

*Original auf Pergament mit dem Secretsiegel des Bischofs Johannes an einem Pergamentstreifen im Culmer Diöc.-Archiv.*

## 894.

***1534. Januar 10. Briesen.*** *Johannes von Höfen, Bischof von Culm, giebt der Stadt Briesen eine neue Handfeste.*

In nomine domini amen. Cum adeo humane imbecillitatis labilis sit et fluxa memoria, ut nisi ea, que diuturna esse debent, scripturarum et testium sufficienti annotatione memorie commendentur, temporis successu obliterari oblivionique tradi possent: Ad perpetuam igitur memoriam nos Joannes de Curiis Dantiscus, dei gratia episcopus Culmensis et administrator episcopatus Pomezaniensis, universis et singulis presentibus et futuris manifestum facimus, quod dignam habentes rationem bonorum nostrorum episcopalium Fredeck seu Wambrzezno nuncupatorum, cupientes ea ad commodiorem frugem, quemadmodum tenemur, perducere, incolasque illorum omni alioqui libertati hactenus destitutos et quasi pro rusticis habitos singulari nostri gratia et munificentia prosequi, illos per privilegium per nos impetratum serenissimi principis et domini domini Sigismundi, dei gratia regis Polonie, magniducis Lithuanie, Russie, Prussie, Masovie etc. domini et heredis, domini nostri clementissimi, atque auctoritate superioritatis nostre, cives esse et haberi, iureque ac libertate civili uti debere admisimus et constituimus, nundinisque et aliis libertatibus more aliarum civitatum et oppidorum, prout in literis et privilegio sue sancte regie Maiestatis, quod apud nos est, continetur, donantes. Illisque ultra quadraginta mansos a prima locatione illorum bonorum emensuratos et datos, viginti alios ville deserte Podwiesk dicte addidimus, ut in toto sexaginta mansos mensure Culmensis habea[n]t, eosque jure hereditario ipsi et eorum successores possideant. Ita tamen ut nobis et nostris successoribus ipsi et eorum successores singulis annis pro festo sancti Martini a quolibet manso mediam alteram marcam numeri et monete pruthenicalis, marcam per viginti grossos computando, unum modium avene et duos pullos solvere et labores de eisdem mansis, ut in aliis bonis nostris in usu est, solitos et consuetos facere sint asstricti. Insuper quinquaginta sex iugera agri, que prius ad arcem nostram Frideck spectabant, eis contulimus, a quorum quolibet singulis annis nobis et nostris successoribus dare tenebuntur decem solidos usualis monete. In recognitionem vero superioritatis nostre omnes et singuli, qui cerevisiam coquunt vel in posterum coquere voluerint, quilibet a domo, quam inhabitat, pro divi Martini festo quinque grossos, ceteri vero incole illius oppidi a

qualibet domo seu area per duos grossos nobis et nostris successoribus episcopis singulis annis perpetuo solvere tenebuntur. Quo autem commodius oppidi pretorium et alia in usum publicum edificia erecta in structuris possent conservari, lutumque et id genus sordes educi mundeque omnia teneri, pro utilitate publica dedimus illorum reipublice cum toto exinde proventu principaliter casas circumquaque pretorium edificatas, braxatorium cum brasiatorio, balneum, quinque insuper areas pro domibus edificandis necessarias; ex his omnibus proventus totaliter in usum publicum cedere debent. Ex lanienis vero seu, ut vocant, macellis carnium, a quorum quolibet singulis annis quilibet lanius medium lapidem sepi pro festo sancti Martini solvere tenebitur, et a pistoribus aliisque opificibus, quibus tempore suo iuxta morem aliarum civitatum census instituetur, quod in arbitrium nostrum et successorum nostrorum reiicimus, medietatem huiusmodi proventus pro nobis et nostris successoribus reservamus, alium in usum publicum conferimus. Insuper pro insigniis seu ut vocant sigillo illis auctoritate nostra et sacre caesarie Maiestatis nobis in hac parte concessa, alam aquile unam coloris nigri et per transversum illius ale pedum seu pastorale fixum, quemadmodum in calce literarum seu privilegii huius est depictum, presentium vigore conferimus; dantes et concedentes prefatis subditis nostris in eis et in omnibus aliis libertatibus iure Culmensi perpetuo gaudere et frui. Datum in castro nostro Fredeck die decimo mensis Januarii anno domini Millesimo quingentesimo trecesimo quarto. Presentibus ibidem nobilibus dominis Bernardo et Georgio de Curiis, alias Flachsbinder, fratribus nostris, et Matthia Mgowski scabino terre Culmensis, ac honorabilibus et nobilibus dominis Jacobo Szepanski sacellano et Andrea parocho in Frideck, prefecto in Frideck nostris, ac Paulo Koss et Michaele Balginski servitoribus nostris et aliis plerisque fidedignis testibus ad premissa harum, quibus sigillum nostrum maius presentibus est subappensum testimonio, literarum.

*Abschrift bei Mauritius nr. 199.*

## 895.

***1534. Mai 26. Culmsee.*** *Martin Czeme, Domherr von Culm, bittet bei dem Bischof Johannes von Culm für den Pfarrer Simon von Schönsee um die Pfarrstelle in Papau und berichtet über einen Ehescheidungsprocess.*

R$^{mo}$ domino Johanni d. g. Episcopo Culmensi et Administratori Pomezaniensi.

R$^{me}$ etc. Is presentium exhibitor, honorabilis dominus Simon, plebanus in Schonesze, pro quo dominus Nicolaus Plothowszky apud R$^{mam}$ p. v. sua supplicatione intercessit, ut ipse refert, quatinus super ecclesia parochiali in Papowo confirmari et investiri possit, me unacum nonnullis amicis suis similiter rogatum habuit, ut ipsum per presentes R. p. vre. commendatum haberem. Ego ut rogatus, quamvis mihi satis sit ignotus, tamen ex communi fama honeste conversationis existat, R$^{mam}$ p. vram. ut dominum meum gratio-

sissimum exoro, eundem super dicto plebaniatu confirmare dignetur. Si in aliquo excesserit, digna pena per R. p. vram puniri poterit et reformari. — Illi opidano ex Golaw cum consorte sua terminum comparendi in causa matrimonii pro proxima secunda feria post trinitatis prefixi, omni opera et diligencia eorum dissensiones uniri et componere studebo. Eadem tamen sua coniux ob niniam crudelitatem, quam in eam exercuit, et publicum adulterium ab eo discessit, prout sibi in faciem obiectum fuit in mei presencia per eam. Deus omnipotens per gratiam sancti spiritus cordibus eorum infundat, ut unanimiter, honeste et absque adulterii scelere in matrimonio residuum vite peragere possint. Cum hiis R. p. vram. felicissime sanam et incolumem in longissimum evum valere exopto, et me iterum atque iterum humillime commendo. Ex Culmenze tercia feria Penthecostes anno domini etc. XXXIIII.

E. R. p. vre. humilis cappellanus et servitor

Martinus Czeme, canonicus Culmensis.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 4 fol. 11.*

## 896.

***1534. Juni 24. Königsberg.*** *Herzog Albrecht bittet den Bischof Johannes von Culm, das Copiren mehrerer seiner Gemälde dem Hofmaler Crispinus Herranth zu gestatten.*

Dem erwirdigen vnserm lieben freundt herren Johansen bischoffen zw Colmensehe.

Nachdem an [vns ge]langt, wie e. l. viel konstlicher stück von gemehlen, die wir auch gern [czu vnse]r ergetzligkeit bei vns wissen wolten, haben soll: Derhalben wir vnsern hofmaler Crispinum Herranth, gegenwertigen zeiger, dieselben zum theill nachzumahlen abgefertigt. Bitten darauf freuntlich E. l. wollen egemeltem vnserm hofmaler, das ime vnther solchen contherpheden vnd gemehlen gefellig vnd am konstlichsten dunckt, sein nachzumahlen gutwillig vergönnen. Nichtsweniger was e. l. selbst von solchen gemehlen vns angenheme zu sein vermeint vnd am liebsten abgemalet haben wollt, anczaigen. Das wollen wir vmb e. l. ouch gern bei vns haben, vnd vmb dieselb in dergleichen oder [and]ern mit allem freuntlichen nachparlichem willen beschulden. Datum Konigsperg den XXIIII tag Junii Anno etc. im XXXIIII$^{ten}$.

Von gots gnaden Albrecht Marggrave zw Brandenburgk, in Preussen, zu Stettin, Pomern, der Cassuben vnd Wenden herczogk, burggraue zw Nürmbergk vnd fürst zu Rügen.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 91 fol. 140.*

## 897.

***1534. September 27. Culmsee.*** *Das Domcapitel von Culm berichtet an den Bischof Johannes in Betreff des Nachlasses des Domherrn Crapitz.*

R$^{me}$ domino Johanni d. g. Episcopo Culmensi et Administratori Pomezaniensi.

R$^{me}$ in Christo pater et domine! Intelleximus ex litteris R. p. vre. nobilem Georgium Glwchowszky conquestum de nobis, quamvis minus iuste, quoniam aliquas res felicis memorie domini Crapitz proprias detineremus in suum preiudicium. Quod nunquam docere equa veritate poterit, cum omnem suppellectilem domus, pecora omnia et frumenta recepit, preter unam lastam siliginis et aliquot modios de annonis pro fabrica ecclesie relictis, cuius tot annis optimis emolumentis usus est, tenendo meliorem villam et predium, eius tamen immemor nec unum nummum pro eadem ecclesia legans. Est etiam R$^{me}$ d$^{ne}$ vetus consuetudo apud eam ecclesiam dudum observata, quod cum aliquis ex confratribus decesserit, frumenta relicta, que non fuerint in testamento legittime inserta, pro ecclesia et fratribus cedere debent. Et ita post obitum pie recordationis confratrum, dominorum Gregorii Gasparis, Michaelis Wolszky et Raphaelis Wayner est observatum, et ipse dominus Crapitz post illos etiam equa sorte usus est; iustum ergo visum est, quod etiam aliquod post se relinquat aliis et presertim pro ecclesia. Non habet ullam causam querulandi de nobis idem Georgius, eo quod plus recepit, quam licitum fuit, in pecoribus, suppellectili, frumentis etc.; etiam fenestras et stanna de habitacione satis frivole tulit. R$^{me}$ p. vra. hoc negocium differre dignetur usque in aliud tempus congruum, ubi sibi in faciem omnia obici possint. Nos semper stamus iudicio et cognitioni R. p. vre. Recepit enim siliginis plus quam XVI lastas, pecora plura abegit, alia vendidit, et debita solvere familie predii et aliis creditoribus non vult. Insuper R$^{me}$ d. habetur cirographus de manu domini Crapitz, in quo se obligaverat cuilibet domino ex illo meliori predio daturum singulis annis unam lastam siliginis, et a multis annis non dedit. Magnificus dominus palatinus Pomeranie gravi infirmitate laborat, deus omnipotens faciat cum eo secundum suam magnam misericordiam. Dominus Johannes Meckler in sua infirmitate nondum aliquod sentit iuvamen, deus sit sibi adiutor. Cum hiis R$^{mam}$ p. vram. clemencie divine committimus diutissime in optata sanitate et felicitate conservandam pro nostro omnium speciali solamine. Datum in Culmenze ipso die sanctorum martirum Cosme et Damiani anno domini etc. XXXIIII°.

Eiusdem R$^{me}$ p. vre. humiles cappellani

Capitulum ecclesie Culmensis.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 4 fol. 4.*

## 898.

***1534. November 10. Thorn.*** *Die Bürgermeister und Rathmänner der königlichen Stadt Thorn bitten den Bischof Johannes von Culm und Administrator von Pomesanien, dem Pfarrer Caspar Liszeman in der Neustadt Thorn, den der selige Bischof Johannes [Konopat] zum Canonicus in Culmsee jedoch ohne Einkünfte und ohne die Residenzpflicht ernannt habe, nunmehr, da der residirende Domherr Johann Mekeler zu Culmensee kürzlich verstorben sei, dessen Prebende mit ihren Einkünften zu übertragen.* Thorun am X tage Novembris des Abendes des hayligen Martini MDXXXIIII.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 91 fol. 202.*

## 899.

***1535. Januar 9. Thorn.*** *Der Rath der Stadt Thorn antwortet dem Bischof Johannes von Culm über die Ausführung des königlichen Mandats wegen verbotener Bücher.*

Deme Hoegwirdigesten in Got Fursten vnd Herren Herren Joann desz hoegpreiszlichen Thumstiffts czu Culmenseh Bysschofe vnd der kirchen czu Pomezan Administratori, vnserem genedigesten herren. — *Praes. X Januarii.*

. . . . Hochwirdigester etc. Wir haben mit gepurlichem vnd czimlicher erebietunge Ewr. h. g. brieff am obent gestrigen tages gantcz spöte erhalten, den selbten vnsz hewten haben lossen furlesen vnd alle sein inhalt woll verstanden. Wollen Ewr. g. hiemit nicht bergen, das vnser pfarrer jungst vorgangen in der selbten sache vor vnsz ist erschinen, vnd hot vormeldet, wie das er habe K. Mat. v. a. h. mandat, welchs inhalt vnsz noch nicht wissentlich, das sulche bucher, wie E. h. g. schrifft beruren, czuvorkouffen vorboten mocht werden. Haben wir iem angesagt, er woll sich noch laut sulchs Mandats halten; wir wollen seiner W. so viel vnsz gepuren thut beystendig sein. Szo dann vff diszmol kegenwertig jormargkt vnd der grosz handel schir vorbey vnd verschinen ist, vnd vff das die frembden buchfurer sich nicht czubeclagen hetten, dass ien sulchs mandat vnbewust, ouch czuvor nicht gewarnt weren worden, dass sulche bucher alhir nicht bringen solten: Wer woll derhalben vnser meinungk, dass sulchs iczundt geschege, vnd dass ien ernstlich vorpothen wurde, sulche bucher weiter feyl czu haben adir czu kouff geben, dergleichen ouch in czukunfftiger czeit nymmer kein alhir sollen bringen oder czu kouff haben. Woe dan nicht wollen abelossen, als dann mit den, die sulche bucher vorkouffen, vnd ouch mit den buchern alzo ernstlich gehandelt mocht werden, wie K. Ma$^{t}$ mandat mitbringen. Szo dann ouch Ewr. h. g. mit den selbten buchfurern noch inhalt Koniglicher Ma$^{t}$ Mandat iczundt die exequution will geschehen lossen, sulchs czu thun woll E. h. g. dem herren pfarrer thun befelhen, welchem sulchs will geczimen; dann sulcher bucher, wie die Ewr. h. g. schrifftlich thut nennen, gar wenig vorstandt haben, der selbt mocht imands mer czu sich nemen; Wir wollen im ouch beistendig sein vnd allenthalben hulff thun. Vff das ouch K. Ma$^{t}$ befehel vnd Ewre h. g. vormanunge vnd bedengken genug gesche, wellen wir vnsz vnvorwiszlich stets erczaigen vnd erweisen, das nimandt

eynige vrsachen gegeben werden vnsz in vngenad adir vngunst czuvorvolgen, szunderlich gegen E. h. g., die wir allwege czu vleissiger vorehrunge gern halten. Bittende abermolss dise vnser andtwurdt genediglich woll an nemen; dann wasz hirinne geschehen soll, wollen wir Ewr hochwirdigsten g. bedengken vnd willen den besten stein lossen. Die got der Almechtige szelig gesunt mit mehren eren erhohet czu langen tagen fristen vnd enthalten. Gegeben Thorun 9 Januarii im Jore Christi vnsers seligmachers 1535ten.

Ewr Hochwirdigesten Gnad

demutige vnd dinstwillige Burgermaister vnd Radtmanne der K. Stadt Thorn.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 92 nr. 10.*

## 900.

***1535. Januar 19. Thorn.*** *Der Rath der Stadt Thorn vertheidigt sich beim Bischof von Culm gegen Beschuldigungen.*

Deme . . . . . herren Joann des hoegpreiszlichen Thumstiffts czu Culmensch Bysschoffe vnd der kyrchen czu Pomezan Administratori etc. — *Praes. XXIII Januar 1535.*

Hochwirdigester etc. Dasz wir Ewr h. g. auf junst erhaltene schriffte nicht geantwurtet, bitten mit szunderlichem dinstlichen vleysz vnsz nicht czuvorkeren noch in vngenaden auff czu nemen, szunder sulche seumikait der vngelegnen czeit beymessen, in welcher Ewr h. g. briff an vnsz gekommen, dann in der selbt czeit als im jormargkt ein jder in suchunge seines hewsslichen enthalts mit mancherley hinderniss vnd geschefften belestiget ist. Derhalben die vorszamlungen der allen, szo czum rothe gehorig, nicht kunden fuglichen geschehen. Erst am gestrigen tage ein gemein radtsszamlunge gehalten ist worden, woe dann sulche Ewr. h. g. schrifft im rathe vnsz lassen furlesen vnd allen inhalt wol vorstanden. Aus welcher anczeigungen befinden wir, dasz durch etliche widerwertige vnfugliche angeber wir bey Ewr h. g. in argkwenigkeit vnd czur vnbilligkeit in nochrede dargestalt, dasz vnsere herczen sere bemuhet, vnd vnsz nicht wenig beschwerlich thut ansehen, dasz wir deromossen ane aynigen offenbaren ancleger in vnser vnschuldt alzo vor Ewr h. g. angegeben und belast werden, mit grosser verwunderunge, dasz E. h. g. den glowben gibt, welche sulchen vnglympff bey E. h. g. vff vnsz dringen thun, die doch kein augenscheinlich beweisz werden konnen auffbringen. Ouch sollen die selbten anregersz vnd widersacher mit bestendiger worheit sulche awszgestreite vnbilliche beczichtungen nymmer auff vnsz bringen adir erweisen. Hoffen ouch gentczlich E. h. g. wirdt vnsz nicht andersz vermergken, denn diejenigen, die gegen jdermeniglich aller billikait allenthalben sich vnvorweiszlich alleczeit gehalten, viel weniger alzo handelen, dasz imandt mit billikait vnsers thuents (alsz ausz E. h. g. briff vormergken) sich het czu befrembden. Domit wir aber Ewr. h. g. mit langen schrifften nicht vordrossig machen, lassen wir disz

vnd sunst, wasz in E. h. g. schrifft enthalten, dinstlichen in gepurlichen wirden pleiben; wollen aber czu gelegener kunftiger czeit vnd stelle, szo wir mit E. h. g. szo will got czusammekemmen, sulche vnd ander czu gestalt artigkell vnsz betreffende mit sunderem vleisz, wie der sachen wicht erfurdert, muntlichen genugsam beantwurten, vnd breyters grundes mit weitloufftiger berichtunge one czweiffel vor E. h. g. vnsz wissen czu entledigen. Doran E. h. g. einen genedigen gefallen tragen soll. Ist derwegen vnser dinstlich vnd gantczvleissig demufige bitt, E. h. g. geruchend wolle, disz vnser kurtcze schutcze rede vnd antwort diszmol genediglich aufnemen, ouch drynnen noch aller billigkait vnsz entschuldigt leyden. Dasz wellen wir vmb Ewr h. g. mit allem dinstlichem vleisz vnvordrossen (die got in langwerig gesuntheit enhalten musse) willig gehorsam vnvordrossen vordinen. Gegeben Thorun am 19 Januarii im Jore Christi etc. XXXV$^{sten}$.

Ewr. Hochwirdigesten Furstlichen Genaden

demutige vnd dinstwillige Burgermaister vnd Radtmanne der K. Stadt Thorun.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 92 fol. 11.*

## 901.

***1535. Juni 9. Thorn.*** *Georg von Baisen, Palatin von Marienburg, und drei andere preussische Räthe intercediren beim Bischof Johannes von Culm für die Minoriten in Culm, deren Ersetzung durch Bernhardiner der Bischof in Aussicht gestellt hatte.*

Dem ..... Herren Joanni Bisschofe czu Culmenseh, Administratori czu Pomezaen. — *Praes. X Junii.*

Vnsere etc. In dieszer czait, als wir alhie czu Thorun in sachen vns szunderlichen von K$^{r}$ M$^{t}$ vnserem a. h. entpholen, in der taylung belangende den erbaren Conradt Hitfelt sampt szeiner vorwanten freuntschafft vnd der togunthafften fraw Hannen, szelige Fabian Hitfelt afftergelasennen Wittwen, vorsammelt, seint mit demutigem bericht an vns gelanget die andechtigen vnd wyrdigen veter des Klosters czum Culmen, wie das ewere vaterliche hogwirdickait bey sich beraten, dieszelbigen aus dem kloster czum Culmen czu entsetczen vnd andre, wye wol ains Ordens, jedoch andrer profession vnd weysze des lebendes haltende, dye men nennet Bernhardiner, hin ein czustellen, vnd sampt vnd in bszunder hochlichen, in demut angelanget, ewere vaterliche gnad wolt die andechtigen veter in irer behausszung vngewandelt genediglichen behalten. Nachdeme wyr aber wisszen, das die professen, szo drynnen wohnen, vom grunde auff die kirchen, kloster vnd alle anhangende gebeuv auffgerichtet, ouch vom anfange bis anheer im weszen, wie vor augen, trewlich erhalten, sunst ouch im lebende irer profession vor gote vnd der weldt, als man anders nicht weesz, vnstrefflich gewandelt, ane alle ergernusz der beywonende, vnd die gepurlichen gotlichen ampte fleysigk geubt, ob yrer wol wenig seint, wellen sie doch mit

allen krefften (wie den im Lande der Bernhardinerheuszer file wynniger, den dieszer profession) denken vnd trachten, das es noch gelegenhait dieszer itzigen czaite mit bruderen desselbigen ordens, als die ytczt drynnen seint, mogelicher weysze erhalten moge werden, mit sunst meher dinstlicher erbyetung iegen euver gnad vnd stetem gepet iegen got dem almechtigen. Wyer dis alles, ouch sunst file andre dinge vnd vmbestende anmerckende, haben der frommen andechtigen veter czimliche bete nicht wisszen abczuslaen. Ewere hogwirdigeste gnade mit bczunderem hogem fleisze vnd dinsten bittende, wolle genediglichen diesze vorendrung alszo bey sich in aynen geduldigen gnedigen anstant auffschiben, bis alszo lange, das wir ettwan mit euver H. g. vns im gemaynen landgespreech, wyl got, kunfftiglichen sehen. Denn es ist szorglichen, wo dye endrung alszo erfolgete, das nicht allayne das closter czum Culmen domite vntergeen wurd, bszunder ouch dis czu Thorun, dweyle ire termeney fast an eynander hangen, alszo das eyns dem andren in leyblichem enthalt czu hulffe kumpt. Wo aber die Bernhardiner hin eyn gesatczt, wurd dieszem vnd deme czum Culmen vbel geraten werden, sunst ouch andre besweer erwaxen, dweile dieszelbigen Ordensbekenner sich ouch von alten jaren widderwertig gehalten, dye euwere hogwirdige gnad als eyn gaistlicher prelate bas ermessen kan, als wir; dovon denn, szo vns got czuszamenne wyrt helffen, jegenwurtig meh zol gehandelt vnd geredt werden. Szo hoffen wyr gentczlich ewer hogwirdige gnad werde vnszer anregen vnd demutig bittent gnediglich erhoren. Das wollen wyr mit allem fleisz willig vnd dinstlich vmbe ewer gnad (die got gsunt vnd selig enthalte) beschulden vnd vordynen. Gegeben bynnen Thorun am 9 tage Junii im Jare tausent V$^{c}$ vnd XXXV$^{sten}$.

Georgen von Bayszen Marienpurgischer Woywode.
Petrus von Schlusewa Jungeleslauscher.
Ludwig von Mortangen Elbingescher Castellane.
Georgen von Plement Culmischer Lantrichter.

Ewer hochwirdigesten gnad

dinstwillige demutige Burgermaister und Radtmanne K$^{r}$ Stadt Thorun.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 92 fol. 59.*

## 902.

***1535. Juni 16. Althausen.*** *Johannes, Bischof von Culm und Administrator des Bisthums Pomesanien, erneuert die Handfeste des Schulzen in Kokoczko.*

In nomine domini Amen. Ad perpetuam rei memoriam. Nos Joannes, dei gratia episcopus ecclesie Culmensis et administrator episcopatus Pomezaniensis, universis et singulis, presentibus et futuris, harum notitiam habituris, notumfacimus per presentes, quomodo veniens ad presentiam nostram fidelis nobis in Christo dilectus Simon, scultetus

ville nostre Cokoczko, humiliter nobis exposuit, quod literas immunitatum seu privilegium, quod super tribus mansis scultetie dicte ville nostre a predecessoribus nostris felicis recordationis dominis episcopis ecclesie Culmensis predecessores ipsius habuerunt, tempore bellorum harum terrarum Prussie amisissent, utpote per milites exusta villa et ecclesia insimul, ubi privilegium illud servabatur, fuisset similiter exustum. Proinde nobis humiliter ac debita cum instantia supplicavit, ut illi clementer consulere literasque novas et ab alio sculteto distinctas (cum ibi duo sint sculteti, quorum alter duos, hic vero tres mansos habet), seu privilegium dare et concedere dignaremur. Nos itaque exquisitis prius diligenter et perceptis probationibus et documentis fide dignorum de huiusmodi scultetie dispositione et eius privilegio, a quibus sufficienter docti sumus, quod post amissum privilegium tres illos mansos ad officium scultetie in dicta villa nostra Cokoczko spectantes, ipse et predecessores eius legitime et pacifice et quiete possederunt, et hucusque nullus ex predecessoribus nostris illum molestavit vel inquietavit unquam. Acclinati illius supplicibus et rationi consonis precibus, ne hac occasione, quod scilicet privilegium non haberet, aliquod in posterum damnum percipere posset, literas seu presens privilegium ei eiusque veris ac legitimis successoribus et heredibus gratiose dare et concedere duximus damusque et concedimus per presentes in hunc qui sequitur modum. Imprimis quod memorato sculteto Simoni ipsiusque veris ac legitimis successoribus et heredibus ad officium scultetie tres mansos liberos, qui a prima locatione illius ville ad idem iudicium pertinuerunt, ratione scultetie et servitii nobis impendendi et faciendi, iure hereditario more aliarum nostri episcopatus scultetiarum donamus et conferimus, harum vigore mediante, cum omni utilitate iure Culmensi perpetuo possidendos. Ceterum quia dicta villa nostra Cokoczko in universo cum tribus mansis Simonis et duobus Nicolai scultetorum debet quinquaginta mansos continere, quod ipsi cultores et possessores dictorum mansorum ville predicte, satisfacientes labori, quem nobis tenentur, omnes et singuli de quolibet manso unam marcam numeri et monete prutenicalis, computando quamlibet marcam pro viginti grossis, cum duobus pullis et uno modio avene pro festo sancti Martini solvere tenebuntur et perpetuo sunt adstricti. In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium sigillum nostrum maius presentibus est subappensum. Actum et datum in castro nostro Starogrod [die] decima sexta [mensis] Junii anno domini Millesimo quingentesimo tricesimo quinto. Presentibus ibidem venerabili honorabilibus ac nobilibus dominis Baltazaro a Lublin canonico Culmensi, cancellario et officiali nostro, Thoma e Bidgostia economo nostro in Starogrod, Jacobo Sczepanysky sacellano nostro, Jacobo Kowalewsky burgrabio nóstro in Starogrod, et Michaele Balczynsky aulico nostro testibus ad premissa.

*Abschrift bei Mauritius nr. 113.*

## 903.

***1535. August 3. Culmsee.*** *Zwei Domherren von Culm theilen dem Bischof Johannes von Culm das Gerücht über den Tod des ermländischen Bischofs mit und bitten ihn zu wachen, damit ihm dies Bisthum nicht entgehe.*

R$^{mo}$ domino Johanni d. g. Episcopo Culmensi et Administratori Pomezaniensi.

Reverendissime etc. Nuncciatum est venerabili domino Georgio et mihi in datis presentium per famatum virum dominum Conradum Brawn proconsulem Thoronensem, dominum Nicolaum Plothowsky celerem misisse nunccium versus Cracoviam ad suum germanum dominum prepositum Warmiensem, significando eidem obitum R$^{mi}$ domini Warmiensis aut mortem propinquam, ut pro eodem episcopatu laboraret. Non videtur tamen dignum illum elatum hominem exaltari super cedros Libani. R$^{ma}$ p. vra dignetur invigilare, ut illum episcopatum ob multa et magna merita sua obtinere possit; hoc parvo eidem annexo, ut illud vaticinium domini Bernhardi germani R$^{me}$ p. vre., quod in studio Cracoviensi existens ex quadam practica habuit, prout in primo ita et in secundo verificari possit. Quod faxit deus ex sua divina clemencia. Nos hic apud ecclesiam R$^{me}$ p. vre. existentes divinam pietatem exorare curabimus continua prece, ut id fieri possit cum salute anime R$^{me}$ p. vre. et cum utriusque ecclesie et Warmiensis et Culmensis augmento. Cum hiis eandem R$^{mam}$ p. vram. deo altissimo committimus in omnibus felicissime conservandam. Raptim celerrime. Ex Culmenze ipso die Inventionis sancti Stephani anno domini etc. XXXV.

Eiusdem R$^{me}$ p. vre. humiles servitores et cappellani

Georgius Hyntze et Martinus Czeme canonici Culmenses.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg A. 1 fol. 67.*

## 904.

***1536. November 13. Krakau.*** *Der Kapellan Stanislaus Borek meldet dem Bischof Johannes von Culm den Tod des Bischof Peter Tomicki von Krakau und bittet, mit der Einsammlung des Peterspfennigs einen Geistlichen zu beauftragen.*

Rev$^{mo}$ domino Joanni episcopo Culmensi. — Presentatum VIII Decembris.

R$^{me}$ etc. Peccatis, ut arbitror, nostris deus offensus pastore domino et altero parente nostrorum omnium servitorum diocesim Cracoviensem et non solum diocesim sed et rem publicam Polonam spoliavit, atque ex corporis diversorio non sine magno dolore nostro in eternam illam domum ad se vocavit. Cum autem sciam singulari in eum, dum viveret, fuisse d. v. R$^{mam}$ benevolencia, dubium mihi non est, quin ipsa quoque ex talis amici obitu non mediocrem sit animo dolorem conceptura. Hunc rogo, ut preculis suis, cleri et aliorum religiosorum diocesis R$^{me}$ d. v. animam illius levare non differat, ut, quibus in vivis fuit animus unus, nunc quoque suffragia sint illi solacio; oro et obsecro, ut id

fieri R$^{ma}$ d. v. mandare dignetur. — Quia autem collecturam denarii s. Petri in diocesi Culmensi et Pomerania R$^{mus}$ dominus litteris suis patentibus commiserat venerabili domino Martino Czeme, vicario in spiritualibus Culmensi, hanc idem dominus Martinus literis suis in se suscipere detrectavit: Rogo, R$^{ma}$ d. v. velit alicui presbitero Thoronie manenti hanc ipsam provinciam demandare. Est enim is denarius s. Petri sacre M$^{ti}$ Regie ad annos aliquot per sedem apostolicam donatus, factura R$^{ma}$ d. v. Ser$^{me}$ regie celsitudini rem valde gratam. Cuius gracie me unice et ex animo commendo. Datum Cracovie die s. Briccii Anno a Christo nato M. D. XXXV$^{to}$.

Eiusdem d$^{nis}$ vre. R$^{me}$

deditissimus Stanislaus Borek capellanus et servitor.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 4 fol. 68.*

## 905.

***1536. Januar 8. Heilsberg.*** *Die preussischen Stände citiren den Culmischen Bannerführer Hugo von Smollang, um sich wegen der verübten Excesse gegen den Culmischen Bischof zu vertheidigen.*

Nos Prelati, Palatini, Castellani, Succamerarii, Terrigene et Civitates, Sacre Regie M$^{tis}$ domini nostri clementissimi terrarum Prussie Consiliarii, nobili et generoso Hugoni de Smollang, vexillifero Culmensi, salutem in domino et omne bonum. Noveritis nos sacre Regie Ma$^{tis}$, domini nostri clementissimi, commissionis literas pro parte R$^{mi}$ in Christo patris et domini domini Joannis, dei gratia episcopi Culmensis, nobis presentatas, debita cum reverentia recepisse sequentis tenoris:

Sigismundus, dei gratia rex Polonie, magnus dux Lithvanie, Russie, totius Prussie et Masovie etc. dominus et heres. R$^{ndo}$ in Christo patri, magnificis generosis et famatis terrarum et civitatum nostrarum Prussie consiliariis, in futuro conventu congregandis, sincere et fidelibus dilectis, gratiam nostram regiam. R$^{nde}$ in Christo pater, magnifici, generosi et famati, sincere et fideles dilecti! Conquestus est nobis per literas suas R$^{ndus}$ in Christo pater, dominus Joannes, episcopus Culmensis, sincere nobis dilectus, quod interea, quo nuper apud nos in celebritate nuptiarum Ser$^{me}$ filie nostre fuerat, nobilis Hugo de Smolang, vexillifer Culmensis, filium suum cum rusticis, quos colligere ex villis suis potuit, miserit ad molendinum eius p$^{tis}$ schole Culmensis, Wopcz dictum, qui violenter confractis et erutis foribus ipsum molendinum ingressus, quum molendinator fuga saluti consuluisset, uxorem ipsius inventam graviterque cesam vulnerasset, fratremque mulieris, multis prius plagis et sanguineis livoribus affectum, secum ex eodem molendino extra oras et granities paternitatis eius abduxisset, et in suis limitibus et fundo paterno eundem molendinatricis fratrem proiectum in terram crudeliter denuo cedi iussisset, sicque semivivum et animam vix trahentem reliquisset. Ceterum quum ob eam violentiam Hugonem predictum ad conventum novissimum Elbingensem P. eius citasset, coram S. vestris temere

non comparuisse, quod non immerito ipse dominus episcopus se molestissime ferre conqueritur. Neque nobis istius modi facinus et temeritas, qua non comparuit, si sic est, ut fertur, non potest non displicere. Quapropter S. vestris committimus, ut, postquam per nostras, quas dedimus, literas citatus, in futuro conventu ipse Hugo sive comparuerit vel pertinaciter iterum absens manserit, ad ea, que in tali casu iuris et iusticie sunt, procedant, debitamque mulctam et penam, tam gravi excessui respondentem, auctoritate nostra, quam S. vestris presentibus impartimur, decernant, seriam in eo voluntatem nostram pro officio quo funguntur, facture. Que bene valeant. Datum Vilne XXII Novembris Anno domini Millesimo quingentesimo tricesimo quinto. Regni nostri anno XX$^{mo}$ nono. Commissio Sacre Regie Ma$^{tis}$ propria.

Post quarum literarum presentationem fuimus pro parte dicte R$^{ndi}$ domini Joannis episcopi debita cum instantia requisiti, ut illi contra vos citationem decerneremus. Nos attendentes huiusmodi petitionem equam et iuri consonam esse, volentesque mandatum regium, ut debemus, exequi, auctoritate regia nobis commissa citamus vos Hugonem Smollang supranominatum peremptorie, ut in conventu proximo pro festo divi Stanislai in Maio Marienburgi, vel alicubi alias, et quando in his Prussie terris celebrando, vel ipse personaliter vel per legitimum procuratorem vestrum coram nobis compareatis, dicto domino Joanni episcopo vel procuratori eius super omnibus et singulis in preinsertis literis — libus contentis legitime responsurus. Certificantes vos, quod sive comparueritis coram [nobis in prēdicto] conventu sive non, nos nihilominus, absentia sive contumacia vestra non obstante, ad ea, que [iuris] et iusticie in hac causa sunt, iuxta dictarum regalium literarum tenorem, omnino procedemus. In cuius rei testimonium sigilla nostra privata, quibus hoc tempore loco sigilli terrarum Prussie utimur, licet diversis locis et temporibus sunt subimpressa. Datum in arce Heilsberg die octava Januarii, anno domini Millesimo Quingentesimo Tricesimo Sexto.

*Original auf Papier mit zwei aufgedrückten Siegeln, deren erstes das des Bischofs Mauritius Ferber ist, im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 68 fol. 35.*

## 906.

***1536. Januar 17. Culmsee.*** *Der Domherr Martin Czema berichtet dem Bischof von Culm über seine Mission in kirchlichen Angelegenheiten nach Thorn.*

R$^{mo}$ domino Johanni d. g. Episcopo Culmensi et Administratori Pomezaniensi. —

*Praes. XXI Januarii.*

R$^{me}$ in Christo pater etc. Fui Thoronie ipso die Veneris XII Januarii, mandata R. p. vre. exequenda, ubi imprimis dominum Jacobum concionatorem aggressus sum, omnia ei ex ordine obicienda. De eo dicta, opera bona non ex integro fieri, negavit. Licet aliquando contrarium predicaverit, brevibus sibi responsum est, quod opera bona necessario

fieri debent pro misericordia dei consequenda, quia, licet Christus pro omnibus satisfecit, non tamen ob id licenciam nobis concessit delinquendi. Nosque quotidie delinquimus et gravissimis peccatis nostris deum offendimus, ideo continue operibus bonis, elemosinis, orationibus etc. ex pura cordis contricione et compunctione misericordiam divinam implorare debemus pro delictorum venia consequenda. Quod processionibus et thurificacionibus aliisque ceremoniis non interesset, respondit se facere id non ex contemptu aut contumacia aliqua, sed quia resideret apud ecclesiam sancti Jacobi in novo opido et beneficium ibi haberet, ideo in ecclesia divi Johannis non posset continuo adesse. Ad hec sibi responsum, quod hic teneret ambonem, hic populum doceret, in eademque ecclesia beneficiatus esset, plus teneretur hic adesse, quam ibi. Et ut sermone peracto interdum duraret usque in finem misse pro meliori suorum auditorum exemplo et reformatione, ut verbo et exemplo doceret populum sibi creditum, de quo rationem redditurus est in districto dei iudicio, promisit tandem alternatis vicibus interesse. Pro animabus christifidelium deum exorandum esse, prout sanctus Augustinus facit mentionem, quod in quadam sinodo videlicet Toletano per sanctos patres statutum sit; firmiter observandum, quod in qualibet missa fieri debet memoria pro defunctis, prout antea dudum observatum fuit; item de Juda Machabeo dictum est sibi, quod miserit Jerosolimam triginta libras argenti ad exorandum pro defunctis, recte de resurrectione sentiens; item ex Ewangelio de debitore misso in carcerem, quod inde non exiret, donec redderet rationem usque ad minimum quadrantem etc., ad que idem dominus Jacobus nihil respondit; finaliter tamen pollicitus est se emendare. Utinam sincero animo et puro corde ex instinctu boni spiritus id facere valeat, fructus sui sermonis afferendo bonos. Fratrum minorum predicatorem[1]) accessi similiter, cui singula de eo dicta in presencia sui Custodis et dominorum plebani et Johannis Coldytz in faciem obieci, eum de sua sinistra et mala doctrina redarguendo. Qui omnia constantissime negare conatus est, prout mos est illorum hominum, qui omnia negatione evadere volunt, quamvis comunis de eis vulgatur fama aliter. Quem tandem suus pater Custos spopondit debite instituere pro communi salute Christi fidelium. Expectandum ergo videtur per aliquot tempus, si se emendare voluerit. Holsth civis Thoronensis post monitionem cum excommunicatione contra eum datam, ut infra triduum produceret sufficientia documenta de dispensatione sibi facta super illicito matrimonio, eo quod fratris sui duxerit coniugem, me personaliter in domo plebani accessit, et appellationem sibi concedi ad R$^{mam}$ p. vram postulavit, que sibi denegari licite non potuit, estque sibi assignatus terminus infra hinc et festum purificationis Marie proximum. Terminum adeo brevem sibi assignavi, R. domine, ne per dilaciones quereret evasiones in aliorum christifidelium scandalum et perniciosum exemplum. Certumque est, quod nullam desuper dispensationem habeat, eo quod eam ibi in loco non ostendit. Senatui Thoronensi sunt

[1]) *Der Franziscaner Bartholomeus. Vgl. Lengnich I 207.*

oblati articuli per summum pontificem condempnati, et superiori tempore Sacre Maᵗⁱˢ Regie mandatum etiam desuper habuerunt; ideo nequeunt aliquam eius rei pretendere ignorantiam. Velim omnia pro laude dei omnipotentis et voto R. p. vre. esse expedita, cum debita emenda errorum. Cum hiis me gratie v. r. p. committo et commendo. Quam felicissime et diutissime valere exopto. Datum in Culmenze ipso die sancti Anthonii Abbatis anno domini etc. XXXVI°.

E. R. p. vre. humilis servitor

Martinus Czhema, canonicus Culmensis.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 68 fol. 54.*

## 907.

***1536. März 15. Rostock.*** *Martin Hilleman antwortet dem Bischof Johannes von Culm ablehnend auf dessen in Betreff der Culmer Schule geäusserten Wünsche.*

Reverendo domino Johanni episcopo Culmensi necnon administratori episcopatus Pomezaniensi. — *Praes. XX April.*

Reverende etc. Perlata sunt Reverende vestre paternitatis exarata ad me, quibus cum ea qua decuit reverentia susceptis ac intensius revisis, ex eisdem R. v. p. intellexi minus debite informatam super susceptione domus Culmensis, quasi ego caput huius extiterim, quam tamen nunquam acceptavi. Vellem tamen, si quo pacto possem, auxilio succurrere et consilio apud patres fundatores, sed prochdolor prout nunc se offerunt tempora, minime ad id attingere valemus; nam nostris in hiis partibus turbatio non modica, undique dissensiones et bella, ita ut nusquam tuta sit fides proficiscendi, quod si michi persone essent idonee, sicuti pro nunc in veritate non sunt, tamen de acceptatione huius domus non ausus essem me intromittere (eam ob causam, quod predicti fratres Szwollen plus quam mille aureos in commodum eius expenderint, et non tantum dolent de iactura temporalium, quantum de amissione et morte doctorum virorum, qui ibidem animas suas domino reddidere), quin prius eisdem consultis oportuno tempore de eorum securior reddere queam consensu. Preterea R. v. p. obnixius quo possum supplico, quatinus parumper differre non pigeat, donec se tempora offerant quietiora, quibus negotium ipsum diligentius meliusque exequi valeat. Et ego in recompensam me offero una cum meis omnibus semper sedulum promptumque ad queque rogata, prout nostre vires exighunt. In quibus nos indefessos experietur Reverenda paternitas vestra, quam altissimo salvum atque incolumem recommendo in Nestoris annos. Raptim e domo nostra Rozstochiana quintadecima Marcii, Anno virginei partus. M. D XXXVI.

V. R. P.

Martinus Hilleman, ad queque jussa paratus servus minus utilis.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 68 fol. 57.*

## 908.

***1536. Mai. Marienburg.*** *Johannes, Bischof von Culm, beantragt auf dem Stanislaus-Landtag zu Marienburg die Errichtung eines Gymnasiums zu Culm, welches mit tüchtigen Lehrern zu besetzen wäre und fordert zur Beförderung des nützlichen Werkes zu Beiträgen auf; er selbst erbiete sich jährlich 40 Mark dazu beizusteuern.*

*Lengnich I 165.*

## 909.

***1536. Juni 3. Culmsee.*** *Das Domcapitel von Culm vertheidigt sich gegen die Vorwürfe, welche ihm wegen der Ausführung des Testaments des Bischofs Johannes Konopacki gemacht sind.*

R$^{me}$ etc. Satis anxio et conturbato animo ex literis R. p. v. accepimus, nos redargui in eo, quod testamentum domini pye recordacionis defuncti predecessoris R. p. vre., tanquam invalidum et non confirmatum, in absentia, iuxta tamen vim et formam ultime voluntatis sue conscriptum, executi sumus. Cum illud magnificus dominus palatinus Pomeranie mox post obitum domini germani sui sit executus, familie curie in loco tunc presenti ex integro legata tunc solvendo, absentibusque dominis cancellario et Thoma iconomo et burgrabiis in Fredeck, Papaw et Aldenhaws, de frumentis per dominum defunctum relictis sibi propriis, persolutionem per nos eis faciendam ad nos remisit. Itaque per eos frequencius impetiti et importune moniti, capitulariter congregati satis desuper consultavimus, et tandem de unanimi consensu visum est, eo quod dominus palatinus iam solvisset alie familie inferiori, que minus meruerat, eorum legata, dignum esse illis maioribus ob eorum longa servicia bene demerita pro ultima voluntate testatoris satis fieri debere. R$^{me}$ d$^{ne}$, hoc ita actum esse fatemur, satisfaciendo relique solutioni, quia iam pro maiori parte executum fuit testamentum per dominum palatinum, nobis persuadentes id ratum et gratum haberi a R$^{ma}$ p. vra.. cum factum sit more aliarum ecclesiarum cathedralium, quod defuncto episcopo capitulum habeat facultatem disponendi de rebus relictis presertim in testamento legatis. Et hic in isto episcopatu, migrante felicis memorie domino Stephano de hoc seculo nequam, peracta sepultura ante ingressum domini Nicolai successoris sui, absque mora, priusquam eidem fuisset datus episcopatus per Regiam M$^{tem}$, totalis distribucio testamenti per Capitulum facta fuit, et ratum ac gratum habitum est. Dominus vero Johannes Episcopus in domino defunctus, eo quod sibi episcopatus resignatus fuit per pye memorie dominum Nicolaum, cui octo annis eo vivente prefuit, solus personaliter testamentum post eius decessum distribuit. Itaque obnixe oramus R. p. vram. nos in ea re non dignetur turbare sed nostram innocenciam apud se excusatam habere, de sua excellenti prudencia, quia et in futurum ita accidere possit. Fecimus enim omnia bono et fideli animo, cum necdum sciremus debite, quis esset futurus presul. Misimus ad Sacram M$^{tem}$ Regiam proprium nunccium, supplicantes pro conferendo R. p. vre. episcopatu. Eciam impetrari fecimus, quod nobis protunc commissa fuit per R. M$^{tem}$ totalis

administracio, et domino palatino adempta, licet sibi fuerit antehac commissa. Fecimus in omnibus (deum testamur) meliorem, quam potuimus, diligenciam pro commodo R. p. vre. Edificacio pontis, prout nobis visum est, levi precio conducta pernecessaria fuit, quia antiquus pons in dies ruinam minabatur, nihilque in edificiis aliisque rebus expositum est, nisi urgente causa, prout debita ratio per capitulum coram domino Bernhardo germano R$^{me}$ p. vre. sufficiens facta fuit. Non speramus itaque per R. p. vram. ceterosque regni prelatos et capitula ratione istius testamenti aliorumque expositorum ad restitutionem condempnari. Cum hiis R. p. vram. felicissime valere exoptamus, deumque assidue deprecamur pro eius incolumitate, cuius nos gratie semper committimus, et quam pro nostro singulari solamine et incremento, ac felici statu ecclesie sue magno ardore et summo desiderio nobis preesse desideravimus et desideramus, obsecrantes dei clementiam, ut id futurum sit longum in evum. Datum in Culmenze in vigilia Penthecostes Anno domini etc. XXXVI.

E. R. p. vre. humiles cappellani et servitores

Capitulum ecclesie Culmensis.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 68 fol. 126.*

## 910.

***1536. Juli 18. Heilsberg.*** *Bischof Mauritius von Ermland bittet den König von Polen zu gestatten, dass er den Bischof Johannes von Culm als Coadjutor annehmen könne.*

Ad Regem.

Serenissime et potentissime rex etc. Cum superioribus annis, Ser$^{me}$ Rex, de coadiutore mihi ad episcopatum Warmiensem assumere constituissem, ad idque munus venerabilem fratrem et consanguineum meum dominum Tidemannum Gyse, custodem et canonicum Warmiensem ac officialem meum in spiritualibus generalem, designassem, consensumque desuper Ser$^{me}$ M$^{tis}$ vre. postulassem, hortata fuit tunc me, ut quum vellet servare pacta inter M$^{tem}$ vram. et Capitulum Warmiensem inita, ego quoque de coadiutore assumendo animum mutarem et valetudinem meam ita curarem, ut in vita Ser$^{me}$ M$^{ti}$ vestre et reipublice huic sue rectis consiliis inservire possem. Adhortationibus huiuscemodi Ser$^{me}$ M$^{tis}$ v. ego tunc obtemperans, a toto coadiutorie negocio quievi, donec M$^{tas}$ vra. alteris litteris me adhortari dignata fuit, ut R$^{mum}$ dominum Joannem episcopum Culmensem in coadiutorem mihi asciscerem; id quod tunc ob eam potissimum rationem intermiseram, quod sentirem me ab egritudinibus meis ex magna parte revaluisse, ita ut munia publica officio meo incumbentia et ferre et perficere possim. Ceterum quoniam, deo ita volente et me visitante, preter ingravescens senium etiam veteres morbi frequenter redeunt novique subinde cumulantur, ut timeam ob huiusmodi impedimenta neque Ser$^{me}$ M$^{tis}$ vr$^{e}$ negociis neque officiis episcopalibus mihi incumbentibus exequendis me parem fore non posse;

cupiens itaque ante omnia clementi Ser^me^ M^tis^ v^re^ desiderio pro R^mo^ domino Culmensi episcopo prefato obsequi, et preterea futuris difficultatibus occasionem adimere, pacique ac tranquillitati tum harum terrarum publice, tum ecclesie mee Warmiensis private, dum vita mihi comes est, consulere: eundem R^mum^ d. episcopum Culmensem in coadiutorem assumere destino, dummodo accesserit consensus Ser^me^ M^tis^ v., quem, ut eadem M^tas^ v. gratiose prebere dignetur, ego obnixius precor; ea saltem conditione adiecta, ut pacta libere electionis, que Ser^me^ M^ti^ v^re^ ac ecclesie mee Warmiensi intercedunt, salva sint et permaneant. Cum his commendo me ac ecclesiam meam etc. Ex Heilsberg 18 mensis Julii Anno etc. XXXVI.

*Abschrift im bischöfl. Archiv zu Frauenburg A. 1 fol. 441.*

## 911.

***1536. Juli 18. Heilsberg.*** *Mauritius, Bischof von Ermland, bittet den König von Polen, seinem Neffen Johannes Tymmerman die Pfarre Goląbya zu verleihen, welche der Bischof Johannes von Culm ihm abtreten wolle.*

Ad regem Polonie.

Ex quo R^mus^ dominus Joannes Culmensis episcopus ecclesiam suam parochialem in Goląbya in favorem venerabilis domini Joannis Tymmerman, cantoris et canonici Warmiensis ac nepotis mei, ad manus M^tis^ vre. resignaturus est: eandem Ser^mam^ M. v. devotissime oro atque obsecro, quatenus eundem dominum Joannem Tymmerman speciali regia clementia prosequi ac illi iamdictam ecclesiam parochialem in Goląbya conferre dignetur; habita presertim clementissima ratione, quod Ser^ma^ v. M^tas^ olim patri eius Mathie Tymmerman, proconsuli Gedanensi, pro persona et in favorem dicti filii sui Joannis expectativam quandam ad tria insignia beneficia in regno Polonie concedere dignata fuit, que tamen effectum suum sortita non est, ac preterea quod etiam Ser^ma^ M. v. in illis litteris suis, quibus me de R^mo^ domino episcopo Culmensi prefato in coadiutorem assumendo cohortabant, in hec verba adiecit: Quod eam rem Ser^me^ M^ti^ vre. gratam mihi meisque consanguineis cumulatis beneficiis referre non esset pretermissura. Hanc regie pollicitationis munificentiam in nepotem meum per Ser^mam^ M. v. (ut indubia spe mihi polliceor) conferendam, ego una cum ipso perpetuis obsequiis inservire et clementissimum deum pro longa eiusdem M^tis^ vre. vita necnon totius regni felicitate victoriosissimoque contra omnes hostes triumpho exorare nunquam intermittemus. Eiusdem Ser^me^ M. v. gratie nos subditissime commendantes. Ex arce Heilsberg XVIII. Julii Anno M. D. XXXVI.

*Abschrift im bischöfl. Archiv zu Frauenburg A. 1 fol. 441.*

## 912.

***1536. August 3. Wilna.*** *Johannes Chojenski, Bischof von Plock, schreibt dem Bischofe von Culm über den Entschluss des Königs hinsichtlich der künftigen Besetzung des Bisthums Culm durch Tidemann Giese, des Bisthums Ermland durch den Bischof Johannes Dantiscus.*

R^me^ etc. Laboravi apud S^mos^ principes nostros, rogans, consulens urgensque sollicite, ut desiderium d. v. R^me^ explere non negarent, neque vanis argumentis et frivolis rationibus opus erat ad persuadendum de concedendo iure successionis d. Tidemanno in episcopatu Culmensi. Nam regia maiestas negat se tale quid commisisse unquam modo olim episcopo Cracoviensi et me eius rei facit testem. Neque enim d. episcopus Cracoviensis petiit hoc sibi dari in commissis, neque quod episcopatum Culmensem attinet, se tractasse indicavit quidpiam. Intercesserant nonnulla etiam alia certe non levis momenti, que remorabantur consensum regium, sed non vicerunt; nam evasimus sirtes scopulosque, et obtenta victoria voti sumus per dei et s. M^tis^ Regie clementiam facti compotes. Annuit Regia M^tas^, ut vestra p. in episcopatu Warmiensi, et d. Tidemannus in Culmensi occurrente vacatione succedat. In quo litteras regia manu subscriptas, scilicet ab exemplari per vestram R^me^ d. misso descriptas mitto. Verum quod ad subscriptionem S^mi^ regis iunioris attinet, hoc non solet sua maiestas, ut paternis litteris subscribat, neque forsan cautum esset propter multa diplomata, que a tempore coronationis sue maiestatis emanarunt et per suam maiestatem subscripta non sunt; nam iusiurandum, quod regno inauguratus prestitit, hoc postulat, ut sua maiestas tam aliorum predecessorum quam parentis sui litteras et concessiones servet et manuteneat. Iam itaque vra. R^ma^ paternitas perficiat, quod reliquum est, et citto et bene. Censerem vero, ut interim, donec hic sumus, et litteras et alia, que ad hoc consumandum opus pertinent, curaret v. p. R^ma^. Nam hic possum commodare amicis, dum penna in manu mea est, postea non adeo, quando alii preficientur cancellarie regie, quod iam brevi domino adiutore futurum spero, idque in comitiis regni generalibus, in quibus multa agenda veniunt, que sunt in rem regni et terrarum Prussie. Inter cetera danda esset opera ab iis, a quorum nutu et renutu omnia ferme in negotiis publicis dependent. A nobis vero presertim ecclesiasticis implorandus deus, ut cum alii tum cancellarie regie prefecti tales restituantur, qui publice potius quam private rei commoda, iura denique et iusticiam syncere tractent curentque; nam ab his, ut ipse expertus sum, salus si non universe reipublice certe multorum et conservari et labefactari potest, de quo aliquando coram abundius. — Inter alia que mecum contulit sacra Reginalis maiestas de istis episcopatibus et successionibus in eisdem, iniunxit, ut meo ipsius nomine admonere d. v. R^mam^, quod clementiam regiam recognoscens agat istic consiliarium non solum fidum, sed etiam de bono et commodis regiis studiosum et sollicitum, neque sinat, ut d. Kostka in curandis regiis proventibus impediatur propter quorundam odium, quibus favere dicitur p. v. R^ma^. Ego recepi me ista scripturum ad p. v. R^mam^, et promisi eam nihil unquam esse pretermissuram, quod ad fidum syncerum et obedientem consiliarium et subditum

suarum maiestatum pertinere scierit. Rogavi, ut sua maiestas commonefaceret d. Kostka, ut et missis regiis in proximo istic conventu satisfaciat et se interpellere sententiam continens primatibus illius ore honorem debitum prestet, quod etiam sua maiestas facere est pollicita. — De auxilio regi Danie prestando ad eum modum scribit vra. R$^{ma}$. d. Contuli quidem cum Regia maiestate, verum latere habui. Puto tamen, si d. vre. ex conventu preterito idem suasissent regie maiestati, quod scripsit v. d. R$^{ma}$, et cautionem aliquam fecissent de futura solutione mutui, non fuisset, ut spero, reluctata sua maiestas succurrere regi Danie, quem successus a deo prefinitus, ut credibile est, continget, etiam si nos impediremus; hoc enim sperare solatii est in re tali. — Ad ecclesiam parrochialem, quam vra. R$^{ma}$ d. in civitate Gedanensi obtinuit, presentavit Regia maiestas d. Urbanum officialem, idque ad vre. R$^{me}$ p$^{tis}$ et d. Johannis a Verden promotionem; nam senatus Gedanensis rogavit pro domino Leonardo Niderhoff. — De negotio cum Pomesaniensi prefecto accipiet v. d. R$^{ma}$ mentem regiam ex litteris suis. Ego obrutus ingentibus curis plura scribere non potui; puto tamen quod satis prolixe scribit, qui amici desideriis obsequitur et ea explet. Bene valeat v. R. p. et me quod fuit amet. Vilne tertia Augusti M. D. XXXVI°.

Vre. R$^{me}$ paternitatis frater Episcopus Plocensis subscr.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 4 fol. 87—88.*

## 913.

***1537. Januar 18. Krakau.*** *Die Abgesandten des preussischen Adels beschweren sich auf dem Reichstage zu Krakau unter anderem auch darüber: Die einträglichen geistlichen Stellen in den Bisthümern Ermland und Culm werden mit Candidaten bürgerlichen Standes besetzt und die Söhne der Adligen übergangen; namentlich haben die bischöflichen Stühle nur Danziger inne, da der Bischof Mauritius von Ermland den Culmer Bischof, dieser den ermländischen Domcustos Tideman Gise zum Coadjutor haben solle, und auch der ermländische Domcantor Matthias (lies: Johannes) Zimmermann zum Coadjutor des Gise in Aussicht genommen sei, welches sämmtlich Danziger wären.*

*Lengnich, Gesch. Pr. I 176—177. Docum. 180 nr. 73. Die Antwort der Gesandten der Stände resp. des Culmischen Bischofs a. a. O. I 177—178. Docum. nr. 74.*

## 914.

***1537. Februar 9. Krakau.*** *Schuldschrift des Bischofs Johannes von Culm über eine Summe Geldes für den Factor der Fugger Georg Hegel.*

Joannes, dei gratia Episcopus Culmensis et Administrator Episcopatus Pomezaniensis. Tenore presencium notum facimus, nos ab honesto viro domino Georgio Hegel, spectabilium dominorum Fuggarorum factore, ducentos florenos, quemlibet per triginta grossos polonicales computandum, in mutuum accepisse, quos illi bona fide et debita cum gratitudine hic Cracovie cum primis persolvere pollicemur numerarique curabimus. In

cuius rei testimonium has scribi sigilloque nostro communiri iussimus manuque propria subscripsimus. Actum et datum Cracovie IX Februarii Anno domini M°. D. XXXVII.

L. S. Joannes Episcopus Culmensis manu propria subscr.

*Original, durch zwei Einschnitte cassirt, im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 4 fol. 93.*

## 915.

***1537. April 10. Thorn.*** *Dr. Hieronymus Aurimontanus schreibt an Bischof Johannes von Culm wegen der Plakate zur Eröffnung der Culmer Schule und der schleunigen Hinsendung einiger Lehrer.*

R^mo^ domino Joanni Culmensis diocesis episcopo. — *Praes. XIIII Aprilis.*

S. p. d. Nuncius R^me^ p. t. Cracoviam missus, cui mandatum erat, quo cartulas publicationis studii Culmensis stanneis formulis excuterentur, huc non est reversus. Rogo itaque R. p. t. ut si cartulas nuncius ille per alium attulit, quo mihi aliquot numero mittantur. Tempus enim est, ut ubique affigantur. Sunt enim complures hic, qui studii huius appercionem expectant. Baccalaureum quoque, quem R. p. t. secum habet Amusum, in Culmen quamprimum mittat ob lectorum penuriam. Mathiam preterea in singulas horas expecto, eumque brevi venturum spero. Vale pater amplissime meque tibi commendatum habe. Ex Thorn X Aprilis 1537.

Tue R. p. cliens Hieronymus Aurimontanus, artium et medicine doctor, civis Turunensis.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 4 fol. 108.*

## 916.

***1537. April 10. Thorn.*** *Der Rath der Stadt Thorn vertheidigt sich beim Bischof Johannes von Culm gegen die Beschuldigung, als sei das Asylrecht des Thorner Dominikanerklosters bei Festnehmung eines Verbrechers gewaltsam verletzt worden.*

Hochwirdigester etc. Wir haben am 7. Aprilis nu vorgangen spöthe auff den obendt eiwer h. g. briff mit eingelegter abeschrifft eins ernst mandats vnd entpheel mit gepurlicher wyrdigkeyt entphangen, vnd ferner mit hoger ehrbittunge vns am gestrigen tage laszen vorlesen, drawsz eiwr h. g. maynunge allenthalben woll vorstanden, drumbe ane noth achten, der schriffte inhalt czuerneiweren, szunder bedocht eiwr hochw. g. den grundt dieszes tuendes vom anfange czueroffenen, vff das die selbigen erspuren vnd mercken moge, mit wasz byllickaytt die jennigen, die allewege meh vnruh denn fride liben, eiwr h. g. gemutt jegen vns bewegt haben, vnbegeen. Szo hott sichs nu in der hailgen fasten, do die menschen meh, den in andren czayten, sich czum seligen gutten leben thuen schicken, das der gefangene haymlichen bey nachtschloffender czaydt, doe ein jder

from byderman seine fort vnd hawsz treiwlich bewaren tutt, eynem burger Valten Knorr genant in sein hawsz gangen, vnd wie glowblich wirt angeczaigtt, czu des selbigen weibe gelegt. Vnd als nu vormols gemelter burger, sich etczliche maesz mit getrencke beladen, ein czeydt langk in der stuben gelegen schlaffende szo erwachet, hott er sich in sein ehbett czur ruh ergeben wellen, aber ungern dirspuret eins frembden vorschen vnd so die magdt dem ehebrecher die thure gevffnet, ist der frome mann seines geweldigers inne wurden. Czur stundt hot der ehbrecher geczuckt vnd noch vnserem purger gehawen, vnd so er nicht ein balken troffen, hett er ime sein houpt von eynander gespalten. Balde ist einer dem andren in die arme gefallen, vnd der ehprecher hott ein messer abgeczogen, vnd vber den lesterlichen begangenen ehbruch, smoch vnd ewige schande, die vnsers purgers weib nymmer wirdt abtilgen, dem armen manne drey mortliche wunden czugeprocht, durch welche er ein oge fast verloren, eine ouch hinter an seinem rucken so tiff gestochen, dasz im der athem seines lebens drausz gangen, vnd die barbirer lange tage an seinem leben geczweyffelt. Dornoch gegen dem morgen noch begangener tadt ist der morder vnd ehbrecher ins schwarczekloster gewichen. Als nu czwysschen die gemaine burgerschafft das geruchte sollicher schantlichen vnkristlichen vnd mortlicher tadt ist gefallen: czur stundt ist ein grausame schwere vnd bittere murmelunge von allen menschen, alt vnd jungk, man vnd frawen, nicht allaine widder den vbelteter, besunder wider alle ouch die vnschuldigen frommen lewthe des gaistlichen standes erwachsen. Drausz wyr bewogen, vff das nicht ein ergersz erstunde, den Prioren des genanten Closters czu vnsz vffs rathausz czu furderen, mit ime vyle czaydt czubrengende, vff wege czu handelen, das der grosse miszfallen czwysschen dem gemaynen volcke mochte gestillet werden, vnd sulchen schwer laster widder got, ere, recht vnd aller billickaydt begangen vngestraffet nicht plibe. Ouch manigfaltige tregeliche wege furgeslagen, domite ire freyheit, der sie sich rumeten, aber bisz in disse stunde nicht erweiset, dasz in dem falle einer, der ein morder, dip, ehbrecher vnd ein nachtlicher vberwaltiger czu gleiche erfunden, in den czeunen des closter solt vnd mocht der freyheit geniesen, das men jnen czur straff nicht nemen solt. Entlichen inen angebothen, das sie den morder vnd eebrecher in vnsere gefengnusz vbergeben wolten, wir weren gesinnet, eiwr h. g. diesen gewalt vnd vnrecht anczuczaigen vnd czuervffenen vnd, so eiwr h. g. den frebeler haben wolt, czufertigen, adir so eiwr h. g. erkente, inen wydder in ire formaynte freyheydt stellen. Ist von den monchen alles abgeslagen. Szo ist in sulchem langen vnterhandelen der vnwille vnd murren czwysschen der burgerschafft vnd den freundlingen, so sich des armen mannes in todes nothen liggende, deme sollich grausame gewalt vnd schmoheit widerfaren angenommen, meh vnd meh erwaxen. Drausz wyr vorursachet mit bewylliunge des Priors den freuntlingen czu entphelen den vbeltheter czubehutten. Also seint die mennere fridlich hin ins Closter gegangen, vnd nicht, wie die abgunstigen angeczaigt, mit wapfen hinein geloffen. Vnd als von den vnseren gepeten (wie bey vns ouch anderen

woll vormolsz geschehn), das men dem morder vnd ehbrecher die speise solte entczyhen, vnd jnen also notigen herauszczugeen, haben wyr das selbige auffrur vnd ein ergers czuvormeiden czugelassen. Woe nu der Prior vnd meh andere, die sulche vncristliche begangene tadt bey sich geringe thethen achten, vnszeren furschlegen hetten wellen folgen, were ire vormeinte freyhaydt, ouch Ewr hochwirdigiste g. iurisdictionen, so die in die persone, woe die geweyet, dasz bysz in die stunde so vffte von jnen gefurdert, nie ist erweiset, wye ouch sein eeliche gepurt me beczeuget, vnd sunt folgende irthume wol beschonet vnd haylsam pliben. Es wer ouch gewiszlich der vbelteter in vnszere straffe gangen, eh er durch schweren hunger so gepeiniget, woe jnen die geistlichen nicht abegehalten, ya czu letczst mit frebel vnd gewalt jnen gespeiset ane jmandes befehll adir irsuchen, vnd als dise geschehn, seindt vns vom herren Official in der sachen briffe wurden czugestalt. Aber der schediger ist schone mit willen, vngedrungen vnd nicht mit gewalt genommen, freywillig ausz dem closter in vnszer straffe gegangen vnd sich begeben, doe man seiner im besten gepfleget. Szoe nu vnser burger durch gotliche hulffe vnd der rechte vberausz grossen angewanten vleysz auff die fusse gekommen, haben wyr auff anregen der vorwanten der schuldigen, mit vnserem purger vnd seinen freunden, so weyt gehandelt, das er sich in einen furtragk czu hant noch den feyertagen, die do kurtcz vorhanden, geben wolt, dorczu wyr jnen den gestrigen tag erstymmet. Aber die freundlinge desz beschedigers seindt aussen bliben. Vff das nu dissen irthumb mochte furgekommen werden, seindt wyr bedocht E. h g anczulangen, vnd bitten, das ewre h. g. einen anderen bequemen tag anstellen wolt, vnd czur vorrichtunge den achtbaren vnd wyrdigen herren Martinum Czema, official vnd thumherren, neben vns verordenen. Szo wolten wyr mit sambt seiner achtbaren wyrden dissem irthume sein mosse erfinden vnd wasz nu meh hyran tut hangen, deromossen handelen, dasz Ewr. hoch. g. drane einen genedigen gefallen haben wyrt. Wye wyr dan nicht czweyffelen E. h. g. wirdt dissem schweren handel deromossen beherczigen, dasz in dem fall vnser thuen nicht vnbillickait werde, adir czur vngenade bey gemessen, bszunder sein genediges gemutte czu vns wendende, die grossen herten drewungen in genaden abewenden. Dasselbige wellen wyr mit allen krefften vmb Ewr h. g. (der goth lange in glucklicher czunemunge aller eren gesunt vnd selig enthalte) vnvordrossen stets vnd in ewiger czeytt furdinen. Gegebin czu Thorun am 10 Aprilis im Jore Cristi Jesu vnsers aynigen haylants 1537$^{sten}$.

Ewren Hochw. G.

demutige vnd dinstwillige
Burgermaister vnd Radtmanne der K. Stadt Thorun.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 94 fol. 37—39.*

## 917.

***1537. April 13. Heilsberg.*** *Mauritius, Bischof von Ermland, ladet den Bischof von Culm zu einer Besprechung über seine Coadiutorie ein.*

Episcopo Culmensi.

Quandoquidem R$^{me}$ d. v. ita visum est, ut deputem certum tempus et diem, quo et R$^{mis}$ d. vra. et nuncii capitulares hic mecum constituantur ad perficiendum coadiutorie negotium etc. Non videtur mihi convenientius et aptius tempus, quam dominica Jubilate proxima, que est vigesima secunda huius mensis Aprilis. Quem diem et R$^{me}$ d. v. per presentes significo capituloque meo cum primis significabo. Invitamus itaque eandem R. d. v., ut se pro eadem huc conferre non gravetur, ita ut sabbato proxime precedenti arcem Heilsberg ingrediatur. Veniat autem cum tanto comitatu, quanto ei libet; erit mihi cum omnibus suis gratissimus hospes. Interim mihi gaudeo ac R$^{me}$ d. vre. gratulor hoc ipsum coadiutorie negocium ex sententia istic confectum esse, litteras regias remittens et pro impertitis novis rebus gratias agens plurimas. Quod ad aulam regiam scribam, ad presens habeo nihil; nam aliqui proprium servitorem cum equo Ser$^{mi}$ Regi juniori donando Cracoviam brevi mittam. Quem licet regia eius M$^{tas}$ non postulaverit, attamen per alios ita subornatum esse subodoror. Intelligenti satis. Cetera omnia latius coram commentanda in tempus et diem personalis presentie d. vre. R. rejicio. Quam interea in salva et prosperrima valetudine deus conservet. Ex Heilsberg 13 Aprilis 1537.

*Abschrift im bischöfl. Archiv zu Frauenburg A. 1 fol. 450.*

## 918.

***1537. April 28. Leipzig.*** *Das Fürsten-Collegium zu Leipzig berichtet dem Bischof von Culm über das Testament des Dr. Kuppener und seine Stiftung für Löbau.*

R$^{mo}$ domino Joanni d. g. episcopo Culmensi et administratori episcopatus Pomezaniensis. — *Praes. IX Maii.*

S. P. Litteras amplitudinis vestre, graciosissime domine, accepimus, quibus nostri muneris, quantum ad testamentum clarissimi olim doctoris Cupenerii attinet, ab amplitudine vestra submovemur, in quo negocio nos non tantum de diligencia quam de fide eciam nostra ingenue gloriari audeamus. Quod autem peccunia illa, quam Lubaviam mittimus pro sacerdote et elocanda virgine, in priori summa, ut olim mittebatur, ad vos non redeat, causa potissima est duplex. Prior est reformacio illustrissimi nostri principis, qua vult et mandat, ne quisquam plures quam quinque florenos de centum per anni curriculum pro fenore vel det vel extorqueat, sub locatoris et conductoris pena gravissima, nempe amissione tocius summe. — Altera causa est monete crebra mutacio, que pro temporis racione et mercatorum insaciabili avaricia iam accrescit, iam vero decrescit. Annis aliquot in tota Misnia moneta Bohemica fuit approbata atque ideo popularis, que

tamen, ut plurimum adulterina fuit, et propterea unus thalerus propter minoris peccunie vilitatem viginti quinque grossos valuit, quod iam estate preterita circa festum Bartholomei ab illustrissimo principe nostro Georgio summis impensibus abrogatum est prorsus, et adulterina illa sive pocius exotica moneta ex tota Misnia (nostro principi subdita tantum) extirpata est, ita ut nemo audeat talerum maioris accipere quam 24 grossos. — Tercia causa adnumerari eciam posset, Lobaviensium cunctacio, quia si quispiam illorum nomine, debito tempore biennio elapso, census a nobis extorsisset, proculdubio eam pro temporis racione grato animo absque omni querela accepisset. Sed cum ab illis prorogatum est, atque interim moneta cum tempore est immutata: ideo ut pro tunc temporis unum thalerum pro 25 grossis accepimus, ita eciam Lobaviensibus misimus. Et sic amplitudo vestra plenariam habet huius rei institucionem cum omni informacione, atque hac purgacione a nobis eciam suspicionem amolitam esse volumus; nobis inde hucusque nihil cessit, et absit, ut cuperemus. Et ut sciatis nos inde nihil preter labores et frequentes inquietaciones habere, emonendo atque extorquendo a peccuniarum conductoribus, pro parte satis incertis difficilibusque, qui nunquam debito tempore volunt esse solvendo, atque hec causa potissima est, quod Lobaviensibus census istos ante natalicias nundinas Lipsenses deponere haud possimus. — Mathiam adolescentem Schonschmidt, a vestra Celsitudine tantopere commendatum, diligentissime cum omni humanitate pro viribus tractabimus, sibi exhibentes officium nostrum cum beneficio. Atque his bene valeat Celsitudo vestra, cui nos unice commendamus. Datum Lipsiae 4 Cal. Maii Anno etc. XXXVII.

Vre. Amplitudini deditissimi

Prepositus, Senior et reliqui domini Collegiate Principis collegii.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 4 fol. 115.*

## 919.

***1537. Mai 17. Culm.*** *Martin Czeme, Domherr von Culm, berichtet seinem Bischofe über Wirthschaftsangelegenheiten.*

R$^{mo}$ domino Johanni d. g. Episcopo Culmensi Administratorique Pomezaniensi et s. M$^{tis}$ Regis Polonie oratori.

Reverendissime etc. Scripsi aliquociens de hiis, que in dominio et episcopatu R$^{me}$ p. vre. aguntur; litere an perlate aut desidia latorum neglecte sunt, scire nequeo, nullo responso habito. Hic spe inani desiderationis adventus R. p. vre. non absque singulari perturbacione animi quotidie detinemur. Faxit altissimus, ut tandem in brevi desuper consolacionem habeamus. Frumenta ad . . . . . vendi — — deducta sunt, sed non vendita. Mercator ille per suum nunccium satis — precio in Gedanum presentanda non absque magno R. p. vre. dispendio et damno habere voluit, quod inconsultum videbatur; pace in mari constituta, meliori foro vendi possunt. Sunt in toto citra LXX. laste

utriusque frumenti, de quo tritici XVII. laste civibus Culmensibus vendite sunt ad prestum, quilibet modius pro VIII. grossis et I. s. De frumentis per me hucusque nil perceptum aut expositum, de aliis proventibus castra et predia hactenus provisa sunt. Me humili animo R. p. vre. recommendo et obsequia offero, et eandem felicissime et diutissime valere exopto. Ex Culmen. octavo die Ascensionis domini anno eiusdem etc. XXXVII.

Eiusdem R$^{me}$ p$^{tis}$ vre. humilis servitor

Martinus Czeme, canonicus Culmensis.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 4 fol. 120.*

## 920.

***1537. Mai 26. Thorn.*** *Die Räthe der Lande Preussen sprechen das alleinige Eigenthums- und Nutzungsrecht des grossen Sees bei Culmsee dem Culmischen Domstift zu.*

Wir Woywoden, Castellanen, Unterkammerer, Prelaten, so von dem hochwirdigsten in goth herrn hern Mauritio zu Ermlandt bischoffe mit vollem gewaldt hie her gesant, Lande vnd Stete der koniglichen Majestaet zu Polen vnsers allergenedigsten herrn, der Lande Preussen Rethe, thun kundt für jedermaniglich, so vnd als deme die Ko. Mt. zu Poln v. a. g. h. durch seiner Mtt. sunderlichen Comission in gewesenem reichstage binnen Crakau donnerstags vor der heiligen Merterer sanct Fabian und Sebastian in diesen lauffenden jaren gegeben die irrige vnd zweiloftige sachen zwischen den hochwirdigsten in gotth herren heren Johann, bischoff zu Colmesehe, administratori zu Pomesan, vnsern g. h., den vilwirdigen vnd achtbarn herren, des loblichen Capitels vnd thumbstifs der selbigst, von wegen der fischereyen in dem grossen sehe, so an die stadt vnd obgenanter thumbstifs kirchen stosset und rinnet, clagenden eines, vnd die edlen erentvesten Ludwigk Szalesky vnd Adam Obrempsky mit yren zutetigen, welche in selbigen sehe von wegen irer gutter und grentzen vormeinen zur fischerey gerechtigkeit und fugk zu haben, beschuldigten anders theils, gerichtlichen beider teyle gerechtigkeit zu huten vnd zu vndersuchen yn jtzigen landsgespreche, entpholen der selbigen Commission wie billich noch setzende seint, genumpten Ludwig Salesky vnd Adam Obrempsky mit vnser rechtmessigen erfolgeten Ladungs auf anregen des obgemelten vnsers g. h. bischofs vnd loblichen Capitels in kegenwertigen Landtage, hie binnen Thorn durch Ko. Mtt. v. a. g. h. vff das fest des heiligen Stanislai im May mondten gehalten, gefurdert und citirt, yr vormeints recht scheine brieffe gerechtigkeit und schrieften, szo einige bey sich hetten, aufzulegen vnd vorzutragen. Als nhu beyde theile erschienen vnd v. g. h. der bischoff vorgemeldt, die vielwirdigen auch achtparn herren des gemelten Capitels erstlichen nach gefelleter clagen einen offenen brieff eines erkanten vrtheils durch den allerdurchlauchtigsten und groszmechtigsten herren heren Johannem Albertum, konige zu Poln hochloblicher gedechtnus, im Jar unsers Herren tausent vierhundert funf vnd neunczigk an dieser

stellen vnd seiner . . . . . reiche am dritten Jare gegeben, darinnen klärlichen vrkundend ausgedruckt, das im genannten grossen Sehe niemandt, alleine der her [Bischof] czum [Colmen]sehe, die lobliche kirche vnd das wirdige Capitel daselbigst, gerechtigkeit aygenthumb gebrauche nutzunge vnd besitze zu ewigen Zeiten gehatt hotten im gantze Sehe yn allen seinen ecken winckelen vnd grentzen zu ringe herumb. Dorneben auch ein brieff hochleblicher gedechtnus herren Johan von Tieffen, etwan hoemeister in Preussen, zu Konigsperk im vier und neunczigsten Jare ausgangen, dienstages nach Egidii, lauts vnd inhalts derselbigen brieff allenthalben erzeigt vnd fürgetragen. Dargegen aber vnd wieder das gegentheil als Ludwigk Salesky und Adam Obrempsky mit irem anstande nicht haben mugen vffbrengen das jenen in irem vormeinten rechte der fischereyen ym selbigem grossem sehe hat mugen nutzlich oder furterglichen sein, ouch keinen brieff-lichen schein grundt oder beweis abgelegt: derwegen wir nach der theile genugsamer verhörung, goth alleine vnd die heilige gerechtigkeit vor augen habende. erkennen vnd sprechen jegenwertiglich mit diesem vnserm entlichen vrtheilspruche vor recht, anhangende dem bevorhin ergangene vrtheile der Ko. Mt. milder gedechtenis, das der obgemelte grosse sehe gantz vnd gar mit allen seinen winckeln, örthern, ecken, grentzen vnd stellen dem genanten hern Bischoffe, itz gedochten kirchen loblichen thumbstifts vnd vielwürdigen Capitel mit allem eigenthumb besitz, gebrauch, fruchten, fischereyen vnd nutzungen vnd nimands anders zukumpt vnd gehörig ist zu ewigen tagen, vnd das der gemeldte Ludwigk Salesky oder Adam Obrempsky kein theil gerechtigkeit oder recht drane haben; legende derowegen inen und allen iren nachkomlingen ein ewiges schweigen, gebüttende bey der busse funfziegk gulden gewichtiges golds dem fisco der Ko. Mt. vnser a. g. h. vnwergerlichen zuvorfallen und zuzufugen, lauts Ko. Mt. Commission, in selbigen sehe nu hinfurth vnd zu ewigen zeitten niehe zu fischen, des zu genissen oder zu gebrauchen, oder auch den herren Bischoff die kirche vnd das wirdige Capitel derwegen anzufechten, zu bestellen oder zu bemühen. Das spreche wir vor Recht. Geschehen und gegeben auf gemeinen Landtage, welcher zu Thorn vff das fest des heiligen Stanislay gehalten ist worden. Zu starcker gezeugnus haben wir das Landes siegel hier vnden an hengen lassen. Gegeben zu Thorn am 26 May im jare Christi vnsers einigen Heilandt im V$^{c}$ im sieben und dreysigsten.

*Transsumpt in einer Bestätigung des Königs Sigismund August vom 21. August 1566 im Original mit Siegel im Culmer Diöc.-Archiv. Abschrift bei Maurätius nr. 133.*

## 921.

***1537. Juli 1. Frauenburg.*** *Paulus Plothowski, Dompropst von Frauenburg, zeigt dem Bischofe Johannes von Culm den Tod des ermländischen Bischofs Mauritius an.*

R$^{mo}$ domino Joanni d. g. Episcopo Culmensi etc. — *Praes. III Julii.*

R$^{me}$ etc. Post discessum servitoris vre. R$^{me}$ paternitatis, per quem tunc misseram literas ad eandem, mortuus est R$^{mus}$ dominus Episcopus Warmiensis prima die Julii in medio secunde hore ad tertiam mane. Misit venerabile Capitulum dominos doctorem Nicolaum et Felicem,[1]) canonicos confratres nostros, ad res consignandas etc. et funus adducendum, ut consuetudinis est. Doleo de morte sue R$^{me}$ paternitatis, que iam felix quiescat, cum omnes hoc debitum debemus. Congratulor iterum mirum in modum vram. R$^{mam}$ paternitatem iam esse presulem meum, non ut fratres mei, qui aliter dixerunt me excludendo, quod nil scivi de consensu hic facto; quomodocunque ego sum et volo esse servitor vre. R$^{me}$ p$^{tis}$ ita ut nullum in hoc maiorem velit habere etc. Datum Warmie prima die Julii, hora quarta, finito Capitulo. Anno dni. 1537.

Eiusdem vestre R$^{me}$ paternitatis servitor

Paulus Plothowski, prepositus warmiensis.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 4 fol. 124.*

## 922.

***1537. Juli 12. Thorn.*** *Dr. Hieronymus Aurimontanus schreibt dem Bischofe von Culm über die Unterstützungen für den Baccalaureus Johannes Cervimontanus, Lehrer der Culmer Schule.*

R$^{mo}$ d. Joanni Culmensis ecclesie presuli. — *Praes. XV Julii.*

S. p. d. Jussu R$^{me}$ paternitatis tue, presul indulgentissime, coemi Baccalaureo Joanni Cervimontano, Culmensis studii prelectori vigilantissimo, tunicam, caligas, diploidem camiseasque, calceos quoque, reiectis prioribus vestimentis, ne ob morbi illius contagionem quispiam illum abhominaretur. Habet ob id R. p. t. gratias nullo unquam seculo intermorituras, quod te nullis suis meritis eum nactus est Mecenatem, qui non modo vite sue consuleret sed etiam vestimentis. Hinc est, cum aliud prestare non possit, perpetuo tamen se deum optimum maximum pro salute, tranquillitate ac felici statu episcopatus tui ac tuorum omnium oraturum pollicetur. Reliquum autem est, pater amplissime. Cum miser hic inoportune satis a cyrurgico suo impetitur, cui cogitur X florinis pro mensa et impenso labore numerare, qua in re ego nomine R. p. t. sponsor sum. Et cum hic solvendo non sit, impensissime rogat clementiam tuam, velit illi consulere X aureis nummis, quibus absolvat hominem illum cyrurgicum; quam pecunie summulam rursus ex schole laboribus ac stipendio sese corrasurum spondet, atque R. p. t. suo tempore cum

[1]) *Nicolaus Coppernik und Felix Reich.*

magna gratiarum actione dissoluturum. Rogo itaque amplitudinem tuam, qua in omnes pauperes es munificentissimus, ne deseret hominem hunc frugi, et quidem gratissimum, ab omnibus desertum, quod ego erga amplitudinem tuam pro viribus promereri conabor. Ego vero nihil ab homine posco pro non mediocri cura mea, qua illum ter a febribus (recidivam passum) levavi, nil desiderans, nisi aromatarii absolutionem (marcis tribus) et candidi nominis tui splendorem gratiam et favorem. Valeat r. p. t. in annos perpetuos. Datum Turin ex edibus meis XII Julias Anno ab orbe redempto 1537.

Vre. R. P. cliens Hieronymus Aurimontanus artium et medicine doctor.

Ego nepotes r. p. Baccalaureo speciatim erudiendos commisi.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 4 fol. 128.*

## 923.

***1537. August 9. Culmsee.*** *Das Culmer Domcapitel erklärt seinem Bischofe seine Bereitwilligkeit zur freundlichen Aufnahme eines ermländischen Domherrn und empfiehlt sich seiner ferneren Gunst.*

R$^{mo}$ domino Johanni d. g. Episcopo Culmensi et Administratori Pomezaniensi. —

*Praes. XII Augusti.*

R$^{me}$ etc. Quamprimum venerabilis dominus Johannes Rodolpfus, canonicus Warmiensis, in Culmenze applicuerit, honorifice excipietur, et perhumaniter pro meliori facultate nostra tractabitur et conducetur pro gratia R$^{me}$ p. vre. erga nos suos servulos et pauperculam istam ecclesiam in perpetuum conservanda. Cum enim clemencia divina, sub cuius nutu omnia consistunt, ita voluerit, ut R$^{ma}$ p. vra. episcopatum Warmiensem, qui in omnibus isto Culmensi locuplecior et habundancior existat, per dei gratiam assequatur, pro nunc vacantem post obitum R$^{mi}$ in Christo patris domini Mauritii in domino defuncti, cui exequias debitas et solennes in crastino sancti Laurencii faciemus ex commissione R$^{me}$ p. vre., plenam spem habemus, quod istius sue ecclesie prioris ac eius personarum et serviciorum non immemor erit, sed sua speciali gratia et innata clemencia in perpetuum prosequetur. Quam R$^{mam}$ p. vram. misericordie divine usque ad nesthoreos annos in omni felicitate, incolumitate et sospitate conservandam committimus et deum exorare policemur: Nosque iterum atque iterum humillime commendamus. Datum in Culmenze in vigilia sancti Laurencii anno domini etc. XXXVII°.

Eiusdem R$^{me}$ p. vre. humiles cappellani et servitores

Capitulum ecclesie Culmensis.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 5 fol. 41.*

## 924.

***1537. August 16. Löbau.*** *Johannes, Bischof von Culm, bevollmächtigt den ermländischen Domcustos Tidemann Gise in seinem Namen, die vor der Bischofswahl in Ermland üblichen Vereinbarungen zu beschwören.*

In nomine domini Amen. Anno a nativitate domini Millesimo quingentesimo trigesimo septimo, die vero decima sexta mensis Augusti, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri, domini Pauli divina providencia pape tertii anno tertio, in mei notarii publici testiumque infrascriptorum ad hoc specialiter vocatorum et rogatorum presentia, personaliter constitutus R$^{mus}$ in Christo pater et dominus, dominus Joannes, dei gracia episcopus Culmensis et canonicus ecclesie Warmiensis principalis, principaliter pro se ipso, citra tamen quorumcunque procuratorum suorum hactenus quomodolibet constitutorum revocationem, asserendo proposuit et dixit, se nuper vigore citacionis per venerabile Capitulum ecclesie Warmiensis decrete ad vigesimum diem mensis Septembris proxime futurum, pro electione de novo episcopo et pastore eiusdem ecclesie Warmiensis, per obitum bone memorie Mauricii illius ultimi episcopi viduate, facienda, vocatum et citatum esse: sed se huiusmodi electioni ob negocia publica harum terrarum et instantem publicam conventionem in Graudentz tenendam, ad quam se accingere cogitur, interesse non posse. Et cum nihilominus intelligat, a multis retroactis annis in pluribus factis episcoporum electionibus predictum Capitulum habere in viridi observatione et consuetudine, quod ante ipsam electionem pro defensione jurium et libertatum ipsius ecclesie Warmiensis ac tranquillitate et fraterne charitatis conservacione nonnulli articuli fieri soleant et formari, quos omnes electioni interessentes et ad quos spectat venire, promittere consueverunt ac iurare: Ne autem propter predictam suam futuram absentiam se ipsum et honorem suum negligere videatur et contemnere, si unus ex quatuor per sacram Regiam Maiestatem nominatus fuerit: Ideo omnibus melioribus modo, via, iure, causa et forma, quibus melius et efficacius de iure potuit et debuit, fecit, constituit, creavit et solemniter deputavit suum verum, certum, legitimum et indubitatum procuratorem, actorem, factorem negociorumque suorum infrascriptorum gestorem ac nuncium generalem et specialem, ita tamen quod specialitas generalitati non deroget nec e contra, videlicet venerabilem et prestantissimum dominum Tidemannum Gyse, custodem et canonicum ecclesie Warmiensis, absentem tanquam presentem, solum et insolidum, specialiter et expresse ad ipsius R$^{mi}$ domini constituentis nomine et pro ipso omnes et singulos articulos, ante aliquot menses in Coadiutorie de persona sua ad ecclesiam et episcopatum Warmiensem deputatione per ipsum promissos et iuratos, ante et post factam electionem vel postulacionem admodum promittendum, et in animam suam de illis firmiter observandis iurandum, necnon ipsos nomine suo subscribendum. Promittens idem R$^{mus}$ dominus Episcopus constituens mihi notario publico infrascripto solemniter stipulanti et accipienti vice ac nomine omnium et singulorum, quorum interest, intererit vel interesse poterit

quomodolibet in futurum, se ratum gratum atque firmum perpetuo habiturum totum id, et quicquid per dictum suum procuratorem in premissis actum factum dictum vel procuratum fuerit, ac se articulos huiusmodi, quatenus per ipsum Capitulum ad ecclesiam Warmiensem postulatus fuerit, promittere et more prelatorum de firmiter ipsis observandis personaliter in presentia primorum nunciorum eiusdem Capituli ad se venturorum iuraturum, et manu sua propria subscripturum, sub obligacione omnium et singulorum bonorum suorum presentium et futurorum, ac sub omni iuris et facti renunciatione ad hec necessaria pariter et cautela. Super quibus omnibus et singulis premissis idem R^mus dominus constituens sibi a me notario publico fieri atque confici petiit instrumentum et instrumenta. Acta sunt hec in arce Lubaviensi Culmensis dyocesis sub anno, indictione et aliis quibus supra. Presentibus ibidem dominis venerabilibus, dominis Alexandro Sculteti canonico et cancellario Warmiensis ecclesie, et Balthasare a Lublin canonico Culmensi et cancellario, ac honorabili domino Jacobo Sczapnitzki sacellano prefati R^mi domini episcopi Culmensis, testibus ad premissa vocatis specialiter atque rogatis.

Et ego Bartholomeus Bartholomei de Bydgostia clericus diocesis Wladislaviensis, sacra imperiali auctoritate notarius publicus etc.

*Notariell beglaubigte Abschrift im Archiv des Domcapitels zu Frauenburg.*

## 925.

***1537. September 9. Löbau.*** *Johannes, Bischof von Culm und Administrator von Pomesanien, erneuert die Handfeste des Dorfes Grabau.*

Nos Joannes, dei gratia episcopus Culmensis et administrator episcopatus Pomezaniensis, manifestum facimus omnibus et singulis presentes literas visuris, audituris et lecturis, quod ad nostram presenciam venientes nobiles Jacobus Kikol Gardyuski et Bartholomeus de Grabaw, feudales nostri, nobis exposuerunt, privilegium, quod se super certis mansis in villa nostra Grabaw habuisse pretendebant, esset illis in conflagratione novissima civitatis nostre Lubaviensis,[1]) ubi illud tucioris loci gracia adservandum dedisse se affirmabant, pariter cum civitate exustum, nobis propterea humillime ac debita cum instancia supplicantes, ut illis de remedio providere oportuno et in libro nostro privile-

---

[1]) *Ueber diesen Brand in Löbau heisst es in einer Handschrift der Hochmeisterchronik im Kgsb. Archiv:* A° 1533 octava post Corporis Christi, die quae fuit dies Jovis ante Johannis Baptistae *(d. i. den 19. Juni)*, ecclesia Luboviensis et ex ea tota civitas una cum praetorio inter horam 11—12 exusta est. Et postea ecclesia illa A° 1534 in vigilia Nativitatis Domini per Rev. D. Johannem de Curiis, episcopum Culmensem et administratorem episcopatus Pomesaniensis, debita cum solemnitate restituta et reconciliata est. *Meckelburg, Die Königsberger Chroniken. Kgsb. 1865. 8. S. 390. Ein Trostschreiben des Bischofs Mauritius von Ermland d. d. Heilsberg 2. Juli 1533 an den Culmer Bischof über den Brand in Löbau im Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 8 fol. 6. Einen zweiten Brand in Löbau erwähnt der Chronist Johannes Freiberg a. a. O. S. 267 zum Jahre 1545:* Die Lobe ist gancz vnd gar aber auszgebrant, vur kurczen iaren auch ein mal gar auszgebrant, kam von den kerczen, die nicht gancz auszgelescht wurden in der kirchen.

giorum ad querendum committere dignaremur; si forte copia eorum privilegii inibi inveniri posset, ut eis eam ipsam privilegii copiam literis nostris et sigillo roboratam, ne in posterum damnum aliquod sentire possent, dare et concedere dignaremur. Nos eorum precibus moti, querendo reperta est in libro nostro privilegiorum copia eiusdem privilegii, que de verbo ad verbum sequitur et est talis:

I. n. d. a. Nos Otto etc. *wie oben S. 214 nr. 284.* Actum et dat. in Culmenze in domo habitacionis nostre anno nativitatis domini MCCCXLVI. in festo sancte Trinitatis. Presentibus etc.

Et quamvis predictarum literarum seu privilegii copia, per nos visa et inspecta, integra, sana et prorsus omni vicio carens inventa est, nihilominus quum multa temporis successu immutata, alienata et in alium usum conversa sint, idcirco non ipsum privilegium, ut sonat, quod in nullo nobis et successoribus nostris derogare et obesse volumus, sed in eo duntaxat (satisfacientes dictorum feudalium nostrorum peticioni), quod hactenus dicti nobiles et feudales nostri in pacifica possessione habuerunt et nunc habent, eoque huc usque usi sunt et utuntur in predicta villa nostra Grabaw, confirmamus, ratificamus, huic ipso perpetuum robur apponimus. In quorum omnium fidem et testimonium sigillum nostrum maius presentibus est subappensum. Datum in castro nostro Lubaviensi nona mensis Septembris, Anno domini Millesimo quingentesimo tricesimo septimo.

*Nach dem aus dem Original in Löbau durch Dr. M. Töppen besorgten Abdrucke in der Altpreussischen Monatsschrift B. V 659, wo bemerkt ist: Das Siegel ist nicht mehr vorhanden, sondern nur das blauseidene Band, an welchem es hing. Auf der Vorder- und Rückseite des Pergaments stehen zahlreiche spätere Approbationen der Urkunde aus den Jahren 1663 bis 1761.*

## 926.

***1537. September 20. Frauenburg.*** *Bernhard von Höfen zeigt seinem Bruder dem Bischof von Culm an, dass er als Bischof von Ermland gewählt sei.*

Dem erwirdigen in goth herren Joanse, von gotes genaden erwelthem bischoffe zw Heilsberg, meim genedigen herren bruder. — *Praes. XXI Septembris.*

Meine willighe dinste. Genediger her bruder. Alse heute ist das wirdige Capitel beyeinander geweszen vnd haben eintrechtiglich e. g. gekoren zum bischoff zu Heilsberg, welche kysunge hoth her Gyse offenberlich in der kirchen gedeclarirt vnd darnach got lob gesagt mit gesange Te deum laudamus vnd mit der grossen gloken gelauth, zw welchen ich e. g. von got dem almechtighen wunsche gluck vnd heil vnd zwr selenselikeit vnd vns zw troste Amen. Datum zwr Frawenburg am donrstage noch Crucis Anno domini 1537.

Bernhardus e. g. bruder vnd diner.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 5 fol. 21.*

## 927.

***1537. September 20. Frauenburg.*** *Tideman Gise, Domcustos von Ermland, zeigt dem Bischofe Johannes von Culm die einstimmig erfolgte Wahl zum Bischof von Ermland an.*

R$^{mo}$ domino Joanni d. gr. episcopo Culmensi et postulato Warmiensi. — *Praes. XXI Septembris.*

R$^{me}$ etc. Quod felix faustumque sit. Annuntio R$^{me}$ d. v. ipsam hac hora esse concorditer, nemine discrepante, postulatam episcopum et prelatum huius nostre ecclesie, in quo negotio totum hoc antemeridianum tempus exegimus. Res alioquin sine negotio peracta est; deo gloria et actio gratiarum. Ego pre leticia vix calamum teneo manu. De me divina misericordia faciat, quod ei placet. Sufficit hec nunc nunciasse; reliqua posthac scribam. Dubito, an ante conventum Grudentinum ad R$^{mam}$ d. v. sim venturus, scribam de hoc per fratrem d. v. R$^{me}$. Cui me asservanter commendo, ut domino et prelato meo novo et observandissimo. Varmie die XX Septembris hora XI. instructa iam mensa et dapibus illatis. 1537.

E. R$^{me}$ d. v. addictissimus servitor Tidemannus Gise, nihil dum aliud quam custos Warmiensis.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 2 fol. 63.*

## 928.

***1537. September 20. Frauenburg.*** *Tideman Gise schreibt an den Bischof Johannes von Culm über dessen Wahl für Ermland und die Besetzung des Culmer Bisthums.*

R$^{mo}$ domino Johanni d. gr. episcopo Culmensi et postulato Varmiensi ac Pomezaniensis ecclesie administratori. — *Praes. XXII Septembris.*

R$^{me}$ etc. Hodie per Jobum ad R$^{mam}$ d. v. scribens omnibus curis meis colophonem addidi. Quid enim aut letius aut optatius mihi eveniri potuit hac exaltatione R$^{me}$ d. v. in eum locum, in quo meos amantissimos prelatos semper habui! Ideoque non magis R$^{me}$ d$^{ni}$ vre. gratulor, quam mihi ipsi, cuius felicitati non parum accessisse videtur hac vestra nova dignitate, quam plus honoris accepisse constat ex R$^{ma}$ d. v. quam illi contulisse. Precorque deum, ut quod sua providentia evenire feliciter concessit, faventi etiam numine provehat et secundet. Quod ad ipsam postulationem attinet, mea cura effectum est, ut in nullo sit, existimo, erratum, nihilque, quod res poscebat, omissum. Extremum actum excepit ac illustravit dominus orator regius, qui et referet R$^{me}$ d$^{ni}$ vre. legationis sue rationem et exitum, meamque in curanda dignitate vestra sedulitatem. Gaudeo huius mihi accessisse amiciciam, hominis videlicet digni, qui a bonis omnibus ametur. Is quam recte a me habitus aut cultus sit, non iudico, nisi quod scio dignitate eius omnia fuisse inferiora. Si quid tamen dici potest pro honore R$^{me}$ d. v. actum fuisse gaudeo. In me confirmando admodum fuit studiosus. Qua in re, ut R$^{ma}$ d. v. tantum susciperet solicitu-

dinis, nil attinebat. Nam ego me divine voluntati olim commendavi, quamvis subolfacio esse adhuc ad latus regis, qui Plotovianas partes sequantur. In quibus submovendis, si quid adhuc curandum sit, in vre. R^me^ d. opera et auctoritate, ut recumbam, necesse est, nam ego apud purpuratos istos sorex sum. Sed quantum video, nec illis meis emulis multum restat spei, quod ex cubiculario hoc scitari R^ma^ d. poterit. Summa mei negocii in hoc iam consistit, ut M^tas^ R. iam me summo pontifici tamquam ad certo vacaturam ecclesiam Culmensem presentet et nominet, providerique mihi petat. Quarum litterarum exempla a me pridem edita diu iam misit d. v. R^ma^ ad R^mum^ d. nominatum Cracoviensem, nisi quod propter subsecutam vacationem ecclesie Varmiensis et vestri postulationem narratio facti certius est tamquam in presenti casu facienda. In ipsis literis addita quoque erat intercessio pro retentione beneficiorum nostrorum aut illos resignandi facultate, que, ne omittantur, plurimum refert. Petenda sunt alia quoque a pontifice, commendante Regia M^te^, de quibus nunc non vacat scribere. Volebam de his coram cum R^ma^ d. v. conferre, antequam proficisceretur in conventum, sed vix id eveniet, aliis hic retento, et opinor rem in reditum R^me^ d. v. differendam, quum plus erit otii et temporis. Si ergo quarta feria istuc non advenero, certa sit R^ma^ d. v. me expectaturum vocationem eius, que tamen interim dignabitur scribere ad R^mum^ d. Cracoviensem et etiam in urbem, ut de vacatione certus sit procurator noster, remque instruat, accepturus brevi decretum postulationis cum literis presentationis mee et aliis commendaticiis. Mihi hic curabitur, ut scribatur, decretum postulationis, et concipiantur mandatorum et aliorum necessariorum formule. Sunt qui consulant, ut Capitulum Culmense acceptis literis M^tis^ regie, que apud me sunt, vel eligant me vel nominationi regie celebrato actu solemni consentiant; quod si vestre quoque R^me^ d^ni^ videbatur consultum, dignetur cum dominis canonicis hac de re agere, quorum si intellexero sententiam huc accedere, conficiam formam literarum et illuc mittam cum instructione. Scriberem plura, si vacaret curandis hospitibus intento. R^ma^ d. v. que feliciter valeat, me gratia sua et amore amplecti dignetur. Frauenburg die XX Septembris vesperi 1537.

R^me^ d. v. servitor addictus Tid. Gise.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 2 fol. 64.*

## 929.

***1537. September 21. Frauenburg.*** *Tideman Gise an den Bischof Johannes von Culm über die Besetzung des Culmer Bisthums.*

R^mo^ domino Joanni d. gr. episcopo Culmensi et postulato Varmiensi. Ad manus proprias. — *Praes. XXII Septembris.*

R^me^ etc. Heri mihi ad R^mam^ d. v. scribenti non venit in mentem, quod erat in rem nostram precipuum, sive animo in novam leticiam laxiore, sive hospitalitatis intenta cura.

Novit R$^{ma}$ d. v. huc iam pervenisse negocia nostra, ut ad summum pontificem pro R$^{ma}$ d. v. litere commendaticie simplices, pro me vero litere presentationis seu nominationis a R. M$^{te}$ sint dande; que antequam sint obtente, non potest mea causa in tuto constituta haberi, et sunt permulta, que hic sint formidanda. Has literas R$^{mus}$ d. nominatus Cracoviensis, arbitror, hic non mittet, nec cuiquam dabit, nisi postulatus denuo operam et presente officiorum stipendio. Ideo necessarium mihi videtur, ut nuncius propterea specialis Cracoviam mittatur, qui redemptas has literas vel huc perferat vel Cracovie penes aliquem deponat, allato huc illarum exemplo, quamquam tutius forte erit huc afferri, ut nuncio Romam recta ituro tradantur. Rogo igitur plurimum R$^{mam}$ d. v. si non ob suarum rerum cautionem, saltem ob meam causam stabiliendam, non gravetur nuncium ad R$^{mum}$ d. Cracoviensem, iam a S. R. M$^{te}$ mandata habentem, pro his ipsis literis quam primum mittere, atque efficere, ut que ad eas res necessaria fuerint impendantur. Ego sumptum omnem, qui ad me pertinebit, gratissime refundam. Non dubito R$^{ma}$ d. v. hanc pro me curam non gravatim obibit. Miror admodum, ipsum dominum nominatum Cracoviensem domino Nybschitz de meo negotio etiam iussu M$^{tis}$ Reginalis interroganti nihil respondisse neque significasse quippiam. Si videbitur etiam petendum a R. M$^{te}$, ut apud papam intercedat pro gratia aliqua in expeditionibus istis impertienda, erit ex iudicio R$^{me}$ d. v., cui me unice commendo. Varmie die XXI Septembris 1537.

E. R$^{me}$ d. v. deditissimus servitor Tid[emanus] G[ise] custos.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 2 fol. 65.*

## 930.

***1537. September 22. Löbau.*** *Joannes, Colmischer Bischoff, Administrator zu Pomesan und Postulirter zu Ermeland, zeigt dem Rathe von Danzig an, dass er „mit eintrechtiger Kur“ des würdigen Capitels zu Ermelandt am nächstvergangenen Donnerstage zum Bischof daselbst postulirt sei, und an seine Stelle vom Könige Tidemann Gise ernannt sei.* Dat. aus vnserm Slos Lobaw den XXII Septembris MDXXXVII.

*Original auf Papier mit Siegel im Danziger Stadtarchiv.*

## 931.

***1537. November 6. Frauenburg.*** *Das Domcapitel von Ermland überschickt dem Bischof Johannes von Culm das päpstliche Breve, welches ihm die Besitznahme des ermländischen Bisthums noch vor seiner Bestätigung erlaubt.*

R$^{mo}$ . . . . . d. Joanni d. gr. episcopo Culmensi et postulato Warmiensi ac administratori Pomesaniensi etc. — *Praes. IX Novembris.*

R$^{me}$ etc. Hodie nobis medio R$^{mi}$ domini Electi Culmensis et Custodis Warmiensis reddite sunt his adiuncte litere brevis s$^{mi}$ d. n. Pape, que nobis fuerunt profecto iucundissime. Congratulamur ob id R$^{me}$ d. v., quod liceat eidem, non expectata confirmatione

postulationis, possessionem bonorum ecclesie apprehendere; rogantes eandem, ut reiecta mora se ad profectionem in Heilsberg accingere, nosque quamprimum de profectionis sue tempore et instituto certiores reddere dignetur, ut eo nuncios nostros mature ablegare et Rmam d. v. excipere curemus. Alia, si que erunt per eosdem nuncios nostros intimare, curabimus Rme d. v., cui ex animo omnem prosperitatem et felicitatem precamur, nosque interea humiliter commendamus. Ex Frawenburg VI Novembris M. D. XXXVII.

E R. d. v.

obsequentissimi Prelati, Canonici et Capitulum Warmien.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 122 fol. 11.*

## 932.

***1537. November 20. Culm.*** *Katharina, Aebtissin des Jungfrauenklosters in Culm, bittet den Bischof Johannes von Culm, die dem Kloster und seinen Gütern gewährte Abgabenfreiheit auch für die bevorstehenden Accise aufrecht erhalten zu lassen.*

Dem hochwirdigisten in Got fursten vnde herren hern Joanni von gotisgnoden Bischoff der kirchen Colmensehe vnde Administratori des Bischthumes zcu Pomezan, des Bischthumes zcu Ermelandt auszerwelten herren, vnszerm allergnedigisten herren. —

*Praes. XXIIII Novembris.*

Hochwirdigister g. furste vnde herre. Wir seint worden vorstendiget, wie das nue kortczlich vff Andree die konigliche zceyse angehen szall, von welcher nymand, her szey geistlich ader wertlich, die abzculegen vnderlaessen szol werden. Szo wollen wir Ewer f. g. alze vnserm gnedigisten herrn nicht bergen, das vns durch vorbethe Ko. Maiestet v. a. g. herrn der lande Prewszen hochwirdigen rethe ethwan bey erer Ko Mat eyne begnodigunge vnde freyheit szogethoner zceyse, wie die moge genant vnde angesaczt werden gnediglich erlanget, alze diesze eingeschlossene copia, die wir Ewer f. g. demutiglich thun zcusenden, mittebrenget. Bittende hochlichen vnde gantcz demuttiglichen Ewer f. g. alsze vnsern gnedigisten herrn die selbige gutlich entpfangen vnde noch gnediger vorlesunge, innehaltcz seiner Ko" Mat begnodigunghe vnsze bey sulcher freyheit, durch E. f. g. hulfflichen beschirmunge bey Kor Mat auserkornen pobortczen ader wo dys von nothen gnediglich alsze v. g. herre schützczen vnde hanthaben, domit wir vormittelst E. f. g. hulffe mochten do bey bleiben vnde gelaeszen werden etc. Gegeben im Jungfrawen Closter zcum Culmen, den XX. tagk Novembris im XVc vnde XXXVIIsten Jore.

Ewer f. g. demutighen

Katharina Abbatissa mit sampt gantczen Convent des Jungfrawen Closters zcum Culmen.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 5 fol. 58.*

## 933.

***1537. November 23. Löbau.*** *Johannes, Bischof von Culm und Administrator von Pomesanien etc., bestätigt die Handfeste des Dorfes Dembyenye, vom Bischof Otto am 14. April 1335 gegeben.*

Nos Joannes dei gracia Episcopus Culmensis, Administrator Pomezaniensis et ad ecclesiam Varmiensem Postulatus, manifestum facimus tenore presencium, quibus expedit universis, quod ad nostram presenciam veniens honestus Jacobus Straschewski, feudalis noster de Dembyenye, suo aliorumque feudalium nostrorum videlicet Felicis, Jacobi, Dominici, Luce, Alberti Dembenyskye nomine nobis exposuit, quomodo privilegium, quod super triginta mansos bonorum Dembyenye a predecessoribus nostris eorum predecessoribus datos habuerunt, esset hoc presente anno ipso die magno Veneris ex divine maiestatis, cuius iudicium abyssus, multa permissione pariter cum ipsius domo, ubi illud servabat, exustum, nobis propterea humillime suo aliorumque predictorum feudalium nostrorum nomine supplicavit, ut illis de remedio provide opportuno et in libro nostro privilegiorum ad querendum committere, si forte copia privilegii ipsorum inibi inveniri posset, ut eis eam ipsam privilegii copiam literis nostris et sigillo roboratam, ne in posterum damnum aliquod sentire possent, dare et concedere dignaremur. Querendo ergo reperta est copia eiusmodi privilegii, que de verbo ad verbum sequitur et est talis.

> Otto, divina et a. s. providencia Culmensis ecclesie episcopus etc. *wie oben Seite 186 nr. 247.* Act. et dat. in curia nostra Culmensee a. d. M° CCC° XXXV° ipso die Parasceues, anno XII nostri presulatus etc.

Nos itaque iustis supplicacionibus predicti honesti Jacobi Straschewski feudalis nostri suo aliorumque predictorum feudalium nostrorum nomine factis benigne annuentes, preinsertas literas seu privilegium in omnibus eius punctis, clausulis, articulis et condicionibus et toto eius tenore approbavimus, ratificavimus et confirmavimus prout approbamus, ratificamus et confirmamus, ipsique robur firmum et validum obtinere decernimus tenore presencium mediante harum, quibus sigillum nostrum maius est subappensum testimonio literarum. Actum et datum in castro nostro Lubauiensi, feria sexta ante festum sancte Catherine, Anno domini M°. D°. XXXVII°. Presentibus nobili domino Georgio de Curiis alias Flachsbinder fratre nostro et venerabili ac honorabilibus dominis Balthasare a Lublyn canonico Culmensi et cancellario nostro, Valentino plebano Lubauiensi, Jacobo Szebawski sacellano nostro et nobilibus Gregorio Czyrlynski burgrabio Lubauiensi, Paulo Coss marschalco curie nostre et aliis plerisque fide dignis testibus ad premissa.

*Original auf Pergament im Culmer Diöc.-Archiv. Siegel ist abgefallen. Auf der Rückseite stehen die Revisions- und Approbations-Vermerke von mehreren Culmer Bischöfen.*

## 934.

***[1537.] November 28. Löbau.*** „Johannes de Curiis Dantiscus, dei gratia episcopus Culmensis et Administrator episcopatus Pomesaniensis et ad ecclesiam Varmiensem Postulatus", *erneuert*

*dem Schulzen des Dorfes Mysliwies sein Privilegium.* Datum in castro nostro Lubaviensi feria quarta ante festum s. Andree Apostoli, Anno domini M° D° XXX° . . . . presentibus — — Georgio de Curiis alias Flachsbinder fratre nostro, et — — d. Balthasare a Lublin canonico Culmensi et cancellario nostro, Valentino — parrocho Lubaviensi. — — Gregorio Czirlinski burgrabio nostro Lubaviensi, Paulo Coss marschalco curie nostre.

*Original auf Pergament mit dem Siegel des Bischofs Johannes von Culm im Culmer Diöc.-Archiv. Wegen Unleserlichkeit der Schrift wurde es nach einem Vermerk auf der Rückseite von Johannes Zamoyski am 29. November 1645 dem Gericht zu Kowalewo abgeliefert.*

## 935.

***1537. December 18. Culmsee.*** *Das Domcapitel zu Culmsee drückt seinem Bischofe den Dank aus für die Genehmigung zur Annahme der Hinterlassenschaft Alberts, ehemaligem Verwalters des Domcapitels in Kauernik.*

R$^{mo}$ domino Johanni d. g. episcopo Culmensi et administratori Warmiensi et Pomezaniensi. — *Praes. II Januarii.*

R$^{me}$ etc. Gratias immensas ac immortales habemus R$^{me}$ p. vre. pro eo, quod ex sua clemencia racionem bonam habendo ecclesie sue in Culmenze illa residua bona, per dominum Albertum noviter in domino defunctum relicta, cuius anima in celesti curia in perpetuum vivat, qui certo tempore bonis capituli prefuit in Kawrnick ibique omnem suam substanciam pecie congessit et aquisivit, pro curia capituli sui relinquere dignata est, ne curia illa omnibus suis necessariis post bella proxima habita non modica capituli impensa conquesitis omnino destituta maneret, illa tamen conditione adiecta, quod exequie prefato domino Alberto defuncto omni anno modo solito et ex consuetudine aliorum anniversariorum peragantur. Quam conditionem nos gratissimo acceptamus animo, desiderio R$^{me}$ p. vre. et illius saluti obsequendo, utque illa . . . relicta bona integra pro usu dicte curie permaneat, dignetur R. p. vra. demandare. Oramus obnixe, ut eadem curia tanto meliorem provisionem habeat pro honore ecclesie sancte et individue trinitatis, prime sponse R. p. vre., et commodo capituli, eandemque R$^{mam}$ p. vram. clemencie divine in perpetuum felicissime conservandam committimus, et nos sue gratie singulari commendamus. Datum in Culmenze proxima tercia feria ante diem sancti Thome apostoli Anno domini etc. XXXVII°.

E. R. p. vre. humiles Cappellani et Servitores

Capitulum ecclesie Culmensis.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 5 fol. 63.*

## 936.

***1537. December 25. Frauenburg.*** *Tideman Giese schreibt Johannes, dem Bischofe von Ermland, über die Gründe, weshalb er nicht den Plan ausgeführt ihn zu besuchen, und seine Reiseentwürfe.*

R$^{mo}$ domino Joanni d. gr. episcopo Culmensis et postulato Varmiensi. —

*Praes. XXVII Decembris.*

R$^{me}$ in Christo pater etc. Studiorum meorum obsequentissimorum commendationem et faustum natalem domini servatoris nostri. Litteras R$^{me}$ d. v. unas mihi venerabilis dominus Cantor[1]) reddidit, alteras ex Allenstein hodie accepi. Jucundum fuit omnia pro instituto nostro evenisse fratri R$^{me}$ d. v. Bernardo, nec video, quid cure amplius mihi sumendum sit, quam ut de referenda gratia pro ista R$^{me}$ d$^{nis}$ vestre diligentia cogitem. In quo non intermorietur officium meum. Erant cause, que R$^{mam}$ d. v. per hoc iter iniuncte visitationis invisere statuissem, sed quum he non sint tanti, quin differri possint aut etiam negligi, locum dedi aliis racionibus, que diversum suadebant, quandoquidem propter temporis angustiam id non permittebatur hinc progredienti; minus id licere video illac regresso, nam audio R$^{main}$ d. v. proxima hebdomade reverti Lobaviam, tum quod collegam mecum duco dominum Alexandrum, et scio non admodum vacare R$^{me}$ d$^{ni}$ vre. in hac reifamiliaris instauratione. Itaque non velim nunc molestus illi esse. Erat animus dominica proxima in Gutstat pernoctare, sed absterruit me dominus Achatius, significans locum peste infectum esse, quare si non formidarem audaculi nomen, nocte illa in predium Smolein diverterem. Id si mihi permittere dignabitur R$^{ma}$ d. v., faciet rem mihi gratissimam, si pridie eius diei de hoc me fecerit in Melsac certiorem, nam commoda alibi nulla est diversatio. Dominus Cantor, a quo die huc advenit, non est edes suas egressus, qua re factum est, ut non potuerit in capitulo referre, que a R$^{ma}$ d. v. habet in mandatis, quorum cum intelligant domini esse quedam non parvi momenti, que tamen reiici in aliud tempus sine periculo possint, rogant, R$^{ma}$ d. v. egre non ferat responsionis aliquantulam moram, dum pro rei dignitate tractari negocia illa possint. Dominus prepositus[2]) noster rogavit me, ut se commendarem R$^{me}$ d. v. quo diligentius apud M$^{tem}$ R. pro ipso citato intercedat. Id facio, ut de me est meritus; facerem autem diligentius, nisi audirem eum impendio certare pro his, qui nunc illius (!) M$^{ti}$ adversantur, et acerbum faciunt negocium, ut parum sit non servate fidei crimen tam sancto principi obtendere. Sed miseret me hominis merore evecti et satius esset coram de his, nam multa me cogitare hoc litigium facit. Ago gratias ingentes pro participatu rerum novarum ex aula; hinc quod communicem, nihil habeo. Remitto omnia ad me missa, cupiens diuturnam valere R$^{mam}$ d. v., cuius favori et benevolentie me deditissime commendo. Apud Varmiam die natali domini nostri ingrediente anno 1538.

Eiusdem R$^{me}$ d. deditissimus servitor Tid. Gise, designatus Culmensis.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 2 fol. 103.*

---

[1]) *Johannes Tymmermann Cantor 1527—1539.* [2]) *Paul Plotowski Propst 1519—1547.*

## 937.

***1538. Januar 8. Culmsee.*** *Martinus Czema, Domherr von Culm, bittet seinen Bischof, ihn von dem Amte eines Generalvikars, dem er durch 34 Jahre vorgestanden, zu entbinden.*

R$^{mo}$ domino Johanni d. gr. episcopo Culmensi et postulato Warmiensi ac administratori Pomezaniensi. — *Praesentatum XVII Januarii.*

R$^{me}$ etc. Dignetur ex sua singulari clemencia, me miserum, iam senio gravatum et viribus pene destitutum, qui iam in hoc extremo vite sue termino quieciorem vitam in sue anime salutem habere summe exopto, ab hoc gravi et molestissimo officio vicariatus sub suo istius episcopatus regimine gratiose absolvere et exonerare, ut dominus meus benignissimus. Fui enim, R$^{me}$ domine, in eo officio trium R$^{morum}$ dominorum episcoporum Culmensium per XXXIIII annorum decursum vicarius, et gravi officio occupatus et oneratus; iam tandem respirare cupio; non libenter velim a quarto R$^{mo}$ domino in eo officio inveniri. Itaque iterum atque iterum humillime oro, me ab eodem officio R$^{ma}$ p. vra. ex sua singulari gratia et pietate absolvere dignetur, alteri juniori magis idoneo hoc onus imponendo, habitura R$^{ma}$ p. vra. pro eo a misericordia divina perpetuum mercedem meque pro ea consequenda in mea licet indigna oratione precatorem. Cum hiis R. p. vram. felicissime in longissimum evum conservandam divine clemencie committo. Datum in Culmenze tercia feria infra octavas Epiphaniarum anno domini etc. XXXVIII°.

Eiusdem R$^{mr}$ p. vre. humilis servitor

Martinus Czheme, canonicus Culmensis.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 5 fol. 67.*

## 938.

***1538. Januar 8. Culmsee.*** *Das Domcapitel von Culm sendet den Domherrn Vincentius (Kerger) an seinen Bischof zur näheren Besprechung über den Nachlass Alberts.*

R$^{me}$ etc. Cum R$^{ma}$ paternitas vestra, prout ex litteris venerabilis domini cancellarii confratris nostri intelleximus, unum ex nobis de gremio sui capituli ad se optat mitti cum plenaria facultate ob certos tractatus de anniversario et rebus relictis honorabilis domini Alberti in domino defuncti habendos: Itaque mittimus v. d. Vincencium canonicum, confratrem nostrum, viribus validiorem pro hoc itinere, et negocium perficiendi cum plenaria facultate. Et R. p. vram., ut clementissimum dominum nostrum, oramus obnixe eidem plenariam fidem in omnibus, quecunque in hoc negocio nomine capituli coram retulerit, habere dignetur. Cum hiis etc. Datum in Culmenze tercia feria infra octavas Epiphaniarum anno domini etc. XXXVIII.

Eiusdem R$^{mi}$ p. vre. humiles cappelani et servitores

Capitulum ecclesie Culmensis.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 5 fol. 68.*

## 939.

***1538. Januar 11. Rom.*** *Papst Paulus III. bestätigt die Wahl des Bischofs Johannes Dantiscus von Culm zum Bischof von Ermland und versetzt ihn an die durch den Tod des Bischofs Mauritius vacante ermländische Kirche.* Romae apud sanctum Petrum die Veneris XI. Januarii MDXXXVIII.

*Aus dem Kanzleiregister der Consistorialdecrete Pauls III. fol. 51 in den Jura rev. Capituli Varmiensis nr. 8 A.*

## 940.

***1538. Februar 22. Culmsee.*** *Martin Czema, Domherr von Culmsee, überschickt dem Kanzler Baltasar von Lublin die Schenkungsurkunde für das Culmseer Hospital.*

Venerabili et prestantissimo viro domino Baltaszar a Lublyn, nostri R$^{mi}$ domini domini presulis cancellario et canonico Culmensi.

Venerabilis domine! Mittimus R$^{mo}$ domino nostro literas sub sigillo Capituli super centum marcas pro hospitali Culmensensi legatas in elemosinam pauperum. Deus omnipotens, cunctarum misericordiarum dominus, condignam in futuro seculo reddet retribucionem. Quod non tempestive sunt desuper litere inscriptionis capituli sue R$^{me}$ paternitati misse, nil aliud fuit in causa, nisi quod pargamenum, nec Thoronie habere potuimus et istam cartulam pargameni ex libro excindere coacti sumus. Obsecramus R$^{mam}$ p. suam, nobis non dignetur imputare, sed sua solita gratia usque in finem prosequi dignetur. Et commendatos habere velit sue R$^{me}$ p. per literas suas vestra v. d$^{cio}$, et pecunias illas per aliquem fidelem opportunum nuncium vel in sua persona, si licite fieri potuerit, capitulo ad censum dandas pro usu pauperum presentare velit. Quod in meis litteris novissime R$^{me}$ p. sue missis nullam mencionem fecerim. quia absque dilatione aliqua pergameno habito easdem mittere voluimus. Nec speravimus a deo in ea causa accelarandum fore, nec ita repentinum fore sue R$^{me}$ paternitatis ex Lobow recessum. Cum hiis v. v. d$^{onem}$ felicissime et diutissime valere exopto. Et me unice commendo. Datum in Culmenze eo die, quo v. vre. literas accepi. Cathedra apostoli sancti Petri anno domini etc. XXXVIII$^{o}$.

Eiusdem v. vre. deditissimus

Martinus Czhema, canonicus Culmensis.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 68 fol. 183.*

## 941.

***1538. Februar 23. Frauenburg.*** *Tideman Gise bittet den Bischof Johannes um Mittheilung, was er zu seiner neuen Einrichtung nöthig habe.*

R$^{mo}$ . . . . domino Joanni d. gr. Epo. Culmensi ac postulato Varmiensi etc.

*Praes. XXV Februarii.*

R$^{me}$ etc. Cum intellexissem R$^{mam}$ d. v. feliciter Heilsbergum rediisse nec ullas ego literas ab ea acciperem, cepi subvereri, ne quis casus, quem ego coniectare nequeo,

illius animum a me alienasset, incessitque me maior cura rerum mearum (quandoquidem expeditionum nostrarum nuncium, quod e Roma expectamus, diu nos iam morari non potest), ne mihi ad locum destinatum venienti aliquid ad rem familiarem desit, quod ante a me curatum oportuit, egoque cogar negligentie mee dare penam. Hac in re, quid mihi novo patrifamilias conducat aut provisu sit necessarium, quoniam nemo dne vra. Rma melius certiusque admonere me potest, rogo non gravetur id pro suo in me amore facere, presertim de his, que ad penum domesticamque familiam ac officiales pertinent, quod antea quoque me a Rma d. v. rogasse memini, et certe opere precium est mature de his esse solicitum. Ubi a Rma d. v. edoctus fuero, mittam illuc famulum, qui ex usu omnia curet et me de reliquis curandis reddat certiorem, modo ne sit molestum Rme dni vre. premonere me de omnibus et rerum bene instituendarum ostendere viam, quod studiis meis et omni obsequio pensabo. De his, que in comitiis Petrocoviensibus geruntur, si quid certi habet Rma d. v., rogo me faciat participem. Doleo amicum nostrum dominum Nybschitz abesse a curia, presertim si Rmus dominus Episcopus Cracoviensis legationem suam iam obiit; nam his absentibus, quam recte rebus, que pro me illic curande restant, prospectum erit, nescio et subtimeo, ne hec sit nuncii nostri remora. Si verum est, quod vulgo fertur, dominum Lucam de Gorka designatum esse episcopum Coiaviensem, est quod totus ordo ecclesiasticus gaudeat, cui nihil potest hoc tempore ad tutelam evenire conducibilius, quam ut viri summates et prepotentes ecclesiarum sint presides. Cupio, ut Rma d. v. felix diuturnumque valeat, cuius me syncero amori et favori quam diligentissime commendo. Fraueburgi die XXIII Februarii 1538

Rme d. v. addictissimus Tidemanus G[ise].

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 2 fol. 81.*

## 942.

***1538. Februar 26. Löbau.*** *Baltasar von Lublin schreibt an den Bischof Johannes über Verwaltungssachen.*

Rmo domino Joanni d. gr. episcopo Culmensi, administratori Pomesaniensi et ad episcopatum Varmiensem postulato — *Praes. 1. Martii.*

Heri a venerabili Capitulo Culmensi litteras super centum marcis pro hospitali in Colmense per R. p. vram. graciose datis accepi. Quas una cum litteris venerabilis domini Martini canonici Culmensis ad me scriptis, ex quibus sane p. v. Rma tardiuscule missionis litterarum intelliget excusacionem, quam, peto humillime, pro sua innata pietate p. v. Rma benigne admittat, cum quadam tabella ac litteris paternitati v. Rme adscriptis mitto. Nolo eciam cum ea, qua summa possum reverencia, ptem v. R. latere, quod regesta annonarum presentis anni districtus Redensis mihi sunt missa per honorabilem dominum parochum de Reden. Qui scribit, nobilem dominum Felicem de Alten, quum de solucione

annonarum per eum esset requisitus dixisse, p$^{tem}$ v. R. ei annonas, cum per ipsum tum per eius subditos solvi solitas, hoc anno dono dedisse; insuper certos esse nobiles, qui negligerent vel certe nollent annonas solvere. Unde magnifico domino palatino Culmensi scripsi, rogando nomine p$^{tis}$ v. R. eius magnificenciam, ut pro debito et officio suo iuxta mandatum S. M$^{tis}$ Regie omnes illos nobiles, quos dominus parrochus Redensis illi duxerit nominandos, ad solucionem annonarum compelleret. Quid deinceps in hoc tum eciam cum nobili domino Felice de Alten faciendum erit, dignetur me p$^{tas}$ v. R. pro sua clemencia non gravate informare. Quod reliquum est, ego me humillimaque obsequia iterum atque iterum p$^{ti}$ v. R. domino meo clementissimo commendo, utque mancipii sui interdum non obliviscatur, instantissime rogo. etc. Datum in castro paternitatis v. R$^{me}$ Lubaviensi XXVI Februarii anno domini M°. D°. XXXVIII.

Eiusdem p$^{ti}$ vre. R$^{me}$ obsequentissimus servitor Baltasar a Lublin.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 5 fol. 139. Von demselben Datum finden sich a. a. O. fol. 136—138 noch drei Briefe, nämlich: 1. von demselben. „Nach Siegelung der Briefe sei des Bischofs Neffe Simon, welcher die Fischerei beaufsichtigt, gekommen und habe ihn um 120 Mark gebeten, sei aber davon abgestanden, als er hörte, dass die Briefe schon dem Boten übergegeben wären"; 2. von Valentin, Pfarrer von Löbau, der um Mittheilung bittet, ob das Getreide verkauft oder für den Nachfolger aufbewahrt werden solle; 3. von Jacobus Dittrichsdorff, capellanus domesticus Lubariensis, der für die erhaltenen Wohlthaten dankt und um die vor der Burg lagernden Eichen und Hölzer zur Fortsetzung seines Hausbaues bittet.*

## 943.

***1538. März 23. Frauenburg.*** *Tideman Gise giebt dem Bischof Johannes Nachricht von ihrer beider Bestätigung.*

R$^{mo}$ domino Joanni d. gr. episcopo Varmiensi. Ad manus proprias. — *Praes. XXIIII Marcii.*

R$^{me}$ etc. Hac ferme hora reddite sunt mihi in fasciculo ex Gedano huc misso littere ex urbe, quas presentibus indidi, que gratum mihi nuncium attulerunt, R$^{mam}$ d. vestram mihi et huic ecclesie esse confirmatum episcopum, quandoquidem illius ego etiamnum maneo canonicus. Id quod felix faustum diuturnumque ut sit. deum precor. De mea evecta conditione est, quod deo gratias agam. Sed video etiam esse quam plurima, que mihi ab illo precanda sint, ne succumbam imposito oneri. Mitto et ad me datas litteras, ut cognoscat R$^{ma}$ d. v., quam parum recte evenerit, quod de annatarum gratia prope habuimus certum. Nescio, cur horum nihil ex Cracovia ad R$^{mam}$ d. v. scriptum fuerit, et certe mirum, si vana spe letati sumus. Nam prope adducor, ut credam Cardinalem pressisse omnia, que in rem illam erant detruncatura aliquid avaricie ipsius. Sed ferendum est mihi, quod olim R$^{me}$ d$^{ni}$ vre., neque enim illa sum aut melior aut fortunatior. Nuncius sine dubio paulo mox subsequetur cum diplomatibus, sine quibus R$^{mam}$ d. vram. puto posse huc accedere et episcopalia exercere; de quo quid constituet, me faciat rogo certiorem. Mundi huius hec est sors, ut nihil adveniat tam iucundum, quod non sit calamitate aliqua permistum. Ecce hac ipsa hora scribitur mihi ex Gedano, illius civitatis

monete prefectum Petrocovia advenisse ac referri R$^{mum}$ dominum episcopum Cracoviensem secunda feria[1]) post Invocavit vita excessisse, ac sexta feria post sere$^{mam}$ regiam M$^{tem}$ sanam quidem, sed merore plenam, Petrocovia solvisse. Ita regnum illud clarissimo ac necessario viro et nos patrono optimo orbati sumus. Non dubito illum magis invidia quorundam quam morbo aut fato peremptum. Deus tanti flagicii sit ultor. Iam videat R$^{ma}$ d. v., quem alium iam nobis accersat et devinciat, cuius fidei et autoritati tute ac feliciter queamus nostra committere. Mihi tanti viri occasus plurimum certe dolet. Litteras ad me datas R$^{ma}$ d. v. remittat. Cui me domino et patri sedule commendo, optans illi valetudinem prosperam et longevam. Apud Varmiam sabbato 23 Martii 1538.

Eiusdem R$^{me}$ d. v.

addictissimus servitor et confirmatus successor Tidemannus G[ise].

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 2 fol. 86.*

## 944.

***1538. März 24. Frauenburg.*** *Der Domherr Felix Reich zeigt dem Bischofe Johannes an, dass er Nachricht von seiner Bestätigung als Bischof von Ermland erhalten habe.*

R$^{mo}$ domino Johanni d. gr. episcopo Warmiensi et administratori Pomesaniensi. —

*Praes. XXVIII Marcii.*

R$^{me}$ etc. Litteras R$^{me}$ d$^{nis}$ v. plenas paterne in me benevolentie nudiustercius accepi. Interim adferebantur ille ex urbe, que de admissa postulatione R$^{me}$ d. v. et obtenta confirmatione R$^{mi}$ d. electi Culmensis nos reddidere certiores. Quo fit, ut iam non sit opus d. vram. R$^{mam}$ de consecratione chrysmatis sollicitam esse, quod deinceps non vocetur in dubium, quin id et alia R$^{me}$ d. v. obire hic liceat episcopalia munera, eciam litteris ex urbe nondum acceptis, propterea quod certum sit res ipsas esse confectas, quamvis et litteras interius venturas nihil dubitem. Proinde ex animo gratulor R$^{me}$ d. v. hanc fortunarum accessionem. Mihi vero nunc primum beatus esse videor nempe talem nactus presulem, qui idem mihi futurus sit et pientissimus pater, quem, ut mihi Christus diu servet incolumem, precor. Vaticinium Ione remitto. Ceterum R$^{mus}$ d$^{nus}$ Culmensis per obtentam confirmationem a munere vicariatus exanthonatum se censet. D. autem vra. R$^{ma}$ tunc primum eo me oneraverat, cum paternitas eius R$^{ma}$ hinc esset migratura; unde fit, ut neuter nostrum id oneris legittime ferre possit, nisi R$^{ma}$ d$^{ne}$ v. hoc denuo cuipiam deferente. Cui me cum obsequiis meis devotissime commendo. Ex Frauenburgo 24 Marcii Anno 1538.

Eiusdem R$^{me}$ d. v. sedulus servitor Felix Reich.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 5 fol. 145.*

---

[1]) *D. i. den 11. März † Johannes Chojeński, Bischof von Krakau.*

## 945.

***1538. März 30. Frauenburg.*** *Tideman Gise, Elect von Culm, schreibt dem Bischof Johannes von Ermland über die Besitzergreifung, die Theilnahme am Landtage, den Titel Administrator Pomesaniae u. a.*

R$^{mo}$ domino Joanni d. gr. Episcopo Warmiensi. —

*(Per manum Johannis episcopi:) In egritudine.*

R$^{me}$ etc. Quod R$^{ma}$ d. v. consultationem de ineunda a me administratione in mutuum colloquium nostrum rejicit atque ita iudicat ad paschalem usque celebritatem hic mihi manendum esse, satis quidem ex animi mei sententia cedit, neque moror litteras Romanas aut regias, quibus hinc me alio conjiciam. Verum ut nuper scripsi, urget me instans comitiorum dies, si ad ea proficiscendum mihi fuerit. Nam ad hanc profectionem, que necessaria sunt, uti hic parari possint, non video, aut si etiam possent, que sint, scire hic nequeo. Sin Lubaviam res differenda est eoque exactis festis hinc abeundum, vix ante explicari poterunt sarcine, quam sint ad alterum iter recolligende, et restabunt illic paranda non pauca, familia vestienda, curie constituendus ordo, et ut audio, tota pene res vehicularis instauranda. Ad hec tempus admodum est contractum. Que res magnam difficultatem aut etiam impossibilitatem affert ad conventum illum ituro. Esset certe hec tardissime advenientium litterarum causa sufficiens, ut hac saltem vice ab hoc profectionis onere liberarer. Quod ulla ratione efficere si R$^{ma}$ d. v. potest, rogo plurimum ad id pro sua in me solita benevolentia contendat, mihique commodet istam bene instituende rei familiaris opportunitatem. Omnes spero boni consulent hanc meam novicii ab hoc ordine absentiam, cum alioqui verecunde ineundus sit magistratus, et honores deferri conveniat, non captari. Profecto temere me in hunc consiliariorum asseruero ordinem, iniussu M$^{tis}$ R., quare, si regie litere non advenerint, abstinendum omnino mihi erit ab hoc cetu, etiam si alias sim paratus. Expecto in hac re consilium et voluntatem d. v. R$^{me}$, cui in omnibus, que possibilia sunt, obtemperabo. — Quod R$^{ma}$ d. v. titulum administrationis Pomesaniensis refutat, nescio an iure faciat, utpote usu confirmata. Ego quo iure illum feram aut mihi vendicem, non intelligo, nondum edoctus de pontificia dispositione, sine qua rem tantam occupare non est mihi integrum. Rogo igitur non gravetur R$^{ma}$ d. v. per suos in aula regia inquirere ac ediscere, num qua facultas administrande illius desolate partis dioceseos sit a summo pontifice pro episcopo Culmensi impetrata, cuius referet videre exemplum. Sin tale nihil habetur, certe nulla ratio est, qua ipse me faciam tam onerose potestatis authorem. — Ago gratias, quod R$^{ma}$ d. v. dominum Felicem, hominem non alium, quam qualem verissime ipsa predicat, me instigatore, Vicarium episcopalem prefecerit. De Custodie dignitate huic conferenda iam agam cum domino Cantore, nisi aliud iusserit R$^{ma}$ d. v. per hunc meum puerum, cuius reditum hac in re expectabo. In collatione istius vicariatus preter mandatum conferentis aliis ceremoniis opus non est; de facultate autem illius et iurisdictione, quam lata esse debeat, cum eo postea R$^{ma}$ d. v.

conferet. Num scripserit R^ma^ d. v. ad R. M^tem^ et literas Capituli miserit in causa domini prepositi, cupio scire. Remitto illius schedam, vere exprimentem hominis ingenium, quod utinam paulo esset cordatius nec tam fideret sibi quam facit. Vre. R^me^ d^ni^, quam deus felicem et per omnia incolumem servet, deditissime me commendo. Apud Varmiam penultima die Martii 1538.

Eiusdem R^me^ d. v. obsequentissimus Tid[emannus], electus Culmensis.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 2 fol. 89.*

## 946.

***1538. April 23. Rom.*** *Der römische Geschäftsträger Theoderich von Rheden berichtet dem Bischof Johannes von Ermland über seine und des Culmischen Bischofs Tideman Gise erfolgte Bestätigung.*

R^mo^ domino Johanni Episcopo Warmiensi, Warmie. — *Praes. XXII Julii.*

R^me^ etc. Litteris R^me^ p. v. 16 Novembris scriptis 28 Januarii respondi ac tunc significavi, confirmationes tam R^me^ p. v. quam Electi Culmensis XI eiusdem obtentas fuisse, tamen nullam presertim pro R^mo^ Electo Culmensi obtentam gratiam, et causas tunc addidi. Mitto igitur utriusque confirmationis litteras apostolicas, et spero ad vota et iuxta desiderium R^marum^ d. v. expeditas, quamquam Culmenses, prout facultas fert ecclesie, care nimis. Deus mihi testis, quod nullam pretermisi diligentiam, ut minoris, quam fieri posset, expedirentur; sed officialium rigor ille immodicus non permisit, ut minori summa expediri possent. Igitur ut R^ma^ d. s. boni consulat, necesse est. Scribit ea de re etiam dubio procul R^mus^ Cardinalis Sanctorum quatuor, cui si littere regie huius rei commendatie tempestivius fuissent presentate, quas quidem d. Andreas Czarnkowski a rege ad urbem missus secum attulerat, qui in itinere diu hincinde moratus et post confirmationem obtentam applicuit, plurimum negotium obtinendi gratiam promovissent; nam dictus R^mus^ dominus allegabat, uti antea scripsi, quare gratiam petere nollet, primo quia ultima expeditio pro R^ma^ p. v. obtenta et expedita fuit sine gracia; secundo, quia serenissimus Polonie rex pro gracia danda non scripserat, sed prohdolor nimis tarde littere ad urbem pervenerunt. Quam autem summam pecuniarum a Fuggarorum negotiorum gestore ad expeditionem litterarum R^me^ p. v. habuerim, R^ma^ p. v. ex cedula his iuncta facile habet videre, et ita illi dedi quitantiam. — Scripsit in illis ultimis suis litteris R^ma^ p. v., quod mitteret mandatum procurationis ad resignandum canonicatum et prebandam Warmiensem in favorem d. Fabiani Damerow, quod nunquam vidi; et utinam tunc missum fuisset, fortassis aliquid boni effecissemus. Certior tamen postea factus de dictis canonicatu et prebenda, rege ita volente, provisum esse cuidam Stanislao Hosio, et hoc sub data confirmationis R^me^ p. v. videlicet III. Idus Januarii. Attamen si adhuc veniret mandatum pro prefato domino Fabiano, fortassis aliquod efficeremus; nam ita precavi. Relinquo tamen premissa omnia arbitrio R^me^ p. v. — Litteras apostolicas Ser^mo^ Polonie Regi

ratione ecclesie Culmensis directas ad d. Georgium Hegell, uti R$^{ma}$ p. v. iubet, mittam. — Misit preterea R$^{ma}$ p. v. nuper litteras ad dominum Joannem Campensem, quas eidem nec reddere aut mittere potui, quia bonus ille vir 5 Augusti ab urbe recessit, data sibi per pontificem pensione 100 florenorum super fructibus prepositure Herbipolensis. Qui postquam Saltzburg pervenisset, in infirmitatem ex itineris molestia contractam incidit, ex qua die septima Septembris proxime preteriti in Saltzburg diem suum clausit extremum, cuius anima beatorum consortio perpetuo fruatur opto. — Nova penes nos ferme nulla, quam quod pontifex 23 Martii hinc cum omnibus ferme Cardinalibus et maiori parte curie Lombardiam versus recessit. Expectatur Caesar in Italia per totum hunc aut futurum mensem, cum quo, uti constans fama est, acturus de differentia et discordia inter dictum Caesarem et Gallorum Regem, inter quos sunt indutie usque ad 21 Maii, componenda et sopienda. Deus optimus maximus faxit, ut tandem illorum dominorum principum discordes animas componat. — Preterea ante ipsius pontificis ab urbe discessum fuerunt deputati tres Cardinales legati ad inchoandum Concilium in civitate Vincentina, in dominio Venetorum constituta prope Paduam, videlicet R$^{mus}$ Cardinalis Campegius, R$^{mus}$ Cardinalis Symonetta et R$^{mus}$ Cardinalis Brundusinus, qui 13 Martii proxime preteriti creatus fuit Cardinalis et mox legatus pro inchoando concilio ad Kal. Maii deputatus. Fuit hic antea Archiepiscopus Brundusinus dictus, dubio procul R$^{me}$ p. v. notus et cognitus. Totius rei eventus et alea ab istorum dominorum principum discordia vel concordia pendet; qui si concordati non fuerint, maxima in Italia timemus bella et dissensiones, quas deus optimus maximus avertat, oro et precor, licet ego omnino statuerim per futurum mensem deo dante me a curia et Italia absolvere; deoque dante et permittente R$^{mam}$ p. v. in Prussia invisam, quam deus optimus maximus diu in felici regimine et statu conservet et tueatur, ex animo rogo. Datum Rome 23 Aprilis 1538.

E. R$^{me}$ p. v. scriptor studiosissimus

Theodericus de Rheden.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 2 fol. 150.*

## 947.

***1538. Juni 21. Althausen.*** *Tidemannus, Erwählter zu Culmen, meldet dem Rathe von Danzig, dass er wegen der Freiheiten und Gerechtigkeiten des Landes an den Bischof Johannes von Ermland geschrieben habe.* Geben vffm Altenhausz freytags am XXI Juni im XV$^{c}$ und XXXVIII.

*Original auf Papier mit Siegel im Danziger Stadtarchiv.*

## 948.

***1538. Juli 13. Löbau.*** *Valentin, Pfarrer von Löbau, meldet dem Bischof Johannes von Ermland Verschiedenes aus Löbau.*

R$^{mo}$ . . . . . domino Joanni . . episcopo Warmiensi. — *Praes. XVI Juli.*

R$^{me}$ etc. De vre. R. p. salvo in patriam reditu plurimum ex animo gaudeo. Maius certe fuisset mihi et omnibus nobis gaudium, si ad nos divertisset; jam enim nonnulli ex civibus se parabant cerevisia partim Gdanensi partim Lubaviensi ad invitandum R. p. v. Ego eciam habebam tonnam Lubaviensem, que in Marcio fuit cocta, quam p. v. r. sicut domino meo clementissimo, domino Georgio, domino Gregorio dispensatori, et eciam aliis dominis et aulicis propinare et large exhibere volui. R$^{ma}$ p. v. dignetur bonam meam voluntatem accipere pro facto ipso. Hoc etiam v. r. p. latere nolui: Bene me ex gratia dei habere apud dominum meum gratiosum; expensas mihi dat cum capellano; assideo quottidie mense R$^{me}$ p. sue. Non habet tantam familie copiam, neque tantos facit sumptus, perinde atque R$^{ma}$ p. v. Arcem raro egreditur, domi semper delitescit. Constituit tamen tempore suo plura edificare ad omnia alioqui occulatus, de omnibus curiosus. Hec, que p$^{ti}$ vre. R$^{me}$ scribo, scripsi profecto quasi in aurem. Et si quando per occasionem licuerit, dignetur mihi ex gratia sua singulari ampliorem gratiam apud suam R. p. comparare. Et cum iis me R$^{me}$ p$^{ti}$ vre. sicut clementissimo patri, cui propter beneficia plurima, quibus me affecit, multum debeo, humillime commendo, cum dulcissima v. r. p. parente et tota amicorum cohorte, imprimis honestissima virgine Catharina. Datum Lubavie ex edibus meis XIII Julii Anno 38.

E. R$^{me}$ p. vre.

obsequentissimus capellanus Valentinus, parrochus Lubaviensis.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 68 fol. 185.*

## 949.

***1538. Juli 29. Thorn.*** *Vertrag zwischen dem Propst Paul Lymburg und dem Verweser Adam Fridwalt des Nonnenklosters in Thorn wegen einer Summe von 100 Mark.*

Idermeniglich, den dieser offener briff wirdt furgetragen vnd die den sehen horen oder lesen, vnsern genedigen gunstigen herren vnd besondern gutten freinden, thuen kundt vnd offenbaren wir Burgermeister und Rathmane der koniglichen stat Thoren, noch dinstlicher erbitunge vnd freintlichem grusse, das wir auff anregen des erbaren namhafften vnd weisen herren Hadami Fridwalt vnser raths geliebten freindes vnd dis mael kemerers ein signatur gefunden haben vnd finden von wordt zu wordt als folget lautende.

Zuwissen das im Jare Tausent V$^{c}$ vnd Neunn Freitag vor Exaudi der wirdige herre Paulus Lymburg von einer kloster Jungfrawen Sophia Warieczky hundert mark per

czwantzig groschen auff sechs mark czins entfangen hatt, wie eins ersamen raths buch lautet. So hat ein erbarer rath die irrunge zwischen seiner wirden vnd den andechtigen Jungfrawen im kloster zum heyligen geiste durch den vorsorger heren Adam Fridwalt dieses zinses halben vnd sonst aller andern irrungen sachen vnd schelungen, die immer zwischen seiner wirden vnd obgedochtem kloster geschehen mochte, bis an heitigen tag ganz hingelegt entrichtet vnd enscheidet. Also das der herre Paulus Limburg von allem vorsessenem zinse des genanten hauses der hundert mark per 20 gr. halben entlediget sein sol vnd ist, vnd nu von Actum dieses fertrages sein leben langk des hauses genyesen gebrauchen vnd den zins aufheben. Auch von den hundert marken, dieweil er im lebende ist, deme Closter nicht zinsen. Bsunder so genandter her Paulus Limburg in got von diesem lichte abgefordirt wirdt, als denne sol der hewpt stuel mit deme zinse an alle hinder an das Closter gefallen, auch ewig dabey bleiben, bis also lange die genimpten hundert mark, in die mark zwanzig gr. zurechnen, mit deme zinse werden abgeleget vnd dem Closter allenthalben vorgnuget, noch laute obgedachter Signatur. Mit diesem vertrag sollen alle handel zwischen einander gehabte bis auf diesen heitigen tag flichtig sein. Vnd die andechtigen Jungfrawen wellen hinfurdt auff den herren Paulum Limburg oder seine erben nimermer suchen oder suchen lassen im geistlichem oder weldtlichem gerichte nu vnd zu ewigen zeiten sagende inen queidt ledig vnd loesz. Dergleichen wil her Paulus Limburg auch das Closter vnd die Jungfrawen hinfurdt nicht bestellen anfechten oder beklagen, bsonder die alle vnd in bsonder quitiret. Actum im 26 tage Julii im vndengeschriebenen Jare.

So vnd als dis vor vns geschehen furtragen vnd entlich hingelegt, zeugen vnd bekennen wir ein solches furdan hie mit vnd in krafft dieses briffes, deme wir zu meherer sicherheit vnd kreftigen zeucnis der warheit vnser Stadt eingesigel haben andruken lassen, vnd gegeben zu Thoren am 29 July noch der geburt Jesu des einigen erlösers der weldt tausent V$^{c}_{=}$ acht vnd dreisigk Jare.

*Aus dem Copiar nr. 4 fol. 112 der St. Jacobskirche zu Thorn.*

## 950.

***1538. September 20. Culm.*** *Johannes Himmelreich, Lehrer an der Culmer Schule, bittet den Bischof Johannes von Ermland um Auskunft über sein Gehalt.*

Primae potentiae ac dignitatis apud Pruthenos Principi, domino ac domino Joanni dei gratia Varmiensi pontifici etc. in manus proprias, Varmiae.

S. P. foeliciter. Amplissime in Christo praesul. R$^{mae}_{==}$ P. t. legationem nomine divi Sigismundi regis filii susceptam cecidisse gratum est. Quum tempus promissorum, R$^{me}_{==}$ in Christo princeps, iterum sit prae foribus, peto a R$^{ma}_{==}$ P. T. edoceri, cuius nomine mihi fungendum sit munere meo scholastico, qua conditione, quo salario, denique a quo

minervalia certo tempore petam, qui hactenus duram provinciam solus munus docendi sustinui. Atque munificentiam R$^{mae}$ P. T. plus quam heroicam nullo non tempore fatebor, quam semper custoditam alta memoria ruminabor; memini enim illa superiora a liberalitate Amplissime P. T. profecta, qui plus accepi a benignitate regia, quam promeruerim, nec ulla de re magis sollicitus sum, quam ut regiae in me munificentiae respondeam. Quare si aliqua in re R$^{mae}$ P. T. opera mea quantulacunque utilitati esse potero, sentiet eam R$^{ma}$ P. T. sibi nusquam defuturam. Quod superest, peto, ut aliqua pars laboris in officio meo mihi minuatur; ad festum divi Michahelis cogimur migrare ad locum priorem nondum exedificatum. Quae preterea studii Culmensis sit series, et quis preterea bonarum literarum profitentium sit status, id omnifariam R$^{ma}$ P. T. a presentium tabellario commodius multo quam per literas coram edocebitur. Deus R$^{mae}$ P. T. benefaxit et vota animi fortunet. Culmae Anno a Christo nato 1538. 12 Calend. Octobris.

R$^{mae}$ P. T. obnoxius Joannes Hiemelreich.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 68 fol. 191.*

## 951.

***1538. December 18. Löbau.*** *Der Bischof zu Colmen [Tideman Gise] ladet den Burggrafen und Bürgermeister der Stadt Danzig und Hauptmann zu Neuenburg und Pr. Mark, Hans von Werden, mit seiner Gemahlin und Mutter zum Weihnachtsfeste zu sich, wo er seine erste Pontificalmesse halten werde.* Dat. vff der Lobe mitwochs XVIII December 1538.

*Original auf Papier mit Siegel im Danziger Stadtarchiv.*

## 952.

***1539. März 21. Culmsee.*** *Das Domcapitel von Culm verschreibt die Mühle in Waldowo bei Sarnowo.*

Nos Capitulum ecclesie Culmsensis nunc pro isto tempore existens in perpetuam successorum nostrorum memoriam deducimus, quomodo Joannes molendinator Bogusz de Coszina cum scitu et voluntate nostra comparavit molendinum capituli in Waldaw, a nobili domino Georgio Gorszechowski, eius legitimo et immediato possessore, pro ducentis marcis monete levis et numeri pruthenicalis, in presentia discretorum virorum Petri de Labisczino et Alberti Chrzasth molendinatorum, pro certis ratis temporis solvendis. Cum itaque eius molendini sufficientem solutionem in omnibus ad integrum fecerit, prout istius inscriptio in libro scabinorum oppidi Culmsehe latius continetur: Nos Capitulum predictum desuper consilio maturo prehabito prefatum molendinum in Waldaw eidem Joanni molendinatori suisque legitimis heredibus hereditario iure possidendum perpetuo et in evum inscribimus. Ita tamen quod illud nemini vendere presumat aut possit, absque scitu, voluntate et pleno totius capituli consensu, et quod singulis annis Capitulo

Culmsensi, et presertim illis dominis duobus, qui ex senio succedunt vel prout postea per dominos capituli ordinatum fuerit, singulis annis duas lastas farine exsolvet, absque aliqua mensura vel metreta pro molendinatione dari solita, et cuiuslibet dominorum canonicorum frumenta in hoc eodem molendino ad molendum deducta absque aliqua mensura molere debebit, denarius tamen a quolibet modio, more consueto, sibi dari debet. Robora pro reformatione mole et usu domestico necessario habebit libera, tria ad omne maius habebit pro usu suo servanda, ex bonis capituli Sarnowo, et capitulo tantum, quantum necesse erit, serrare debebit, salvo tamen suo debito precio. Si inundatio aquarum invaluerit, ita quod molendinum cum suo aggere fuerit ruptum, ex tunc capitulum aut illi domini seniores, qui eidem molendino prefuerint, tenebuntur eidem molendinatori pro meliori posse suffragium ferre condignum pro molendini et aggeris reformatione. In lacu eiusdem molendini concedimus sibi more aliorum molendinatorum liberam piscandi facultatem. Agrum ad prefatum molendinum spectantem ex antiquo secundum fidedignorum hominum testimonium aut desuper habitas inscriptiones bono iure possidebit, cum pratis, pascuis et ceteris emolumentis. Actum et datum Culmsehe ipso die S. Benedicti abbatis Anno domini M. D. XXXIX. In cuius rei maius robur et testimonium sigillum nostrum maius presentibus est subappensum.

*Nach den Abschriften im Nachtrage des Cop. Culmense nr. 75 und bei Mauritius nr. 75. In beiden Abschriften findet sich der Vermerk:* Anno domini M. DC. die decima Julii convenit cum capitulo Albertus Bogusz, eiusdem molendini possessor, ratione tertiae rotae, non ita pridem extructae, ut tertiam lastam quotannis addat et capitulo persolvat. super quo expeditum est ei novum privilegium.

## 953.

***1539. April 27. Löbau.*** *Balthasar von Lublin berichtet dem Bischof Johannes von Ermland über die Krankheit des Bischofs Tideman Gise.*

R$^{mo}$ . . . . . domino Joanni d. gr. episcopo Varmiensi etc. — *Praes. XXVIII April.*

R$^{me}$ etc. Accepi heri a cubicolario paternitatis vre. R$^{me}$ clementissimas p$^{tis}$ v. R$^{me}$ domini et mecenatis mei colendissimi literas cum ea, qua decet, subditissima ac debita reverencia. Quibus mihi iniungere dignata est, ut literas meis iunctas domino Thome in Althaus perferri curarem, quod pro debito officii mei obsequentissime facere non negligam, curaboque, ut hodie adhuc hinc mittantur; nihil enim mihi gratius potest contingere, quam ut detur opportunitas obsequendi p$^{ti}$ v. R$^{me}$. Quod R$^{mum}$ dominum meum spectat, nolo p$^{tem}$ vram. R$^{mam}$ cum ea, qua summa possum, reverencia latere, illum valetudinem usque adeo habere afflictam, ut neque firmum pedis vestigium figere queat, quinimmo totaliter lecto decumbit, exhaustis totaliter fere viribus a febre terciana nota, que nona huius in Althaus suam invaserat R$^{mam}$ p$^{tem}$, aucta tandem vie incommoditate eo usque, ut ego, qui vel solus paternitatem suam R$^{mam}$ observabam diligentissime, desperabam fere de salute sue R$^{me}$ p$^{tis}$, presertim in quarto paroxismo crisi scilicet, quem in Plovesia

habuit, intensissimis intervenientibus caloribus, ita ut videretur ratione ac intellectu destitui, proferendo, que ad rem non spectabant. Post eum paroxismum timens sua R$^{me}$ p$^{tas}$ de graviori periculo, huc veniens misit pro fratre ac sororibus Gedanum, accepitque medicinas a domino doctore Hieronimo de Thoronia sibi relictas, itemque alia nescio que farmaca a doctore Ambrosio Gedanensi, quem frater sue R$^{me}$ p$^{tis}$ huc secum adduxit, que ex debili alioqui multo debiliorem reddidere. Promittunt domini doctores in dies meliora, cum prefatus Gedanensis tum dominus Nicolaus Cupernicius, canonicus Varmiensis, qui hodie huc appulit, sentit tamen adhuc sua R$^{ma}$ p$^{tas}$ tempore suo paroxismum, etsi non usque adeo intensum, quemadmodum prius; nihilominus debilis supramodum, appetitum fore nullum, oris et lingue siccitatem habet continuam; nullo solido cibo uti potest, preter eam, quam profecto maximam patitur infirmitatem. Turbavit summopere suam R$^{mam}$ p$^{tem}$ mentio facta per p$^{tem}$ v. R$^{mam}$ in literis suis de subscriptione, addiditque sue R$^{me}$ p$^{ti}$ non parum egritudinis, quamvis ego id ex animo sue R$^{me}$ p$^{tis}$ ejicere curabam pro posse, curaboque sedulo, ne exinde quicquam aliud sue R$^{me}$ p$^{ti}$, qui summopere cavet, ne p$^{tem}$ v. R$^{mam}$ in aliquo offendat, contingat. Me cum his devotissimaque obsequia mea p$^{ti}$ v. R$^{me}$ domino meo clementissime humilime commendo, deumque precor, ut p$^{tem}$ v. R$^{mam}$ quam diutissime sanam et incolumen ac in omnibus florentem conservet. Datum Lubavie XXVII die Aprilis anno domini M°. D. XXXIX.

Eiusdem p$^{tis}$ v. R$^{me}$ humilis servitor et capellanus Baltasar a Lublin.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 68 fol. 243.*

## 954.

***1539. Mai 25. Loebau.*** *Tidemann Gise, Bischof von Culm, schreibt dem Bischofe Johannes von Ermland über seine Genesung und die Eingriffe der Beamten in seine Rechte.*

R$^{mo}$ domino Joanni d. gr. Episcopo Varmiensi. — *Praes. XXVII Maii.*

R$^{me}$ etc. Cum hic servitor R$^{me}$ d. v. huc divertisset, nolui praetermittere, quin de mea valetudine, de qua scio R$^{mam}$ d. v. esse sollicitam, aliquid scriberem. Recidiva mea, de qua nuper scripsi, post duos paroxismos me reliquit, utinam nunquam reversura; nam corpus aliquantulum adhuc male affectum aurae paulo immitioris valde est impatiens. Vires per dei gratiam sunt integrae et spero brevi perfectam salutem. Memini R$^{mam}$ d. v. non semel pro suo in me amore dixisse: Ei, qui me leserit, non cum uno sed cum duobus rem fore. Ea benevolentia ut aliquando utar, meae postulant rationes, multis enim in terra Culmensi agitor nobilium iniuriis. Magnificus d. Palatinus Culmensis iurisdictionem meam pervicaciter occupat. Judicium et poenam duorum homicidiorum, quorum alterum in Plouesio, alterum in ipsis ferme portis civitatis Culmensee die cenae domini, cum ego ibi praesens essem, contigit, sibi vendicat, prohibitis actoribus, ne me adirent, causam, ut audio, praetexens, quod occisores nobiles sint, quorum alteri in aedibus

paternis commoranti salvum conductum dedit, alterum Orlowski, capitaneus Grudnicensis, sub salvo conductu tuetur. Die XVII. huius mensis quidam nobilis ex terra Dobrinensi Moschczinski, iuncto sibi quodam nobili terrae Culmensis, nocte in villam meam Faulenbruch, cum omnes fere coloni in nundinis Brodnicensibus abessent, decem equis armatus irruit colonumque meum, qui XI ibi annos quietus resederat, cum omni eius substantia abduxit, duobus praeterea aliis colonis binos equos et duos boves vi rapuit et abegit, nihil cum illis habens actionis, aliasque plurimas iniurias in villa hominibus fecisse dicitur. Ego nunc in hoc sum, ut omnia bene perconter et occasionem datam sequar, deinde ad R^mam d. v. omnia scribam, quae consilium mihi suum in tanta hominum licentia comprimenda impartiri dignabitur. Atrox certe facinus non me tantum sed omnes harum terrarum primates debet habere actores. Opportune non longe absumus a comitiis, ad quae licet se retulerit pridem dominus palatinus, tamen non minus prosequitur, quae cepit; hunc et dominus Dzalinski in simili casu imitatur, cum ipsi res lucro cedit, alioquin subinde querulans de temeritate illius. Sed haec in aliud tempus servo, ubi omnia resciero. Me R^me d. v. commendo, quam cupio felicissime valere. De comitiis quid statuatur, ex R^me d. v. expecto. Datum Lobaw die sacro Pentecostes 1539.

Eiusdem R^me d. v.

studiosus Tid[emannus] E. C.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 2 fol. 109.*

## 955.

***1539. Juni 3. Loebau.*** *Der Minoriten-Guardian in Loebau zeigt dem Bischofe Johannes von Ermland den Tod von dessen Mutter an.*

R^mo . . . . . domino Joanni p. d. ecclesie Warmiensis presuli etc. — *Praes. XIII Juni.*

Suopte nos roseo salvet sanguine Christus.

Tametsi, R^me in Christo pater, auditu erat molestum pientissimam d. v. genetricem nature deoque concessisse, id unum tamen solaminis esse loco debet, quod „iustorum anime in manu dei sunt“ et „Beati mortui, qui in domino moriuntur.“ Adeo denique mutabiles et caduce res existunt humane, atque ad hoc nascimur, ut quandoque moriamur. Deus det ille requiem semper exoptatam lucemque perpetuam cum beatis. Que autem R^ma p. v. a nobis expostulant factitanda, iam excutioni demandatum est. Cuius etiam animam, priusquam certiores de morte ipsius redderemur, (quam rumor communis asparserat) orationibus fratrum affatim commendaram. Obtulit dominus Plotofsky rem pecuniariam largiter nobis exhibitam cum certis cereis. Ego autem pro matris anima R^me d. v. anniversarium agam, h. e. singulis missis a me utcunque celebratis, in memoria sum habiturus, quia D. v. me bis debeo pro exuberanti erga me amoris R. d. v. habun-

dantia. etc. — — Lubovii Tertio Junii Anno incarnati verbi supra sesquimillesimum trigesimo nono.

R^me^ d. eiusdem ex animo clientulus
frater Stephanus Tobie, Guardianus indignus.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 68 fol. 269.*

## 956.

***1540. Februar 14. Culmsee.*** *Das Domcapitel von Culm stellt eine neue Verschreibung über das Schulzenamt in Bratiszewo aus.*

Im nahmen und zur ehre der heyligen dreyfaltigkeit Amen. Dieweil nu die menschen vergeszlich und die zeit vorgenghlich ist, so ist vonnöhten die geschäffte, die beständig sollen bleiben, mit schrifftlichen gezeugnus bestätiget und bekräfftiget müssen werden. Hierumben wir Martinus Czeme officialis, George Hintze, Vincentius Kerger undt Balzer von Lublin, thumherren, das gantze Capitel der stulkirchen Culmensehe beteutende, thun kund und bekehnnen, wier angesehen allerley unordnung und gebrechen in unserem Dorfe Bratischew ausz gebruch eines gutten schultzes, welch schultzen ampt ein lange zeit verwüstet von niemanden angesprochen, dodurch das das erwürdige Capitel zue vielen schaden geflossen ist. Solcher mehr zu vermeiden haben wier dasselbe schultzen ampt mit zweyen freyen huben verguntt und verkaufft dem vorsichtigen Valtin Beneczek vor dreizig marck gerünger preüsischer müntze, die er dan zu voller genuge gegolten und bezahlet hat, die wir ihm auch zu seinen rechten erben und nachkömelingen, freyen scharwerck und zinses, zu Cölmischem rechte ewiglich verleyhen und gewehren, also dennoch, das er und seine erben und nachkömlinge sollen dienstflichtig seyn zu unserem hause Cauernik, undt wo wir seiner dörffen werden, gleich wie andere unsere schultzen. Wer auch hernachmals irkeine andere handfeste, die unser gottseelige voytt her Woytka in seiner Macht gehabt und verlohren hat, wuhrde vorbracht, soll gantz machtlosz gehalten werden, durch diese unse gegenwertige schrifft. Zur uhrkundt und dieser geschichte volkommener wahrheit und das ewiglich kräfftig gehalten soll werden, haben wir unsers Capitels grosze insigel an diesen brieff hengen lassen, der gegeben ist zur Colmensehe am tag Valentini im jahr noch Christi gebuhrt Tausendt fünffhundert und vierzigsten iahre.

*Abschrift nebst lateinischer Uebersetzung bei Mauritius nr. 198.*

## 957.

***1540. Mai 21. Marienburg.*** *Die Räthe der Stände Preussens beantragen bei dem Könige von Polen unter anderem: Zur Hebung der Wissenschaften in Preussen haben Adel und Städte für gut befunden, dass die reich dotirten Klöster Oliva, Pelplin und Karthaus, welche nur von wenigen*

*Mönchen bewohnt sind, für die Schule in Culm und die neu errichtete Schule in Elbing von ihren Einkünften etwas abtreten. Obwohl einige Deputirte aus ihrer Mitte abgegangen wären, um mit den Klosterobern privatim zu verhandeln, und man auch hoffe ihre Einwilligung zu erhalten, so würde das königliche Ansehen die Sache doch sehr fördern, weshalb sie bitten, der König möge die Klöster auffordern, ihrer Forderung zu willfahren.* Ex Conventu Marienburgensi pro festo divi Stanislai celebrato die 21 Maii Anno 1540.

*Lengnich, Geschichte der preuss. Lande I 215. Docum. 224 nr. 88. Vgl. auch S. 209, 212, 220, 232.*

## 958.

***1541. Juni 14. Wilna.*** *Sigismund I., König von Polen, erklärt, dass, wenn er den Adjacenten von königlichen Seeen in Preussen die freie Fischerei für ihren Tisch gestattet habe, diese Vergünstigung keinen Bezug habe auf Seeen, welche den Kirchen und ihren Instituten gehören.*

Sigismundus, dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae etc. dominus et haeres. Universis et singulis, quorum interest, praesentibus nostris literis fidem facimus et attestamur, quod cum nuper certis editis constitutionibus inter alia concesserimus nobilibus terrarum nostrarum Prussiae, quorum limites aut ager stagnis nostris regiis adiacent, ut piscatio parvis retibus ad usum et mensam eorum permitti ipsis deberet; nonnullis hanc nostram indulgentiam, ut accepimus, etiam ad lacus dominorum episcoporum earumque ecclesiarum et capitulorum trahentibus, ac piscationem illis liberam occasione limitum suorum habere contendentibus, nec attendentibus constitutionem praedictam de lacubus et stagnis regiis duntaxat loqui, ac his, qui lacus proprios habent, vim aliquam inferre expresse prohibere: Nos volentes materiam contentionum penitus amputare, ex certa nostra scientia praesentibus declaramus, nunquam mentis nostrae fuisse aut esse, quod praedicta constitutio extendere se debuerit vel debeat ad dominorum episcoporum vel capitulorum lacus, quos vel antiquo ecclesiarum suarum iure vel ex perpetua nostra vel antecessorum nostrorum regum Poloniae donatione vel confirmatione haereditarie possederunt. Quinimo intentionis nostrae fuisse semper, per illam constitutionem iuribus ecclesiarum nequaquam praeiudicari aut quocunque modo derogari debere, sed potius ea salva integra manere volumus. Neque enim aequum esset, ea quae ecclesiastici iuris facta sunt, prophanis usibus cum ecclesiarum iniuria applicare, cum nos de nostris tantum et non de alienis rebus arbitratu nostro statuere consuevimus. Et quomodo huius est interpretari, cuius est condere, nos authoritate nostra regia hanc nostrae interpretationis declarationem promulgamus, volentes ab omnibus nostris officialibus, dignitariis, capitaneis et praefectis ac aliis iudicibus ac commissariis nostris — — huiusmodi piscationem concernentem sic iudicari, sublata eis aliter judicandi facultate. Harum testimonio literarum, quibus et manum et sigillum nostrum apponi curavimus. Datum Vilnae XIIII Junii Anno domini M° XLI, regni vero nostri XXXIIII.

Sigismundus Rex subscrip.

*Transsumpt in einer Bestätigung Sigismunds August vom 21. August 1566 im Original im Culmer Diöc.-Archiv. Abschrift bei Mauritius nr. 133.*

## 959.

***1542. März 8. Wilna.*** *Sigismund I., König von Polen, bittet den Kardinal-Protector, die Aebte von Oliva und Pelplin zu einem jährlichen Beitrage von 600 Ducaten für die Culmer Schule anhalten zu lassen.*

Ad Reverendum dominum Cardinalem Sanctorum quatuor, Regni Protectorem.

Sigismundus etc. In terris nostris Prussiae oppidum est Culma ditionis episcopi Culmensis; in eo fuit aliquando ludus celebris, ex quo multi homines instructi prodierunt et ad ecclesiastica et prophana munera obeunda idonei. Is ludus temporum invidia, cum propter bella, quae in Prussia gerebantur, tum propter haereses in Germania exortas, ad nihilum prorsus iam deductus est, atque ubi magna olim frequentia fuit, ibi nunc ingens est solitudo. Quoniam vero pro catholici regis officio ediximus hominibus nostris, ne quis propter ingenii cultum capiendum in Germaniam, tot sectis misere dissectam, proficisci auderet, quod si quos processus in literis istis fecissent, magno id cum periculo animae consecuturi essent, una etiam coniugatum quendam sacerdotem, qui in oppido nostro Elbingensi ludum aperuerat, inde exturbavimus, quod quaedam ibi haereseos semina spargere diceretur: Scripserunt nobis Consiliarii terrarum nostrarum Prussiae, cum nullus amplius sit in terris his ludus litterarius, et ecclesiis parochos et monasteriis monachos deesse, ut, nisi mature provisum sit, ingens futura sit et parochorum et monachorum penuria; illud una significarunt, certam pecuniam iam esse per se destinatam ad ludum Culmae restaurandum. Quoniam vero duo sunt predictis in terris Prussiae abbates Olivae et Pelplini, quorum maximi interest ludum hunc instaurari, quod pauci in his monasteriis monachi supersint, nisi prospectum hac ratione sit, nulli brevi reliqui futuri, ab his itaque se postulasse, ut aliquid ipsi quoque in ludum hunc restaurandum subsidii darent; id eos constanter negasse. Supplicarunt itaque nobis, ut eos authoritate nostra regia ad dandum aliquod pecuniarum subsidium cogeremus. Cum autem nihil iuris in eos usurpare nobis soliti sumus, quos iurisdictioni nostrae non subesse intelligimus, a reverenda Paternitate vestra petimus, ut ipsa apud sanctissimum dominum nostrum authoritatem suam interponat, qui edicto suo abbates hos compellat, ut sexcentos ducatos ad vicesimum modo annum pro ludo restaurando tribuere quotannis tenerentur, atque una Loci-Ordinario Vladislaviensi et vicinis Plocensi, Varmiensi, Culmensi episcopis mandet, si forte recusent abbates isti summam hanc pecuniae in singulos annos numerare, ut eos ad faciendum censuris ecclesiasticis auctoritate apostolica adigant, ita tamen ut potestas penes eos sit de hac summa aliquid detrahendi et eam moderandi, si forte facultates eorum ferre non viderint tantum, ut pecuniae tribuant quotannis. Conservatores autem scholae huius constitui velimus Varmiensem et Culmensem episcopos pro tempore existentes, ut iis ratio reddatur de omnibus scholae istius annuis proventibus. Quodsi res haec R$^{dae}$ P$^{ti}$ vrae. curae fuerit, et nobis rem gratissimam fecerit et de ecclesiis terrarum nostrarum

Prussiae praemerita fuerit, quam diu incolumem vivere optamus. Datum Vilnae die VIII mensis Martii Anno domini M. D. XLII. Regni vero nostri anno XXXVI.

*Nach einer Abschrift im Archiv zu Pelplin in Sedlags Manusc. p. 223.*

## 960.

***1542. März 13. Wilna.*** *Schreiben des Königs Sigismund an die Bischöfe von Ermland und Culm in Betreff der Culmer Schule.*

Reverendis patribus Joanni Varmiensi et Tidemanno Culmensi episcopis.

Sigismundus, dei gratia Rex Poloniae etc., Reverendi in Christo patres summe nobis dilecti! Quae petierunt paternitates vestrae tam pro schola restauranda tam pro ecclesiarum commodis tuendis, ea, quoniam iusta nobis et aequa visa sunt, scribi iussimus ac per hunc cubicularium nostrum ad P$^{tes}$ v$^{ras}$ perferri, quarum studium in eis, quae sunt earum officio, curandis nobis probatum. Bene valeant. Vilnae XIII Martii Anno domini M. D. XLII. Regni nostri Anno XXXVI.

*Nach einer Abschrift im Pelpliner Archiv in Sedlags Manusc. p. 223. — Den Antrag der preussischen Abgesandten beim Könige von Polen vom Jahre 1543, die überflüssigen Einkünfte des Klosters Karthaus zu Gunsten der Culmer Schule zu verwenden, und dessen Antwort bei Lengnich I 255—257. Docum. nr. 100—101.*

## 961.

***1542. März 13. Wilna.*** *Sigismund I., König von Polen, beauftragt den Bischof Johannes von Ermland, die das Pfluggetreide dem Bischofe von Culm verweigernden Lehnsleute zur Abtragung desselben aufzufordern resp. sie anzuzeigen.*

Sigismundus etc. etc. R$^{ndo}$ in Christo patri et domino Joanni Warmiensi Episcopo, sincere nobis dilecto, gratiam nostram regiam. R$^{nde}$ sincere dilecte! In terra nostra Culmensi esse quidam nobiles dicuntur, qui non exsolvant annonas aratrales episcopo suo R$^{ndo}$ d$^{no}$ Tidemanno, quas ille non solum iure ecclesiastico, nimirum decimarum loco, sed etiam ex pacto et contractu commutationis pro cessis terris et bonis temporalibus ecclesie deberi contendit. Quare Paternitati tue committimus presentibus et mandamus, ut quorum nomina dominus episcopus Culmensis ad illam detulerit, tanquam in solutione contumacium, eos ad se per oportunitatem vocatos ad persolvendum illi iura sua authoritate nostra Regia hortetur. Quod si qui dicto audientes non fuerint, eos nobis per literas denunciat, ac simul ratione, quibus nitantur, totiusque causae statum nobis perscribat, ut re cognita, quod iustum et aequum fuerit decernere queamus; factura S. tua pro fide et officio suo et gratia nostra. Datum Vilne tredecima die mensis Martii Anno domini Millesimo Quingentesimo Quadragesimo secundo, regni vero nostri anno trigesimo sexto. — Ad mandatum S. R. M$^{tis}$ proprium.

*Gleichzeitige Abschrift im Archiv des Domcapitels zu Pelplin.*

## 962.

***1542. März 30. Heilsberg.*** *Bischof Johannes von Ermland fordert den Culmischen Woywoden Hans von Lusian auf, sich wegen gewaltsamer Zurücknahme des dem Bischof von Culm gebührenden Pfluggetreides zu verantworten.*

Wyr Jannes, von gotts gnaden bischoff zu Ermlandt, thun kundt vnd zu wissen euch, groszmechtigem herren Hanszen von Lusian, Colmischem Woiwoden, Hauptman zum Reden vnd zu Lusian, Micolen[1]) etc. erben, vnserm gutten freunde vnd lieben getrawen, wie das vns der hochwirdige in gott vater vnd herr, herr Tidemannus Culmischer bischoff, vnser viel geliebter herr bruder vnd freundt, klagweysz hat lassen vorbringen, welcher gestalt E. h. vnd ir vor euch selbst ausz seiner lieb pfarhoffe zum Reden, do das flugkkorn, das seiner L. des orths zu kumpt, gehalten wirt, etlich anczall korns, die ir dem alten rechtlichem gebrauch nach, wie alle im Culmischen lande seiner L. von iren pflugen schuldigk sein, dahin habt lassen zalen vnd antwurten, mit gewaltiger handt der ewern vnd zu groszer vorleczung seiner L. bischofflichen wyrde vnd oberkeyt, wieder euer schuldige pflicht, von dem gemelten kornhausze habt lassen nehmen vnd wegtragen. Welche verachtung gewalt vnd schaden sein L. vff drey hundert marck thut schatzen vnd anczichen, vnd von vns derwegen gefordert, das wir solche drey hundert margk in vnd vff euern guttern vnder vns gelegen wolten lassen beseczen vnd seiner L. erstatten. Dieweil vns dan in dem fhal euch vnvorhort nichts wil zimen vorzunehmen, geben vnd seczen wir euch den vierczehenden tag des kunfftigen monats Aprilis, welchs ist der negst freitag nach den oster heiligen tagen, in eigener person oder durch ewern volkommt mechtigen, euch bey vns hie derhalben zu verantwurten. Wor solchs vorachtlich nicht geschicht, versichern wir euch, das wir, was recht ist, in der sachen wollen lassen ergehn. Darnach sich E. h. vnd ir euch werdet wissen zu richten. Des zu vrkunt hab wir vnser siegell vnden ahn lassen drucken. Datum aus vnserm Schlos Heylszberck den XXX tag Marcii MDXLII.

*Gleichzeitige Abschrift im Archiv des Domcapitels zu Pelplin.*

## 963.

***1542.*** *Die Bischöfe des polnischen Preussens werden aufgefordert, auf den Provinzial-Synoden der Gnesner Kirchenprovinz zu erscheinen, entschuldigen aber ihr Nichterscheinen damit, dass sie unter dem Metropoliten von Riga gehören; sie würden sich jedoch ferner nicht weigern, sobald der Papst darüber bestimmt hätte.*

*Aus den Acta conventus Prussici de An. 1542 angeführt von Hartknoch, Kirchengeschichte S. 174. Vgl. auch Lengnich, Gesch. Pr. I 254. Der Beschluss der Synode lautete:* R. d. Episcopus Culmensis modernus cum Capitulo suo citati non comparuerunt contra morem veterem in hac sacra synodo servatum, praetendens suos antecessores ad synodum provinciae Gnesnensis venire non obligari. Decrevit sacrosancta synodus, ut R. d. Archiepiscopus Gnesnensis decernat contra ipsum d. Episcopum et Capitulum necnon Abbates diocesis illius citationem ad declarandum propter

---

[1]) *Güter im Bisthum Ermland bei Rössel und Heilsberg.*

inobedientiam, attendens, quod episcopus ille fuit et est de corpore provinciae Gnesnensis, utpote ex parte bonorum episcopatus Plocensis fundatus, petendaque S. M. Regia per nuntios synodales, ut huic episcopo et capitulo omnino iniunget, cum sit subditus regius et regni, ne a corpore provinciae Gnesnensis se dismembret. Nihilominus tamen decrevit haec sacra synodus, ut tam ipsi terrarum Prussiae quam etiam terrarum Russiae episcopi et clerus universus provinciae Gnesnensis et dominiorum regni Poloniae ad ferenda onera et tributa, quaecunque in se laudaverit, aequaliter habeant praesentis synodi vigore. *Aufzeichnung aus dem Jahre 1542 von Gise's eigener Hand in der Czartoryskischen Bibliothek in Krakau, angeführt von Hipler u. Zakrzewski, Stan. Hosii epist. I 238 nr. 259, 5.*

## 964.

***1542. Juni 10. Loebau.*** *Tidemann Gise, Bischof von Culm, stellt eine Verschreibung aus über die Feldmühle bei Loebau.*

Tidemannus, von gotts genaden Colmischer bischof, thun kunt jdermenniglich, dem es zu wissen van noten, das, nachdem Jacob Palca vnser vnderthan viel jaer her, wie wir berichtet, vnser möle vff dem flisz Goltbach niderst fur vnser stadt Lobaw gelegen, welche man heist die feltmöle, fridlich besessen hat, wie wir ihn auch in selbigen besitz vnd fridelichem brauch ane alle anspruche ader einrede bis zu deser czeit gefunden, gedachter Jacob Palca vns vnderteniglich hat gebeten ihn mit einer hantfest vber dieselbige moele genediglich zu vorsehn. Demenach haben wir ihm, seinen rechten erben vnd nachkommelingen mit raet vnd bewilligung vnsers wirdigen Capitels vorligen, wie auch gegenwertiglich vorlegen dieselbige vnser feltmöle mit einem rade vnd aller irer zugehorung nutzung vnd gerechtickeit zu Colmischem rechte erblich vnd ewiglich zu besitzen: bey dischem bescheide, das gedachter Jacob seine erben vnd nachkommeling vns vnd vnsern nachkommelingen Colmischen bischoffen von der selbigen molen alle jar vierczig scheffel rocken meel, nemlich alle vierteil iares czehn scheffel, vff vnser schlosz Lobaw zu czalen vnd zu czinsen, darzu alle jare vff Martini czwe vnser sweyne mit seinem getreide zu mesten vnd in gedachtes schlosses nutz zu versorgen schuldig sein sollen. Sy sollen auch gedachte möle mit schleusen, temmen, steinen, radern, eyserwerg vnd allem andern notirftigen, gebeiden, geczew vnd zugehorung vff iren eigen kosten halten, bawen vnd versorgen, vnd wo dyselbige wurden durch ir verseumnisz ader vnvorsichtickeit schadehaftig werden ader vmbkommen, sollen sy sulchs vff iren kosten ane enige vnser ader vnser nachkommeling hulff ader zutaet widerumme aufrichten vnd erbawen; wo aber solcher schade an schleusen temmen ader gebewden aus zufelliger vnvermeidlicher noet sich zu truge, sollen wir vnd vnser nachkomlinge bischoffe ihn zu sulchem baw mit vnser leuth scharwerk zu hulff kommen, wollen ihn auch aus vnsern welden zu allem notigem baw der mölen czymmerholtz geben, vnd bis zur mole furen lassen, welchs sy selbst zu hawen vnd zur fure zu beschlaen verpflichtet sein sollen. Zu vrkunt haben wir disen vnsern briff mit vnserm vnd vnsers Capitels groszen angehangnen sigeln wissenlich lassen versigeln. Gegeben vff gedachtem vnserm schlos Lobau den X tag Juny im jaer vnsers herren MDXLII.

*Concept von des Bischofs eigener Hand im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 69 fol. 99.*

# NEUES PREUSSISCHES URKUNDENBUCH.

## WESTPREUSSISCHER THEIL.

HERAUSGEGEBEN

VON

DEM WESTPREUSSISCHEN GESCHICHTSVEREIN.

---

II. ABTHEILUNG.

URKUNDEN DER BISTHÜMER, KIRCHEN UND KLÖSTER.

BAND I.

## URKUNDENBUCH DES BISTHUMS CULM.

1243—1774.

DANZIG.
COMMISSIONSVERLAG VON THEODOR BERTLING.
1887.

# URKUNDENBUCH

DES

# BISTHUMS CULM.

---

BEARBEITET

VON

DR. C. P. WOELKY.

DANZIG.
COMMISSIONSVERLAG VON THEODOR BERTLING.

# NEUES PREUSSISCHES URKUNDENBUCH.

## WESTPREUSSISCHER THEIL.

HERAUSGEGEBEN

VON

DEM WESTPREUSSISCHEN GESCHICHTSVEREIN.

II. ABTHEILUNG.

URKUNDEN DER BISTHÜMER, KIRCHEN UND KLÖSTER.

BAND I.

## URKUNDENBUCH DES BISTHUMS CULM.

THEIL II.

DAS BISTHUM CULM UNTER POLEN.

1466—1774.

DANZIG.
COMMISSIONSVERLAG VON THEODOR BERTLING.
1887.

# URKUNDENBUCH

DES

# BISTHUMS CULM.

---

BEARBEITET

VON

Dr. C. P. WOELKY.

---

## THEIL II.

### DAS BISTHUM CULM UNTER POLEN.

1466—1774.

DANZIG.
COMMISSIONSVERLAG VON THEODOR BERTLING.
1887.

# Vorwort.

Bevor ich das „Urkundenbuch des Bisthums Culm“ der Oeffentlichkeit übergebe, halte ich es für angemessen, über seine Entstehung, den Inhalt, die Quellen und die Grundsätze bei der Bearbeitung einige Worte voraus zu schicken.

Der hochselige Bischof von Culm, Dr. Anastasius Johannes Sedlag († 23. September 1856) fand bei seinem vielfältigen Wirken als Bischof noch Lust und Musse, sich mit der Geschichte seines Bisthums zu beschäftigen. Um eine Uebersicht über dieselbe zu erhalten, trug er zunächst sämmtliche das Bisthum betreffende Stellen aus den neun Bänden von J. Voigt's Geschichte Preussens, und weiter, da diese mit dem Jahre 1525 schliesst, aus G. Lengnich's Geschichte der Lande Preussens polnischen Antheils bis zum Jahre 1733 (9 BB.) eigenhändig und wörtlich zusammen und ergänzte die Auszüge durch Einschaltung von Urkunden, die er aus dem Copiar des Cisterciensermönchs Mauritius in Pelplin, aber auch, besonders für die spätere Zeit, aus den Originalen des bischöflichen und domcapitularischen Archivs in Pelplin entnahm. So entstand ein stattlicher Folioband von 739 Seiten, zu dessen Herausgabe nach nochmaliger Durchsicht der Bischof in seinem Testamente eine Summe Geldes legirte.

In Folge dieser Bestimmung suchte der damalige, bereits auch dahingeschiedene Generalvikar Dr. Johannes Hasse im Sinne des Testators eine geeignete Kraft zur Bearbeitung der Bisthumsgeschichte zu gewinnen. Nach einigen erfolglosen Versuchen wandte sich derselbe an mich und gab mir, da der Bearbeitung der Geschichte von Culm eine möglichst reichhaltige Materialiensammlung vorangehen müsste, den Auftrag, die noch anderwärts vorhandenen Urkunden, soweit wie möglich, zu sammeln, sie in ein Urkundenbuch zusammen zu stellen und dieses bis zur Zeit der Besitznahme des Bisthums durch Preussen fortzuführen. Wenn auch Urkundenbücher gewöhnlich da zu schliessen pflegen, wo die Acten anfangen, welche freilich bei Culm erst mit dem Anfange des XVII. Jahrhunderts beginnen, so unterzog ich mich doch dem Auftrage, nahm aber von diesem Zeitpunkte an nur die wichtigsten Schriftstücke bis 1774 auf.

Die Diöcese Culm hatte in früherer Zeit nicht die grosse Ausdehnung, welche ihr durch die Bulle De salute animarum vom 16. Juli 1821 zugetheilt wurde. Bei der ersten Circumscription von 1243 war ihr nur ein verhältnissmässig kleiner Bezirk auf dem rechten Weichselufer zwischen den Flüssen Weichsel, Drewenz und Ossa nebst dem Lande Loebau

zugewiesen, welches später die 12 Decanate Culmsee, Culm, Thorn, Graudenz, Loebau, Neumark, Strassburg, Gollup, Lautenburg, Briesen, Rheden und Lessen enthielt. Zu diesem Besitzstande erhielt die Diöcese im XVI. Jahrhundert, wohl in Folge der Petrikauer Provinzialsynode von 1577 (Nr. 1088), noch jenen Theil der ehemaligen Diöcese Pomesanien, welcher katholisch geblieben war, mit den Decanaten Marienburg, Neuteich, Stuhm, Christburg und Fürstenwerder durch den hl. Stuhl zugewiesen. Erst in unserm Jahrhundert wurden durch die oben genannte Bulle noch folgende Bezirke zu Culm hinzu geschlagen:

1) von der Diöcese Plock: das Decanat Górzno mit der Pfarrei Bialutten, und auf dem linken Weichselufer 2) von der Diöcese Leslau: die Decanate Danzig, Putzig, Mirchau, Dirschau, Preussisch-Stargardt, Mewe, Neuenburg, Schwetz, Lauenburg und Fordon, welche früher von Officialen, seit dem 20. November 1816 (Zeitschrift für die Geschichte Ermlands, Bd. I. 90) durch den apostolischen Vicar Rossolkiewicz in Danzig verwaltet wurden,

3) von der Diöcese Gnesen die zwischen Brahe und Küddow liegenden Decanate Camin, Schlochau und Tuchel.

Bei der Zusammenfügung so verschiedener einzelner Theile zu einem Ganzen, welche, wenn auch im Allgemeinen gleichmässig, im Einzelnen sich jedoch verschieden gestaltet hatten, sowie bei der dadurch begründeten Zerstreuung der bezüglichen Urkunden, wurde ich genöthigt, mich allein auf den Theil der allmählig so ausgedehnten Diöcese Culm zu beschränken, welcher auf dem rechten Ufer der Weichsel liegt, und nur die alte Diöcese Culm nebst dem Decanate Górzno und seit dem Hinzutritt eines Theiles von Pomesanien auch dieses zu berücksichtigen, das übrige auf dem linken Weichselufer Liegende völlig auszuschliessen.

Die Quellen über die alte Diöcese flossen an sich reichlich, wobei das Königliche Staatsarchiv zu Königsberg oben an steht. Es lieferte uns ca. 290 Nummern in Originalen und Abschriften, die sich meistentheils in der Abtheilung des Deutsch-Ordensarchivs befinden. Da darüber genaue Registranten geführt werden, so sind mit ihrer Hülfe die einzelnen Urkunden leicht aufzufinden, weshalb hier bei den Originalen die Archivsignatur weggelassen und nur bei Abschriften aus Copiebüchern Nummer und Seitenzahl des Bandes angegeben ist.

Nächst dem Staatsarchiv boten die Archive der Culmer Diöcese die grösste Ausbeute und zwar vor allen das bischöfliche Culmer-Diöcesan-Archiv. Von ihm war bis dahin nur ein einziges Copiebuch, das des Mauritius bekannt. Als ich meine Arbeit schon begonnen, kam zu meiner Kenntniss die Nachricht, dass in der früheren Domkirche des Bisthums zu Culmsee eine Menge alter Pergamenturkunden aufgefunden und an das Königliche Staatsarchiv in Königsberg abgeliefert wären. Bei näherer Durchsicht stellte es sich heraus, dass es das von Lucas David benutzte Löbauer Archiv war,

aus dem er mehre und gerade die ältesten Stücke in seine Chronik aufnahm, die später in den Acta Borussica abgedruckt wurden. Es waren meistens Originale, die aber durch vernachlässigte Aufbewahrung so defect geworden waren, dass, um sie zu erhalten, eine sachkundige und geschickte Ausbesserung nothwendig war. Die bischöfliche Behörde traf nunmehr das Abkommen, dass sie diese Urkunden auf 15 Jahre dem Königsberger Archive überliess, unter dessen Aufsicht sie ausgebessert werden sollten. Indessen ging die Arbeit nur langsam von Statten und erst, nachdem sie vollendet, konnte ich meine Arbeit wieder von neuem aufnehmen. Später erhielt ich von Pelplin aus noch 52 Urkunden.

Ausser diesen Originalen und Transsumpten fand ich noch zwei ältere Copiarien mit Urkunden über das Bisthum, das Copiarium Elshengense und das Copiarium Culmense.

Das Copiarium Elshengense auf Pergament geschrieben, trägt auf dem Deckel des Umschlages die Aufschrift: „Liber iste Ex Archivo Elshengensi a Rmo Laurentio Gembicki Eppo Culmen. Exemptus die 19 Febr. 1600.“ und enthält 42 Blätter, die in neuerer Zeit paginirt sind. Auf Seite 1 findet man den Vermerk: „Anno domini M° CCC° LXXXII°. hoc opus videlicet transsumpciones Privilegiorum Ecclesie kathedralis Culmenze, feria VI° post octavam corporis Christi proxima inchoatum est,“ worauf das Verzeichniss von den 66 auf Seite 5—61 eingetragenen Urkunden folgt. Auf Seite 3—4 und Seite 61—84 sind noch 29 Urkunden als Nachträge beigefügt, welche von verschiedenen Händen geschrieben sind und deren Eintragung als gleichzeitig anzusehen sein wird. Die Urkunden sind, wenn sie mit den Originalien verglichen werden, bis auf zwei abgekürzte, vollständig und möglichst richtig, Fehler in den Daten ausgenommen, eingetragen. Sein Werth geht daraus hervor, dass es nicht nur das älteste im Jahre 1382 gefertigte Copiar der Culmer Kirche ist, sondern auch mehrere Urkunden enthält, die jetzt nicht mehr aufzufinden und verloren sind.

Dem Alter nach folgt nun das dem Culmer Domcapitel gehörende Copiarium Culmense. Auf den ersten beiden Blättern findet man unter der Ueberschrift „Registrum transsumpcionis Privilegiorum kathedralis Ecclesie Culmensis ponitur hoc ordine“ das Verzeichniss von 72 Urkunden, dem noch Nr. 73—89 beigefügt sind. Von Folio 1—43 folgt nun der Text der 72 Urkunden von derselben Hand und in derselben Reihenfolge mit denselben Abkürzungen, wie im Copiarium Elshengense, geschrieben. Die letzte Nummer ist vom Jahre 1403. Daraus aber leuchtet ein, dass dieses Copiar nicht nach den Originalen, sondern dem Copiarium Elshengense und zwar im XV Saeculum nach 1403 gefertigt ist. Auf den noch folgenden 17 Pergamentblättern folgen nachträglich noch 23 Urkunden, die Aufzeichnungen über Bischof Wicbold und der alte Bischofskatalog. Noch folgen 28 Blätter auf Papier mit spätern Eintragungen aus dem XVI—XVII. Jahrhundert.

Das jüngste, reichhaltigste und von Sedlag benutzte Copiar ist das des Mauritius. Es ist auf Papier in Folio geschrieben. Auf der Rückseite des ersten Blattes steht fol-

gender Vermerk, der uns über die Entstehung desselben Auskunft giebt: „Ex dispositione venerabilis Capituli Culmensis Privilegia ecclesiae cathedralis et Fundationes ex antiquissimis originalibus pergameneis gothico charactere scriptis per religiosum reverendum Mauritium, monasterii Pelplinensis S. O. Cisterciensis suppriorem et professum transumpta, viro similis experientiae raro et in Labins (?) sollicitudine vix reperibili copiata, una cum reverendo Josepho Mirowski, universitatis Cracoviensis philosophiae doctore, curato Dzwierzehnensi, notario apostolico et venerabilis Capituli Culmensis secretario, collacionata et confrontata, sub attendentia Perillustris Helliodin Chelmski, canonici cathedralis et Capituli procuratoris, licetsi plura similia privilegia reperiantur, tamen ob vetustatem temporis et sui corruptionem penitus illegibilia existunt, nonnulla etiam per calamitates temporum et hostiles irruptiones amissa Anno domini 1773.“ Wir lernen den Verfasser aus einem Processe um die Kirche Mariensee (Przywidz, Kreis Carthaus) als Bevollmächtigten des Bischofs Rybinski von Leslau kennen; er hiess vollständig Mauritius Lilienthal und war ein gelehrter, allgemein geachteter Mann. Das Copiar beginnt nach einem Excurse über die Gründung des Bisthums Culm mit 89 Urkunden ganz in derselben Reihenfolge und mit denselben Abkürzungen wie sie im Copiarium Culmense stehen und da auch der Bischofskatalog, der nur in letzterem sich findet, hier Seite 262 f. aufgenommen ist, so ist ersichtlich, dass dieser erste Theil aus dem Copiarium Culmense, und nicht aus dem Copiarium Elshengense entnommen ist. Der zweite Theil von Nr. 90 bis 207 wurde nach den vorhandenen, theilweise noch erhaltenen Originalen copirt. Ob er auch die im Copiarium Elshengense sich befindlichen Nachträge benutzt hat, ist nicht mit Bestimmtheit zu ermitteln. Die Urkunden sind mit Ausnahme diverser Fehler in den Jahreszahlen mit möglichster Treue copirt. Am Schlusse folgt eine Synopsis privilegiorum und ein 1773 angefertigtes Sachregister.

Mit mehren später aufgefundenen Stücken haben wir aus dem Diöcesanarchiv 282 Nummern benutzen können.

Das Archiv des Culmer Domcapitels zu Pelplin wies zwar 70 Nummern, meistens Provisionsbullen der Bischöfe nach; da aber mehre doppelt waren und andere sich auf die Zeiten, welche wir nicht mehr berücksichtigten, bezogen, so benutzten wir nur 57 Stücke.

Die Archive der Diöcese Ermland zu Frauenburg, das bischöfliche und das domcapitulärische, lieferten ca. 200 Nummern, dieses meistens aus der Zeit des Vincentius Kielbassa, der als Bischof von Culm zugleich Conservator von Ermland war, jenes aus der Zeit der Bischöfe Johannes von Hoefen, Tideman Giese und Stanislaus Hosius, die, nachdem sie von Culm nach Ermland versetzt waren, hier ihre reichhaltige Correspondenz niederlegten.

Von den städtischen Archiven kommt zunächst das Stadtarchiv zu Danzig in Betracht für die Zeit, wo die Stadt gleich dem Bisthum Culm an Polen kam und dem

letzteren einige seiner Mitbürger als Bischöfe lieferte. Aus ihm wurden 42 Nummern entnommen.

Das städtische Archiv zu Thorn besuchte ich, als es noch nicht geordnet war, so dass ich nur das Wernikesche Repertorium benutzen und viele Stücke, die verlegt waren, nicht finden konnte. Später erhielt ich von befreundeter Hand noch einige 20 Nummern, die mit aufgenommen wurden. Was hier noch weiter Bezügliches zu finden ist, muss späteren Bearbeitern zu heben überlassen bleiben.

Mit mehr Musse konnte ich das Archiv des ehemaligen Benedictinerklosters bei der S. Jacobskirche zu Thorn benutzen, das ausser zahlreichen Originalen von 1319 bis 1701 noch mehre Copialbücher aus dem XVII. Jahrhundert besitzt. Namentlich sind die mit Nr. 2 und Nr. 4 bezeichneten von Wichtigkeit, wovon jenes die verliehenen geistlichen Facultäten, dieses Verschreibungen über die zum Kloster gehörigen Güter enthält. Es wurden hieraus 73 Nummern gewählt.

Aus dem Archiv der Stadt Elbing habe ich 8 Nummern mitgetheilt, von denen einige noch nicht veröffentlicht sind.

Die aus dem polnischen Reichsarchiv in Warschau entnommenen 26 Nummern sind meistens aus den polnischen Urkundenbüchern, wie Dogiel, Rzyszczewski u. a. entlehnt, und ebenso wurden die aus dem vaticanischen Archiv in Rom mitgeteilten 89 Nummern theils den Abschriften Marini's im päpstlichen Copiebuche des Königl. Staatsarchiv zu Königsberg, theils den Vetera Monumenta Poloniae von A. Theiner und den Annalen von Rainaldus und Bzovius u. a. entnommen.

In aller Kürze erwähne ich noch, dass aus dem Düsseldorfer Staatsarchiv mehrere Nummern (11) über den Bischof Wicbold aus der Zeit seines Aufenthaltes in Altenberg mitgetheilt wurden; ferner aus den Archiven zu Gutstadt und der Königl. Universitäts-Bibliothek zu Königsberg je 3, den zu Coblenz und Löbau je 2, den zu Magdeburg, zu Köln, zu Braunsberg, Christburg, der Wallenrodtschen Bibliothek zu Königsberg und der Czartoryskischen Bibliothek zu Krakau je 1 Nummer. Was von Druckwerken, Urkundenbücher, Gnesner- und Culmer-Synodalconstitutionen und anderen kleineren wie grösseren Schriften benutzt wurde, ist am Schlusse der Urkunde jedesmal namhaft gemacht, worauf hiermit verwiesen wird.

Die Grundsätze, welche ich bei Bearbeitung des Buches befolgte, sind die allseitig bei Herausgabe von Urkunden anerkannten. Wo Originale vorlagen, sind diese mit buchstäblicher Genauigkeit, selbst mit Beibehaltung von Fehlern, die durch ein (!) angezeigt wurden, wiedergegeben. Selbst bei Transsumpten und Copien, wenn sie der älteren Zeit angehörten, habe ich mich an die Vorlage gehalten und selbst Schreibfehler, wie Nr. 147, abdrucken lassen, um den vollständigen Eindruck der Vorlage nicht zu verwischen. Ich setzte dabei voraus, dass jeder kundige Leser sie zu verbessern wissen wird. Jeder vollständig mitgetheilten Urkunde geht Jahr, Monat, Datum und Ort nach heutiger Datirungs-

weise, dann ein kurzes Regest voraus. Am Schlusse folgt der Vermerk über den Fundort resp. die Archivsignatur, und wenn es nöthig erschien, noch andere Bemerkungen. Unter den Text sind erläuternde Anmerkungen gestellt, wobei ich mich aufs Aeusserste beschränkte, indem das Register das Weitere angiebt.

Der Urkundentext ist genau nach der Vorlage gegeben, nur sind grosse Buchstaben gebraucht am Anfange, nach einem Punkte, bei Personen- und Ortsnamen, sowie bei Jahres- und Monatsdaten. Die Buchstaben u und v sind mit Ausnahme von Eigennamen stets nach ihrer vocalischen oder consonantischen Bedeutung gewählt. Das in den älteren Urkunden vorkommende e und ę ist beibehalten und nur seit der Mitte des XVI. Jahrhunderts, wo dafür ae gebräuchlich wird, dieses eingeführt. Für j ist stets i gebraucht. Die Verdoppelung von Consonanten ist, wenige Male ausgenommen, immer weggelassen.

Diejenigen Urkunden, welche für das Bisthum Culm nur durch Anführung von Namen bemerkenswerth und bereits gedruckt waren, sind in Form von Regesten, die ich möglichst richtig zu fassen mich bemühete, in chronologischer Reihenfolge eingeschoben. Desgleichen sind auch die Siegel der Culmer Bischöfe, wo ich sie zuerst vorfand, genau beschrieben. Leider habe ich davon nur wenige gesehen.

Bei solchen Sammelwerken, deren Material zerstreut ist, kann der Einzelne allein nicht Alles erreichen und ist auf die Unterstützung anderer angewiesen. Daher ist es mir eine angenehme Pflicht, allen denen, die mich bei dieser Arbeit auf irgend eine Weise, durch Uebersendung von Abschriften oder durch Hinweis von einem mir neuen Fundort, unterstützten, meinen wärmsten Dank zu sagen. Vor allem aber gebührt dieser dem Vorstande des westpreussischen Geschichtsvereins in Danzig, welcher, als sich bei der Herausgabe des Buches Schwierigkeiten erhoben, sich erbot, die Kosten der Veröffentlichung zu übernehmen.

Dass hier vieles Neue, was noch gänzlich unbekannt ist, geboten wird, davon kann der geneigte Leser sich überzeugen. Obwohl ich nach Vollständigkeit gestrebt habe, so muss ich dennoch gestehen, dass ich diese nicht erreicht habe und sich dem spätern Forscher noch manches bieten dürfte, was ich nicht gefunden. Möge das Buch auch in seiner Unvollkommenheit beim Leser eine freundliche Aufnahme finden!

Dr. C. P. Woelky.

## 965.

***1542. December 9. Löbau.*** *Tidemann Gise, Bischof von Culm, fordert den Rath von Thorn zur Abstellung der kirchlichen Neuerungen auf.*

Ad senatum Thorunensem.

Erbare vnd wolweise hern, bsunder guete freunde. Wir konnen vnsers ampts halben E. w. nicht furhalten, das kurtz vorschiener zceit wir durch icliche gewisslich vnderricht entpfangen, das Euerer w. vnderthanen zcu Sczarnowe keine vnderscheit der tage halden, sunder zcugleich alle tage vnvorscheuet auch der hohen feiertage, als den tagk Assumptionis Marie vnd dergleichen, so von christlichen kirchen zu heiligen vnd feiern eingesatzt wurden, ire gewenliche arbeit thun vnd volntzciien sollen; vnd so die darumb befraget, warumb sie das . . . . theten, haben geantworth, das inen sulchs zu thun von irer obrikeit bepfolen sey. Desgleichen ist vns glaubwirdig angetzeigt wurden, das etliche Euerer burgerschaft sich auffs freuelen muthwillig vnderstehen dorffen, vnd in den kirchen newe vnd bisher vngewenliche deutze lieder, one einige vorwilligung vnd zulass vnser oder der jenigen, denen wir sulchs in vorwaltung zu haben empfolen, zcu singen sollen vorgenohmen vnd angefangen haben. Welcheren beiden itzo angeczeigten stucken, wo den nicht in der zceit widerstanden, sunder di iren furtgang haben mochten, konnen E. w. leichtlich erachten, wohin die sache gedeien vnd was gefhare die mit sich bringen wurde. Dann diss thun nicht allein den nachparn ergerlich, sunder auch ein geschrey an vielen orthen erregen wurde. Daraus dann vnsere abgenner, die vns sulche vnd andere mehr aufzulegen sich befleissen, nicht ein geringe vrsach wider vns vnd auch E. w. scheppen wurden, vnd an den orthen vns anzugeben nicht vnterlassen, da sie vns viel vnglimpfs nachteils vngunst vnd vngnade zcuschieben wusten. Derwegen ist vnser von wegen vnsers ampts guthlich ermanen E. w. in anmerkung der oberzelten vnd viel mehr geferden, so doraus entspriessen mochte, sulche newikeit abeschaffen, domit auch wir vns (wo diese vnsere ermanung bei euch kein stadt haben wurde) sulcher furgenehmene newikeit vor idermeniglich entschuldiget haben vnd E. erb. w. zu voranthworten das gestellen haben. — Auch seindt wir in gewisse erfarnus komen, das der hochw. in got vater her Crapitius, selig ethwan Colmischer bischoff, achtzehen hundert mark hinder einen erbarn radt zu Thorn sall nidergelegt haben. Ist vnser freuntliche meinung E. w. vns vorstendigen weldet, was denen von diesem handel bewust, ob sollich gelt noch bey einem erbarn radt vnd wie ader ob das in andere gedihen sey. Datum Lobaw 9 Decembris.

*Concept im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 69 fol. 134. Es steht unter Briefen aus dem Jahre 1542.*

## 966.

***1543. Februar 2. Löbau.*** *Tidemann Gise, Bischof von Culm, verfügt eine Bestrafung wegen unbefugten Ausschenkens von Danziger Bier.*

Tidemannus etc. Vnsern grus vnd genedigen willen zuvor. Ersame libe besondere. Vff euer itz an vns gelangtes schreiben geben wir euch dise antwort. Nachdem euch wol wissentlich, das wir je vnd allewege gern gutte ordenung allenthalben bey euch gesehen hetten, vnd vns kein ding mehr entgegen gewesen, dan das all vnser fleisz vnd genedige wolmeinung, wiewol zugesagt, doch gar kein volge gehabt, besonder verechtlich vbergangen, in maessen auch numals mit dem frembden bier, vngeachtet das wir mit euch verlassen vnd ernstlich befolen, das nymant sich vndersteen sol Danczker bier zu zufuren oder zu schenken, er sey den vom radt darzu verordnet mit ansetzung eins geldes, so der stadt da von soll abgelegt werden, hat nicht desto weniger balt darnach Lorentz Gelfelt solchs mutwillig vberschritten, welchs vns bey jedermenniglich zu groser verkleinung kommt zu tragen, vnd erweiset sich war zu sein, das bey dem adel vnd euer gemeine geredt wirt, nemlich das ordenung zcum Colmen wol gehalten, wo durch die obersten selbst dy nicht erstlich gebrochen wurde. Dardurch wir geursacht werden dy straff von den obersten auch anzufahn, wie wir euch solchs auch zu vor zur warnung angesagt haben. Derhalben ist vnser ernstliche meinung, das ir in mittel euers radts gedachtem Lorentz Gelfelt ansagt, das wir von wegen solcher vbertretung von ime einen abtrag furdern, nemlich XX mr. zwischen diser zceit vnd mitfasten bey vnserm stadthalter zcum Altenhausz zur busse abzulegen vnd zu entrichten, vnd das er sich mitteler czeit solch danczker bier zu schenken gantz enthalte bey weiterer busz nach vnserm erkentnisz. Was aber vnsern befeel durch vnsern stadthalter an euch geworben belangt, wollen wir denselbigen also bey wirden gehalten haben, bisz zu vnser zukunfft. Euer bitt von wegen des pfarrers, wollen wir zu gelegener czeit nachtrachten, dan euch genedigen willen zu erczeigen seint wir geneigt. Datum auff vnserm schlosse Lobaw den andern Februarii etc. XLIII.

*Eigenhändiges Concept im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 69 fol. 108. Cfr. Lengnich I 250.*

## 967.

***1543. Februar 8. o. O.*** *Der Kanzler des Bischofs von Culm zeigt die Versetzung des Pfarrers in Briesen an.*

Ad praefectum in Fredeck.

Cum superioribus diebus R$^{mus}$ domino Petro plebano Fredecensi mandavit, ut post Pascatis festa parochia cederet; ne populus plebano destituatur, R$^{mus}$ hunc Bartholomeum de Obrouo in parochum futurum designavit. Quod vobis ut significarem, R$^{mus}$ mihi iniunxit. Quare vos domino Petro dicetis, sibi hunc esse successorem destinatum. Deinde

curabitis, ut huius res, quas habet in Bzrosia polonica, ad festa Pascatis in Fredeck devehi possint. Valete. 8 Februarii 1543.

*Aus dem Concept im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 69 fol. 138.*

## 968.

***1543. Februar 20. Löbau.*** *Tidemann Gise, Bischof von Culm, berichtet an den Bischof Johannes von Ermland über die gewechselten Briefe, erklärt einen darin gebrauchten Ausdruck, dankt ihm für die der Culmer Schule zugesagte Fürsprache, räth ihm ab von seinem Plane in Betreff der preussischen Angelegenheiten etc.*

R$^{mo}$ domino Joanni, d. gr. episcopo Varmiensi. — *Praes. XXIII Februarii a. XLIII.*

R$^{me}$ etc. Quaternis litteris R$^{me}$ d. v. puto me nondum respondisse. Quae X huius date sunt, fere nihil habebant, nisi de literis regiis in negocio Danico, quarum alteras dominis consiliariis inscriptas domino castellano Gedanensi misi, nondum receptas, alteras domini Gedanenses mox acceperunt. Eas, quae XI huius scriptae sunt meis respondentes, iam octiduanas accepi, quas praeverterant illae XIII huius datae cum iniunctis literis regiis ad R$^{mam}$ d. v., quas nemini communicatas nunc remitto, exemplum nunc misi domino castellano Gedanensi. Gratias ago pro missis literis ad debitores meos de Schoneseh; item pro communicatis novis, quae per nuncium suum acceperat, non laetis quidem, sed qualia sepe, dum magnae res tractantur, affingi solent, quod utinam eventus doceat hic factum. Quod scripseram de dictatura perpetua, videtur R$^{ti}$ d. v. secus accepisse atque ego senseram, quasi dixerim illam vestrae R$^{mae}$ d$^{ni}$ exitio futuram esse. Quod scripsi, votum erat, ne esset diuturna, addita allusione, ne, quod olim exitio fuit Romanae reipublicae, nostrae quoque nunc fiet. Verborum meorum sensus, si fuit amphibolus, non alius fuit scribenti, quam quem explicavi, qui ipse, ne nunc quidem cessat, esse in votis. — Gratum est mihi, quod pollicetur R$^{ma}$ d. v. de scholae Culmensis negotio coram in aula curando. Quod ad hanc rem accedit, nolo latere R$^{mam}$ d. vram., stare mihi nunc propositum, ut, quod diu animo sedit, aggrediar iter ad principem et dominum meum, debitum et gratitudinem meam illi, dum in vita est, delaturus. Quod nunc cum proceres regni, quibus sum ignotus, conventum habent, opportunius me facturum arbitrabar; itaque mox peractis festis paschalibus ingredi iter cogitavi, si valetudo non interpellaverit, nam preterquam quod quadragesima solet esse mihi infestior, etiam reduvias nunc patior in sinistri pedis pollice, quas tamen facile curabiles pollicentur. Eo autem precipue hoc meae profectioni, tempus delegi, quod non dubitavi me habiturum in aula tunc presentem R$^{mam}$ d. vestram, cuius favor et authoritas poterit et personae et rebus meis apud principes et summates non parvam conciliare gratiam, ac opera et consilio mihi adesse, quod non dubito etiam libenter facturam. Ibi et de scholae et aliis multis reipublicae nostrae necessariis rebus conferre licebit consilia ac maiore boni eventus fiducia agere omnia. Verum non leviter

perculit animum meum, quod R$^{ma}$ d. v. scribit, se apud principem exonerare velle fidem et conscientiam suam in multis, quae apud nos aguntur, quae non obscure de patria nostra videtur interpretari. Haec cum acerbitatis plurimae et male affectae voluntatis indicia habeant, velim R$^{mam}$ d. v. fraterne admonitam, ne velit precipitare de his rebus sententiam et consilia sua, ut posthabeat patriae et suorum rationes, quibus non semper severitate et acrimonia sed magis prudentia et moderatione etiam in publicis malis tute consulitur. Cogitet incendium, ut facile excitatur, non ita facile restingui, etiam ipso conante authore, simulque meminerit ferocia consilia non raro impingere in aures pacatiores ac fidem minuere consultori, et periculosi sunt ictus retornante malleo. Nos quidem morimur, sed non interit memoria nostri apud eos, quorum fortunam reddidimus calamitosam. Ego certe in quibusvis prosperis cum nominis mei publico odio non existimo me esse beatum posse, nec sum ita confirmatus, ut id cum R$^{ma}$ d. v. ne pili quidem ducam, etiam si iniuria adsit. Non possum profecto bene precari his, qui dum affectionibus suis consulunt, et libertatem quidvis agendi venantur, R$^{me}$ d. v. animum magnis perturbationibus afficiunt, ac ducere student in quaecunque sibi libita, quorum si omnia pernoscet, non ita eis accommodaret fidem et forsitan bis praeposteros christianos haberet. Scio, quid displiceat R$^{me}$ d. vrae in nostris gentilibus, neque id reprehendo, displicuerunt eadem iam olim et mihi; sed credat mihi R$^{ma}$ d. v., non curabitur hic morbus istis remediis, quae etiam concitatiores reddent ad omnia pericula paratos, priusquam professione decedant, et utinam sola haec urbs ira esset affecta. Videt R$^{ma}$ d. v. quid in aliis etiam agatur, utcumque dissimulent. Ad eam cangraenam eradendam nescio, an quaevis cauteria sufficiant, nisi cum morbo et corpus perimendum sit. Optem me vanum esse vatem et principio fuisse praesides oculatiores. Haec scribo fretus ea libertate, quam olim mihi a se consecrato R$^{ma}$ d. v. concessit, certe bona fide atque amico synceroque animo omnia, quae ut nonsecus etiam R$^{ma}$ d. v. oro accipiat. Sed haec ad publicas rationes. — Est vero occasio nunc, ut R$^{mam}$ d. v. etiam de his commonefaciam, quae privatim de amicis et necessariis meis nuper coram mihi constituto amantissime testibus lachrimis pollicita est. Arbitror enim R$^{mam}$ d. vram. velle hoc fedus nostrum ratum esse, quod a me hactenus observatum esse possum etiam testibus confirmare. Eundem animum et in R$^{ma}$ d. v. desidero erga patruelem meum Tidemannum proconsulem, quem scit mihi coniunctissimum et multis bonis charum. Hunc si R$^{ma}$ d. v. amare non vult propter me, saltem ne his consentiat, qui eum diris exagitant, regiam M$^{tem}$ illi inclementem atque infestum reddentes. Quem quoniam in religionis quaestione prorsus insontem nolim affirmare sicut nec adversarios eius, nescio an non satis tutum illi foret sistere se personaliter ad officii accusationem, si de his rebus reus agetur, quamquam serio suasi, ut faceret, confisus et clementiae regiae et illius moderationi, cuius habet etiam in ea causa honestissima testimonia, sed video eum absterreri metu eorum, qui apud eius M$^{tem}$ multa possunt. Nec tamen intelligo, quomodo hi citati inobedientes aut contumaces dici possunt, dum procuratorem pro ipsis

comparentem in termino habuerunt. Is si non indicavit datum sibi mandatum aut neglexit obire datam potestatem, ingentem in dominos fraudem commisit. Nam ne nunc quidem illi ad personalem comparitionem vocentur, velit oro R^ma^ d. v. saltem ob publicam quietem his rebus sua authoritate consulere ac efficere apud Regiam M^tem^, ne quid in eos durius decernatur; praesertim vere hunc patruelem meum gratiae et protectioni R^me^ d. v. commendo, quam novissimis etiam ad me per servitorem Gedanensium datis literis cognovi bene inclinatam ad sedandum animum regium, ut mitius cum citatis procedatur. Quod igitur eas litteras postremas attinet, placuit mihi de scribendo ad M^tem^ R. consilium et sententiam R^me^ d. v., misique omnia descripta per proprium meum nuncium dominis palatino Pomeraniae ac Culmensi et Elbingensi castellanis, qui suam sententiam ad me scriptam mittant, ad dominos vero Marieburgensem palatinum et castellanum Gedanensem per illum ad me missum civitatis famulum, qui illorum quoque sententias scriptas ad R^mam^ d. v. referret. Sententiae R^mae^ d. v. hoc solum addidi petendum, quandoquidem speratur, citatos, qui procuratorem cum mandato ad constitutum diem miserunt, aliquam inobedientiae excusationem habere, si simpliciter causa in has terras remitti non poterit, saltem concedat M^tas^ R., ut procurator in assignato nunc termino comparendo partes suas agat, ac dominis illis ad latius respondendum obiectis coram dominis consiliariis vel commissariis dies statuatur, ibique litis faciant periculum. De his quidquid ad me per meum nuncium relatum fuerit, confestim ad R^mam^ d. v. ibit, idem et de caeteris fieri domini Gedanenses curabunt. Licebit tunc R^me^ d. v. ex nostris collatis sententiis colligere, quid Regiae M^ti^ scribendum sit, quod ut diligenter fiat, etiam ego rogo. — De palatinatu Culmensi censerem ego parandam nunc viam, ut vacans conferretur domino castellano Gedanensi, quo ex nostratibus germanicae linguae non esset aptior. Audio et ad eximendum Redense districtum patere viam, nec displiceret mihi etiam hunc pro illo peti, quo sedem haberet in terra Culmensi; esset id mihi quidem pro meis exigendis aratralibus accommodissimum ac pro tuenda dignitate regia non incongruum. In quo cum intellexero, quid sentiat R^ma^ d. v., accommodabo me illius voluntati. — — Opto R^mam^ d. v. felicissime valere eique esse synceriter commendatus. Datum Lubaviae die XX Februarii Anno etc. XLIII.

De novis scriptis magnam habeo gratiam; apud me nulla nunc sunt.

Eiusdem R^me^ d. v.

studiossimus servitor Tid(emannus) Epus. Culmensis.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 2 fol. 121.*

## 969.

*1543. April 23. Löbau. Tidemann Gise, Bischof von Culm, verschreibt ein Stück Ackers des verlassenen Gutes Kielp an Nicolaus Plotowski auf Lebenszeit.*

Ego Nicolaus Plotowski notum facio atque fateor coram universis et singulis, quandoquidem R$^{mus}$ in deo pater et dominus, dominus Tidemannus, Culmensis episcopus, dominus meus clementissimus, mihi ex singulari gratia uti perniiserit et concesserit portione quadam agri ad arcem Starogrodt pertinentis, super quo a celsitudine eius inscriptionem precibus impetravi eamque cum gratitudine accepi tenoris huius, ut sequitur.

Nos Tidemannus, dei gratia Culmensis episcopus etc. notum facimus atque fatemur coram universis et singulis, quia nos ex singulari favore et propensione, quibus erga generosum et nobilem nobis peculiariter dilectum Nicolaum Plotowski semper affecti fuimus, quatenus nos eum etiam propensiorem faciamus de nobis nostraque ecclesia benemereri, promisimus et concessimus, quemadmodum etiam praesentibus concedimus eidem Nicolao Plotowski quandam partem agri, quam illi primo R$^{mus}$ noster proximus praedecessor ad suae Celsitudinis beneplacitum ad utendum et fruendum concessit et ille impensis suis extirpari fecit, forte viginti sesqui quatuor iugera continentem, in nostris desertis bonis Kielpin, bonorum Plotowo ex una parte fines tangentem et usque ad Papoviensem viam se porrigentem, quemadmodum eam illi designari fecimus, cum agris pratis et pascuis pro persona illius tantum, quoad bona Plotowo ad suum proprium usum ac utilitatem tenuerit atque administraverit, libere sine omni censu conductione et obligatione utendum ac fruendum, iudicia tamen et superioritatem nobis reservando. Caeterum si supramemoratum Nicolaum Plotowski vita defungi contigerit vel bona Plotowo in alicuius alterius usum et administrationem pervenerint, tum eiusmodi ager cum omni usufructu (exemptis frumentis in eo tum temporis reperiendis) citra omnem impensorum refusionem iterum ad nostram arcem Starogrodt vel ad praedictum pagum Kielpin recidere et revenire debet. Nicolai vero Plotowski haeredes vel successores nullum ius vel actionem ad eum habere possunt vel debent vel quovis modo ea sibi attentabunt. Quodsi pagus noster Kielpin successu temporis opera praefectorum nostrorum totus vel in parte per colonos occupatus fuerit, tum se a pratis et pascuis prorsus et abstinebit, vel cum nostris subditis eo nomine convenire ac componere poterit, ne quod impedimentum vel damnum inde capere vel exspectare teneantur. Ad maius fidei testimonium literis hisce sigillum nostrum supprimi fecimus. Datum in arce nostra Lubaviensi feria secunda post festum s. Georgii, Millesimo quingentesimo quadragesimo tertio anno.

Huic praecedenti inscriptioni in omnibus illius articulis, punctis et conditionibus omni ex parte acquievi eamque suscepi, spondendo pro me ac meis haeredibus, me eam ita sine omni dolo et fraude observaturum ac defensurum. In cuius fidei robur literas hasce

agnato meo sigillo supprimi feci. Datum in Plotowo feria sexta ante palmarum diem. anno Millesimo quingentesimo et quadragesimo nono. (April 12)

*Abschrift im Archive des Domcapitels in Pelplin. Das Wappen ist ein mit der Oeffnung nach unten gekehrtes Hufeisen, über welchem und in welchem sich je ein Kreuz befindet. Darüber stehen die Buchstaben N. P.*

## 970.

***1543. Mai 20. Culmsee.*** *Das Domcapitel von Culm verschreibt fünf Hufen zu Samin zu einem Lehen.*

In nomine domini amen. Nos Martinus Czemae, Vincentius Kerger, Baltasar a Lublin et Caspar Lysman, canonici totumque Capitulum ecclesiae cathedralis Culmensis, significamus tenore praesentium, quibus expedit universis, quod cum bona nostra Samino[1]) in districtu Caurnicensi, a multo tempore memoriam hominum excedente usibus nostris et antecessorum nostrorum destituta, nullo etiam cultore locata, in dies magis magisque in desertum verterentur, nosque inde modicum vel nullum caperemus fructum, intendentes nostris commodis capitularibus, utque tanto commodius alios mansos desertos locare possimus, vendidimus in illis bonis Samino (quorum XL mansi esse debent) quinque mansos nobili Andreae Vlewsky pro certa pecuniarum summa, quam nobis integram iam persolvit. Itaque supradictos quinque mansos mensurae Culmensis in bonis Samino integre emensuratos predicto Andreae eiusque legitimis utriusque sexus haeredibus et successoribus iure Culmensi in feudum conferimus per praesentes, cum omni jure et utilitate in agris, pratis, pascuis, sylvis, nemoribus, in quantum se illi quinque mansi praetendunt, roboribus tamen pro molendino nostro serratili Samin in usum nostrum scindendis necessariis, judiciis et venatione, quam nobis quoque liberam esse volumus, exceptis, per ipsum Andream eiusque haeredes et successores perpetue libere possidendos. Concedimus praeterea eidem Andreae eiusque haeredibus et successoribus praedictis, dum in illis bonis morabuntur, facultatem quatuor saccos locandi in stagno nostro Samin ac piscandi cum parvis instrumentis, videlicet hantwate et hamen almanice nuncupatis, ad ipsorum mensam duntaxat et nequaquam ad vendendum vel aliis donandum. Pro qua quidem collationis nostrae gratia idem Andreas cum haeredibus et successoribus suis nobis successoribusque nostris cum uno equo et viro more harum terrarum Prussiae armatis, quotiens requisiti fuerint, contra omnes nostros et successorum nostrorum hostes et invasores propriis ipsorum sumptibus fideliter servire, et more nostrorum aliorum feudalium debitum obsequium in conductionibus et aliis consuetis praestare, ac in recognitionem dominii unam libram cerae et quinque denarios Culmenses singulis annis pro festo s. Martini praesentare sint obligati, salvis etiam annonis nostris aratralibus, quas non pecuniarias sed

1) *Samin im Kirchspiel Radosk.*

frumentarias esse volumus. In cuius rei fidem et testimonium praesentes privilegii literas concessimus nostro maiori sigillo appenso munitas. Datum in Culmense ipso die sanctissime Trinitatis anno domini M°. D. XLIII. praesentibus ibidem honorabili domino Jacobo Gayewsky organista, et nobilibus dominis Joanne Presmyensky, Jacobo Gerkowsky et Nicolao Dąbyensky advocato nostro Caurnicensi, testibus ad premissa vocatis et rogatis.

*Nach der gleichzeitigen Abschrift im Nachtrag des Cop. Culmense nr. 82 und deren Copie bei Mauritius nr. 82. — S. Lengnich I 255.*

## 971.

***1543. October 25. Wieliawesz.*** *Sigismund I., König von Polen, schärft sein Mandat über Entrichtung des Pfluggetreides an den Bischof und das Domcapitel im Culmerlande von neuem ein.*

Sigismundus dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masouiae etc. dominus et haeres. Universis et singulis dignitariis, nobilibus terrigenis, vasallis, civitatensibus et oppidanis terrae nostrae Culmensis praesentibus requirendis, presertim tamen capitaneis, [prefectis et tenutariis bonorum nostrorum Radzyn, Bratjahn, Rogaczno, Golub, Leben Curie] Kowalewo, Brodnitza, Grudzyancz, Pokrywno, Byrzylow, Curie Lipno, et eorum vicecapitaneis, burgrabiis sive praefectis aliisque, qui praesentibus requisiti fuerint, gratiam nostram regiam. Magnifici, generosi et nobiles, famati et providi, grate nobis dilecti. Proposuit nobis reverendus in Christo pater dominus Tidemannus, episcopus Culmensis, quomodo etsi multo superioribus temporibus etiam a prima fundacione episcopatus Culmensis, non solum ex veteri terrae Culmensis consuetudine et disposicione privilegii Culmensis nomine decimarum sed etiam ex specialibus contractibus et transactionibus inter episcopum et ordinem Teutonicorum olim factis, in commutacionem castrorum villarum et aliarum [terrarum] bonorum temporalium ab ipso episcopo eidem ordini cessorum, de quibus aperta extare dicit documenta a nobis etiam confirmata, a quolibet aratro, quo rura coluntur et arantur, ipsi episcopo Culmensi aut eius capitulo, a quibuscunque terre Culmensis habitatoribus de praediis castrorum seu tenutarum suarum et aliis quibuscunque agris arabilibus una mensura tritici et altera siliginis annis singulis solvantur et solvi debeant: Tamen quidam terrae illius incolae et inhabitatores propria temeritate, maxime de bonis nostris, dictam annonam aratralem non solvunt aut solvere recusant, quasdam occasiones et excusaciones praetensas praeferentes, quibus tamen per nostrum iudiciale decretum in castro nostro Marieburgensi feria sexta ante Annunciationis Mariae anno domini Millesimo quingentesimo vigesimo sexto latum obviamus, ac ipsas annonas sine excepcione aliqua ob omnibus terrae illius cultoribus integre [et in perpetuum] persolvi mandavimus. Cum igitur duplici jure videlicet divino, quo decimae viris ecclesiasticis solvi praecipiuntur, et humano, quod pacia et conventa ubique esse servanda dictat, praedicta aratralium solucio sit impendenda, condicione etiam tali in pactis expressa, ut si

pensiones huiusmodi suo tempore non solverentur, extunc ipse episcopus in possessionas cessas tanquam in suas licite intromittendi haberet facultatem, et quamvis liceat ipsi domino episcopo in compellendis inobedientibus ecclesiasticae censurae potestate uti, tamen cum ipse episcopus subditis nostris, ne in animarum periculum veniant, libenter soleat parcere. Nos nolentes ipsum eiusque ecclesiam propterea detrimentum aliquod iurium suorum pati, vos et quemlibet vestrum districtius auctoritate nostra regia requirimus et hortamur, mandantes, ut iuxta priorem nostram sentenciam, pacta et convenciones memoratas, ipsi domino episcopo et capitulo eius Culmensi praedictas annonas aratrales sine omni excusacione solvere et de eisdem integraliter respondere ac subditos etiam et colonos vestros ad eandem integralem solucionem compellere curetis. Quod si infra tempora in pactis expressa non feceritis aut aliqui non fecerint requisiti, tum praesentibus literis nostris unicuique vestrum mandamus, ut postquam a consiliariis terrarum nostrarum Prussiae sub sigillo praesidentis et unius palatini in defectu sigilli communis terrarum citati fueritis, in loco et termino vobis assignando compareatis, et dicto domino episcopo vel eius capitulo super praemissis in iure respondeatis, sentenciam et decretum illorum audituri, cui ut sine excepcione pareatis omnino volumus. Cum autem dispendiosum esset hoc nostrum mandatum vobis singulis insinuare, volumus et mandamus, ut palatinus Culmensis singulis annis semel in congregacione nobilium palatinatus sui, quam primum illum fieri continget, hoc nostrum mandatum palam legi et publicari ipsumque actis seu libris officii sui aut iudicii terrestris ad perpetuam memoriam inscribi faciat, ac cuicunque legere cupienti illud ostendat, ne ignoranciae praetextus a quoquam valeat in velamen culpae afferri, decernentes huiusmodi publicacionem vim personalis insinuacionis habere debere, pro gratia nostra aliter non facturi. Datum in Wieliawesz die XXV mensis Octobris anno domini Millesimo quingentesimo quadragesimo tercio, regni vero nostri trigesimo septimo. — Ad mandatum S. R. Maiestatis proprium.

*Nach der gleichzeitigen Abschrift im Nachtrage des Cop. Culmense nr. 85 und deren Copie bei Mauritius nr. 85. Letztere enthält einzelne, wahrscheinlich nach dem Original gemachte Correcturen, die wir in Klammern beigefügt haben.*

## 972.

***1544. Januar 25. Petrikau.*** *Sigismund I., König von Polen, bittet die Räthe in Preussen, den Bischof und das Domcapitel von Culm bei Einziehung des ihnen gebührenden Pfluggetreides zu unterstützen.*

Sigismundus dei gratia rex Polonie, magnus dux Lithuanie, Russie, Prussie, Masouie etc. dominus et heres. Reverendis magnificis generosis nobilibus famatis dominis Episcopis, Palatinis, Castellanis, Capitaneis, Proconsulibus et Consulibus, ac ceteris terrarum nostrarum Prussie consiliariis in conventu proxime celebrando congregatis, sincere et fidelibus dilectis, gratiam nostram regiam. Reverendi, magnifici, generosi, nobiles, famati, sincere et fidelibus dilecti. Mandaveramus nuper omnibus dignitariis nobilibus terrigenis

civitatensibus et oppidanis terre nostre Culmensis, presertim etiam capitaneis et tenutariis bonorum nostrorum Radzyn, Brathian, Golub, Leben curie, Coualewo, Brodnitza, Grudzyancz, Pokrzywno, Byrzglow, curie Lipno, eorumque vicecapitaneis, burgrabiis sive prefectis, ut reverendo patri domino episcopo Culmensi et eius capitulo annonas aratrales, tam divino iure nomine decimarum, quam humano ex vi pactorum et contractuum super his firmatorum a quibuscunque terre illius habitatoribus ex prediis et agris arabilibus ipsi domino episcopo et capitulo debitas, videlicet unam tritici et alteram siliginis mensuras, annis singulis iuxta conventiones predictas et sentenciam nostram super hoc, dum novissime in terris nostris Prussie essemus, latam solverent ac a subditis et colonis suis integre persolvi curarent. Quod si infra tempora ibi expressa non facerent, iniunximus eis, ut postquam a v. g. et f. sub sigillo presidentis et unius palatini in defectu sigilli communis terrarum citati forent, in loco et termino assignando comparerent, nostro decreto sine excepcione parituri. Cum igitur tractacio huius cause non pertineat ad iudicium terrestre, cum sit ecclesiastici iuris, sed magis ad prosecucionem dicte sentencie nostre, quam execucione debita destitui iniquum esset, presertim cum conservacioni iurium ecclesiasticorum libenter pro officio nostro intendamus, vestris g. et f. committimus et mandamus, ut quoscunque vobis dictus dominus episcopus vel eius capitulum detulerit in solucione predicta aratralium tam propriarum quam subditorum suorum deficientes aut rebelles, coram vobis citatos et super impeticione ipsius domini episcopi vel capituli auditos, si contumaciam aut inobedienciam suam sufficienter purgare aut racionibus evidentibus ab huiusmodi accusacione se liberare nequiverint vel neglexerint, ad plenam satisfactionem omnium hactenus retardatorum ac in futurum contrahendorum debitorum cum effectu impendendam juxta constituciones et sentenciam nostram predictam ac pactorum super his initorum decreta aliisque oportunis iuris remediis vestro arbitrio moderandis compellatis, facientes quod decreveritis, appellacione remota firmiter observari, pro gratia nostra. Presentibus, quibus sigillum nostrum subimprimi iussimus, ad tempora vite nostre duraturis. Datum Piotrkouie in conventu generali festi conversionis Pauli anno domini Millesimo Quingentesimo quadragesimo quarto, Regni vero nostri trigesimo octavo. — Commissio S. R. M$^{tis}$ propria.

*Nach der Abschrift im Nachtrag des Cop. Culmense nr. 86 und deren Copie bei Mauritius nr. 86.*

## 973.

***1544.*** *Provinzialsynode der polnischen Bischöfe zu Petrikau unter dem Vorsitz des Erzbischofs Peter Gamrat von Gnesen. Unter anderen Beschlüssen auch folgender:* „Decrevit similiter, ut R$^{mi}$ domini synodis provincialibus intersint, absentes vero poena statuti percellantur, et statutum dudum contra absentes exequatur, et signanter contra episcopos Varmiensem et Culmensem."

*Constitutiones synodorum metrop. ecclesiae Gnesnensis provincialium. Stud. et op. Stanislai Karnkowski. Cracoviae 1579 4° fol. 27 und Constitutiones synodorum metrop. ecclesiae Gnesnensis etc. Cracoviae 1630 4 p. 93.*

## 974.

***1544. April 10. Loebau.*** *Tideman, Bischof von Culm und Administrator von Pomezanien, lässt ein Notariatsinstrument fertigen, worin er erklärt, dass er die Einladung des ermländischen Domcapitels zu der auf Mittwoch nach Ostern anberaumten Wahl eines neuen Domherrn an Stelle des im Februar verstorbenen Canonicus Johannes Rupoldi durch den abgesandten Boten erhalten habe.* Anno a nativitate Christi MDXLIIII. indiccione II. die vero Jovis sancta, decima mensis Aprilis, pontificatus Pauli III anno X. presentibus dominis Jacobo plebano in Szwinarz, et Johanne parrocho in Samplawa Culmensis dioc. Notarii: Jacobus de Ditrichsdorff alias Sczepanski, publ. apostolica auct. not. et Bartolomeus de Bidgostia, clericus dioc. Wladislav. p. imperiali auct. not.

*Original auf Pergament im Archiv des Domcapitels in Frauenburg.*

## 975.

***1545. Februar 23. Loebau.*** *Tideman Gise, Bischof von Culm, bittet den Bischof Johannes von Ermland um Vermittelung eines Streites über ein Culmer Canonicat.*

R^mo^ domino Joanni d. gr. episcopo Varmiensi. — *Praes. XXVI Februar a. XLV.*

R^me^ etc. Post eas, quas ad magnificum dominum palatinum Pomeraniae misi, R^me^ d. vre. literas de negotio illo instituto aliud non accepi, quam quas ille rescripsit, hic adiunctas, nec quid aliud expectem, video erepta tempestivitate prosequendae rei. — — Est casus nunc, in quo me quoque levare molestia R^ma^ d. v. opera sua poterit. Oeconomus meus Lubaviensis Paulus Cupener, tamquam possessor canonicatus et prebende domini olim Martini Czeme, citatus est Romam per Bartolomeum, filium iudicis terrestris Culmensis. Cuius cause statum in proximis nostris comitiis Marieburgensibus R^ma^ d. v. ex me intelliget, cupioque ipsius interpellatione litem etiam ipsam honestis mediis ibi dirimi, quod parvo negotio eventurum existimo. Oro igitur R^ma^ d. v. velit non gravatim mediatoris munus obire, ac dominum de Clement iudicem adducere, ut datis ad filium literis, de prosequenda lite ad proximum usque conventum nostrum supersedeat, habiturum ibi ipsam R^mam^ d. v. transigendae litis autorem, ne impendiis gravari quemquam sit opus. Erit hoc mihi gratissimum a R^ma^ d. v. Cui me commendatissimum ipsamque feliciter incolumem esse percupio. Datum Lubaviae die XXIII Februarii Anno etc. XLV.

R^me^ d. v. studiosissimus et obsequens Tidemannus Episcopus Culmensis.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 2 fol. 131.*

## 976.

***1545. März 7. Loebau.*** *Schreiben desselben in derselben Angelegenheit.*

R^mo^ . . . . . d. Joanni d. gr. Episcopo Vuarmiensi etc. — *Praes. VIII Martii a. XLV.*

R^me^ etc. Quas mihi R^ma^ d. v. communicaverat magnifici domini palatini Pomeraniae literas, cum iis, quas idem dominus ad me dederat, per servitorem meum novissime ipsa

accepit, nec sunt aliae apud me huius negotii. Ago gratias plurimas R^me^ d. v., quod suscepit provinciam conciliandae litis apud dominum Plementzki. Verum literae ad illum datae negotio nostro non sunt accommodae propter narrantes, oeconomum meum successisse in locum domini Martini, quae confessio esset directe contra nos, qui affirmamus illum nec canonicatum nec prebendam nec allodium domini Martini possidere sed aliunde ei ius canonicatus iam inde a triennio obtigisse. Quod cognoscet R^me^ d. vra. ex exemplo literarum Capituli mei, quas sub sigillo mecum afferam Marieburgum. Non gravetur igitur R^me^ d. v. iubere, ut recudantur literae ad d. iudicem sine specificatione canonicatus Martini, ac ad me per hunc, ut mittantur, oro. — — Datum Lubaviae die VII Martii Anno MDXLV.

R^me^ d. vrae. studiosissimus Tidemannus Episcopus Culmensis.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 2 fol. 132.*

## 977.

***1546. April 1. Loebau.*** *Tidemannus, Bischof von Culm, entschädigt die Dörfer Prontnica und Tynwalde für den durch Anlage eines Fischteiches ihnen zugefügten Schaden.*

Tidemannus, dei gratia episcopus Culmensis, notumfacimus omnibus, ad quos praesentes nostrae literae pervenerint: Quod cum nos singulari cura intendentes castri nostri Lubaviensis mensaeque episcopalis et dominorum successorum nostrorum episcoporum Culmensium commoditati vallem, quae confinia bonorum nostrorum episcopalium Pranthnicz et Tilewaldt coniungit et fluvio Pranthnicz usque ad terminos bonorum nostrorum Passzeke alluitur, ad parandam piscium copiam posito aggere instagnari fecerimus, ex qua aquarum stagnatione bona pars pratorum ad dictas duas villas pertinentium occupatur et immergitur: Nos volentes indemnitati hominum nostrorum, quorum agri ex huiusmodi restagnatione detrimenta patiuntur, compensatione aliqua consulere ac damnum datum sarcire, ipsis consentientibus huiusmodi cum eis fecimus compositionem, ut pro damnis inde acceptis habitatores villae Pranthnicz pro suo usu habeant et possideant ac inter se partiantur duos mansos ex iis, qui nunc pro desertis in dicta villa habentur, eis per nos limitatos et assignatos, ita ut plebanus suam etiam iustam in eis portionem, quam se iam accepisse coram nobis professus est, habeat vel a ceteris de illa, si usui proprio cedere voluerit, iuxta dictamen nostrum contentus reddatur. Villae autem Tilewaldt habitatores, qui damnum passi sunt, nomine aequivalentis compensationis fruantur parte pratorum ad deserta villae nostrae Lansen pertinentium, quam eis similiter signis et finibus propriis et per officiales nostros ad usum ipsorum in pascuis et foenicidiis, sine tamen vicinorum pratorum damno, exercendis, per ipsos mundandam et innovationibus necessariis conservandam assignari fecimus. Ita tamen ut, si in futurum contingat deserta dictae villae Lansen propriis possessoribus in toto vel in parte locari, prata quae ad mansos locatos

iusta mensuratione pertinebunt, ipsis restituantur, pro quibus aequam compensationem in aliorum pratorum concessione restituentibus impartire nos et successores nostri tenebimur. In quibus omnibus hanc volumus conditionem adiectam esse, ut si quando casu aliquo contigerit, cessante instagnatione prata praedicta aquis nudari et ad pristinum usum damnificatorum in toto vel in parte redire, tam mansi quam prata praedicta in compensationem data, ad nos nostramque dispositionem libere revertantur, servato ut unumquemque concernit, restitutionis aequilibrio et melioramentorum iusta aestimatione salva. In quorum omnium fidem, ut hic contractus firmiter servetur et suo tempore ratus permaneat, has literas sigillo nostro secreto subappenso sigillatas concessimus. Datum in dicto castro nostro Lubaviensi die prima mensis Aprilis, anno domini Millesimo quingentesimo quadragesimo sexto. Lucas David cancellarius subscripsi.

*Original auf Pergament mit dem Secretsiegel des Bischofs Gise an einem Pergamentstreifen im Culmer Diöc.-Archiv. Abschrift bei Mauritius nr. 131.*

## 978.

***1546. August 25. Culmsee.*** *Das Domcapitel von Culm cedirt zur Beilegung eines Streites wegen des Dorfes Broszie dem Bischof Tidemann von Culm das Gut Wipsanow (Mszanowo) bei Tyllitz.*

Nos Vincencius Kerger, senior, caeterique canonici et totum Capitulum ecclesiae Culmensis, notum facimus et attestamur, quod orta nuper lite et controversia inter reverendissimum in Christo patrem et dominum nostrum, dominum Tidemannum, episcopum Culmensem, et nos super villa Brosa in terra Lubauiensi sita, certisque annonis aratralibus et aliis quibusdam bonis a nobis nostroque Capitulo aliquamdiu possessis, quae a mensa episcopali indebite alienata dicebantur: Nos nolentes inter ipsum dominum nostrum episcopum eiusve successores ac nos successoresque nostros ratione praedictorum bonorum aliquam differentiae occasionem remanere, ac prospicere cupientes, ut deinceps nobis et Capitulo nostro liceat villam Brosa cum suis aratralibus aliaque bona controversa praedicta legitime et inperpetuum retinere et possidere, matura super his deliberatione, consilio et tractatu praehabitis, praefatam litem et controversiam amicabili inter nos composicione transegimus. Qua in aliqualem compensacionem hactenus quomodocunque in rem Capituli nostri a dicta mensa episcopali alienatorum praefato R^mo^ domino Tidemanno eiusque successoribus, episcopis Culmensibus, et mensae episcopali Culmensi supradictae, nostro et successorum nostrorum nomine, sponte et libere in rem et usum perpetuum eiusdem mensae episcopalis cessimus et renunciavimus, ac praesentibus cedimus et renunciamus bonis nostris Wipsanow appellatis, circa Velam et Dreuanciam, villae episcopali Tilicz conterminis, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis, prout a capitulo nostro hactenus sunt possessa, transferentes omne ius proprietatis, possessionis et dominii, quod in illis habuimus et habere potuimus, in ipsam mensam episcopalem et dominos

episcopos praedictos. Et praeterea possessiones, bona, census et proventus quoscunque, in quorum possessione, etiamsi legitime non praescripta, dictus dominus episcopus tempore datae praesencium reperitur et ad quos vel quae ius nobis aut vendicacio quoviscunque titulo competere vel praetendi posset, eidem domino nostro episcopo eiusque successoribus titulo iusti legitimique dominii perpetuo retinenda et possidenda permittimus, cedimus ac relinquimus, omni iuri et actioni, si quae vel quod competere nobis in illis vel illorum aliquo posset, praesentibus renuntiantes, iure pacti et transactionis perpetuis temporibus duraturae, utque praemissa omnia a sancta sede apostolica vel alio quocunque superiore ad id autoritatem habente confirmentur, praesentibus etiam consentimus ac instanter petimus. In quorum omnium fidem et testimonium praesentes nostras desuper fieri et Capituli nostri sigillo maiori subappendente fecimus roborari. Datum et actum in loco nostro capitulari apud ecclesiam Culmensem, nobis legitime congregatis, anno domini Millesimo Quingentesimo Quadragesimo Sexto, die vicesima quinta mensis Augusti.

*Original auf Pergament mit der Siegelschnur, wovon das Siegel verloren ist, im Culmer Diöcesan-Archiv. Abschrift bei Mauritius nr. 109.*

## 979.

***1546. September 5. Loebau.*** *Tidemannus, Bischof von Culm, überlässt seinem Domcapitel bei einem Vergleiche das Dorf Brosa.*

Tidemannus, dei et apostolicae sedis gratia episcopus Culmensis. Notum facimus et attestamur, quod cum quaedam controversia inter nos et venerabile Capitulum nostrum Culmense super restitutione villae Brosa et certarum annonarum aratralium ac aliorum quorundam bonorum, propter quorum a mensa episcopali olim factam alienationem ad sedem apostolicam appellaveramus, orta fuisset, demum ad amicabiles inter nos tractatus venientes pro bono pacis et concordiae, ne etiam in conservandis donationibus et iurium translationibus ab antecessoribus nostris, non in alienos, sed in capitulum ecclesiae nostrae factis, nimis immites haberemur, accepta aliquali alienatorum compensatione in bonis Wipsanou appellatis ab eodem capitulo nobis successoribusque nostris episcopis ac mensae nostrae episcopali cessis et perpetuo renunciatis, litem et controversiam praedictam finali inter nos compositione transegimus, qua nos pro nobis nostrisque successoribus villam praedictam Brosa, supra viginti annos ab ipso capitulo pacifice iam possessam, cum suis aratralibus, redditibus et aliis pertinentiis, praeterea quoque alias possessiones, bona, census et proventus quoscunque, in quorum possessione pacifica, etiamsi legitime non praescripta, dictum capitulum nostrum tempore datae praesentium reperitur, et ad quos vel quae ius aut vendicatio nobis vel mensae nostrae episcopali quoviscunque titulo competere vel praetendi ad praesens posset, eidem capitulo nostro pro consolatione et commodiori sustentatione canonicorum residentium et in ecclesia nostra iuxta illius statuta

personaliter ministrantium, non vi alicuius antea super iam dicta villa Brosa facti contractus sive conventionis, cum nullo iure subsistat, sed iure praesentis inter nos factae transactionis, ac alias gratuito libere et simpliciter, titulo iusti legitimique dominii perpetuo retinenda et possidenda permittimus et relinquimus cum omnibus iuribus et pertinenciis suis; renunciantes omni iuri et actioni, si quae vel si quod nobis in illis vel illorum aliquo competere possit, utque praemissa omnia a sancta sede apostolica vel alio quocunque superiore ad id autoritatem habente confirmentur, praesentibus etiam consentimus atque petimus. In quorum omnium fidem et testimonium praesentes literas sigillo nostro maiori subappendente iussimus sigillari. Datum et actum in castro nostro Lubaviensi die quinta mensis Septembris anno domini Millesimo Quingentesimo Quadragesimo Sexto, praesulatus nostri Anno Nono.

Lucas Dauid, Cancellarius subscripsit.

*Original auf Pergament, dessen Siegel abgefallen ist, im Culmer Diöc.-Archiv. Abschrift bei Mauritius nr. 141.*

## 980.

***1546. November 12. Krakau.*** *Sigismund I., König von Polen, confirmirt eine Urkunde des Hochmeister Conrad Zollner von Rotenstein vom 28. December 1382 betreffend das Anrecht des Culmer Domcapitels an den See Belczyn.*

Sigismundus, rex Poloniae, supremus dux Lithwaniae, Russiae, Prussiae, Mazoviae etc. dominus et haeres. Omnes, ad quos praesentes literae nostrae pervenerint et quorum interest, volumus esse notum, quod literas olim fratris Conradi Czolner de Rotenstein, magistri generalis domus sanctae Mariae Theutonicorum, eius sigillo subappenso roboratas, pro parte venerabilis Capituli ecclesiae Culmensis nobis oblatas ac coram nobis lectas, vidimus eius, qui sequitur, tenoris:

> Nos frater Conradus Czolner de Rotenstein etc. *wie oben S. 284 nr. 363.* Datum in castro Marieborg a. d. Millesimo trecentesimo octuagesimo secundo, Vigesimo octavo die Mensis Decembris.

Quas quidem literas a terrae Culmensis tunc possessoribus concessas, reverso ad nos et regnum nostrum ipsius terrae legitimo dominio, a nobis ratificari, approbari et confirmari, ac etiam innovari, dictum Capitulum humiliter petiit. Quam postulationem nos aequam considerantes, cassatis et ad nos receptis ipsis literis, omnia in eis contenta et descripta authoritate nostra regia ratificamus approbamus et confirmamus, ac praesentibus etiam nostris novi privilegii vim habituris concedimus ac innovamus. Quibus non secus ac superioribus a nobis abrogatis literis, quoad omnia in eis descripta, plenam fidem in judicio et extra adhibendam esse decernimus; volentes ab omnibus nostris officialibus, commissariis et judiciorum praesidentibus iuxta ipsarum vim et continentiam judicari, sublata eis aliter judicandi facultate. Harum, quibus sigillum nostrum est appensum,

testimonio literarum. Datum Cracoviae postridie festi divi Martini, anno domini Millesimo Quingentesimo Quadragesimo Sexto, regni vero nostri Quadragesimo. — Relatio reverendi in Christo patris domini Samuelis, Episcopi Cracoviensis et R. P. Vicecancellarii.

Samuel Eppus Cracoviensis et Vicecancellarius ss.

*Abschrift bei Mauritius nr. 201.*

## 981.

***1547. Juni 1. Culmsee.*** *Das Domcapitel von Culm verschreibt die Mühle in Molberg.*

Nos Senior, Canonici totumque Capitulum ecclesiae cathedralis Culmensis, significamus et notum esse volumus omnibus et singulis, ad quos praesentes nostrae literae pervenerint, quod cum molendinum nostrum frumentarium in Molberg[1]) in bello prutenico destructum et pro derelicto habitum, pluribus annis idoneo molitore carens pene collapsum, nullum fructum attulerit: nos intendentes restaurationi praedicti molendini, vendidimus illud discreto Caspari Karbaus de Timava[2]) pro certa summa pecuniarum iam exoluta, conferentes dictum molendinum praefato Caspari eiusque legitimis haeredibus et successoribus cum omni usu et utilitate jure Culmensi perpetuo possidendum, ita ut ipse Caspar eiusque in posterum haeredes et successores ipsum molendinum cum rotis et lapidibus molaribus ac septis, canalibus et aggeribus aliisque requisitis instrumentis et aedificiis, suis laboribus et expensis instruere et aedificare ac conservare sit obligatus. Ad quod nos aut successores nostri nullum ei subsidium ferre obligabimur, nisi vi aliqua inevitabili citra neglectum molitoris aggeris ruptura accidat, quo casu subditi nostri totiens, quotiens opus fuerit, ipsum aggerem advectionibus terrae exaltare et reparare iuvabunt, ac pro aedificio molendini robora per molitorem excisa adducere tenebuntur. Nomine vero census de dicto molendino ipse Caspar eiusque haeredes et successores pro festo s. Martini episcopi quadraginta octo modios siliginis ad curiam nostram Caurnick praesentare et persolvere, ac duos porcos pro nostris pecuniis emptos singulis annis in perpetuum saginare sine quavis contradictione tenebitur. Pro usu quoque curiae nostrae in Caurnick quaecunque frumenta ipse et successores sui gratis sine metreta molat. Quo vero melius se in ipso molendino sustentare et censum praedictum expedire possit, assignamus ei haeredibusque et successoribus ipsius unum mansum agri censualem, a quo more aliorum colonorum in Molberg agentium solvet, liberum tamen a laboribus consuetis currulibus, non tamen manualibus, et duos hortos prope molendinum sitos, cum prato iacente prope sylvam maly Biskupietz dictam contiguo prato, quod homines de Molbergk secare consueverunt ad curiam, ex antiquo ad molendinum illud pertinente. De speciali quoque gratia concedimus eis in stagno nostro Molberg facultatem piscandi cum instrumentis almanice

---

1) *Nelberg bei Kauernik.* 2) *Thiemau, östlich von Lessen im Kreise Graudenz.*

nuncupatis hantwate et hamen, tempore tamen foeturae excepto, ad ipsorum mensam duntaxat et nequaquam ad vendendum vel aliis donandum. In quorum omnium fidem et testimonium has nostras literas concessimus sigillo nostro maiori capitulari communitas. Datum in Culmenseh I die Junii anno domini M°. D. XLVII.

*Nach der gleichzeitigen Abschrift im Nachtrage des Cop. Culmense nr. 83 und deren Copie bei Mauritius nr. 83.*

## 982.

***1547. Juni 3. Rom.*** *Papst Paul III. verleiht das durch die Resignation des Domherrn Raphael von Conopath vacante Canonicat in der Kirche Ermlands an Johannes Lubodzieski.* Dat. Romae apud S. Petrum anno incarnationis dominicae Millesimo quingentesimo quadragesimo septimo, Tertio Nonas Junii, pontificatus nostri Anno Tertiodecimo.

*Original auf Pergament (sehr defect) im Culmer Diöc.-Archiv.*

## 983.

***1547. Juni 22. Unyetow.*** *Erzbischof Nicolaus Dzierzgowski von Gnesen lässt den Bischof Tidemann zu der auf den 15. September zu Petrikau angesetzten Provinzialsynode auffordern.*

Nicolaus d. gr. sanctae ecclesiae metropolitanae Gnesnensis Archiepiscopus, Legatus natus et regni Poloniae Primas, honorabilibus et discretis viris ecclesiarum rectoribus et eorum vicariis et locatenentibus notariisque et tabellionibus publicis per et infra diocesim Culmensem et alias ubilibet constitutis presentibus requirendis salutem in domino. Noveritis iam nos pro officii nostri pastoralis debito sinodum sanctam provincialem feria quinta post festum Exaltationis s. Crucis proxima Piothrcowie in ecclesia parrochiali celebrandam indixisse et statuisse. Sed quam non ignoramus, quid in precedentibus provincialibus sinodis fuerit frequentius determinatum atque sanctum, et quid in proxime praeterita sinodo per immediatum antecessorem nostrum ultimo celebrata decretum et cum adiunctione poenae innovatum sit, ut quoque R$^{mus}$ dominus Episcopus Culmensis ad corpus provinciae nostrae revocaretur et ad sinodum provincialem invitaretur et processu monitorio vocaretur. Quare non erat nobis integrum huiuscemodi sanctionem sinodalem in executionem non deducere, sed suam R$^{mam}$ D$^{nem}$ ad eandem provincialem iam per nos dictam sinodum vocare coacti sumus. Vobis itaque executoribus supradictis in virtute sanctae obedientiae et sub excommunicationis poena, auctoritate Legationis natae apostolicae et nostra Primitiali mandamus, quatenus personaliter accedentes R$^{mum}$ in Christo patrem et dominum Tidemannum d. gr. episcopum Culmensem, illius D$^{nem}$ R$^{mam}$, instante actionum sinodalium procuratore, moneatis et requiratis atque suam D$^{nem}$ uno edicto pro tribus et peremptorie citetis; quem et nos presentibus monemus et requirimus, atque etiam citamus et convocamus, ut Piothrcovie pro termino suprascripto in sinodo iam statuta sub trium

millium ungaricalium et excommunicationis poenis compareat ad tractandum et sinodaliter concludendum de omnibus et singulis in processu nostro sinodali atque articulis et aliis in literis nostris privatis contentis, ad suam Dnem Rmam per nuncium nostrum missis, per nosque et alios, prout necessitas et utilitas ecclesiarum exposcere videbitur, ibidem proponendum, et ad dandam rationem, cur se a corpore provinciae huius nostrae alienari vellet; certificantes suam P. Rmam, quod sive pro die locoque praedictis comparuerit sive non, nos nichilominus cum praesentibus et interessentibus contra contumacem deo dante procedemus, absentia seu contumacia in aliquo non obstante; Citantes nichilominus eundem Rmum d. Episcopum ad videndum suam Dnem ob non paritionem praemissorum sententiis excommunicationum innodari et in poena trium millium ducatorum auri ungaricalium per nos sinodaliter condemnari. Datum in arce Vnyeiowiensi die vigesima secunda mensis Junii anno domini M. D. XLVII. nostro sub sigillo.

Lucas Bylina, curiae suae Rmae Dnis notarius, subscripsit.

*Abschrift auf Papier im Kgsb. St.-Archiv.*

## 984.

***1547. Juli 26. Löbau.*** *Tidemann, Bischof von Culm, bittet den Herzog Albrecht, seinen Bruder Wilhelm von Brandenburg. Erzbischof von Riga, dessen Suffragan er sei, anzuzeigen, dass er zur Gnesener Provinzialsynode geladen sei, und ihn um Anweisungen zu bitten, wie er sich zu verhalten habe.*

Durchlauchster hochgeborner furst, hochgunstiger herr vnd freundt. — — Ich kan euern furstlichen d. vertrawter mehnung nicht verhalten, das mir am nehst verschynenen freitag ein monitorium penale mit angehefter citation vom herrn Ertzbischoff von Gnysen ausgangen lauts eingelegter copey, durch seiner l. abgefertigten notarium vberantwort ist worden. Nu habe ich mich vor diser czeit, wan ich zum synodo in die kron zu Polen gefurdert, allwege zum Ertczbischtumb Rige, als dem ich von bapstlicher heilickeit in meiner promotion befolen, gezogen vnd gehalten. Itz aber dyweil ich mit sulchem ernst vnd geschwinden furnemen angezogen werde, bin ich in czweifel, wie ich mich davon erretten moge, wo der hochwirdigst vnd durchlauchtige mein hochgunstiger herr Ertzbischoff, euer f. d. bruder, sich seiner sachen selbst nicht wirt wollen annehmen, dan als viel mein person antrift, wuste ich mich der fahr des orts wol zu erfreyen. Damit ich aber nicht geachtet, als der kein vffsehn vff seine hochwirde vnd vff mein geburlich ampt habe, wil ich euer f. d. mit freuntlicher bitt ermanet haben, sie wolle gedachten hern iren bruder dis handels, so mit mir furgenommen, verwarnen vnd darnach, wes ich mich von seiner hochwirden diss falls zu vortrosten habe, mir zu wissen geben. Wo mir auch ire hochw. einen bericht vnd die jura, damit das ius metropoliticum zu vertreten, wolte zustellen, wolte ich mich dar nach auch wissen zu halten. Das ich mich aber

enthalte seiner h. selbst hyvon zu schreiben, haben euer f. d. die vrsach wol zu ermerken. Daneben ist mein gantz fleissig bitt, euer f. d. wolten mir als irem dinstwilligen iren gunstigen raet, wes mir diss falls zu thun, mitzuteilen nicht vorsagen, welchs ich gen dieselbe euer f. d., die ich hiemit der genaden gotts zu langer gesuntlicher enthaltung thu befehlen. In aller dinstlicher willfarung etc. Datum Lobaw den XXVI Juli am etc. XLVII jare.

Euer f. durchlaucht gantcz williger Tidemannus v. g. gn.
Culmischer bischoff eigener hant.

*Original auf Papier mit Siegel des Bischofs im Kgsb. St.-Archiv.*

## 985.

***1547. August 5. Löbau.*** *Tidemann, Bischof von Culm, schreibt dem Herzog Albrecht, es wäre rathsam, dass der Erzbischof von Riga ihn und den Bischof von Ermland an seine Pflicht erinnere, weil er damit sein Wegbleiben von der Synode zu Petrikau entschuldigen könnte.*

Dem Durchlauchtigsten hochgebornen Fürsten vnd herrn herren Albrecht v. G. gn. Marggraffen czw Brandenburck in Preussen, zw Stetyn, Pommern, der Cassuben vnd Wenden Herczogen, Burggrafen czw Nurchberck vnd Fursten czw Rügen, vnserm vielgunstigen herren vnd frunde.

Durchlauchster hochgeborner furst, grosgunstiger herr vnd freundt. Mein gutwillig dinst etc. Es haben etliche meine guten freund in sachen meiner furderung zcum synodo fur gut angesehn, das der hochwirdig hochgeborn herr Ertzbischoff czu Riga etc. vor dem termin meiner ladung vffs aller erst mich thet erfurdern vnd ermanen zu geburlicher pflicht vnd obedientz etc., damit ich mich hett darauff zu czihn etc. Das habe ich ewer f. d. nicht wollen verhalten. Were vileicht auch zu richtig, das dergleich dem herrn von Ermlant bescheh. Das alles will ich zu ewer f. d. bedenken vnd wolgefallen gestellt haben, alles vertreulich, vnd mich daneben ewer f. d. libe vnd gunst befelen haben mit wunschung der gnaden gotts in langer gesuntliche enthaltung, zu vnserm trost in diser fahrlichen czeit. Dat. Lobaw freitags den V Augusti im jare etc. XLVII.

Euer f. d. gantz williger diner Tidemannus Colmischer bischoff
manu propria.

*Eigenhändiger Originalbrief auf Papier mit Siegel (Wappen wie bei Treter) im Kgsb. St.-Archiv.*

## 986.

***1547. August 8. Löbau.*** *Tidemann, Bischof von Culm, schreibt dem Bischof Johannes von Ermland in Bezug auf die Aufforderung des Erzbischofs von Gnesen zur Provinzialsynode.*

R$^{mo}$ domino Joanni d. gr. episcopo Varmiensi. — *Praes. IX Augusti XLVII.*

R$^{me}$ etc. Quae heri a R$^{mo}$ domino Archiepiscopo reversus nuncius meus retulit, R$^{mae}$ d. vrae. presentibus mitto, unacum literis ad ipsum datis. Videbit R$^{ma}$ d. vra., qua

ratione R$^{mus}$ d. Archipraesul eludat, quae de excommunicatione et tribus millibus edixerat, quasi liceat iudici etiam comminari ea, quae iniqua et supra potestatem ipsius sunt, et tamen extensionem poenarum etiam comminatur in paream. Si R$^{ma}$ d. vra. relegerit decretum superioris synodi olim a me communicatum, quo contra episcopum Culmensem procedendum statuebatur, videbit illius terminos plurimum esse egressum monitorum, quod tamen illo decreto niti vult videri. Ad S. Regiam M$^{tem}$ etiam scripsi per Hartowski, ut in exemplo indito R$^{ma}$ d. v. legat, etiam ad R$^{mum}$ d$^{num}$ Cracoviensem latissime cum literis R$^{me}$ d. v. Sed vereor me non effugiturum necessitatem mittendi ad synodum cum excusationibus, fortasse et provocatione. Quidam amicus secreto mihi credidit, hoc consilio rem istam agi in Polonia, ut, cum praelati ecclesiastici coacti fuerint ad obedientiam, facile etiam sit futurum, reliquos Prutenos seculares redigere in officium, ut regni consiliis et obsequiis pariter communicent. Non dispar est confidentia de hic exterminanda universa haeresi efficacibus sententiis huius synodi, quasi hoc solum intendatur, et non prius etiam per totam Poloniam hoc sit conandum; reliqua taceo. R$^{me}$ d. vre. fraterno amori et praesidio unice me commendo. Quam ut Christus diutissima prosperitate servet, precor. Novarum rerum prorsus nihil apud me est. Lubavie die VIII Augusti 1547.

Eiusdem R$^{me}$ d. v. observantissimus Tid(emannus) episcopus Culmensis.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 2 fol. 141.*

## 987.

***1547. August 18. Petrikau.*** *Stanislaus Hosius an Tideman Gise über die Berufung zur Gnesner Provinzialsynode.*

R$^{mo}$ domino Tidemanno d. g. Episcopo Culmensi. — *Praes. 24 Augusti 1547.*

R$^{me}$ etc. Graviter ex catharo laboro, quae res in causa est, quod manu mea scribere non potui. Rogo, ut boni consulat R. d. vra. Egi cum R$^{mo}$ d$^{no}$ de negotio, quod exhibetur R$^{me}$ d. vrae.; cuius quae sit sententia, ex illius responso cognoscet. Audivi pro certo affirmari, quod habeantur documenta, ex quibus ostendi possit et ostendetur fortasse suo loco, quod Culmensis diocesis ad provinciam Gnesnensem pertineat. Id si ita est, causam non video, quam ob rem R$^{mum}$ d. Archiepiscopum Gnesnensem suum metropolitanum non agnoscat. Deinde neque illud intelligo, quid sit opus longis prorogationibus, quandoquidem per nuntium haec res expediri potest. Cui si ostensum fuerit, quod subsit R$^{ma}$ d. vra. Gnesnensi provinciae, necesse est, ut acquiescat; si minus, adigi non poterit R$^{ma}$ d. v., ut eum superiorem agnoscat, qui ius, ut vocant, superioritatis non indicaverit. Quamobrem fidele meum consilium est, ut R$^{ma}$ d. v. cognosci de eo velit, quid sit in re; nihil dubitet de eo, quasi alia ratione quam iure contra eam procedi debeat. Neque R$^{mus}$ d. Archiepiscopus est eiusmodi, ut id faciat et si esset eo ingenio, quo non est, obstaret R$^{mus}$ D$^{nus}$ meus, obstarent fortassis et alii episcopi. Egit mecum Artovius de his, quae sibi postulat expediri R. d. vra. Mandatum ad dominum castellanum Elbin-

gensem expeditum est. Ceterum de donatione illa difficile est hoc tempore agere; cum ipsa venerit R$^{ma}$ d. v., citius rem ex sententia confecerit. Prorogatio fieri non potuit nisi ad alterum synodum, quod longum fore videbatur. Neque enim scio, utrum extra synodum R. d. Archiepiscopus de hac causa cognoscere possit. Sed si deliberatum est omnino R$^{mae}$ d. vrae., ut nolit causam hanc cognosci, mittat nihilominus suum nuntium, qui petat terminum prorogari legitimis ex causis; nam nisi id fecerit, metuo, ne contra illam tanquam contumacem procedatur. Opto R$^{mam}$ d. vram felicissime valere. Datum Piotrkoviae feria quinta post festum Assumpcionis Mariae. — —

Eiusdem R$^{mae}$ D. v. servitor deditissimus Stanislaus Hosius.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 19 fol. 74. Gedr. Hipler et Zakrzewski, St. Hosii epistolae I 237 nr. 259.*

## 988.

***1547. August 21. Löbau.*** *Tideman, Bischof von Culm, schreibt aufs neue an den Bischof Johannes von Ermland wegen der Einberufung zur Gnesner Provinzialsynode.*

R$^{mo}$ . . . . . d$^{no}$ Joanni d. gr. Epo. Varmiensi etc. — *Praes. XXIII Augusti a. XLVII.*

R$^{me}$ etc. Cum hic mihi notus nobilis ad R$^{mam}$ d. v. proficisceretur, nolui negligere occasionem remittendi ad illam literas R$^{mi}$ domini Archiepiscopi, qui, quamvis nunc simulet causam esse, cur praetereatur R$^{ma}$ d. v., tamen cum in superioris synodi decreto omnes episcopi Prussiae de subiectione condemnentur, facile recantabit, praetextum habens prioris decreti, quod rescindere non potuerit. Cautam igitur esse oportebit R$^{mam}$ d. vram. quae, si adherere mihi voluerit in hoc synodali iudicio, commodius et facilius hoc illi erit nunc quam postea novam obire molestiam, essetque id etiam mihi conducibile et valde gratum. Cogitavi illuc mittere unum ex capitulo meo cum cancellario meo. Si ipsa R$^{ma}$ d. vra. non mittet, opus mihi erat bulla apostolica, qua in promotione sua ad ecclesiam Culmensem commendata est Rigensi archiepiscopo, quam ut mihi mittat, precor. Alia postea. — — Datum Lubaviae XXI Augusti Anno etc. XLVII.

E. R$^{me}$ d. vrae. obsequentissimus Tidemannus Episcopus Culmensis.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 2 fol. 142.*

## 989.

***[1547. September.] O. J.*** *Memorandum, dass das Culmer Bisthum als Suffraganbisthum zur Rigaer Provinz gehöre.*

Pro informatione jurium et originalis fundationis ecclesiae Culmensis contra eos, qui affirmant, eam ex bonis episcopatus Plocensis fundatam sub metropolitica subiectione Archiepiscopi Gneznensis semper fuisse et manere debere, quemadmodum et Chronica[1])

[1]) *Matthias a Miechow, Chronicon regni Poloniae. Cracoviae 1521. Lib. IV c. 3 und 62 p. 196 und 320.*

Polonorum libro IV. Cap. III et LXII asserere videntur, et nunc quoque a dominis Archiepiscopis iurisdictio in eam tanquam suffraganeam praetenditur. Notanda sunt, que sequuntur.

Terra Culmensis, quae est Mazoviae et Cuiaviae contermina, olim ante annum domini 1200 christiana existens, sub ducibus Mazoviae fuit, et verisimile est, eam eo tempore sub diocesi Plocensi fuisse et episcopum Plocensem aliquas etiam possessiones iure diocesano in ea habuisse, unde et tanquam a terris Prutenorum, qui pagani erant, distincta habebatur, nec erat tunc ecclesia Culmensis aut episcopus.

Ex annalibus vero, multis bullis apostolicis et aliis documentis deprehenditur a iam dicto anno 1200 terram illam a Pomezaniensibus prutenis totam vastatam et in solitudinem redactam fuisse, omnibus parrochialibus ecclesiis desolutis et religione prope extincta, quod etiam ex bulla Innocentii IIII. divisionis terrarum Prussiae in quatuor dioceses comperitur, ubi terra Culmensis desertum appellatur, in quod tunc primum homines intraverint, cum ordini Teutonicorum per cessionem assignaretur, videlicet anno 1230. Item ex literis[1]) erectionis ecclesiae Culmensis, in quibus refertur, quod in ipsa diocesium limitatione, que facta est anno 1243, parrochiales ecclesiae nullae vel paucissimae erant propter Christianorum, quos feritas Prutenorum expulerat, exterminium. Quae desolatio multis annis superioribus duraverat, unde factum est, ut, cessante et extincta omni iurisdictione episcopi Plocensis et christianae religionis cultus, summus pontifex circa annum 1214 mitteret in terram Culmensem ad praedicandum et restaurandum cultum ecclesiasticum quendam ordinis Cisterciensis, vocatum Christianum, quem et Prussiae episcopum constituit et nominavit tanquam in nova plantatione ecclesiae, data ei facultate constituendi in Prussia episcopos, ut est in bulla[2]) Innocentii IIII., cum videlicet Plocensis, qui eatenus fuerat in terra Culmensi diocesanus episcopus, diocesim illam suam haberet pro derelicta, ac in rebus desperatis etiam probaret et ratam haberet, imo et de consensu Capituli sui promoveret ac confirmaret novam illam plantationem et novam iurisdictionem episcopi Prussiae. Nam et possessiones suas omnes cum omni iure spiritualium et temporalium eidem Christiano novo episcopo eiusque successoribus, quem et ipse in literis appellat episcopum Prussiae, consentiente etiam Archiepiscopo Gneznensi, cessit et donavit anno 1222.[3]) Quo tempore etiam Conradus dux Mazoviae et alii pii homines reliquam fere omnem terram Culmensem in perpetuum usum et proprietatem eiusdem Christiani episcopi et successorum eius, qui in recuperatione occupatorum per paganos eorumque expulsione ac religionis restauratione multam fructuosam operam, ut in literis suis ipse dux confitetur, iam impenderet, perpetua donatione transtulerunt. Ex quibus constat, primam illam mutationem diocesanae iurisdictionis in terra Culmensi ex ordinatione apostolicae sedis in terris desolatis ac pro derelicto habitis et cessis, ipso

---

[1]) *S. ob. nr. 29.* [2]) *Preuss. Urk.-B. I nr. 19.* [3]) *Preuss. Urk.-B. nr. 41.*

etiam annuente Plocensi episcopo, factam esse, super quibus documenta insignia sub sigillis ducis illius et aliorum principum Poloniae ac archiepiscopi Gneznensis et episcopi Plocensis extant.

Quoniam vero non solum in terra Culmensi sed etiam in aliis terris Prussiae ex manibus infidelium eodem tempore ereptis multae novae dioceses, videlicet ipsa Culmensis ac Pomezaniensis, Varmiensis et Sambiensis cum suis episcopalibus sedibus a legato apostolico erectae, distinctae et limitatae fuerant, quibus etiam accedebant ex devictis in Livonia et Curonia paganorum terris de novo institutae dioceses nulli adhuc metropolitano subiectae, cum post obitum Christiani et cessionem donatarum terrarum anno 1230 ordini cruciferorum per eum factam novus ille episcopatus Prussiae multis annis vacavisset: Innocentius Papa IIII eundem in Archiepiscopalem sedem erexit, ad quam anno 1244 ab Almachana ecclesia transtulit Heydenricum,[1]) quem et archiepiscopum Prussiae instituit et appellavit, subjiciens ei omnes Prussiae Livoniae et Estoniae episcopos, proprios archiepiscopos non habentes, cum videlicet ecclesia Rigensis nondum esset metropolitico iure insignita. Qui Heidenricus, Prussiae archiepiscopus, ab ipso papa propriis manibus consecratus, accepta porcione sua in terra Culmensi et Lubaviensi, quae ex divisione dicti legati Culmensi episcopo debebatur, ecclesiam cathedralem anno 1251 fundavit ac erexit, et primus mutato titulo episcopus Culmensis est vocatus et vivens usque ad annum 1254[2]) nunquam est de subiectione ab archiepiscopo Gneznensi solicitatus neque a Plocensi episcopo de bonis cessis impetitus.

Post huius obitum anno statim sequenti, videlicet 1255, vacante hac archiepiscopali sede, cum facultates ecclesiae Culmensis, ut verisimile est, viderentur non sufficere statui archiepiscopali et curae tot suffraganorum, Alexander papa IIII. ecclesiam Rigensem[3]) constituit metropolitanam, cui ecclesias omnes praedictas Prussiae et Livoniae ac nominatim etiam Culmensem ecclesiam ut suffraganeas subiecit. De quo extat sumptum sub bulla Clementis pape IIII. Et licet in bulla Alexandri in recitacione suffraganearum addatur clausula „ut dicitur", quia fortasse de aliqua illarum non poterat haberi sufficiens informatio, tamen cum papa illarum omnium subiectionem huic primo archiepiscopo Rigensi et eius successoribus statim confirmet, et postea id etiam usu fuit receptum et continuatum de ecclesia Culmensi, ut infra patebit, non relinquitur occasione illius clausulae dubium aliquod.

Nec habet locum, quod objicitur, ecclesiam Culmensem fundatam esse ex bonis ecclesiae Plocensis. Nam etiamsi hoc verum esset, tamen non consequitur ius metropoliticum idem quod prius mansisse, cum papa de Culmensi a radice propriam diocesim ac propriam provinciam, ut praedictum est, constituisset, ac deinde etiam expresse ecclesiam Culmensem ad aliam provinciam videlicet Rigensem transtulisset, quod facere ei ex

---

[1]) *Derselbe Irrthum bei Luc. David III 28.* [2]) *S. ob. p. 524 Beil. II.* [3]) *S. ob. nr. 45.*

plenitudine potestatis licuit. Cuius facti etiam extant priorum temporum non pauca exempla iure approbata, ut in Extravagante „Salvator noster“ Johannes papa XXII. diocesim Tolosanam divisit in quinque dioceses, quibus et cathedras constituit, et ipsam Tolosanam ecclesiam a provincia Narbonensi eximens fecit metropolitanam. Cui et alias cathedrales ecclesias, quae prius alterius provinciae fuerant, tanquam suffraganeas subiecit. Idem de ecclesia Cesaraugustana constituisse et Cortonam a diocesi Aretina separatam in cathedralem erexisse scribitur. In simili ergo nostro casu dominus archiepiscopus Gneznensis reclamare contra dispositionem sedis apostolicae nunquam potuit, minime vero nunc post tam longi temporis usum.

Neque tamen constat, quod suppositum est, Culmensem ecclesiam ex bonis Plocensis episcopi fundatam esse. Nam etiamsi aliquid contulit causa pietatis, quod non negatur, tamen postea per litem sua repetens, pro desertis et desperatis bonis sub dubio eventu donatis compensationem sufficientem in certis et cultis bonis ab ecclesia Culmensi accepit cum nova omnium renunciatione, ut solennibus documentis probari potest, quae quisquis legerit, dicet honestius taceri quam exprobari hoc qualecunque beneficium, minus autem hoc esse apparebit, si ad ea conferatur, quae dux Mazoviae et ceteri pii constanter donaverunt, qui tamen non gloriantur se ecclesiam Culmensem fundasse.

A prima autem illa translatione ecclesiae Culmensis ad provinciam Rigensem continuatam semper fuisse subiectionem istam sine interruptione usque ad bella, quae maiora vocantur, et inde etiam usque in hoc tempore, ex sequentibus constabit.

Mortuo Heidenrico primo episcopo Culmensi, electus est Fridericus, quem Urbanus papa IIII. mandavit confirmari et consecrari primum ab archiepiscopo Rigensi ut suffraganeum, deinde, illo in mora reperto, ab episcopo Herbipolensi[1]) sedis apostolicae auctoritate, ita ut nomine Rigensis archiepiscopi ab illo recipiat fidelitatis solite iuramentum, quod et factum est. Bullae papales extant. Vixit hic quietus usque ad annum 1274, archiepiscopo Gneznensi nihil movente.

Post hunc eodem anno electus et ab archiepiscopo Rigensi confirmatus est Wernerus episcopus, accepta facultate ab eodem archiepiscopo de recipiendo munere consecrationis a quocumque episcopo, prestito iuramento solito fidelitatis. Super his extant literae.[2]) Ex antiquis actis constat, hanc litem fuisse non super subiectione sed super excommunicatione, quam Wernerus ut executor literarum apostolicarum in archiepiscopum extenderat. Postea anno 1284 capitulum adhuc adhesit Rigensi petendo et obtinendo ab eo incorporationis ad ordinem factae confirmationem,[3]) in qua appellat ecclesiam Culmensem suffraganeam suam, et sic mansit res etiam tunc integra. Hic obiit anno 1291.

Mox post hunc electus et a Rigensi confirmatus est Henricus episcopus, contra quem Jacobus archiepiscopus Gneznensis anno 1294 impetravit a Bonifacio papa VIII. rescriptum

---

1) *S. ob. nr. 73.* 2) *S. ob. nr. 87.* 3) *S. ob. nr. 102.*

et coram iudicibus delegatis in Polonia litem[1]) movit, ut patet ex actis, quae extant, usque ad annum 1297. Sed nihil profectum esse testantur Chronica Polonorum loco suprascripto et idem constat ex literis eiusdem archiepiscopi datis huius successori, de quibus mox. Obiit anno 1301.

Hunc secutus est Hermannus episcopus, quem in totum abstinuisse a Gneznensis obedientia constat ex literis ei datis per dictum dominum Jacobum archiepiscopum anno 1310, quibus confitetur et protestatur episcopum Culmensem non esse de ipsius iurisdictione vel subiectione. Litterae habentur in actis capituli.[2]) Obiit anno 1311. Post hunc vacavit ecclesia annis IX.

Nicolaus ordinis praedicatorum intravit 1320; obiit 1323. De hoc nihil habetur.

Deinde Otto ecclesiae praefuit ab anno 1324 usque ad annum 1349, quo defunctus est. Huius tempore cum archiepiscopus Rigensis continuo apud sedem Romanam resideret, Johannes papa XXII. anno 1332 commisit episcopo Osiliensi, ut episcopos suffraganeos archiepiscopi Rigensis, ipso manente apud sedem apostolicam, electos confirmet et consecret. Inter quos suffraganeos nominatus est etiam Culmensis. Bulla papae inserta est literis episcopi Osiliensis, quae extant.[3])

Huic sine molestatione etiam mortuo successit eodem anno Jacobus. Huius electionem episcopus Rigensis, cuius literae extant,[4]) confirmavit, consecrationis munus committens caeteris provincialibus episcopis vel vicinis Plocensi et Wladislaviensi. Obiit 1359.

Successit Joannes Schadewaldt, qui quamdiu praefuerit ignoratur. Translatus enim fuit ad ecclesiam Hildesemensem, nisi quod certum est, eum ultra VII. annos non praefuisse.

Huius successorem Wigboldum constat anno 1367 fuisse episcopum. In multa perturbatione etiam a suis captus, cessit demum episcopatui ante annum 1387. Coloniae in exilio defunctus anno 1400.

Reinhardus, comes de Czeitz, post cessionem Wigboldi circa annum 1386 praefuit usque ad annum 1390, quo obiit.

Post hunc Nicolaus Schippenpell anno 1398 translatus est ad ecclesiam Caminensem.

Huius successor Joannes dux Opoliensis et ipse translatus est ad ecclesiam Wladislaviensem anno 1402. Extat bulla[5]) Bonifacii IX., qua hunc translatum constituit administratorem dimissae ecclesiae Culmensis, ratione cuius administrationis eum in episcopatu polono iam praesidentem commendat archiepiscopo Rigensi ut suffraganeum. Cui ordinationi nemo in Polonia reclamavit. Unde apparet usum Rigensis subiectionis iam tunc fuisse receptum et praescriptum.

Post expirationem huius administrationis Arnoldus ab anno 1403 praefuit usque ad annum 1416, quo mortuus est.

---

[1]) *S. ob. nr. 136.* [2]) *S. ob. nr. 166.* [3]) *S. ob. nr. 235.* [4]) *S. ob. nr. 292—3.* [5]) *S. ob. nr. 433.*

Electus post hunc Joannes Marienaw fuit in episcopatu usque ad bellum, sub quo relicta sede sua Thoruniam abiit anno 1457 et ibi defunctus est.

Sub his memoratis XV episcopis Culmensibus per annos (ut et Chronica Polonorum testantur) circiter ducentos ecclesia Culmensis Rigensi metropoli subfuit nec ab illa unquam recessit, quamvis litibus molestata, quod tamen semel tantum contigisse certo constat sub Hinrico episcopo per dominum Jacobum Gneznensem, de qua lite et Polonorum Chronica non tacent. Quae an tanti temporis praescriptionem interrumpere ac tollere potuerit, videndum est.

Deinde terra Culmensi sub potestatem serenissimorum regum Poloniae redacta, sub ipso bello dominus Vincentius Kelbas Culmensi et Pomezaniensi ecclesiis praefectus episcopus. Cuius archiepiscopi iurisdictione usus sit, ignoratur; verisimile est eum Rigensem non agnovisse. Neque de Stephano eius successore certum quid habetur. De Nicolao Crapitz similiter ambigitur.

Postremorum trium episcoporum Joannis Conopat, Joannis Dantisci nunc Varmiensis, et moderni Tidemanni bullae promotionis extant, quibus archiepiscopo Rigensi tanquam metropolitano subduntur illique commendantur ut suffraganei, a qua obligatione discedere non utique est in potestate eorum, qui subiecti sunt, praesertim cum forma eiusmodi commendationum sive subiectionum recipi soleat ex libris Cancellariae apostolicae, in quibus ecclesia Culmensis provinciae Rigensi a[d]scripta dicitur, ut antiqui cuiusdam libri ex Consilio Basiliensi allati et in biblioteca Lubaviensi reperti exemplum testatur, et nunc quoque in usu et observantia id reperitur.

Quod vero Chronica Polonorum memorant, post bella prutenica in foedere perpetuae pacis cautum esse, ut ecclesia Culmensis sit reunita metropoli Gnesnensi, hoc vigorem quidem habet inter paciscentes serenissimum regem et ordinem, quatenus illorum interest. An vero etiam tollere valeat ius tercii, videlicet Rigensis archiepiscopi, cuius potissimum intererat pactionibus intervenisse, ipsius est in iure contendere et experiri, non suffraganeorum, qui, cum ab illius obedientia non sint absoluti sed magis etiam a sede apostolica personalibus novisque obligationibus irretiti et ad illius subiectionem remissi, non potuerunt haec foedera relevare aut tueri illos ab impetitione Rigensis ius suum prosecuturi, quin cogantur sedi apostolicae obedire et fortasse poenas rebellionis luere, si se citra eiusdem sedis mandatum iurisdictioni Rigensis subduxerint, praesertim cum pro subsistentia illorum foederum adhuc desideretur approbatio apostolice sedis, nihil ad confirmationem efficiente subscriptione Lavantini Legati, quem exhortatorem persuasorem et mediatorem tantum accessisse ipsum foederis diploma ostendit. Nec stabilietur ius R$^{is}$ domini Gneznensis, etiamsi aliquis suffraganeorum ab eo impetitus succurebat vel locum eius voluntati det. Aut igitur ipse Rigensis est conveniendus in iure, aut a sede apostolica

impetrandum mandatum et licentia, ut suffraganei episcopi relicta obedientia Rigensis ad Gneznensis subiectionem se conferant.

*Abschrift auf Papier im Kgsb. St.-Archiv. Die Handschrift verweist auf den Copisten des Lucas David, und ist zu vermuthen, dass letzterer der Verfasser ist.*

*1548 Januar 6 — Februar 3 war Bischof Gise auf dem Reichstage zu Petrikau. Seine Rede vor dem Könige lateinisch in den* Jura municipalia terrarum Prussiae, *deutsch bei Lengnich I 307. Sein Schreiben d. d. Lubaviae 19. Martii 1548 an den König und dessen Antwort Vilnae fer. 5 Coenae dni. 1548 bei Lengnich I Docum. nr. 128—129. Landtag zu Marienburg 8. April. Lengnich II 8. 9. Michaels-Landtag zu Graudenz a. a. O. S. 13. Reichstag zu Petrikau, wo Gise am 7. December 1548 die Anrede an den König hält. Lengnich II 15 f.*

## 990.

***1548. Juli 11. Culmsee.*** *Das Culmer Domcapitel bestätigt die Verschreibung über die Mühle in Concewycz.*

In nomine domini amen. Nos Senior, Canonici totumque Capitulum ecclesiae cathedralis Culmensis significamus tenore praesentium, quibus expedit, universis et singulis, quia honestis ac licitis annuentes petitis Joannis Jachrouii, artium magistri et medicinae doctoris, volentes eum nobis de nunc in posterum, privilegium patri eius uxoris honesto Alberto per nostros antecessores ante iam multos annos in molendinum Concewycze collatum, in omnibus articulis, punctis et clausulis illud approbando et ratificando, iustis de causis ex vulgari theutonico latinitate donavimus, non in minore existimatione et valore illud habentes et habituros promittentes, quam erat vulgare, generalitati dicti privilegii per specialitatem et specialitati per generalitatem non derogantes. Tenebit enim eiusque heredes hoc dictum molendinum cum omnibus proventibus et pertinentiis, cum utilitatibus existentibus et fiendis in perpetuum, cum exactione mensurarum iustarum frumenti cuiusvis a personis quibusvis, cum agris, pratis, pascuis, aedificiis liberis in mansibus suis, libera venatione, lignatione, piscatione in aqua molendini sive piscatione subditorum nostrorum. Et ut nostram maiorem benevolentiam cognoscat, censum pecuniae duarum marcarum ab uno manso solvendum consuetum illi illiusque haeredibus legitimis dumtaxat dimitimus, ita tamen ut pro quovis anni quadrante decem octo modios siliginis integros persolvat eiusque haeredes, et erit census annualis una lasta iam et duodecim modii, quam persolvent, sive moliant sive non. Exemptus autem erit eiusque successores ab omnibus angariis et serviciis nostris ex illis duobus mansis, a quibus illi census dimissus est, nobis debitis perpetuo, quibus alii subditi, nostri detinentur. In cuius rei memoriam sigillum capituli nostri maius praesentibus est subappensum. Actum et datum in Culmenseh die XI mensis Julii Anno domini 1548.

*Nach einer Abschrift im Nachtrage des Cop. Culmense nr. 79 C.*

## 991.

***1548. September 7. Sendomir.*** *Sigismund August, König von Polen, schärft auf Bitten des Bischofs Tidemann von Culm die Verpflichtung zur Abtragung des Bischofsscheffels von neuem ein.*

Sigismundus Augustus, d. gr. rex Poloniae, magnus dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae etc. dominus et haeres. Universis etc. *wie oben nr. 971.* Datum Sandomiriae septima die Septembris anno domini Millesimo quingentesimo quadragesimo octavo, regni vero nostri decimo nono. — Samuel episcopus Crac. et regni cancellarius.

*Original auf Pergament mit aufgedrücktem königlichen Siegel im Culmer Diöc.-Archiv. Abschriften im Archiv des Domcapitels zu Pelplin. Von demselben ist ebendaselbst mit gleichem Datum eine Copie des Erlasses an die Räthe in Preussen, die Einziehung des Bischofsscheffels zu unterstützen; gleichlautend mit nr. 972.*

## 992.

***1548. September 7. Sendomir.*** *Sigismund August, König von Polen, weist den Palatin von Culm an, dem Bischof und Domcapitel von Culm in Erhebung des Bischofsscheffels Beistand zu leisten.*

Sigismundus Augustus etc. Magnifico Joanni a Lusianis, palatino Culmensi, eiusque vicepalatino seu locum tenenti, gratiam nostram regiam. Magnifice syncere nobis dilecte. Divi Sigismundi regis, parentis nostri desideratissimi, vestigiis inhaerentes, mandavimus nuper omnibus terrae nostrae Culmensis cuiusvis conditionis incolis et inhabitatoribus, praesertim etiam castrorum et bonorum nostrorum capitaneis et praefectis, ut reverendo patri domino Tidemanno episcopo Culmensi eiusque capitulo annonas aratrales iuxta antiquas conventiones ac etiam recentiora decreta antecessorum nostrorum ad praesens debitas ac prioribus etiam temporibus retardatas et in futurum quoque in debitis contrahendas cum effectu persolvant, et a suis subditis persolvi curent. Cum igitur tuae S. officium sit, debitores iurium ecclesiasticorum in ipsius palatinatu commorantes, ac monitis et requisitionibus episcopalibus non parentes, secularibus etiam poenis et exactionibus ad debitorum huiusmodi solutione adigere, ne ecclesiasticis censuris in periculum animarum eos subdi aut ad remotiora iudicia trahi sit necesse: mandamus S. tuae ac omnino sic ab ea exigimus, ut ipsi domino episcopo in exigendis dictis aratralibus per suos ministeriales officiose assistat ac quoscunque in solutione dictorum aratralium deficientes ac inobedientes repertos per pignorationem, abductionem et detentionem pecorum iumentorum et aliorum bonorum ipsorum vel aliis remediis efficacibus ad persolutionem omnium huiusmodi debitorum vel dignam eorum compensationem compellat, quoties ad id fuerit requisita, ne nos, qui iurium ecclesiasticorum conservatores nos esse agnoscimus, ab ipso episcopo aut capitulo requisiti iuxta pactorum continentiam ad redhibitionem bonorum et alia severiora procedere cogamur, de quo ut debitores ipsi, qui ordinis equestris sunt, per tuam S. admoneantur volumus. Pro gratia nostra et officio suo secus non factura

S. tua. Datum Sandomiriae die septima Septembris anno domini M. D. XLVIII. Regni nostri XIX.

*Nach einer Abschrift im Archive des Domcapitels in Pelplin.*

## 993.

***1548. [September.] Sendomir.*** *Sigismund August, König von Polen, befiehlt der von seinem Vater beauftragten Commission. die Streitsache wegen Reparatur der Drewenzbrücke und Wege bei Rodzanne bald zu entscheiden.*

Forma mandati ad dominos consiliarios Prussiae in conventu proximo.

Reverendi, magnifici etc. Mota esse dicitur coram vobis S. et F. causa nobili Casparo a Diben de Samplawa pro parte civium Lubaviensium reverendi domini episcopi Culmensis, ac civium Illoviensium illustris domini Alberti Prussiae ducis subditorum, occasione reparandi et conservandi pontis ac viarum publicarum per et circa fluvium Drawancza in ipsius nobilis bonis Rosa vocatis, ac aliarum rerum, in oblata vobis divae memoriae Sigismundi regis et parentis nostri desideratissimi commissione expressarum. Et quamvis ipsius causae iurisdictio per citationis vestrae executionem, vivo adhuc ipso domino Sigismundo rege, factam, perpetuata esse dicitur, tamen dictus nobilis, quasi per subsequentem ipsius domini regis obitum extincta fuisset, re non integra, ut accepimus, se iudicio vestro subduxit. Cum vero ex superhabundanti per novam vestram citationem, quam nos cum commissione praedicta ratam habemus, denuo sit in ius vocatus, ac non solum praedictorum agentium sed nostrorum etiam plurimorum subditorum viis publicis in illis locis utentium plurimum interesse dicitur, ut causa haec quamprimum in iure discutiatur, vestris S. et F. mandamus, ut citra dilationem, resumpto causae ipsius processu, illam iuxta superioris commissionis vim fine debito terminent, neque ad iudicium terrestre praetextu constitutionum istarum terrarum eam remittant, quandoquidem constat stratas sive vias publicas earumque iudicia in bonis regalibus computari et ipsis statutis permittentibus commissoriali iudicio subdi posse, praesertim cum haec publica sit officii nostri causa, universos tam alienos quam nostros subditos concernens nec prolixum iudiciorum tractum patiens. In hac quicquid S. et F. vestrae decreverint, faciant appellatione remota sub poenis in ipsa commissione appositis firmiter observari. Pro gratia nostra. Datum Sendomiriae 1548.

*Nach einer Abschrift im Archive des Culmer Domcapitels.*

## 994.

***1548. November 15. [Petrikau.]*** *Stanislaus Hosius zeigt dem Bischof Tideman Gise von Culm an, dass er zum Nachfolger des verstorbenen Bischofs von Ermland bestimmt sei.*

R^mo^ domino Tidemano d. gr. episcopo Culmensi.

R^me^ etc. Revera non mediocrem luctum attulit nobis R^mi^ domini Varmiensis mors, matura quidem, si quis aetatem illius spectet, sed valde immatura, si temporum horum difficultates consideret. Nunc enim maxime, si unquam antea, eius nobis erat praesencia necessaria. Qui cum ingentem esset magnarum rerum usum consecutus, et omnia, quae ad terras Prussiae pertinebant, exactissime perspecta haberet et explorata, etiam lecto affixus magno esse nobis usui poterat, cum consilio tantum valeret, quantum vix quisquam alius. Sed bene habet, quod superstitem nobis reliquit R. D. vram., nihilo eis rebus, quibus excellebat ille, inferiorem. Quam ego in locum demortui successorem nihil ambigo; quin ex animo id opto R. D. vrae. Simul ab illa peto, cum in defuncti locum successerit, simul etiam ut succedat in eam benevolentiam, qua me defunctus ille, dum in vivis ageret, prosequi nunquam intermisit. Ego vero maiore cum non possim, pari R. D. vram. fide colam, atque superstitem illum colui, neque deditissimi servitoris officium ullum praetermittam. Vellem autem, quod huc se ad nos conferret. Nam quid periculi ex illius isthinc discessu Prussiae terris imminere possit, non video. Multo rectius faceret, meo quidem iudicio, si laborem huc veniendi suscipere non detrectaret; nisi forte valetudo R. D. vrae. aliud suadet, cuius imprimis habendam esse rationem puto. Comitiorum nunc status valde turbulentus est, verum dei misericordia tranquillata iri omnia speramus. Quem precor, ut R. D. vram. diu servet incolumem et felicem. Cuius me gratie commendo. 17 Cal. Decemb. 1548.

A R. D. vra. peto, cum dabitur certi hominis potestas, ut has literas ad D. Casparem Hannov perferri velit.

Eiusdem Rmae. D. vrae.

servitor deditissimus Stanislaus Hosius, Cantor et Can. Varm.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 19 fol. 87. Hipler und Zakrzewski, St. Hosii Epistolae I 276 nr. 308.*

## 995.

***1549. Mai 20. Rom.*** *Papst Paul III. genehmigt die Postulation des Bischofs Tideman Ghise von Culm an die durch den Tod des Bischofs Johannes Dantiscus vacante Kirche von Ermland.* Dat. Romae apud s. Petrum die lunae XX Maii MDXLIX.

*Aus den Kanzleiregistern der Consistorialdecrete Pauls III. fol. 100 in den Jura rev. Capituli Varmiensis nr. 4 B. — Das ermländische Domcapitel postulirte ihn am 25. Januar 1549.*

## 996.

***1549. Juli 9. Prag.*** *Stanislaus Hosius schreibt unter anderem an Martin Cromer über den Erfolg seiner Gesandtschaft, und bittet ihn darauf zu sehen, dass das Culmer Domcapitel nicht zu des Schreibers Schaden den Besitz antrete.*

R^ndo^ domino Martino Cromero, custodi Vislicensi, Cracoviensi et Cielczensi canonico etc.

S. Plurimum eo nomine tibi debeo, quod ita copiose scribis ad me, quae isthic agantur; piget me, quod non datur spatium ad aeque multa scribenda. Dissipatio scholarum permolesta mihi accidit, cum de ea mihi fuit renunciatum. Sed inciderunt aliae curae graviores, quae mihi facile hanc ademerunt. Nullo unquam tempore in vita mea fui aeque solicitus. Nunc quoque curis multis et variis sum distractus. Rediit ex urbe Cnobelsdorff, quem ego nunc ad coenam invitavi. Quid adferat, sciemus. Ad Fuggaros literas misi; num illi pecuniam suppeditarint, nescio. Video non lectum esse pactorum exemplum, quod misi; forte ne literae quidem leguntur interdum. Quaeso te, da operam, ut legantur. Da simul operam, ut plenam de rebus omnibus ad Prussiam pertinentibus instructionem habeam, ne tot menses mihi necesse sit apud Caesarem ponere, quot hic hebdomadas. Ago tibi ingentes gratias, quod de rebus isthic meis tam es solicitus; referre per omnem occasionem conabor. Nunc amici officio revera fungeris; apud memorem posueris officia ista tua. Mihi una cura excutit aliam, ita nunc sum animo distracto. Quaeso te, ignosce brevitati meae. Quanto enim copiosius ad Regiam M^tem^ et ad R^mam^ nostrum scripsi, tanto nunc sim brevior oportet. Quod scripseras videri nonnullis, quicunque tandem fuerit legationis exitus, ut omnia tamen feliciter cecidisse scribam. Id a me factum non est; sed factum tamen est a Raszecs, me insiente. Scripsit enim gloriosa de me Posnaniam ad nonnullos familiares domini Posnaniensis. Scripsit et ad episcopum de mirabili successu legationis meae, quod nullus unquam orator tam praeclaras hic res confecerit: quod mihi summus honor sit habitus, et alia id genus hyperbolicos, ut est hominis ingenium. Sed conclusa tamen pacta iam sunt. Exceptiones istae, quominus expeditas literas mitterem, in causa fuerunt. Sororis meae viduae causa, quaeso, sit tibi commendata; simul R^mo^ nro. eam commendes. Bene vale. Praga septimo Idus Julii 1549.

Cnobelsdorff attulit Breve domino Varmiensi, mihi nihil. Quaeso te, da operam, ut Culmense capitulum possessionem ita adeat, ut nihil ex eo detrimenti ad me perveniat. Tibi fortunas meas commendo.

Tuus ex animo Hosius.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 19 fol. 91. Hipler und Zakrzewzki, St. Hosii epistolae I 335 nr. 349.*

## 997.

***1549. September 14. Löbau.*** *Johannes Curcius berichtet an Cromer, dass er von dem Bisthum Culm im Namen des Hosius Possess ergriffen habe.*

Salutem etc. Quod hucusque nil litterarum ad R$^{mam}$ d. v. dedi, nulla alia causa factum, nisi propter infectionem aeris, quod certos nuncios habere non potui. Primo die mensis Septembris data est possessio a venerabili Capitulo in ecclesia cathedrali Culmensi R$^{mo}$ meo, die vero 13 subditi suae R$^{mae}$ p$^{ti}$. homagium praestiterunt. Cogebar illis promittere nemini alio committendum episcopatum sive administratoriam in saecularibus usque ad adventum suae R. P$^{tis}$ ea de causa, quod hic rumor erat palatinum Pomeraniae episcopatum arendasse a R$^{mo}$ meo.

R$^{mus}$ Warmiensis pecora et alia pertinentia ad oeconomiam omnia in praediis R$^{mo}$ reliquit, nihil eorum secum accepit; de his omnibus bonam informationem dabo suae R. p$^{ti}$, cum deo iuvante ad nos salvus venerit. Rogo, R. d. v. velit nobis impetrare mandatum regium ad palatinum Pomeraniae ad extorquendum aratrales pro festo s. Martini, R. d. v. in litteris domini Ludowici informationem habebit; audio R. Warmiensem magnas semper habuisse difficultates (in admovendo aratrales) cum nobilitate. Rogo R. d. vra. velit mihi scribere de adventu suae R. p$^{tis}$. Deum precor, ut R$^{mam}$ d. vram. diu servet incolumem et felicem, cuius me gratiae commendo. Lubaviae 18 Cal. Octobris a. 1549.

Servitor addictissimus Joannes Curcius, episcopatus Culmensis administrator.

*Original in der Czartoryskischen Bibl. ms. 1615. Hipler und Zakrzewski, St. Hosii Epist. I 448 nr. 48.*

## 998.

***1549. September 26. Brüssel.*** *Hosius an Cromer:* Quod litterae tandem ex Urbe sunt allatae, gaudeo neque dubito, quin Curtius meo nomine possessionem iam acceperit: Deum precor, ut aura sui favoris prosequatur. Quod eum procuratorem non constituerim, fortasse parum provide factum est: sed scripseram et d. Palatino et Officiali, quod cum isthuc missurus essem, ut facile suffecturum id esse putem. Magis illud me angit, quod Officialem nullum constituerim: quamvis et hac de re mandata dedi Curtio, ut eum, qui nunc est, peteret, quo pergat ita, ut coepit, eo fungi munere. — Cuperem ad vos primo quoque tempore redire, sed vehementer metuo, ne diutius opinione nostra me sit commorari necesse, neve ad Comitia Imperii res extrahatur etc. Bruxellis pridie divi Stanislai 1549.

*Hipler et Zakrzewski, St. Hosii Epistolae I 342 nr. 355.*

## 999.

*1549. September 27. Lipna. Ludwig Wersfelt schreibt dem königlichen Secretär Martin Cromer über Ereignisse in der Diöcese Culm.*

R^do^ domino Martino Cromero, I. V. Doctori, canonico Cracoviensi, et Ma^tis^ Sacre regie secretario.

R^de^ etc. Cum dominus Curcius, canonicus Wratislaviensis, convenisset dominum magnificum hic Lipno, obtulit dominus se in propria persona velle episcopatus possessionem una cum illo adire. Verum illi non videbatur necessarium, cum intellexit canonicos ita faciles, ut omnia sine aliqua difficultate prestarent; tum cum eo tempore adhuc fui Marienburgi, non videbatur illi integrum ad aliquot dies me hic apud dominum prestolari, ut me illi adiungerem. Quare Lubaviam versus una cum dominis canonicis se contulit. Cum Culmensis civitatis adiisset possessionem, presente Mag^co^ domino, atque cum illum hesterno die convenissem, aiebat omnia probe illi successisse, atque omnes res inventario respondisse, quod ei modernus dominus Warmiensis augmentatum reliquit. — Ego quidem video dominum Curcium summo studio curare omnia, que in rem domini R^mi^ futura sunt, atque cum omnia sunt in allodiis, nihil plus curandum est saltem, ut fideliter cum collectis frumentis agatur, in quo dominum Curcium advigilaturum non dubito, atque paucis diebus illum conveniam, quandoquidem infra unam septimanam in Starogrod sive Culmen se futurum pollicitus est. In exigendis aratralibus frumentis, quae penduntur de quolibet aratro in episcopatu Culmensi, videtur difficultas; nam nobiles negligentes illa dare non curant aut se penitus obponunt. Quare videbatur domino Curcio, ut mandatum conscribatur ad dominos capitaneos nobiles et quoscunque episcopatus Culmensis subditos in modum litterarum universalium, quibus declarabit Ma^tas^ Sacra regia, iam confirmatum dominum episcopum Culmensem in negociis reipublicae a Ma^te^ Sacra Regia in remocioribus regionibus ablegatum, eius Ma^tis^ sacrae studii esse, ut eius R^mae^ D. res integre et probe curentur. Quare mandat Ma^tas^ sacra, ut quilibet eorum pro festo divi Martini, nempe solito termino, ad loca consueta censum aratraliorum solvat et deferat. Alioquin collectores aratraliorum negligentes in solucione Mag^co^ domino palatino Pomeraniae deferent, cui Ma^tas^ Sacra regia dedit potestatem, quod eosdem negligentes ex speciali mandato regio ad se citet nomine regio, ac audita causa, quare dare recusant, quam nisi legittimam cognoverit, eosdem inobedientes Ma^ti^ sue Sacrae significet, ac tandem Ma^tas^ sua contra illos ex officio regio procedet, ut id solvant, ad quod solvendum tenentur. — Si eciam in eo mandato addere libet, quod Ma^tus^ Sacra regia ob id hoc negocium Mag^co^ domino Pomeraniae mandare dignetur, quod eius Mag^ciam^ interim, cum dominus R^mus^ abest, in episcopatus Culmensis protectorem statuerit. — Mandatorum horum convenit, ut tria aut quattuor sint exemplaria; tum speciale mandatum ad dominum Mag^cum^ Pomeraniae palatinum, ut id, ut supramemini, in mandatis habet, a Ma^te^ Sacra regia. — Observabatur hucusque, ut collectores aratraliorum inobedientes et negligentes solvere detulerunt domino palatino loci aut vicegerenti, cum ille ob

invalidam etatem negocio insistere non potest, qui solucionis terminum statuit competentem sub vadio quodam, si ei eo modo agere negocium videbatur; confertur consilio R^dae^. d. v. In summa, dominus Mag^cus^ ita domino R^mo^ se fert propensum, ut omnia acturus est, que ab illo desiderabuntur. His me gratiae R^dae^ d. v. unice commendo, quam diutissime bene valere opto. Domino R^mo^ Culmensi me commendatum iri rogo, ne quidquam obmisissem, si dominus Curcius ex me postulasset, cui et adero pro summo studio et fide in R^mam^ suam do^cionem^. Datum Lipne 27 Septembris Anno 1549.

E. R. D. V. deditissimus servitor Ludovicus Wersfelt.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 28 fol. 16—17.*

## 1000.

***1549. September 30. Brüssel.*** *Stanislaus Hosius, Bischof von Culm, dankt dem Bischof Tideman von Ermland für dessen freundliche Gesinnung gegen ihn.*

R^mo^ domino Tidemano d. gr. episcopo Varmiensi. — *Praes. 16 November 1549.*

R^me^ etc. Iam tandem per dei graciam mihi quoque literae confirmacionis ex urbe sunt allatae, neque dubito, quin et possessio meo nomine sit adepta. Missae mihi sunt literae, quas R^ma^ D. vra. scripsit ad R^mum^ dominum meum Cracoviensem, ex quibus colligere licuit non vulgarem illius in me favorem et benevolenciam. Ego vero dabo operam, ut me gratum et memorem esse cognoscat; in omnibus esse volo filius obsequens R. D. vrae. Fortassis et ii, qui nunc isthic me persequi dicuntur, amabunt aliquando, cum penitius cognoverint. Ego hic primum actum apud Caesaream Mtem. iam absolvi, de foederibus tantum confirmandis; quo fundamento iacto facile superaedificare caetera licebit. Sed nondum tamen ad tractatus ventum est. Deum precor, ut R. D. v. diu servet incolumen, cuius me gratiae commendo. Bruxellis in die S. Hieronymi 1549.

Eiusdem Rmae D. vrae

servitor Stanislaus Hosius, Episcopus Culmensis confirmatus.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 19 fol. 92. Hipler et Zakrzewski, St. Hosii Epistolae I 349 nr. 357.*

## 1001.

***1549. December 26. Löbau.*** *Curcius, Domherr von Breslau und Stellvertreter des Bischofs Hosius von Culm, berichtet an Martin Cromer über Diöcesanangelegenheiten.*

R^do^ Domino Martino Cromero, utriusque iuris Doctori, ecclesiae cathedralis Cracoviensis canonico.

Salutem etc. Non dubito D. V. accepisse informacionem a domino Ludovico de iniuriis, quibus afficiuntur subditi suae R. P. Moniales in Culmen petunt, ut possunt, habere mandatum regium super dominum Jacobum Ostzroviczky ob non solucionem

censuum trium annorum; est sub iurisdiccione magnifici domini Palatini Culmensis. Pestis adhuc apud nos serpit, in villa R$^{mi}$ Paupaw mortui sunt peste 120 personae et in aliis villis non minus; apud nos Lubauiae plus 100. Rogo D. v. velit has literas ad R$^{mam}$ perferendas curare. Deus omnipotens in multos annos servet R. D. V. incolumem et foelicem. Cuius me gratiae commendo. Datae Lubauiae 26 Decembris Anno M. D. 49.

R. D. V. addictissimus Curcius, Vratislaviensis canonicus.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 28 fol. 25.*

## 1002.

***1550. Juli 25. Rom.*** *Papst Julius III. ernennt den Bischof Stanislaus Hosius von Culm zum Inquisitor haereticae pravitatis für Pomesanien.*

Venerabili fratri moderno Episcopo Culmensi.

Julius PP. III. Venerabilis frater, salutem etc. Cum sicut carissimus in Christo filius noster Sigismundus Augustus, Poloniae rex illustris, nobis nuper exponi fecit, in civitate et diocesi Pomesaniensi variae haereses et pravae circa catholicam Christi fidem opiniones pullulent et vigeant, et ne maiores in dies succedant, verisimiliter formidetur, et qui pro episcopo Pomesaniensi ad praesens se gerit, praemissis nedum occurrat, sed quantum in eo est, faveat et adhereat: idem Sigismundus rex nobis humiliter supplicari fecit, ut pro extirpatione dictarum haeresum curam huiusmodi alicui eiusdem regni Poloniae praelato praemissis occurrere verbo et opere potenti demandari, aliasque in praemissis opportune provideri de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur volentes pro nostri pastoralis officii debito inconvenientibus huiusmodi providere, fraternitatem tuam, de cuius prudentia, probitate et in deum pietate certam spem concipimus, et quem ad praemissa verbo et opere potentem esse intelleximus, ad haereses et pravas opiniones huiusmodi in civitate et diocesi praefatis Inquisitorem cum plena, libera et omnimoda facultate ea omnia, quae ad officium Inquisitoris haereticae pravitatis a sede apostolica specialiter deputati de iure vel consuetudine aut alias quomodolibet pertinuerint faciendi, dicendi, gerendi, exercendi et procurandi apostolica auctoritate tenore praesentium ad nostrum beneplacitum constituimus et deputamus, curam super criminibus haeresim seu a fide catholica apostasias vel alios errores sapientibus huiusmodi inquirendi, ac errantes seu qualitercumque in praemissis culpabiles debitis poenis puniendi et mulctandi, ad gremium ecclesiae redire sponte volentes, et ad orthodoxam fidem recipi humiliter postulantes ab omnibus et singulis eorum criminibus, excessibus et delictis, ac ecclesiasticis seu temporalibus sententiis, censuris et poenis propterea incursis in utroque foro, praevia abiuratione ac servatis de iure servandis, absolvendi, ac aliorum Christi fidelium consortio aggregandi, et ad famam et ad honores ac patriam et bona restituendi et reintegrandi plenam et liberam tibi

etiam una cum ecclesia Culmensi, cui praeesse dignosceris, plenarie committendo, in illo, qui dat gratias et elargitur praemia, confidentes, dirigente domino actus tuos, in ecclesia ipsa, civitate et diocesi Pomezaniensi diligentiae industria haereses et pravae opiniones huiusmodi tollentur; non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac dictae ecclesiae iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo piscatoris die 25 Julii 1550. Anno Primo.

*Reg. orig. An. I. Brev. Tom. LIX fol. 306. Theiner, Mon. Pol. II 568 nr. 646. Hipler et Zakrzewski, St. Hosii Epistolae I 393 nr. 380.*

## 1003.

***1550. September 3. Krakau.*** *Schreiben des Bischofs Samuel Maciejowski von Krakau an den Bischof Stanislaus Hosius von Culm.*

R^mo^ domino Stanislao d. gr. Episcopo Culmensi et Administratori Pomesaniensi.

R^me^ etc. Cuperem equidem, alium dominatio vestra Reverendissima suae diocesis statum reperisset. Sed si non ita est, ut volumus, certe non statim perturbatis ac deiectis animis erimus; quin quod mihi aliquando consilium dabat d. vra Rma, eodem ipsa nunc utetur bonoque erit animo. Et cum suam ipsa culpam, quoad potest, praestiterit, alienae incommoda moderate feret. In corrigendis autem peccatis istis peritos et solertes medicos imitabitur, qui inveteratos et contumaces morbos non statim admotis violentioribus medicamentis aut sectionibus ustionibusve extirpare contendunt, sed placide et sensim malagmata primum et fomenta adhibent, quo obsequentiore deinde materia utantur: Reliquunt etiam interdum nonnihil incuratum, quod sine periculo curari non posse arbitrantur. Ita sane Episcopo quoque in sua functione agendum est. Indulgendum nonnunquam quamvis pravae consuetudini hominum, et comitate, facilitate atque benignitate in animos influendum: quo comparata his rebus benevolentia et authoritate, populo deinde utatur suo. Hac ratione Apostolos Christi, quorum nos successores sumus, usos esse, vel ex ipsorum scriptis deprehendere licet. Sed ego in mare aquam, quod dicitur. Itaque nihil addo, nisi ut d. vestra Rma sese recolligat; facile domi reperiet, quid facto opus sit, tam de iurisdictione, quam de paroeciis. Ego vero misi ei regias literas de paroecia Cowaleviensi, quo minore invidia Rmae d. vestrae res peragatur, quippe ex authoritate Regia magis quam d. vestrae Rmae studio profluere videatur. Sunt autem adiunctae iis literis aliae item regiae patentes, quibus potestas fit dominis consiliariis comitia transferendi, si forte pestis obstabit, quominus ea suo loco vel tempore peragantur. Quae vero ad Andream Kosczielieczki scripta sunt, ad legationem pertinent: nempe ut dominos Consiliarios Prussiae ad celebritatem feudi huc evocet. Ego, Deo sit gratia, paulatim a morbo recreor. Sed erit nihilominus aliquamdiu curatio diligens adhibenda, quo pristinae valetudini restituar.

Laurentium in horas Roma expectamus; si quid is scitu dignum attulerit, faciam ut cognoscat d. v. Rma. Quae bene valeat. Cracoviae III Septembris Anno domini M. D. L.

D. v. Rmae frater Samuel E. C(uiaviensis) et C. subscripsi.

*Original auf Papier mit aufgedrücktem Siegel im Archiv des Frauenburger Domcapitels Vol. 4 nr. 104. Hipler et Zakrzewski, St. Hosii Epistolae I 400 nr. 385.*

## 1004.

***1551. Januar 28. Thorn.*** *Die Benedictiner-Nonnen in Thorn verschreiben an den Rathmann Johann Strobandt die Jungfrauen-Mühle in Lanken und drei Hufen im Dorfe Hohenbriese.*

Wier Anna Grossinne, von gottes verhencknus Ebtissinne, vnd das gantze gemeine conuent des Stiffts sancti Benedicti Ordens des Closters vor der stat Thorn gelegen bekhennen vnd thun kunth yedermenigklich offentlich mit dissem brieffe vor vns vnser nachkomen. Nach deme denn die Mule, genandt der Junckfrawen oder Nonnen Mule, in preusschen Lanckischen grenczen auff dem wasser oder fliesse die Lancke geheyssen, vngeuerlich vber dreysig jar nach einander gantz wust gelegen, im thamme drey grose fach ausgerissen durbrochen vnd vorfallen, die deychgraben gantz vorfullet vnd verwachsen, vnd also allenthalben zurstört vnd vordorben, das die selbte auff ein zins bisher anzunhemen von nyemandt begerdt worden, Wier auch vnd das Closter souill jar nichts daraus entpfangen gebrauchtt oder genossen, noch etwas gewust haben aus der Mullen zugewartten, so hott auch der edle herr Mathis Elszynowsky in gott verstorben der alde auff solch mullen des mulners gerechttigkeytt von etzliches geldes wegen in verpfandung gehabt hott. Vmbe ein solches nemlich der erbare vnd wolweyse herr Johans Strobandt, konigklicher stat Thorn Rathman, mit vnserm willen vnd zulass vnd auss sonderlichem vnserm befhell mit dem obgemeltten herr Mathis Elsynowssky ist vbereinkumen vnd sich vertragen, also das ime an barem dargeczaltten gelde funfczigk floren, vor yedern gülden dreyssigk groschen gerechnet, in vnserm nhamen gegeben volkomlich abgelegtt vnd beczaltt, wie in des ersamen gerichttsbuch der newestat Thorn vorschriben. Derhalben wier mit vnserm gemeynnen versamletten conuent eintrechttigklich einhelligem rath, mit reyffer vorgender betrachttung, vnd rechttem wissen, aus obgemeltten beweglichen vrsachen, vnd sonderlich vmb vnsers Conuents vnd stiffts besten nutzes vnd notturfftiger versorgunge willen, die vorgenantte mulle eines rechtten redlichen auffrichttigen ewigen erbkauffs verkaufft haben vnd verkauffen laut disess brieffes in der aller besten form weysze rechtten vnd gestalt, wie ein rechttlicher kauff in allen vnd yeden rechtten vnd gerichten geystlichen vnd welttlichen aller beste krafft vnd machtt hat, haben soll oder magk, dem gedachtten herrn Johann Strobandt ime vnd allen seinen wharen rechten erben vnd nachkhomlingen vor funffczig gulden, zu dreysigk groschen yeczlichen gulden gerechnet. Welche suma kaufgelds wier an barem dargeczaltten gelde

also empfangen, vnd wier obgedachtten Mathisz Elszienowsky von wegen des vortrages gegeben beczaltt vnd entrichtt haben. Sagen hirauff fur vns vnd vnsers stiffts oder Conuents nachkhomen den herrn Johann Strobandt vnd alle seine erben solcher suma kauffgeldes gancz queyt ledig vnd losz; gelobende vor alle nachmhanunge beyde geystlich vnd weltlich gerichtten in allen zukumenden zeytten. Hiermit wier vbergeben zueygnen vnd vorschreyben in krafft dises bryeffs dem herrn Johann Strobandt vnd alle seinen wharen rechten erben erbnemenden vnd nachkhomligen die vielgedachtt mule erblich vnd ewigklich zu Culmischen rechtte mit acker, gerthen, wiszenwachs, weden, felde, teychen, fischereyen mit aller nuczunge vnd gebrauche darczu gehorende, mit allen gerichtten vnd gerechttigkeytten gancz vnd gar nichts hindann gesaczt oder vorbehaldende, wie die mule in seinen enden grenczen von alders gewesen vnd wie vns vnd das kloster ankhomen ist vngehindert erblichen vnd ewigklichen fridlich inne zuhaben zuhalden vnd besiczen allenthalben zugenyessen nuczen vnd gebrauchen; auch zuuerkauffen, wegkzugeben, zuuorwechsselln vnd alieniren vnd nach seinem vnd seiner erben vnd nachkhomlingen besten zuschicken zuwenden vnd zu vrbern. Im soll, auch seinen erben vnd nachkhomen vff dem guete vnd wasser allerley mulwerck, wie was gestalt vnd so vill ime zu seinem nutz vnd beserung von nothen, welchs ime vnd den seinen beqwemer mag vnd gut beduncken wird, zu bawen an vnd auffczurichtten vnd zuge . . au . . n zugelassen frey sein. Darczu yeczund vnd so offtmals zukunfftig von nothen alle zeytt zum gebewde vnd anrichttigunge solcher mulen benottende holcz in vnsern heyden hawen, nhemen vnd ausfuren. Dergleychen holcz zur fewerunge one verhinderunge zu gebrauchen frey vnd vngeweret sein. Vnd wiewoll vns wissentlichen kunth vnd bewust, das die selbte mule nicht mher alleynne zehen Marck geczinset hat vor der zeytt, als sie wuste darnach gebliben, yedennoch so haben wier vns vnserm Conuent vnd nachkhomen mit nemlichen worten in disem kauffe ausgedinget vnd vorbehaltten, alle jare zins czwelff Marck zu zweynczig groschen vor die Marck gerechnet von solcher mullen zugeben vnd zu zinszen auff den tag vnser lieben frawen Lichttmesz laut vnsers bisher innegehabtten vber vnser gerechttigkeytt haubtbryeffe, darinne dan solcher zins als nhemlich sechs Marck ist yeczund duppel als nhemlich zwelff marck vorschreben vnd ausgedruckt. Dergleychen vns vnserm Conuent dem stifft vnd kloster winters zeytt auf dem ersten eysze die ersten zoge ein mall im jare vnd nichtt mher doselbst auff dem deyche zu fischen zuuor . . . . get vnd auszemuen (!) wollen haben, auch nun fortan vnser sein vnd bleyben vnd in diesen kauff nicht geczogen sein noch werden sollen. — Weeyter auch wier thun wissentlich in dissem vnsern offenen brieffe vor allen den jennen, die in sehen horen oder lesen, dieweyle vor bestimbtter herr Johann Strobandt viell andere vnkost so auch in der befreyung der gedachtten mulen, welche mit vleysiger sorgkfeldikeytt zuwegenbrachtt, darauff gethan vnd auffgelegtt, auch von wegen seines vleyssigen dienstes vnd sonderlichen guten willen, so vns vnserem kloster vnd Conuent manigfaldik gepflogen vnd beweysett:

Derwegen wir mit gutem reyffen rath genugsamen furbedencken willen vnd rechtten wissen vnsers gemeynnen Conuents zu solcher obgenanten mulen gegenwerttigklich in krafft disses vnsern briefs geben vorleyhen vnd zueygenen demselbenn herrn Johan Strobandt seinen wharen erben vnd rechten nachkomlingen drey huben ackers in vnsern gutern im dorfe zur Hogenbryse genant, welche auch wust ligen, dieselbtten erblichen vnd ewigklichen zubesiczen haltten vnd vrbern, zu alle deme nucze der ime vnd seinen erben vnd nachkomlingen daraus vnd doruon bekommen magk, von allerley scharwergk pflichtt vnd beschwerunge geystlich vnd weltlich personnen gancz frey ledigk zu sein. Darczu wier ime nichts zu hulffe zu der beseczunge der huben oder sonst etwas darauff geben. Besonder auff sein eygen vnkost mag er die roden, reumen vnd seines gefallens die anrichten vnd anfertigen lassen. Vor solche gunst freyheytt vorleyhunge vnd zueygung soll herr Johan Strobandt vnd seine erben oder nachkomen von yeczlicher huben vff den tag Purificationis Marie zwo margk, zu zweynczig groschen in die margk gerechnet, jerlichs zinses vnd sonst weytters nichtt mher vns dem gemeinen Conuent vnd vnsern nachkomen zu zinsen geltten vnd abczulegen vorpflichtt sein. Solcher obgegeschribnen auffgerichtten der mullen kauff, dergleychen auch solche der gedachtten dreyen huben vbergab vorleyhunge vnd zueygunge geloben gereden vnd versprechen wier for vns das gantze stifft vnd Conuent vnd for alle vnsere nachkhomen mit allen vnd yeden seinen clauseln, puncten vnd artickeln whar stete veste vnd vnwiderrufflich in ewige zeytt zu halden, dawider nichtt zu sein zuthun zusuchen noch schaffen gethan werden mit noch one gerichtte oder rechtt geystlich oder welttlich. Solcher kauff abredunge verlehung vnd zueygen ist geschehen in gegenwarttigkeytt vnd in beyseyn des achtbaren vnd wirdigen herrn Greger Weydener, Officiall vnd Thumher zu Culmensehe, als ein befehellhaber des obgedachtten klosters von wegen des herrn Bischoff seiner hohen gnaden alhier zu von vns gebetten gefurdert vnd requirett. Vnd auch mit wissen vorwilligunge vnd befehell des erbarnn raths von Torun, der erbar vnd wolweyse herr Johann Rudiger ratszherr doruber, vnd als solches verhandeltt kegenwertig gewest ist. Des zu wharem vesten vnd starcken vrkundt, so haben wier vnsers ganczen gemeinen Conuents insigell offentlich wissende gehenckt an disen brieff. Geschehen vnd gegeben Thorn am achtundzweynczigsten Januarii im jar funffczehenhundert vnd im einundfunffczigsten.

Nos Stanislaus, dei gratia Culmensis postulatus Warmiensis Episcopus, suprascriptum contractum in omnibus eius punctis, clausulis, conditionibus et articulis confirmamus, ratificamus, approbamus, in cuius quidem testimonium haec manu nostra scripsimus et sigillum nostrum appendi fecimus.

*Aus dem Original auf Pergament im Archive der St. Jacobskirche zu Thorn. Daran hängt an einem Pergamentstreifen das (seltene) Siegel des Hosius als Bischof von Culm; (auf dem unter einer Mitra befindlichen Wappenschilde eine halbe Hose mit der Umschrift:* STANISLAVS. HOSIVS. EPISCO. CVLMEN.) — *Vom zweiten Siegel ist nur der Pergamentstreifen erhalten.*

## 1005.

***1551. März 19. Krakau.*** *Der Reichskanzler Johannes Oczieski schreibt an den Bischof Stanislaus Hosius in Betreff der Verhandlungen um den zu ernennenden Nachfolger des Bischofs.*

R^me^ domino Stanislao Hosio, d. gr. Episcopo Culmensi, Electo et postulato Varmiensi.

R^me^ etc. Precatus sum iterum atque iterum, ut nova haec sublimacio sit felix fausta perpetuo, et nunc similiter precor. De successore p. v. R^me^ ago summo studio, ut is sit indigena Prussiae, sed diversum volunt hii, qui summa rerum pociuntur, nempe ut Polonus idemque cuculatus succedat, quod ne fiat, adhibeat p. v. R^ma^ omnem operam scriptaque sua iterum atque iterum repetat; ita tamen, ne indicium sit ex me aliquid processisse. Vereor, ne Maiestas sua differat usque post comicia prussica; quod quia ex usu sue M^tis^ futurum video, non audeo M^tis^ sue proposito contravenire. Cuperem tamen intelligere ex R^ma^ p. vestra, an hec dilacio aliquid discriminis non pariat. Primo itaque tempore respondeat mihi p. vra. R^ma^, ut intelligam, que sit eius sentencia. Hec autem sint sepulta apud p. vram R^mam^. Commendo iterum servicia mea p^ti^ vre R^me^. Cracoviae feria quinta ante Palmarum 1551.

Vre R^me^ p. servitor benevolentissimus J. Oczieski manu sua.

*Original auf Papier mit Resten des aufgedrückten Siegels im Archiv des Frauenburger Domcapitels. Vol. 4 nr. 81. Hipler et Zakrzewski, St. Hosii Epistolae II 10 nr. 401.*

## 1006.

***1551. März 27. Culmsee.*** *Bischof Hosius schreibt an Martin Cromer über die Ernennung seines Nachfolgers u. a.*

Postulavit a me palatinus Marienburgensis, ut commendarem S. M^ti^ R. Sielislawski, quo successorem hic meum illum designaret. Sed ego quod coram, cum esset apud me in castro meo Lubaviensi, idem nunc illi per literas respondi, me facere id non posse, quod offensurus essem praelatos et canonicos ecclesiae meae Varmiensis, quasi una omnes sententia condemnassem, quod nemo ex illis hoc loco dignus reperiretur. Quod visum Regiae M^ti^ fuerit, hoc faciat; dummodo mihi Pruthenum det successorem, det, quem idoneum iudicaverit. Quaeso te, da operam, ut instructionis ad comitia exemplum primo quoque tempore habere possim. Multa tibi forent scribenda, sed quibus nunc rebus occupatus sim, etiam conjectura facile potest assequi. Respondebo itaque tuis binis alio tempore. Ex oppido meo Culmsee ipso die Parasceves.

Tuus Stanislaus Culmensis, postulatus episcopus Varmiensis.

De magistro Simone sit tibi curae, 100 floren. illi promittas meo nomine, verum ita, ut, si quid ei per meum affinem numeratum in sumptum fuerit, illud detrahere liceat de hac summa. Si non erit alia facultas huc veniendi, conducatur illi currus per meum affinem, in quo sedere poterint sacerdos, baccalarius et tuus e sorore nepos. Cura autem,

ut veniant ante comitia Marienburgensia cum Marczinckowski. Metuo enim, ne me vanitatis arguant nonnulli; iam enim sparguntur voces, me de schola cogitationem abiecisse ac venditari me fortasse tantum his promissis voluisse.

*Original in dem Mss. 1618 der Czartoryskischen Bibliothek zu Krakau fol. 665. Hipler et Zakrzewski, St. Hosii Epistolae II 11 nr. 403.*

## 1007.

***1551. April 5. Althausen.*** *Bischof Hosius von Culm berichtet an Cromer über verschiedene Angelegenheiten, unter andern über Erziehung und Unterricht zweier von Cromer empfohlener Knaben.*

De puero, quem commendas, permolestum est mihi, quod audes in litteris tuis mentionem facere molestiae, quam essem ex eo ad me misso accepturus, quodque religiosius mecum agis, quam amicitia nostra mutua ferre videtur. Mihi vero molestum esse potest, quod aut a Procancellario aut abs te proficiscitur? Quisquis hoc de me suspicatur, unus omnium est molestissimus. Mihi vero nihil gratius contingere potuit, quam quod is ad me missus est, qui mihi gravis futurus non est. Curae mihi erit, si quis alius. Ex eo vestri in me amoris indicium facio. Sed illud multo est molestissimum, quod alium propinquum tuum cum dote missurum te scribis, ne gravis mihi sis. Scilicet ubi triginta dos non deest, deerit uni? pro illo nova erit paranda culina? Quaeso te me hac molestia velis affectum. Grave mihi est, suspicari te propinquum tuum mihi gravem futurum. Amicitia nostra hoc genus suspicionibus vacare debet. Ego vero me tibi non pauca debere agnosco. Ac pudet me, quod nondum gratam tibi voluntatem meam declaraverim, quam tamen aliquando declarabo. Amico fideli nulla est comparatio. — Ceterum tanto tibi curae sit maiori, ut ne desint pueris praeceptores. Nam hic Germani quidem nulli reperiuntur, nisi velis non Christianos; ut autem Elbingi potius educentur, mihi consilium tuum non displicet. Erunt ibi minori sumptu meo. Ad Calendas Maias eo proficiscar cum palatino Pomeraniae et castellano Elbingensi. Dispiciam, quid fieri possit. — De medico quod scribis, haud equidem credo facturum, ut pueros docendi munus suscipiat; deinde si maxime facere vellet, an expediret nescio. Videtur enim utrique muneri recte vacare non posse et docendi et medendi. — Sed ego tamen habere medicum non nollem; si non magno stipendio conduci posset, agi cum illo cuperem. Nam nescio quomodo, tenuiores opinione multorum esse dicuntur ecclesiae proventus, ad quem me vos intrusistis et invitum obtrusistis. Quod quamvis a te tanquam ultra modum sumptuosus arguar, non desint tamen, qui mihi credant isthic pecuniam. Ac de uno quidem satis mirari non possum, cum ipse non minus egeat quam ego. Nam alium illum divitem esse scio. Sed quem tertio loco nominas, qui ditissimus est omnium, eum difficilius adductum iri scio, pecuniam ut credat. Est deo gratia, non opus iam habeo credita pecunia, cum a Capitulo Marienburgum sit missa, sicut aliis literis ad te scripsi Thorunio. Ceterum qui tantam animorum erga me alacritatem ostenderunt, eis cum similis, quod

opto, necessitas evenerit, quod potero vicissim suppeditare, non gravabor. — Non ignoras autem primo loco mihi dicendum esse sententiam in comitiis. At instructio nuntio data mihi missa non est, quae mittebatur antea semper iis, qui eodem loco erant, quo nunc ego sum. Quaeso te, ne sim ego deteriore loco, effice neve imparato mihi sententiam dicere sit necesse. Binas iam ad te scripsi, quas per hunc mittere non audeo. Expecto cubicularium dies iam aliquot, sed is nusquam comparet. Debebat ante triduum esse apud me, sed difficile est eis a parentibus divelli. Audio, quod abest nunc a me duobus miliaribus tantum. Est enim apud parentes. Interea vero mittitur quidam peditem, quem celerius etiam perventurum spes est. Huic unas has ad te dandas putavi, reliquas expectabis a cubiculario, cui credere malo quam huic nescio cui. — Habebis autem cum his descripta omnia, quae Thorunii per me sunt acta. Jam enim perfeci non sine molestia, nam a prandio et a coena dictavi. — Ceterum petunt a me Culmenses, ut eis impetrem a M$^{te}$ R., posteaquam immunitas illis concessa finem habuerit, quod futurum est post tres annos, ut ad spatium decem annorum deinceps, si quae fuerint constitutae contributiones vel pro Regia M$^{te}$ vel pro terris Prussiae, eas pro moenibus reficiendis et munitionibus parandis impendere possint. Sunt ante multos annos gladio, postea igne, duobus autem his annis prope integris peste misere confecti et ad summam inopiam redacti. Sed corradent tamen aliquid, ut mittant ad cancellariam, tu modo da operam, ne nimis multum id sit, et quantum mittere debeant, significa. Mitto autem tibi eorum immunitatis exemplum. Cuperem eis mei gratam aliquem recordationem relinquere. Bene vale. Ex castro meo Starogrod Nonis Aprilis.

*Czartoryskische Bibliothek in Krakau Ms. 1618 fol. 669 bei Hipler et Zakrzewski, St. Hosii Epistolae II 12 nr. 405.*

## 1008.

***1551. April 12. Krakau.*** *Der Vicekanzler Oczieski berichtet dem Bischof Stanislaus Hosius, wie es um die Ernennung des Hanow stehe.*

R$^{mo}$ domino Stanislao Hosio d. gr. Episcopo Varmiensi.

R$^{me}$ etc. Habeo R$^{mae}$ p$^{ti}$ v. quam maximas gratias, quod charum sibi sororium meum futurum pollicetur, sed multo maiores, quod liberaliter illum instituere dignatur; curabo me vicissim singulis R$^{mae}$ p. v. amicis et iis, qui michi aliquando p. vrae. nomine commendati fuerint, praestare quam benevolentissimum. Quod non sit datum diploma domino Annouio, non est propterea, quod princeps aliquid contra pacta facere vellet, sed non esse ex dignitate regia arbitratur, si, nisi scriptis roborentur, promissis eius fides dari non deberet. Sed non est, quod angat p. vr̄am R$^{mam}$; certo enim persuadere sibi potest, non alium successorem preter Prutenum sibi dari. Hoc hodie clarius quam unquam antea a M$^{te}$ sua intellexi, licet quem dare voluerit, ex nomine adhuc non expresserit. Reliqua quae ex principis voluntate sunt, vr̄a R̄ma p. ex literis seu cifris

pocius domini Cromeri intelliget. Commendo me tandem in gratiam R$^{mae}$ p. vrae Cracoviae 12 Aprilis Anno 1551.

Vrae R$^{mae}$ p. servitor addictissimus J. Oczieski manu sua.

*Original auf Papier mit aufgedrücktem Siegel im Archiv des Frauenburger Domcapitels Vol. 4 nr. 83. Hipler et Zakrzewski, St. Hosii Epistolae II 15 nr. 408.*

## 1009.

***1551. April 24. Krakau.*** *Der Vicekanzler Oczieski berichtet dem Bischof Hosius, dass Lubodzieski zu seinem Nachfolger ernannt sei.*

R$^{mo}$ domino Stanislao Hosio, d. gr. Episcopo Varmiensi.

R$^{me}$ etc. Tantum tribuit precibus consiliisque p. vrae. R$^{mae}$ sacra regia maiestas, quod ignoto immeritoque domino Lubodzieski conferre dignata est episcopatum Culmensem. Hoc tamen secretissime habere vult sacra regia M$^{tas}$ usque ad initia comitiorum Marienburgensium; nam tunc missura est M$^{tas}$ sua distributionem omnium vacantiarum ad initia comitiorum. Palatinus Marienburgensis obtinebit Culmensem palatinatum; singuli tandem per ordinem ascendent alter alteri succedentes. Heri prima noctis, cum apud me esset dominus Lubodzieski, (in cubiculo enim meo principis iussu nominatus est,) haec praecepta ei dedi: primum, ut paternitatem vestram parentis loco colat eiusque consilia in omnibus sequatur; demum ut primo quoque tempore Prussiam se conferat, ut nullum de eius ambitione sit indicium. Haec secreto R$^{me}$ p$^{ti}$ v.; reliqua principis meoque iussu dominus doctor Cromerus describet. Commendo me in gratiam p. v. Cracoviae 24 April 1551.

V$^{rae}$ R$^{mae}$ p. servitor J. Oczieski manu sua.

*Original mit Spuren vom Siegel a. a. O. Vol. 4 nr. 84. Hipler a. a. O. II 24 nr. 417.*

## 1010.

***1551. April 24. Krakau.*** *Johannes Przerembski, Dompropst von Krakau, schreibt an Bischof Hosius über den Palatin von Marienburg und den Nachfolger im Bisthum Culm.*

R$^{mo}$ . . . . domino Stanislao Hosio, episcopo Culmensi et postulato Varmiensi etc.

R$^{me}$ etc. Tantum magnifico domino Palatino Pomeraniae debeo, ut omnes honores et quicquid ad illius dignitatem et ornamentum pertinet, ex animo illi cupiam. Itaque cum vacasset nuper palatinatus Culmensis, et cum magnifico d. Vicecancellario et cum aliis egi, quos valere gratia apud R. M$^{tem}$ scivi, ut eum hoc palatinatu ornaret, prius etiam quam mihi literae R. D. vrae. ea de re essent redditae. Sed aliud nescio quod sequi M$^{ti}$ suae visum est, ne quem praeteriret scilicet, itaque in Marienburgensem palatinatum M$^{cus}$. d. Palatinatus Pomeraniae succedet. Qua de re cum diligentius agerem cum M. domino Vicecancellario viderique mihi dixissem M$^{tis}$ R. in homines factiosos gratiam

daturam esse illis occasionem maiora audendi, quam hactenus conati sunt, hoc responsum tuli, quod R. p. vra. cum iis, qui illi adherent, habitura episcopum Culmensem ex animi sui sentencia, nominavitque mihi d. Lubodzieski sed obstrinxit fidem meam, ne cui dicerem. Quare si nihil ea de re ipse ad R. p. vram. scripsit, queso ne cui dicat, quod ex me hoc ipsum sciat, quanquam existimo, quod priusquam meae ad R. p. vram. pervenient literae, ille iam publice designabitur episcopus; nam hoc quoque dominus Vicecancellarius dixit, velle M$^{tem}$ eius ante conventum prutenum episcopatum hunc conferre. Commendo iterum servitutem meam R. p. vrae. Cracoviae XXIIII Aprilis Anno domini M. D. LI.

R. p. vrae. humilis servus et sacellus Joannes Przerembski.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 33 fol. 59. Hipler a. a. O. II 24 nr. 418.*

## 1011.

***1551. April 27. Rom.*** *Papst Julius III. genehmigt die Postulation des Bischofs Stanislaus Hosius von Culm an die durch den Tod des Bischofs Tideman Gise vacante Kirche von Ermland.* Dat. Rom apud s. Petrum XXVII April MDLI.

*Aus den Kanzleiregistern Julius III. in den Jura rer. Capituli Varm. nr. 4 D.*

## 1012.

***1551. Mai 1. Krakau.*** *Der Vicekanzler Oczieski weist den Bischof Hosius an, wie mit einem zur Vertheilung der Ehrenstellen und Aemter ergangenen königlichen Erlasse zu verfahren sei und wie er die Neubesetzung des Culmer Bisthums bekannt machen solle.*

R$^{mo}$ domino Stanislao Hosio d. gr. Episcopo Varmiensi.

R$^{me}$ etc. Fert iam Joannes Lisowski, cubicularius regius, omnium dignitatum officiorumque collacionem, de quibus, ne in aula intelligant, priusquam distribuerentur, visum est M$^{ti}$ regie, ut in fasciculo obsignate p$^{ti}$ vrae R$^{mae}$ in manus mittantur. Mox igitur disligato fasciculo, dabit p. vra. singulas literas in manus cubicularii illique praescribet, quid cui dandum erit. Spectabit tandem ille questum suum ab hiis, quibus conferet. — Sed quia in conferendis episcopatibus non solent regiae litterae dari, renunciabit p. v$^{ra}$ R$^{ma}$ in episcopum Culmensem dominum Joannem Liubodzieski, canonicum Varmiensem, in presencia cubicularii, ut videatur noviter confectum allatumque esse. — Ego per alumnum meum Moscum mitto domino Costka et dominis a Conopat, est enim michi vetus singulareque de illis merendi studium. Commendo tandem servicia mea in gratiam p. vrae R$^{mae}$; sororium meum non ad indulgenciam sed ad studia commendo p. vrae R$^{mae}$. Cracoviae die Sigismundi A$^{o}$ 1551.

Vrae R$^{mae}$ p. servitor addictissimus J. Oczieski manu sua.

*Original auf Papier mit Resten des Siegels a. a. O. Vol. 4 nr. 85.*

## 1013.

***1551. Juni 26. Löbau.*** *Bischof Hosius empfiehlt M. Cromer das in der Salz- und Münzsache eingereichte Gesuch der Elbinger und äussert sich gegen ihn wegen der Theilnahme am Concil.*

R^ndo^ domino Martino Cromero, IUD. custodi Visliciensi, Cracoviensi et Kielcensi canonico, regio secretario. — In absentia domino Joanni Hosio.

S. Occupationes meae non permittunt, ut agam tecum hoc tempore pluribus; nam absolvere cupio, quae prae manibus habeo. Ceterum Elbingenses petunt a me causam suam tibi commendari: de sale deque obolis. Prius illud fore puto difficilius; posterius cur non concedatur, causam non video, cum praesertim cudant alii monetam, non requisito Regiae M^tis^ consensu, nisi forte quia iusiurandum praestiterunt Elbingenses, ideo deteriori eos conditione esse oportet. Mihi quidem viderentur esse tanto maiore gratia prosequendi. Ad concilium scripsi tibi me designatum esse etiam a synodo; sed de sumptibus aut prorsus nolunt aut maligne mihi providere volunt. Ego tantum aeris iam alieni contraxi, tempus ut sit, quo de dissolvendo potius quam de maiori contrahendo sim solicitus. Meo sumptu vivere ibi non possum. Huc accedit, quod nolunt eo me proficisci, nisi aut incommodissimo anni tempore, non modo cum iumentorum verum etiam cum meae ipsius salutis periculo, aut absoluto concilio. Ego si mihi proficiscendum est, Septembri mense mallem; sed si fieri potest citra offensam Regiae M^tis^: da operam, ut ad alium quempiam haec provincia deferetur. Mittam ex meis aliquem brevi, per quem scribam ad te copiosius. Tibi fratrem meum commendo, atque ut eum ad fidem et ecclesiam christianam reducas, rogo. Bene vale. E castro meo Lubaviensi, sexto Calendas Julii 1551.

Tuus Stanislaus Culmensis, postulatus episcopus Varmiensis.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 19 fol. 94.*

## 1014.

***1551. Juli 30. Heilsberg.*** *Bischof Hosius berichtet an M. Cromer über seine angestrengte Thätigkeit und seinen Briefwechsel.*

R^ndo^ domino Martino Cromero I. U. Doctori etc.

S. Sum nunc valde occupatus in eo absolvendo negocio, quod mihi mandatum fuit a synodo; nam rediens ex illa graviter laborabam, ut neque lectioni neque scriptioni vacare possem diebus aliquot. Interea venerunt ex urbe literae; de capienda possessione fui solicitus. Qua accepta, si fuit unquam antea, nunc est mens mea multis cogitationibus distracta. Scribo tamen ut possum. Cum praesertim R^mus^ d^nus^ Archiepiscopus huc miserit atque urget, ut perficiam: vellem paulo serius literae venissent ex urbe, quo magis animo tranquillo esse liceret. Caeterum cum esset huius certi hominis data potestas, nolui eum absque meis literis dimittere. Causam suam tibi commendari postulat: quae

cuiusmodi sit, non ignoras. Quam etiam commendatam tibi fore non dubito. Bene vale. E castro meo Helspergk,[1]) penultima Julii 1551.

Tuus Stanislaus episcopus Varmiensis subscrips.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 19 fol. 95.*

## 1015.

***1551. November 18. Rom.*** *Papst Julius III. zeigt dem Könige Sigismund August von Polen die Provision des Johannes Lubodzieski für das Bisthum Culm an.*

Julius Episcopus etc. Charissimo in Christo filio Sigismundo Augusto, Poloniae regi illustri, salutem etc. Gratiae divinae premium et humanae laudis preconium acquiritur, si per seculares principes ecclesiarum prelatis, presertim pontificali dignitate praeditis, opportunum favoris praesidium et honor debitus impendatur. Hodie siquidem ecclesiae Culmensi, tunc ex eo, quod nos nuper venerabilem fratrem nostrum Stanislaum episcopum Warmiensem, nuper Culmensem, a vinculo, quo dictae ecclesiae, cui praeerat, tenebatur, de fratrum nostrorum consilio et apostolicae potestatis plenitudine absolvimus, et ad ecclesiam Warmiensem, tunc certo modo pastoris solatio destitutam, de simili consilio apostolica auctoritate transtulimus, praeficiendo ipsum illi in episcopum et pastorem, per translationem huius apud sedem apostolicam pastoris solatio destitutae, de persona dilecti filii Johannis, Electi Culmensis, nobis et fratribus ipsis ob suorum exigentiam meritorum accepta, de fratrum eorundem consilio dicta auctoritate providimus, ipsumque illi in episcopum praefecimus et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesiae Culmensis sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde confectis literis plenius continetur. Cum itaque, fili charissime, sit virtutis opus dei ministros benigno favore prosequi ac eos verbis et operibus pro regis aeterni gloria venerari: Maiestatem tuam regiam rogamus et hortamur attente, quatenus eundem Johannem Electum et praedictam ecclesiam Culmensem suae curae commissam habens pro nostra et sedis praedictae reverentia propensius commendatos, in ampliandis et conservandis iuribus suis sic eos benigni favoris auxilio prosequaris, quod ipse Johannes Electus, tuae celsitudinis fultus praesidio, in commisso sibi curae pastoralis officio possit deo propitio prosperari, ac tibi exinde a deo perennis vitae premium et a nobis condigna proveniat actio gratiarum. Datum Romae apud sanctum Petrum Anno incarnationis dominicae Millesimo quingentesimo quinquagesimo primo, Quartodecimo Kal. Decembris. Pontificatus nostri Anno Secundo.

---

[1]) *Hosius hatte am 19. Juli Löbau verlassen und war am 21. Juli in dem Dome zu Frauenburg eingeführt. Bischöfl. Archiv zu Frauenburg A. 2 fol. 87.*

*Original auf Pergament mit der Bleibulle an hanfener Schnur im Archiv des Domcapitels in Pelplin. Von demselben Datum finden sich 1. die Bulle an die Diöcese Culm und 2. die Erlaubniss, sich von jedem Bischofe, da er nur Subdiacon wäre, weihen zu lassen, nachdem er den vorgeschriebenen Obedienzeid geleistet habe, mit der Klausel:* „Quod per hoc venerabili fratri Archiepiscopo Rigensi, cui ecclesia ipsa metropolitico iure subesse dinoscitur, nullum imposterum praeiudicium generet“ *ebendaselbst; ferner 3. die Bulle an das Domcapitel und 4. die an den Clerus, im Culmer Diöcesan-Archiv.*

## 1016.

***1551. November 19. Schwetz.*** *Johannes Liubodzieski spricht gegen Bischof Hosius seine Besorgnisse wegen Ausbleibens der apostolischen Briefe aus und bittet um Rath.*

R$^{mo}$ . . . . domino Stanislao d. gr. Episcopo Varmiensi etc.

Reverendissime domine etc. Cum in ânimo meo statuissem famulum ad v. R. d. mittere caussa valetudinis ipsius invisendae, quod tam diuturna taciturnitas deteriorem suspicionem suggereret: commodum se nobis obtulit magnificus dominus Stanislaus Costka, palatinus Culmensis, qui v. R. d. optime valere asserebat. Facturum me tamen pro officio meo putabam, si quod semel statueram facere, invisendae valetudinis eius caussa, perfecerim, ne de observantia mea erga V. R. D. nonnihil remisisse videar. Si igitur v. R. d. bene valet, quod cupio et spero, gratum est mihi non mediocriter. Ego, Christo volente, valeo ex animo; mora tamen adeo diuturna litterarum apostolicarum animum meum non sine aliqua mali suspicione vehementer discrutiat. Plane cerno, quantum intererat ad salutem bonorum spiritualium et temporalium Culmensis episcopatus retinendam et conservandam, iamiam tandem confirmationem apostolicam habere. Nam et religio, cuius prima nobis ratio habenda est, misere proscinditur, et bona temporalia defluunt negligentia quadam, et quod acerbissimum est, occasio praebetur malis subditos episcopatus illius vexandi, diripiendi, quaeruntur miseri, rogant ut a se bonisque suis vis et iniuria propulsetur. Proinde V. R. D. peto atque oro, cuius authoritate ad eam sedem evectus sum, consilio suo me adiuvet, quid suspicari debeam vel agere de literis apostolicis, nam omnino inops sum consilii ea in re, quod V. R. d. pro suo in me amore facturam esse non dubito. Quae vero d. Castellanus Elbingensis de rebus suis ad V. R. d. scribit, eadem etiam ipsa mihi videntur, ut videlicet is processus in caussa observetur, quem ille in literis suis ad v. R. d. perscripsit. Proinde rogo, ut suam nobis operam in hoc commodet; quicquid enim V. R. d. eo nomine fecerit, faciet in homines bene memores et gratos. Bene valeat v. R. d. diu foelix. Suetiae XIX. Novembris Anno M. D. L. I.

Eiusd. R$^{mae}$ d. vrae

obsequentissimus Joannes Liubodziesky.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 11 fol. 12.*

## 1017.

***1552. Januar 10. Krakau.*** *Der Krakauer Decan Stanislaus Borek theilt dem Bischof Hosius die Ursache mit, weshalb die apostolischen Briefe für den Culmischen Bischof so lange ausgeblieben.*

R^mo^ . . . . . domino Stanislao Episcopo Varmiensi etc.

R^me^ etc. — — Dominus Joannes Krzisstoporski ab octiduo iam attulit litteras apostolicas R^mo^ domino Culmensi Episcopo, qui insimulatus fuit apud sedem apostolicam, quod fuerit sequax sectae Lutherianae in argumentum, scholaris Vittembergensis certo fuisse affirmatus, prout et de domino Chelmensi simile factum fuit. Veniens tamen dominus Krzisstoporski is utriusque novelli episcopi negocium M^tis^ Regiae nomine promovit et effecit, ut tandem pronunctiati promoti sunt in episcopos. Pro domino Culmensi coactus sum solvere florenos ducentos quatuor et grossos viginti duos cum medio, alias in auro centum decem septem. Spero, quod R^ma^ d. sua Piotrcoviae mihi de expositis per me domino Alberto Kiowski respondebit, cui dedi negocium in Labianicze existenti numerare meo nomine pecuniam. — — Datum Cracoviae die decima Januarii Anno domini M. D. L. II.

R^mae^ d^nis^ vrae. capellanus et servitor

Stanislaus Borek, decanus Cracoviensis ss.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 11 fol. 18.*

## 1018.

***1552. Februar 3. Schwetz.*** *Johannes Liubodzieski zeigt dem Bischofe Hosius seine Confirmation zum Bischof von Culm an.*

R^mo^ . . . domino Stanislao d. gr. Episcopo Varmiensi etc.

R^me^ etc. Iam tandem, volente Christo, non sine aliquo tamen negocio, sacras apostolicas literas II. die mensis Februarii accepi. Dominus Cristoporski, S. R. M. apud summum pontificem orator, nomine et authoritate S. R. M. suoque vigilanti studio, ut ex plurimorum literis accepi, caussam meam non mediocriter adiuvit, ac eadem ipsa diplomata Roma allata per Conopniczki ad me misit. Quo sane nomine plurimum illi me debere profiteor; ac enim maxime R. D. vrae. propter non mediocre studium erga me, cum in aliis plurimis rebus, tum in hoc praecipue negocio, non modo perpetuo me debere profiteor, sed etiam ago nunc quantas maximas possum gratias, acturus semper, dum vivo. Nam pares referre gratias fortasse non sinet beneficii collati in me amplitudo. Quod quidem beneficium et studium in me cumulatius tamen R. D. vra. efficiet, cum deinceps me consilio, studio authoritateque sua adiuverit, ac praescripserit diligenter rationem et viam, qua semel in me coeptum divinum munus commodissime, expeditissime et cito perficiatur. Data est etiam mihi facultas a sede apostolica suscipiendi reliquos sacros

ordines, non expectato tempore statuto a sacris canonibus, a quocunque episcopo et quovis loco. Et item concessum est authoritate eiusdem sedis, ut in episcopum consecrarer aut per unum atque alterum episcopum, abbate uno adiuncto, aut per episcopum et duos abbates, aut certe per episcopum et abbatem unum habentem usum mitrae. Itaque R. D. vram. etiam atque etiam peto, ut primo quoque tempore mihi ea de re suum perscribat consilium, quod R. D. vram. pro eo, quo est in me, amore et studio facturam non dubito. Ego vero, quantum contra officio, studio, observantia potero, dabo pro virili mea operam, ut hoc beneficium in homine bene memori et grato posuisse videatur. Caeterum quod R. D. vra. ex me scire cupit, quid sentiam de edicto S. R. M. prorogando, quo aurei et argentei nummi ad certam aestimationem redacti sunt et quod iam pridem promulgatum et publicatum est, censuerim, diligenter considerandum esse, ne non ex dignitate nostra esset integram eam rem ad S. R. M. iterum rejici, ut illa consilio sui senatus aut ratum perpetuo esse velit et iubeat, quod semel edixit, aut si ei illud mutandum esse videretur, altero item edicto S. R. M. tolleretur. Cum et id, quod executionem suam accepit, tolli potius altero edicto debeat quam prorogari, et exemplum literarum S. R. M., quod R. D. vra. ad me misit aperte (nisi ego fallor), significare videatur, S. R. M. existimare, edictum illud suum prius nondum fuisse publicatum. Bene valeat R. D. v. diu et foeliciter. Suetiae III Februarii Anno M. D. L. L. II.

R$^{mae}_{=}$ D. vrae.

amicus et frater ex animo Joannes Liubodzieski.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 11 fol. 2.*

## 1019.

***1552. April 28. Briesen.*** *Johannes Liubodzieski entschuldigt sich beim Bischofe Hosius wegen des Aufschubs der heiligen Weihen.*

R$^{mo}_{=}$ . . . . domino Stanislao d. g. Episcopo Varmiensi etc.

R$^{me}_{=}$ etc. Quod me R. D. vra. sepenumero mei admonet officii, non possum hoc non alacri et prompto animo suscipere. Nam et ex hoc illius amicum et benevolum in me animum studiumque, iam mihi toties ante exploratum magnis et arduis in rebus, facile perspicio. Quo quidem nomine R. D. vrae. habeo et ago non quas debeo sed quas maximas possum gratias, hoc illius studium in me et fraternum amorem omni officiorum genere per occasionem relaturus. Ordines sacros, qui animum bene pacatum postulant, multis et maximis solicitudinibus impeditus perficere hactenus non potui. Sed in proximis deo volente comitiis ex authoritate et consilio R. D. vrae. totus pendebo, nec dubito, quin ea in re suam mihi tunc, quam etiam in literis suis benigne pollicetur, praestitura sit operam. Qua de re coram inter nos pluribus agemus Mariemburgi, si deus incolumes

et salvos voluerit. Bene valeat R. D. vra. diu foeliciter. In Wąbrzesno XXVIII Aprilis Anno M. D. L. II.

R^mae d. vrae. amicus et frater Joannes Liubodzieski.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 11 fol. 5.*

## 1020.

***1552. Juni 8. Leslau.*** *Johannes Przerembski bittet Bischof Hosius um die Rede, die Hosius im Namen der preussischen Räthe an den König von Polen zu halten gedenke.*

R^mo . . . . . domino Stanislao d. gr. Episcopo Warmiensi etc.

R^me etc. De R. p. vrae. in me gratia tantum mihi persuadeo, ut petere ab ea non dubitem, quo eius orationis, qua M^tem Regiam nomine consiliariorum Prussiae exceptura est, exemplum mihi mittat per hunc puerum, quem ad R. p. vram. eius solius rei causa ablegavi. R^mi quoque domini Culmensis orationem, si quam in templo cleri nomine habiturus est, mitti mihi velim. Haberi autem eam ab illo conveniret; nam cum esset pater M^tis Regiae in terris Prussiae, ingredienti Torunium episcopus Culmensis cum clero ad pontem usque obviam prodierat, sed M^tas Regia vult, ut in templo eum expectet, ne in hoc tanto aestu pedes urbem ingrediatur. Faciet autem R. p. vra. non mihi magis quam magnifico domino Cancellario rem valde gratam, si utramque orationem, aut certe suam tantum, mihi miserit, me vero magno beneficio affecerit. Commendo iterum obsequia mea in gratiam R. p vrae. eamque incolumem valere cupio. Wladislaviae 8 Junii Anno domini 1552.

R. p. vrae. sacellus et servus obsequentissimus Johannes Przerempski.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 17 fol. 6.*

## 1021.

***1553. Januar 1. Löbau.*** *Bischof Johannes von Culm berichtet dem Bischof Hosius über den Rechtsstreit eines gewissen P. Braske, den Hosius empfohlen hatte.*

R^mo . . . . . dno. Stanislao Episcopo Warmiensi etc. — *Praes. in die trium regum 1553.*

R^me etc. Studio et curae mihi fuit, ut Petrus Braske, subditus R^mae d. vrae., cuius caussam apud me literis suis commendavit, iam tandem ius suum sine ulla tergiversatione consequatur. Tuleram quidem iam multo ante decretum, quo solutio pensionum pro temporibus in transactione praefinitis differebatur. Nam reus prima fronte iustam exceptionem attulisse mihi visus est, non se teneri ad solvendas pensiones, debitas ex contractu emptionis facto inter Petrum Braske et Joannem Harthowski, quod necdum integram possessionem rei venditae, pro qua pecunia petebatur, nactus esset. Qua quidem excep-

tione iusta et legitima, uti videbatur, tum permotus, contra concordiae seu transactionis mutuae formam solutionem in longius tempus reieceram. Iniquum enim videbatur emptorem ad solutionem praecii cogere, cum venditor rem emptam neque traderet neque exhiberet emptori. Sed posteaquam edoctus sum, fratres Joannis Harthowski, cum summam sexcentarum marcarum eidem Joanni et ipsius sorori Dorotheae communiter donatam ac in bonis Harthowiecz inscriptam dissolvere aliter non potuissent, dimidiam partem bonorum in Harthowiecz fratri suo Joanni Harthowski sexcentis marcis vendidisse, ut Joannes sorori suae Dorotheae dimidiam donationis partem solvere omnino deberet. Quod cum se ille sorori suae facturum esse recepisset, etiam intercedente scripto transactionis post celebratum contractum venditionis cum fratribus facto, iudicavimus exceptionem adductam oppositamque reo prodesse non potuisse, partim quod per sororem eius non stetisset, cum qua vel eius marito nullum fecit contractum emptionis neque potuit omnino de aliena re, quo minus ille possessor esset rei emptae, sed per fratres potius venditores emptae rei, partim vero quod iam cum fratribus suis contractu emptionis fidem sine ullis conditionibus in scripto sorori suae dedisset de solvendis trecentis marcis. Itaque priore decreto irrito facto, in quo nobis tacito quidem vero, expresso autem falso, obreptum erat, Joannem Harthowski condemnavimus Petro Braske seu uxori eius ad solvendam integram summam trecentarum marcarum ad proximum festum divi Jacobi aut ad tradendam partem agri, quae precio eidem summae responderet. Fecimus itaque, ut opinor, quod velle R$^{ma}$ D. vra. videbatur, ut subditus illius sine ulla tergiversatione iam tandem ius suum consequatur. Literas romanas, quas se ad me misisse scribit, nullas vidi. Miror, quid acciderit, cum post illas literas, quibus me ea de re fecerat certiorem, iam alteras a R$^{ma}$ d. vra. accepi. Quam bene diu et foeliciter valere opto, illius fraterno amori me commendans. Lubaviae 1. Januarii Anno domini M. D. L. III.

R$^{me}$ d. vrae. amicus et frater Joannes Liubodzieski, Episcopus Culmensis.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 11 fol. 34.*

## 1022.

***1553. Februar 1. Culmsee.*** *Das Domcapitel von Culm verschreibt in seinem Dorfe Biskupicze drei Hufen zu dem Schulzenamt.*

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Noveritis universi praesentium notitiam habituri, quod nos Senior totumque capitulum cathedralis ecclesiae Culmensis, attendentes permultorum mansuum (!) in villa nostra capitulari Biskupicze vastationem desolationemque, quo eo citius in recuperationem, reformationem atque utiliorem culturam praedicta perveniat, matura desuper habita deliberatione, fideli nostro Jacobo Plocki ratione locationis tres mansus liberos in memorata villa Biskupicze nomine scultetiae suisque veris haere-

dibus ac legitimis successoribus iure Culmensi perpetuo possidendos conferimus atque donamus. Volentes etiam, ut idem scultetus suique posteri, ubi illud necessitas postulaverit, in capituli nostri negotio, hic in terra Prussiae saltem, impensis capituli in equo suo proprio proficisci atque commissa fideliter exequi teneatur; nullum praeterea censum ab illis tribus mansibus pendet. Domini vero et possessoris villae Biskupicze obligabitur pro conscientia sua commodis prospicere, et ubi caeteri coloni praedictae villae angaria vulgo scharwerk exequentur, ipse sibi propria persona adesse tenebitur atque illud dextere absque incommodo domini sui peragere jubere obstringetur. Pro maiori vero fide atque robore praesentes literas nostri capituli et ecclesiae sigillo solito consignari atque communiri fecimus. Datum et actum Colmensehe in domo capitulari, die prima Februarii, Anno a nativitate Christi Millesimo quingentesimo quinquagesimo tertio.

*Original auf Pergament mit den Einschnitten fürs Siegel, das abgefallen, im Culmer Diöc.-Archiv. Die Schrift ist sehr erloschen. Abschrift bei Mauritius nr. 149.*

## 1023.

***1553. December 29. Löbau.*** *Bischof Johannes von Culm berichtet an Bischof Hosius über den Process des Braske, das negative Ergebniss einer auf Hosius Anregung angestellten Nachforschung über eine religiöse Verirrung u. a.*

R$^{mo}$ .... dno. Stanislao d. g. Episcopo Warmiensi etc. — *Praes. 3 Januarii 1554 Heilsberg.*

R$^{me}$ etc. Negotium Petri Brasch, R$^{mae}$ P. v. subditi, non tam difficile in se quam ob adversae partis difficultatem molestum, finem (quod equidem gaudeo) iam tandem sortitum est. Ceterum a R. p. v. sinceriter admonitus, (quod equidem magno pietatis eius erga me testimonio mihi fuit, pro quo et magnas ei gratias habeo) quod quidem in diocesi mea homines improbi, gloriosi beatae Virginis nominis aemuli, impiis suggestionibus contra veterem piamque catholicae ecclesiae consuetudinem illud supprimere eiusque salutarem invocationem elevare ac veluti impiam contemnere conentur. Rem tantam factumque adeo scelestum pro officio vigilantis pastoris, quod mihi serio sumpsi, minime negligendum duco. Verum cum (quod deum testor) a mea noticia longe alieni sint erroris huius autores, neque antehac quicquam eius rei ad meas pervenerit aures, neque quos facti arguere vel incusare debeam, sciam: R$^{mam}$ p. v. pro pio eius erga rem christianam animo et spectata in me benevolentia ac humanitate rogatam velim, ut talium hominum nomina literis tradita exprimere velit, quo facilius et tempestivius, nulla ignorantiae interposita cunctatione, huic occurrere malo, et ne vires acquirat longius eundo, prohibere possim. In mora enim, quae mihi cum R. p. v. communis sententia est, periculum non levipendendum esse agnosco. De quibus quam primum certior factus fuero, omnem dabo operam, ne alicubi saluti christiani gregis mei, ab omni labe opinionum impiarum conservandi, authoritate mea defuisse detrectatoresque huiusmodi malignos

oscitanter praeteriisse videar. — Discordiae, (cui nomen ex re contigit, ut audio) pacis christianae turbatori, profugo nullaque certa manenti sede, ne in meo ovili locus ullus sit, omnem (quod aiunt) moveo lapidem. Eaque de causa. Generosum ac nobilem dominum Raphaelem, haeredem in Strassborch, cuius praesidio tutatur, praesens praesentem in magnifici generosorum ac nobilium Palatini Pomeraniae ac Georgii et Raphaelis a Conopat fratrum praesentia, compellavi, rogavi, monui, ut hominem istum seditiosum rem communi patriae salutarem facturus dimitteret, nec tantam pestem multis iam exactam locis domi aleret suae in perniciem et detrimentum reipublicae christianae. Nec defuerunt aliorum amicae cohortationes. Sed hucusque nihil effectum est. Spero tamen brevi futurum, ut illius, cuius iam vivit beneficio, in se quoque concitato odio, (qui ipsi genuinus mos est) has cum turpitudine deserere partes cogatur. Id, quoad factum non fuerit, non acquiescam. — Acta ad me missa, ubi perlegero, fidum nactus nuntium, ad eam referri curabo, quorum quod mihi copiam facilem fecerit, et novitates anglicas (quae profecto iucundae mihi fuere auditu magnoque solatio) communicarit, ingentes ei gratias ago. — Silentio insuper nequeo praeterire, quod mandato regio una cum literis R$^{mae}$ p. v. ad me perlato iubeor, a R. p. v. requisitus, diplomata quaedam apud me, ut scripta regia videntur referre, existentia exhibere. Quae vero qualia sint, ignorans ex R. p. v. cupio certior fieri, cui, quo rem cognoscat expeditius, copiam regii mandati his adiunctam mitto. Nec abs re visum est his quoque addere copiam literarum Archiepiscopi Rigensis, quas iam alteras pro Fleschmanno ad me scripsit, in quibus quam aequus in canonicas et pontificias constitutiones sacras sit, R. p. v. facile dijudicabit. Cuius prudens de eo iudicium impartiri et quo loco habendae sint, mihi significari cupio et rogo. Cuius nimirum indulgentia quam qua sibi authoritate vendicet non video. Fleschmannus iste animatus, me quidem omnibus modis prohibente sed frustra, animo suo obsequutus, nuptias Thoroniae confecit. Sentiet vero et brevi iniuriam hanc mihi ita cordi esse itaque me movere, ut nolim eam inultam. Literas ad cancellarium meum scriptas primo quoque nunctio ad eum Culmam, ubi patremfamilias agit, destinabo. His R$^{mam}$ p. v. deo optimo maximo diutissime foeliciter incolumem commendo. Lubaviae 29. Decembris Anno domini 1553.

R$^{mae}$ d. vrae amicus et frater Joannes Liubodzieski Episcopus Culmensis.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 11 fol. 51.*

## 1024.

***1554. März Culm.*** *Der Rath der Stadt Culm macht die Eröffnung seiner höheren Schule bekannt.*

Cum hoc turbulentissimo tempore domicilia litterarum multis in locis partim bello partim dissidio religionis intereant, ea vero res magnam ecclesiae et universae reipublicae

christianae perniciem allatura videatur: optimus et sapientissimus praesul, reverendissimus dominus dominus Joannes Lubozewski, episcopus Culmensis, dominus noster clementissimus, pro suo officio nos admonuit atque hortatus est ad instaurandum Gymnasium, quod apud nos Teutonicorum Marianorum temporibus olim privilegiis pontificiis rite confirmatum est. Nam et dignitatem utilitatemque litterarum, in quibus magno studio inde usque ab ineunte aetate versatus est, praeclare intelligit, et sui officii esse iudicat, dare operam, ut iuventus ad (!) ecclesiae et reipublicae seminarium in sua dioecesi bonis litteris ad religionem, virtutem et honestatem instituatur. Nos igitur et fatali temporum calamitate, qua litterarum domicilia passim collabuntur, et reverendissimi Episcopi, domini nostri clementissimi, auctoritate gravissimoque consilio moti negotium instaurandi suscepimus. Nihil enim publice utilius aut honestius a nobis fieri posse arbitramur, quam si curam adhibeamus, ut studia litterarum conserventur, sine quibus neque religio propagari ad posteros neque ulla civilis disciplina retineri potest. Conduximus autem viros doctrina praestantes, qui bonas artes et linguas, quarum cognitio ad eruditionem necessaria est, apud nos profiteantur et optimos quosque auctores in Oratoria, Poetica et Philosophia enarrent, quique praelegant Institutiones Juris Civilis iis, qui iam fundamenta artium mediocriter assecuti et forte studio iuris se addicturi sunt. Ac eisdem lectoribus stipendia satis honesta a nobis constituta sunt ex reditibus bene fundatis. Praefecimus etiam gymnasio rectorem, virum non minus gravitate morum quam doctrina et celebritate nominis insignem, dominum Magistrum Joannem Hoppium, qui diu in publicis academiis egit lectorem et aliquoties officio rectoris ibidem functus est; eique tradidimus statuta a viris prudentibus conscripta, quibus disciplina scholastica regatur. Ad haec, quominus adolescentes, qui studiorum causa ad nos venturi sunt, de mensa laborent, constituimus collegio nostro quendam Oeconomum, qui oeconomiam diligenter procuret et administret. Quare id omnibus publice significandum duximus, ut et exteri praecipue vicini nostri cognoscerent, hoc nostrum beneficium instaurati gymnasii ad se quoque pertinere. Quos quidem omnes decet, cum sua causa tum etiam vel maxime propter universam posteritatem, mutuam conferre operam ad hoc provehendum gymnasium, ut honestissima studia et sanctissimae disciplinae in his terris, quae alioqui omnium necessariarum atque utilium rerum locupletissimae sunt, conserventur ac retineantur. Quod tum demum futurum existimamus, si liberos suos ecclesiae pariter ac reipublicae unicam spem in hanc studiorum militiam miserint. Nullo enim alio officii genere maiorem utilitatem rei christianae, nullum beneficium deo gratius offerre, nullam denique rem posteritati magis necessariam praestare possunt, quam si in excitandis musis ac litterarum studiis, in ornandis, tuendis ac conservandis scholis diligentiores fuerint. Et debent profecto ad tantarum rerum curam atque defensionem omnes piae mentes primum dei voluntate, deinde publica necessitate, postremo ipsarum rerum dignitate moveri. Id quod tum primum fiet, cum cogitabunt, quantam iacturam status reipublicae et ecclesiae facturus sit, nisi litterae conserventur.

Quod reliquum est, optamus ac precamur, ut deus aeternus, pater domini nostri Jesu Christi, hanc instaurationem fortunet atque efficiat, quo nostra schola sit universae et ecclesiae et Prussiae salutaris. Datum Culmae sub sigillo nostro Anno domini MDLIIII. Mense Martio.

*Aus Christian Gottlieb Friese's Beiträgen zu der Reformationsgeschichte in Polen und Litthauen. Breslau 1786. Th. II B. 1. Abgedruckt in Dr. Łażynski, Die Culmer Academie im Jahre 1554. Ein Beitrag zur Geschichte dieser Anstalt. Programm Culm 1857. S. 19. Vgl. Lengnich II 112.*

## 1025.

***1554. Juni 13. Althausen.*** *Johannes Liubodzieski, Bischof von Culm, überlässt seinem Domcapitel zur Errichtung eines in Folge letztwilliger Bestimmung des Domherrn Vincentius Kerger gestifteten Altares in der Kathedrale das Gut Wipsenaw (Mszanow).*

Joannes Liubodzieski, dei et apostolicae sedis gratia episcopus Culmensis, praesentibus litteris nostris ad perpetuam rei memoriam universis et singulis significamus et notum facimus, quod quum episcopatus noster Culmensis, magna ex parte incultus ac desolatus, non mediocres impensas postularet, ad hoc, ut, agris latius excultis, uberiores etiam fructus indies maioresque aliquando redditus provenirent, ad dei honorem et cultum ipsius ecclesiae episcopatusque ac successorum nostrorum emolumentum multo amplius propagandum: Nos, habito mutuo Capituli nostri consilio, bona quaedam episcopatus nostri deserta et inculta, nomine Wipszenaw, titulo ac nomine feudi vendere statueramus, ut vel hac ratione in caeteris ecclesiae nostrae bonis magna ex parte incultis uberiores proventus efficeremus. Qua quidem re ac voluntate nostra cognita et perspecta, venerabiles domini Gregorius Weidner et Paulus Cupner, ecclesiae nostrae cathedralis Culmensis canonici, ipsiusque piae memoriae domini Vincentii Kerger, canonici Culmensis, ultimae voluntatis executores, nobis exposuerunt praedicti domini Vincentii defuncti hanc fuisse extremam voluntatem, ut altare in ecclesia cathedrali Culmensi juris patronatus et dispositionis venerabilis capituli nostri eiusdem ecclesiae fundaretur ac dotaretur, certa quadam summa pecuniae ad hoc testamentaliter legata ac relicta, quo vel ita cultus divinus in illa primaria et cathedrali Culmensi ecclesia, cuius aliquando canonicus fuit, in dei laudem et honorem augeretur, simulque summo cum studio a nobis petierunt, ut praedicta bona Wipszenaw utpote a possessione ac iurisdictione ipsius Culmensis capituli paulo ante alienata, eodem redire ac restitui emptionis titulo ac nomine pateremur, accepta videlicet ad eam rem summa mille marcarum prutenicarum et centum aureorum ungaricalium ex pecuniis olim piae memoriae domini Vincentii Kerger ad fundandum altare et cultum divinum in eadem ipsa Cathedrali ecclesia, cuius canonicus fuit, ad augendum relicta. Nos itaque cum ipsorum preces honestas esse animadverteremus, et quae ad ornandam ecclesiam nostram cathedralem et cultum divinum in eadem ipsa propagandum maxime

pertinere videbantur, quanquam ab aliis pretium longe amplius et maius offerebatur, acquiescendum tum illorum precibus esse duximus, quemadmodum acquiescimus per praesentes. Quare, habito ad eam rem speciali capituli nostri consensu unanimi, praedicta bona Wipszenaw in districtu Lubawiensi sita, praenominatis executoribus testamenti ac voluntatis extremae venerabilis domini piae memoriae Vincentii Kerger, videlicet venerabilibus dominis Gregorio Weidnero et Paulo Cupner, ecclesiae cathedralis nostrae Culmensis canonicis, partim vendidimus mille marcis prutenicis, singulas per viginti grossos computando, et centum aureis nummis ungaricis, partim vero ecclesiae ac divini cultus respectu, donavimus omnia in perpetuum, ut se habent intra limites, prout ex antiquo limitata sunt, cum omni iure, proprietate, dominio, agris, silvis, lacubus, pratis, pascuis, et quibuscunque aliis proventibus ac obventionibus, praesentibus ac futuris, nihil penitus iuris in eisdem bonis nobis nostrisque successoribus relinquendo aut reservando, idque ad fundandum et dotandum altare S. Crucis aut cuiuscunque alterius tituli in eadem ipsa ecclesia nostra Culmensi, ad ius patronatus et dispositionem venerabilis capituli ecclesiae nostrae cathedralis Culmensis, pro vicario eiusdem ecclesiae proque Dei Opt. Max. cultu et honore propagando. In quorum omnium fidem et evidentius testimonium nostrum ac venerabilis Capituli nostri Culmensis maiora sigilla praesentibus sunt appensa. Actum et datum Starogrodi decima tertia Junii Anno domini Millesimo Quingentesimo quinquagesimo quarto. Praesentibus testibus ad hoc legittime et rite vocatis Simone Maritio, Pilsnensi J. V. D. cancellario nostro, Laurentio Gelfeltt proconsule civitatis nostrae Culmensis, Stanislao a Lublin cive Cholmesensi, Stanislao a Plonisk notario consistorii.

*Original auf Pergament mit den beiden Siegeln des Bischofs und Domcapitels im Culmer Diöcesan-Archiv. Abschrift bei Mauritius nr. 110.*

## 1026.

***1554. October 3. Graudenz.*** *Achatius Czeme, Palatin von Marienburg, im Namen des Culmischen Adels, und die Verwalter der Schule zu Culm appelliren auf dem Michaelis-Landtage zu Graudenz gegen die durch den Bischof Johannes von Culm bewirkte Amtsentsetzung des Rectors Johannes Hoppe zu Culm an den König.* Anno MDLIV. Indict. XII. die tertia mensis Octobris, coram consiliariis Graudentz in publico conventu congregatis.

*Abschrift im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 71 fol. 73—79. Gedruckt bei Lengnich II. Doc. 25—35 nr. 16. Ueber Hoppe und sein Verhältniss zum Culmischen Bischof vgl. Lengnich II 112 ff. 133, 135 und Eichhorn, Cardinal Hosius I 189 f. Hartknoch, KGesch. S. 1039.*

## 1027.

***1554. Juli 25. Wilna.*** *Der königliche Secretär Gabriel Grabowieczki berichtet dem Bischofe Hosius über die Behandlung der religiösen Angelegenheiten in Preussen.*

R^me etc. — — De voluntate et intencione Elbingensium, tum et de spe, quam in eo habent idolo, posteaquam redii, domino vicecancellario omnia tum aperui, cum etiam ea fuerunt illi per me enumerata, quae voluit R. p. vra. Sed dominus vicecancellarius deum est testatus, non tantum idolo illi se obicere velle, verum eciam et si quod esset maius aut praestancius. Regiam enim Maiestatem omnino optime velle ait rationibus istis piis tum et hoc iam ei sancte promisisse, cum illorum venerit hora, se omnimodo daturum operam, ut ne Elbingenses gloriari possint de victoria, quin eciam ut et Torunenses ad obedienciam adigantur. — In se autem dominus vicecancellarius nihil desiderari pollicetur, quod ad veri patroni et defensoris officium pertinuerit, cum eius rei venerit tempus. Ac praestitisse se omnia iamdudum ait, nisi . . . R. p. vram. illa causa fuisset in . . . . . ca comicia reiecta. Quare R. . . . . credat d. vicecancellarium nostrum omnino esse . . . . R. M^tem nobis bene velle. Quae est vehementer mirum, cum de expulso parocho a Torunensibus et de recepto illo frenetico cognosceret, tum eciam quod de novo concionatore apud Gedanenses de me audivit, atque illud subiunxit, se mirari vehementer, quod isti episcopi alii omnino sternutent in eiusmodi negociis, ubi maxime vigilancia esset usus. — Cum domino Episcopo Culmensi egi severius eciam quam par erat; quamvis autem videbatur non nihil offendi mea illa liberiore oratione, ego tamen nusquam illum peperci, nomine non meo tantum sed domini vicecancellarii scilicet, tum et illorum, [illegible]os simulavi eum apud R. M^tem deferri et ignaviae accusari ac insimulari Lutherani[illegible] Excusavit sese ille miris modis ac se a R. M^te in omnibus consilium requisivi[illegible] dixit per suas literas, ad quas se tantum responsum et voluntatem R. M^tis expecta[illegible]iebat, ut illa cogni . . . . . quod facto esset usus, persequeretur. Posteaquam ego hu[illegible]eni eaque d. vicecancellario . . . . . vi; nihil se horum intellexisse affirmavit, quin [illegible]n oscitanciam hominis severius est invectus, mihi autem ad eum scribere literas iussi[illegible]t illum in officio esse admonerem, arguerem pro meo more et debito liberius. — Qu[illegible]ero ego libenter morem gero hac in causa domino vicecancellario tum et R. p. v[illegible], scripsi has domino Culmensi literas, quas rogo ut R. p. vra. ad eum transmittat. [illegible]rarum autem mearum hanc summam d. vicecancellarius esse voluit, ut, si vacare [illegible]picione velit, scholam Culmensem omnino evertat; deinde ut Torunensi consulatui [illegible]ionem coram R. M^te intentet de pulso parrocho ac suscepto illo frenetico in concionatorem, unaque cum R. p. vra. munus Episcopi omnino obeat illique per omnia faciat [illegible]atis. Ceterum d. vicecancellarius nonnihil eciam est offensus, quod ab Archiepiscopo ad synodum vocatus non est. Quamvis vero tantum personam canonici aut praepositi representet, tamen propter auctoritatem hominis dignus mihi est visus . . . . . ille

exhiberetur, ut tandem etiam favens . . . — — — actoribus, quae eciam — auctoritatem requirunt; sed prudenti satis est. — In aula omnino nihil est novi, praeterquam quod Turcicus et Valachi oratores heri sunt absoluti sed remotis arbitris; sciam tamen legacionem illorum, ubi rursus rediero ac de illis omnia scribam etc. — — Raptim. Vilnae die 25 Julii 1554.

E. R. p. vrae. addictissimus servitor Gabriel Grabowieszki.

*Original (sehr beschädigt) im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 71 fol. 98—99.*

## 1028.

***1554. November 14. Löbau.*** *Bischof Johannes von Culm berichtet dem Bischofe Hosius über die Culmer Schule.*

R^mo^ . . . domino Stanislao Hosio d. gr. Episcopo Varmiensi etc.

R^me^ etc. Nullum a R^ma^ P. v. me consilium accepisse fateor, quo de nobilitate Culmensi causa Graudentinae proxime praeteritae impetitionis questum ad S. R. M^tem^ mitterem. Neque ego vero, cur id facerem, satis iustam video causam, cum maiorem illius partem eorum, quae tum agerentur ac pertractarentur, vehementius expertem fuisse sit certum. Quod autem gravius, ne dicam importunius, quam locus aut res postulabat, nobilitatis eiusdem nomine peroranti ac minas quasdam miscenti pari audacia non fuerit responsum, maioris profecto perturbationis evitandi causa intermissum fuit. Nihilominus tamen ita tum respondisse me brevibus memini, ut minime habeant, quo aut sibi placere aut illorum arbitrio me cessisse gloriari possint. Subditos porro meos Culmenses, licentia nescio qua insolentiores ac plus aequo tum obstrepentes, prima quaque occasione poenitere faciam commissi, efficiamque, ut sentiant habere se, quem et observent honestius ac revereantur submissius. Protestationem vero praesente notario publico Graudenti tum factam, et ab eodem in scriptis relatam, a domino Martino Wolski, comitante eodem notario, nomine totius nobilitatis Culmensis mihi itineri iam accincto magnifice oblatam, ut ridiculam eidem, diligenter sibi in rem suam asservandam reddidi. Caeterum cancellarium meum iam adversa nonnihil extenuatum valetudine, ut ad regiam aulam ablegem, non puto praesentem requirere necessitatem, cum R^mae^ P. v. literis fidei, testimonii et authoritatis plenis me falsae suspicionis fictaeque opinionis purgatum satis confidam. De Magistro Absolone R^mae^ P. v. et eius suscipiendae scholae Culmensis administrationis voluntate, cuperem me per occasionem fieri certiorem, quo id Culmensibus meis, juris nescio quid de eligendo praeceptore sibi arrogantibus, tempestive indicare possem. De Hoppio vero quid R^mae^ P. v. polliceri in praesentiarum debeam, certi habeo nihil. Credo equidem Lutherana opinione ita inveteratum, ut catholicos homines facile fugiat. Nihilominus et per literas et certorum hominum compellatione animi illius sententiam explo-

ratam brevi R$^{mae}$ P. v. significabo. Quam Deo Optimo Maximo diutissime foeliciter incolumem commendo. Datum Lubaviae 14 Novembris Anno domini 1554.

R$^{mae}$ d. vrae.

frater et amicus Joannes Liubodzieski Episcopus Culmensis.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 11 fol. 54.*

## 1029.

***1554. December 18. Löbau.*** *Simon Maricius, Kanzler des Bischofs von Culm, empfiehlt dem Bischofe Hosius die Sache seines Verwandten, des Bonaventura Tenk.*

R$^{mo}$ domino Stanislao, divina gr. Episcopo Varmiensi, domino et patrono ac Mecoenati suo observandissimo. — *Praes. 22 Decemb. 1554 Helsberg.*

R$^{me}$ etc. Torunenses nostri hominem quendam nacti sunt, purum putam (ut fertur) Lutheranum, quem, quod sibi concionatorem esse volunt, et praesul meus promoveri ad sacros ordines sine formatis nollet ac bene examinatum, Rigam miserunt. Novum illinc nuncium in dies expectamus. Affinis meus Bonaventura Tenk ad diem Priscae ad S. R. M$^{tem}$ iturus est. Sic adversario eius, homini plus satis temerario, visum est, qui vexare eum vel perpetuo, si liceret, in animum induxit suum, quamquam et causa iam pridem peracta est, et tres conformes sententias ac rei iudicatae executionem affinis meus obtinuit. Ea est adversarii improbitas. Illud homini inquieto curae est, ut miser affinis rei suae iacturam faciat ac ad inopiam redigatur; nam causam iam semel actam se posse obtinere minus non ignorat. Itaque R. p. vram. summo cum studio rogo atque oro, ut causam hominis miseri affinis mei adiuvet literis suis apud dominum Procancellarium regni. Non diffidet ille causae suae, iam actae et peractae toties, sed illud vellet obtinere a R. M$^{te}$, ne toties ad tribunal sacrum evocaretur falso impetratis mandatis poenalibus. Authoritate iudicis intromissus est in aedes affinis meus. Id iste bonus vir vim esse interpretatus; mandata regiae M$^{tis}$ obtinuit gravibus sub poenis, ut affinis meus ex ipsis aedibus ejiceretur, ipse vero restitueretur. Atque ita per senatum Torunensem ad tribunal R. M$^{tis}$ remissi sunt. Declarabit affinis meus ius suum vel ipsa luce clarius. Modo R$^{ma}$ p. v. causam ipsius literis suis adiuvet. Quicquid praestabit R$^{ma}$ p. vra. affini meo hac in causa iustissima, in me clientem suum gratiam hanc positam esse existimet, quam illi reponere obsequiis meis perpetuis sedulo curabo. Commendo me gratiae R$^{mae}$ p. vrae., cliens patrono, ex candidato bonarum literarum rusticus et agricola factus. Lubaviae 18 Decembris Anno 1554.

R$^{mae}$ p. vrae.

famulus et cliens Simon Maricius.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 11 fol. 56.*

## 1030.

***1554. December 19. Löbau.*** *Bischof Johannes von Culm berichtet dem Bischof Hosius über das Antwortschreiben des Rector Johannes Hoppe.*

R^mo . . . domino Stanislao d. gr. Episcopo Varmiensi etc. —
*Praes. 22 Decemb. 1554 Helsberg.*

R^me etc. Quid magistro Hoppio ipse scripserim, ex mearum literarum exemplo, quod R. P. vrae. transmitto, intelliget. Illud autem mihi respondit per nuncium, nullius sibi erroris conscium esse, atque ita non habere, de quo se purget. Et si quid peccatum esset ab illo, eius facti rationem apud me potius reddi oportere, cuius iurisditioni modo subest, quam ad alienum transmitti. Nam si propter disputandum de religione catholica ad R. P. vram. ablegaretur, id se nulla dicit ratione commissurum, ut munus disceptandi ea de re, quam nunquam didicit, suscipiat, cum se non theologum sed philosophum ac bonarum literarum praeceptorem prophiteatur. Adiecit postremo, nihil sibi fore deinceps negocii cum sacra scriptura, philosophiam tantummodo et literas humaniores, quas didicit, pueris traditurum. Haec fere Hoppius. Culmensis autem et Mariemburgensis palatini, ac etiam capitaneus Mariemburgensis, permolesti mihi sunt literis suis, urgent, ut Hoppius Culmae retineatur vel usque ad mensem Maium. Graviter laboro ex oculis, et aliquid timeo gravius, ni in tempore morbo occurratur. Rogo praeterea certior fieri de voluntate magistri Sampsonis, ut aliquid certi de Culmensi schola per nos statui possit. Opto R. P. vram. optime ac diutissime valere. Lubaviae XIX Decembris Anno domini M. D. LIIII°.

R^mae d. vrae. amicus et frater Joannes Liubodzieski, Episcopus Culmensis.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 11 fol. 55.*

## 1031.

***1554. December 21. Löbau.*** *Johannes [Liubodzieski], Bischof zu Culmsee, zeigt Danzig an, dass er als Mitglied der Königl. Commission die an Danzig gelangte Citation untersiegelt habe, aber wegen einer schlimmen Augenkrankheit vorläufig an den weitern Geschäften nicht theilnehmen werde.* Dat. auff Lobaw den 21 December 1554.

*Original auf Papier ohne Siegel im Danziger Stadtarchiv.*

## 1032.

***1555. Januar 12. Thorn.*** *Simon Maricius vertheidigt sich gegen die Anklagen des Bischofs Hosius wegen der Culmer Schule.*

R^me etc. De schola Culmensi immerito a R^ma P. vestra accusor. Neque enim satis dignum esse puto, hominem extra omnem noxam hinc suspicionibus illinc gravibus molestiis onerari, vexari, calumniis proscindi. Non Oppianus neque Lutheranus sum,

praesul ornatissime. Priusquam id in mentem mihi veniat, mortem, Christus novit, cupio et opto ex animo. At nihil de schola Culmensi scribo. Quid scribam, non habeo, praeterquam quod R$^{mae}$ P. vrae. optime cognitum est, Oppium Culmae esse. Neque enim novi, an et quando Culma exonerabitur isthoc malo. Habet R$^{mus}$ meus fortasse alios consultores, quibus et fides et locus maior datur. Sum iam illi suspectior factus quam ante, ut quidem coniicio, posteaquam aliquot epistolas meas ad R$^{mam}$ p. vram. scriptas relevavit, quae non perlatae ad R$^{mam}$ p. vram. ad manus ipsius, nescio quo modo, pervenerunt. Audivi tamen ex sua R$^{ma}$ d., cum literas a R$^{ma}$ p. v. paulo ante allatas mihi legendum exhiberet, Oppium non se iam Culmae esse passurum. Caeterum an facta cum oratione consentiant, R$^{ma}$ p. vra. pro sua prudentia iudicabit. Culmenses, authores tot turbarum, habentur tamen comiter; tantum abest, ut de poena ipsorum cogitetur. Nepotes heri mei, alter ex fratre, ex sorore alter, Culmae manent; audiunt Oppium praeceptorem. Praesulem meam toties admonui, ut, posteaquam bonus vir iste Oppius haereticum se declaravit, nepotibus sibi claris illinc abductis, doctrinam Oppii condemnaret, nam vel isto facto facile se suspicione haereseos levaret. Quid vero tandem permovi? illud, quod se id facturum esse saepius hactenus usque polliceretur. Non mea ergo voluntate Oppius Culmae permanet. Quin si meo consilio obtemperatum esset, iam illa tanta pestis, causa tot tumultuum in nostra dioecesi, in ultimas terras deportata fuisset, et R$^{ma}$ p. v. omnia pacatiora audisset, nos autem videremus. Nulla iam est cognationum, nulla affinitatum ratio Toruniae in contrahendis nuptiis. Passim impune fiunt omnia, connivente R$^{mo}$ meo aut quod audio et suspicor permittente. Cum nuper ex proximo meo praediolo R$^{mum}$ Fredeci convenissem, ipsemet mihi narravit, Torunensem senatum ab eo contendisse pridie Epiphanias, ut illum hominem, de quo paulo ante ad R$^{mam}$ p. v. scripseram, concionari permitteret illo ipso die Epiphanias, propter frequentem illum mercatum. Illum vero non modo non admisisse, sed interminatum esse diligenter et serio, pro authoritate officii sui, ne homini nondum a se examinato de sacris et doctrina in ecclesia ad praedicandum locus esset. Concionatus tamen est illo ipso die Epiphanias. Qua audacia, nescio sane; nisi suspicor clam annuisse herum meum aut officialem Veidenerum, cui factum R$^{mi}$ non probatur, aut certe, quod magis credo, temeritate Torunensis senatus accidit. Qui mihi visus est multis in rebus authoritatem pastoris sui non vereri, quin vere aperte contemnere. Haec eo scribo, ut R$^{ma}$ p. vra. intelligat, non mea culpa aut voluntate Oppium Culmae manere. Quod si persuadeo, gaudebo mirum in modum, sin aliter induxit in animum suum R$^{ma}$ p. vra. Atque illud de me suspicabitur, a quo ego penitus abhorreo. Quid faciam, nisi me oblectem ac insoler mea conscientia. Et quod homini non possem, probem Deo. Caeterum quod R$^{ma}$ p. vra. scripsit, ut praesim scholae Culmensi, qua id ratione fiat, non invenio, vita et existimatione mea integra. Novit R$^{ma}$ p. vra., quae sit fere omnium de me opinio. Omnes me authorem esse dicunt proscriptionis Oppianae; fremit plebeius, fremit equestris

ordo; clamant omnes, me ad supplicium deposcunt. Certo ac honesto authore didici, domino Castellano Culmensi, nobilitatem periculi mihi minitari nescio quid. Si me in illum locum dedero, in quo nunc regnat Oppius et tantum non pro deo habetur, reputet secum, quaeso R$^{ma}$ p. vra, quantum me maneat periculum. Augebitur de me opinio, non solum me authore sed etiam propter me eiectum esse Oppium. Impetum in me facient omnes, proscindent calumniis, lacerabunt conviciis. Nec pueri ipsi manum absentabunt ab eo, per quem sibi charum praeceptorem ereptum credunt. Saeviet tum demum vallus in suo illo regno. Et nescio, an manibus etiam temperabit, qui ante oculos heri sui ac mei conviciis in me iaciendis impune non abstinuit. Itaque si R$^{ma}$ p. vra. authore, cui ego lubens pareo, provinciam istam suscipio, timeo periculum famae et vitae; vitae inquam, ne quid mihi imparitas improborum adferat periculi, ut est hominum istorum improba audacia; famae autem tunc erit incerta alia subeunda, cum illis catholicus praeceptor imperare pueris voluero, qui ex parentibus haereticis nati sub duce haeretico militarunt. Quorum est Culmae magna copia. Peterent me lapidibus aut saxis, sat scio; furor arma ministraret. Quid? qua me tum fronte, quo pudore, quo pallore putaret fore R$^{ma}$ p. vra.? Ne me ergo velit R$^{ma}$ p. vra. illis praeesse, qui non modo non possent in officio contineri, sed a quibus reportandum est vitae periculum et existimationis iactura. Obsequor lubens R$^{mae}$ p. vrae. neque quenquam in hoc velim esse mihi superiorem; illud modo ne de me velit R$^{ma}$ p. vra., quod vitae et existimationis iactura comitetur. — Porro quantum ex sermone heri mei his paucis diebus intelligere potui, statutum illi iam est non amplius pati Opium Culmae. Hactenus . . . . . istud distulerat propter spem Absolonis aut alterius cuiuscunque catholici praeceptoris; nollet dissipatam esse scholam illam, quanquam nihil vult, quantum intellexi, impendere in accersendos praeceptores. Nuper cum D. Doctorem Hannovium Toruniae convenissem, ore vestrum sermonem cum ipso habuissem, ut est vir catholicae religionis studiosus. Hoc R$^{mo}$ meo per me dedit consilii, ut Ludovicum Lovaniam aut Daventriam mitteret, qui praeceptorem catholicum illinc adduceret. Triginta aut quadraginta florenis negocium confici posse. Sine ulla cunctatione mihi respondit, nam sine arbitris erat, se nolle ad eam rem tantum impendere. Mavult R$^{mus}$ meus equum centum florenis quam dimidio praeceptorem bonum et catholicum. Offendi Toruniae Nicephorum loquentem latine nunc demum Doctoris Langi opera. Egi, ut tribus florenis emptum vellet. Nihil minus. Amo ego praesulem meum, R$^{me}$ domine, uti debeo merito, dominum et pastorem meum: sed ecclesiam catholicam multo magis. Non igitur odio illius, neque quod hominem accusem, ea scribo, verum amore catholicae religionis; amore ipsius et ovicularum eius, ut aliquando sibi, monitore R$^{ma}$ p. vra, et ipsius officii et ovium suarum cura veniat in mentem. Quantum id cupiam, ille novit, qui latebras ac flexuosos cordis sinus perspicit. — Iam vero, cuius fuerit sententiae de usu Eucharistiae d. Castellanus Culmensis, novit opinor vra. R$^{ma}$ p. Nam utraque usum esse specie, et ipsa ex d. Palatino Pomeraniae

audivit et mihi ipsemet d. Castellanus rem paulo ante apperuit. Iam tandem Christo volente errorem istum deposuit. Ac ut ex animo id fieri putaret R$^{ma}$ p. vra., breviter rem ordine narrabo. Provocatus saepe cum homine sermonem habui cum aliis plerisque de rebus nunc controversis tum de utraque specie sacramenti ad mensam et privatim. Partim tacere partim eludere mihi videbatur tum urbanitate aulica, ut est vir certe prudens et urbanus. Itaque catechismum illum catholicum germanice scriptum, quem mihi R$^{ma}$ p. vra. propter uxorem meam Mariemburgi dono dederat, homini communicavi, et admonui, ne priusquam legeret condemnaret, eo quod ab episcopo catholico scriptus esset. Operae precium esse legenti Lutheranos libros etiam catholica scripta cognoscere. Paruit, legit libros, nec sine fructu. Nam abhinc sex aut septem hebdomadis binis literis me accersivit, ac ut ad se sine ulla mora venirem, sedulo rogavit, quod mea opera ad rem maxime ad se pertinentem et maximi momenti indigeret. Semel dubio flumine exclusus sum, quominus possem, quod vellet. Iterum, etiam diei dominico non parcens (nam mihi ab hero meo redeunti pridie literae ipsius d. Castellani Toruniae redditae sunt) abii sine mora, flumen dubium non sine periculo in vigilia Natalis Christi traieci, ac Suetiam perveni. Ibi tum vir ille, lachrymis ubertim obortis ac semotis arbitris, coepit narrare, quomodo, cum admodum dubia sit valetudine et fuerit quamvis firmissima, tamen sibi imprimis curae esse salutem animae suae. Cum oratione illa R$^{mae}$ p. vrae., quam in senatu ad Elbingenses suos Graudentini habuerat, tum cathechismi illius lectione adeo se permotum esse, ut usum utriusque speciei repudiare vellet: cognovisse enim se ex lectione ipsius cathechismi, neminem fore salvum, qui utriusque speciei usu, privata authoritate recepto, ab ecclesia se segregarit. Confirmare etiam suum animum istorum haereticorum scripta secum undique pugnantia, cum omnium catholicorum, quamvis intervallis locorum ac temporum secuti sunt, scripta omnia idem sentiant et dicant in Christo Jesu. Quare velle se iam esse in ecclesia catholica, etiam unius speciei participatione, ni scriptura illa angat ac distrahat animum: Comedite ac bibiti ex hoc omnes; et ni timeret notam levitatis atque inconstantiae, tam subito in alteram sententiam commutatus. Sic ille bonus vir partim flecti partim addubitare tum visus erat. Caeterum cum audiret, ecclesiam catholicam, quae spiritu sancto utitur praeceptore, in scriptura interpretanda non errare, quae verba illa Christi affirmat pertinere ad sacrosanctum illud sacrificium, quam vocamus missam. Neque enim temere tres primi Evangelistae numerum duodecim apostolorum accurate expresserunt, tametsi plures alios ibi fuisse constaret, ubi Christus coenam peregit: ut vel eo pacto videantur significare, verba illa ad solos apostolos ac eorum successores sacerdotes pertinere, neque aliter unquam sacrificare debere. Quin ut in cruce Christus dominus cruentum illud Aronis sacerdocium expressit, et consumavit sacrificium, ac se ipsum Deo patri obtulit pro nobis: ita hoc solo in loco sacrificium illud Melchisedechi, utpote sacerdos ipse in aeternum secundum ordinem Melchisedech, instituit. Proptereaque Lutheranos contra ecclesiam et prophetiam Malachiae contendere ac negare

sacrificium ullum in ecclesia, ut contra scripturam agere videremus, qui authore sancta ecclesia una specie utimur. Atque ea Christi verba non ad sacrificantes solos sed ad omnes partim extra sacerdotium pertinere. Nullam unquam haeresim quantumvis deformem atque pestilentem in ecclesia fuisse, quae verbo dei non inferret, quae errori suo non sacram scripturam praetexeret. Authorem suum Sathanam in hac scientia, qui eiusmodi male contortis telis contra dominum nostrum usus est. — Quae inquam cum a me audisset, prorupit in lachrymas adeo ubertim et copiose, ut mihi etiam quasi fontem lachrymarum eliceret. Quae res argumento mihi erat, omnia hominem agere ex animo et sine ulla simulatione erroris sui poenitere; nam addidit, vehementer se gavisum esse ad meum adventum, quod vel postridie divini illius sacramenti ritu catholico particeps esse vellet. Quod ipsum fecisse puto. Nam timens flumen dubium, eodem illo die Starogrodum traieci, atque ibi egi festum diem. Porro de vano illo timore levitatis atque inconstantiae, deque nonnullis aliis ad confirmandam mentem hominis, egi eum ipse, quantum potui per gratiam dei, scriptis meis. Necdum accepi responsum. Posthac eam rem R$^{mae}$ p. vrae. communicabo. Cuius me gratiae summo cum studio commendo, et rogo, ne inducat in animum illud de me suspicari, a quo omnes mortales, si id fieri posset, optarim abhorrere et alienos esse. Medicus quidam, discipulus olim meus, per epistolam me rogavit, ut ei de honesta et fructuosa condicione in Prussia prospicerem. Ad D. Doctorem Stephanum perscripsi, ut me de moribus, erudicione et experientia hominis primo quoque tempore faceret certiorem, quo idipsum R$^{mae}$ p. vrae., quam scio velle medicum, communicarem. Admonui ea de re Modlisenium apud me divertentem, cui ea res etiam curae erit. Deum precor, ut R$^{mam}$ p. vram. diutissime ecclesiae suae servet incolumen. Toruniae 12 die Januarii. Anno Christi 1555.

R$^{mae}$ p. vrae. famulus et cliens Simon Maricius.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 17 fol. 11—16.*

## 1033.

***1555. Januar 14. Thorn.*** *Isaac Homer berichtet dem Bischof Hosius über die religiösen Vorgänge in Thorn.*

Ill$^{mo}$ ac R$^{mo}$ D. Domino Hosio, d. et ap. s. gr. insignis Warmiensis ecclesiae Episcopo. —

*Praes. 16 Januarii 1555 Marieburg.*

Non miretur vestra paternitas, R$^{me}$ in Christo praesul ac princeps amplissime, quod tam diu nihil literarum ad vestram p. miserim. Tota enim intentione animi mei sententiam V. p. diu declarare voluissem, nisi pastoralis curae ita labor me liquefecisset, ut magis mihi flere quam dicere seu scribere aliquid licuisset. Nam etiamsi omnem Thoruniae lapidem movissem, quo seductas et perditas oves ad veritatis reducerem viam, tamen quos fugere debuissent, adduxerunt, quem sequi, acsi tetra venena foret, dimiserunt et

fugerunt. Statim enim a vestra paternitate discedens Thoruniam veniens, eximio domino doctori R$^{mi}$ Episcopi Culmensis cancellario, quicquid in vinea Christi agendum esset, me cum summa acturum diligentia promiseram: Thorunenses vero, quo meae promissioni occurrerent, haeretico praedicatorium illud munus illico mandaverunt. Qui sanctos non invocandos eorumque reliquias minime venerandas, caereas candelas nec accendendas, vespertinas matutinasve preces, cum nemini prosint, non cantandas praedicavit, ac de caeremoniis, de missa, de venerabili sacramento multa locutus est frivola, quae ob temporis brevitatem iam narrare nequeo. Tantum quod maledixit atque damnavit omnes, qui nos scilicet papistas, ut illi vocant, quoniam Christum ut Judei quotidie missando crucifigimus, audirent et sequerentur. Hunc primo ad R$^{mum}$ episcopum Culmensem duxerunt reduxeruntque, deinde Sylesiam ad efficiendas dimissoriales literas, denique Livoniam ad accipiendos ordines magno consumptu miserunt. Hic iam non ad edificandam sed ad destruendam ecclesiam rediit, quia omnes catholicae et apostolicae ecclesiae ordinationes, quae tamen plurimum tum ad veram religionem tum ad vitae probitatem conferunt, in infernum projiciendas censet. His auditis, quo dolore adfectus fui, cum in officio eram, cogitari quam dici potest comodius. Cum itaque (nescio cuius negligentia) haereticos contra veritatem valere totamque Culmensem terram secta Luterana infectum video, malo potius cum d. Francisco Rottmano (qui a vestra p. acceptus et provisus est, quique rusticorum usque in hunc diem responsum avide expectat) apud hunc praesulem et principem, qui prudentia, eruditione, sapientia, gravitate, experientia, authoritate denique et gratia non modo apud Germanos, verum etiam apud exteras nationes regesque christianos spectatus est et plurimum valet, in vinea Christi laborare, quam cum illis, qui perire volunt, poenas aeternae damnationis subire. Etsi hic Thuruniae cum v. d. Francisco multa et incredibilia patior, tamen paternitatis vestrae iudicium atque auxilium mihi contra omnes antiquae religionis nostrae hostium cavillos satis erit presidium. Quapropter etiam atque etiam rogo, si aequum V. D. videbitur Heylsbergiam venire, ubi de conditione vel provisione deliberare possumus, quando venerabilis domini Francisci rustici venturi sunt, cum quibus me ad V. P. conferam, V. P. me harum literarum portatore certiorem faciat. Obsecro etiam R$^{mam}$ P. V. has meas literas aequo animo suscipere meque ipsum in patrocinium. Ego vero me amplissimae C. V. perpetua inserviendi voluntate dedico et obstringo. Quam celsitudinem vestram deus et dominus noster Jhesus Christus ecclesiae suae et nobis diu incolumem et florentissimum teneat. Amen. Datae Thoruniae 14 Januarii Anno legis gratiae 1555. Raptim.

R$^{mae}$ P. V.

devinctissimus Isaac Homer, sacerdos.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 11 fol. 57. Cf. Lengnich II 139.*

## 1034.

***1555. Februar 18. Löbau.*** *Bischof Johannes von Culm bittet Hosius um Rath über die Rechtsfrage, ob es dem Adel erlaubt sei städtische Grundstücke zu kaufen, ohne in der Stadt den bleibenden Aufenthalt zu nehmen.*

R^mo^ . . . domino Stanislao d. gr. Episcopo Varmiensi etc. —

*Praes. die 20 Februarii 1555 Helsberg.*

R^me^ etc. Mitto ad R. d. vram. famulum meum partim invisendae illius valetudinis gratia partim vero ad capiendum consilium pro usitato more meo, in quo sane excogitando prudentiam R. p. vrae. et in dando fidem saepius re ipsa expertus sum. Quidam de nobilitate Culmae vicini toties iam de meis civibus Culmensibus mihi quaesti sunt, quod contra leges utrique ordini communes, contra divi regis Sigismundi piae memoriae vigesimam constitutionem, ab emendis civilibus bonis arceantur. Praetexunt illud Culmenses, quod in constitutione scriptum est, cives ex bonis terrestribus, nobiles ex bonis civilibus, ad ferenda pariter omnia onera obligari. Atque adeo contendunt, inter onera censeri debere mansionem seu habitationem propemodum continuam in civitate. Itaque volunt cogi nobiles in civitatem acceptos aut habitare inibi aut ab emendis bonis civilibus excludi et arceri. Ad proferendam sententiam diffinitivam ea in causa adhortabatur quidem me imprimis illud, quod legislatorem ne cogitasse quidem putabam in ferenda lege, ut inter onera mansio censeretur; alioqui nobilitas nulla ratione huiusmodi constitutioni, meo quidem iudicio, collum submisisset, qua ad pagos ac villas suas, unde tota victus ratio illis pendet, relinquendas cogi videretur. Quin eadem ipsa ratione, si interpretationi Culmensium locus esset, cives possidentes bona terrestria, ut in villis ac pagis suis, relictis urbibus, habitent, necesse est. Deinde quod aliud docet consuetudo, optima interpres legum, servata hactenus in primariis urbibus ac inter nobilitatem. Toruniae emunt bona et civitate donantur non modo harum terrarum nobiles sed etiam Poloni passim, uti Kaczkowski, Kozielski et plerique alii. Neque quisquam illorum civium id, quod Culmenses nunc mei, vocavit in dubium, neque item quisquam est nobilium, qui civi possidenti bona terrestria moverit unquam litem eo nomine, quod in civitate potius maneat, quam in pago ac villa sua. Hactenus utrique ordini licuit emere ac uti communiter bonis civilibus et terrestribus, et pro arbitratu suo iam hic iam illic habitare. Neque quemquam quaestum esse adhuc fraudem hoc nomine legi fieri, praeter Culmenses meos. Quamquam ergo iustae mihi visae sunt causae ad ferendam sine ulla mora sententiam, tamen in aliud tempus negocium reieci cum Culmensium precibus victus tum vero ut amplius spacium mihi esset ad deliberandum et consultandum: an petendum esset a R. M^te^ rescriptum in ea causa, cuius tota vis et ratio ex lege communi pendet, cuius interpres est solus conditor ipsius legis, an vero referenda integra haec caussa ad R^ndum^ D. Vicecancellarium regni, ut per eum a R. M^te^ constitutionis interpretationem habeamus, ne quid constitutioni minus consonum in ferenda sententia, quae revocari non

potest, commissum esse videatur; praesertim cum Culmenses nostri, quod eos non obscuris sermonibus velle ac minitari audio, nullum provocandi ius habeant a nobis ad R. M$^{tem}$. Itaque quae sit ea de re R. p. vrae. sententia, rogo faciat me R. p. vra. primo quoque tempore certiorem, pro amici ac fautoris mei officio; imprimis de petendo rescripto a R. M$^{te}$ per se vel per d. Vicecancellarium; deinde an Culmensibus subditis meis, si provocent ad R. M$^{tem}$, admittenda erit appellatio. Non dubito, quin hoc R. p. vra. in ea caussa factura sit, qui in illius amore et observantia conquiesco. Optarim etiam scire, quo in loco nunc sit R. M$^{tas}$ aut proximis temporibus futura sit: nam accepto a R. p. vra. consilio, primo quoque tempore puerum mittam ad aulam. Proinde si quid R. d. vrae hac de re cognitum est, impartiri mihi velit rogo. Cuius me fraterno amori commendo. Lubaviae XVIII Februarii anno domini M. D. L. V.

R$^{mae}$ d. vrae. amicus et frater Joannes Episcopus Culmensis.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 71 fol. 89.*

## 1035.

***1555. Februar 21. Lowicz.*** *Nicolaus Dzierzgowski, Erzbischof von Gnesen, antwortet dem Bischofe Hosius auf zwei Briefe, in denen Hosius die Enthebung des Hoppe von der Culmer Schule und die Unterdrückung eines Buches nachgesucht hatte.*

R$^{mo}$ . . . d. Stanislao Hosio d. gr. Episcopo Varmiensi etc. —

*Praes. ultima Februarii 1555 Helsberg.*

R$^{me}$ etc. Binas praeteritis diebus habui a D. v. R$^{ma}$ literas, quarum alteris peciit a me, ut domino procancellario regni scriberem, quo Oppium quendam haereticum a schola Culmensi amoveri curaret, quod quidem libenter feci, sed nondum ea in re ab illo responsum habeo, alteris me hortata est, ut omnes rationes pervestigarem, quominus libellus quidem Fricii contra confessionem fidei nostrae non ita pridem ab ipso editus in manus multorum hominum perveniret etc. — — Datum Louitii XXI mensis Februarii Anno domini 1555.

D. v. R$^{mae}$ frater et amicus Nicolaus d. gr.
Archiepiscopus Gnesnensis, Legatus natus et regni Poloniae Primas.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 71 fol. 88.*

## 1036.

***1555. Februar 28. Heilsberg.*** *Bischof Hosius macht Stanislaus Dąbrowski, dem Kanzler des Erzbischofs von Gnesen, Mittheilungen über den Rector Joh. Hoppe.*

Domino Stanislao Dąbrowski, Archiepiscopi Gnesnensis cancellario etc.

R^nde etc. De Oppio ludimagistro sciat d. vra., quod tantum abest, ut sit a civitate episcopi Culmensis eiectus, ut alius quidam adolescens catholicus, qui pueros instituebat, pulsus inde sit, propterea quod Oppium deferre diceretur. Mihi quidem dominus episcopus promisit semel et iterum, sed hactenus promissis non stetit. Scripsit nuper ad me, consilium a me petens in quadam causa prophana, respondi breviter: quorum consiliis uteretur in causa religionis, ab eis consilia peteret in causis prophanis. Cancellarius tamen eius mihi scripsit, pro quartali cinerum Oppium relegatum iri. Utinam ante. Missus erat ad me nuntius a nobilitate Culmensi, dominus Plemetzki, capitaneus Kovaleviensis, qui fuit aliquando aulicus regius, homo lingua plus quam libera, ut Oppium esse Culmae paterer. Quoniam vero iter fecerat per Sthum atque ad socerum suum dominum palatinum Marieburgensem diverterat, detentus est per eum, quod verebatur fortasse vir sagax, ne si liberius esset aliquid loquutus et que vellet dixisset, audiret vicissim, quae nollet, essetque ea res offensionis alicuius inter nos causa. Itaque per literas mihi legationem suam exposuit. Cui per literas respondi: Culmam non esse meam civitatem, habere eam suum dominum, me non modo non laboraturum pro Oppio sed omnia facturum potius, ut ne ibi esset; esse tamen omnia in potestate domini Episcopi. — De Brethsnaidero, qui et rithmos contra me et libellos quosdam infames scripsit, quoniam pro eo intercessit dominus palatinus Marieburgensis, filio suo ad me misso, una cum illo scurra, qui supplex a me rimam publice petebat, responsum hoc illi dederam: si vellet abiurare lutheranam haeresim, me illi Christi causa, per quem petebat, condonaturum omnia; sin autem in sua pertinacia perstaret atque a Christi corpore praecisus esse vellet, me non ita parvi facinus hoc illius facturum esse. Respondit filius domini palatini: frustra hanc illi condicionem offerri. Ego dimisi illum absque responso meque intra dies 14 responsurum promisi. Tandem responsum hoc dedi: Si sensit dominus palatinus Marienburgensis, ut Oppius Culma pellatur, simulac factum hoc esse certo cognovissem, me concessurum, quod petebat maledicus ille scurra. Petebat autem, ut saltem 6 hebdomadarum illi spatium concederem ad edendum nomen eius, qui rithmos et libellos infames scripsisset, ut per has 6 hebdomadas Gedani illi commorari liceret. Satis intelligo, quid velit, nimirum ut interea rebus suis convasatis alio se conferre possit, quod ego facile ferre queo, dummodo simul ab Oppio liberemur. Scio me in magna nunc versari invidia, sed mihi pluris est dei gratia quam hominum favor. etc. — — Datum Helsbergae ultima Februarii 1555.

*Concept im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 11 fol. 63.*

## 1037.

***1555. März 12. Thorn.*** *Der Rath der Stadt Thorn vertheidigt sich bei Bischof Hosius gegen die Anklagen des Pfarrers Isaac Homer.*

Dem hochwirdigesten herren Stanislao, v. g. gn. Ermlendischen Byschoff. —

*Praes. XXI Marcii LV.*

Hochwirdigester etc. Wir konnen E. hochw. g. demutiges berichts nicht vorhalden, das wir in eygentliche erfarungk kommen seint, mit wasz vnbillicher angebunge vnd lauteren vngrundt, wir vnd die gancze gemeine iegen E. hochw. g. durch dye beyden priesters den Isaac, so vnser pfarherr alhir gewesen, vnd durch Franciscum Radtmann belautmundet vnd angegeben sein worden, des wir vnsz mehr vnd ehr eines anderen vorhofft hetten, denn das vns ein solches von dissen beyden personen hette widerfahren sollen, vnd vns nicht so schmerczlichen thuen solde, wo deme im grunde so wehr: nemlichen der religion halben, vnd das die priestere vnd geistliche personen nicht sicher auf den gassen gehen dorfften, dasz man sie schluge vnd machtes mit yhnen, wie man will, vnd dasz kein recht dorüber gehet, das man yhnen nochschryge, nochwurffe vnd wasz derogleichen ertichte wortte von vnsz geredt etc. Welches vns dan gewundert, so wir solches erfaren, vnd haben nicht vnterlassen alle die priester deutsch vnd polnisch in beyden stedten frogen vnd bey inen forschen lassen, wen vnd ob solches yhnen widerfahren wehr; ist durch sie alle in der warheit auszgesaget worden, dasz ynen nichts derogestalt von ymandes wehr zugemost worden. Alleine wasz belanget den herren Merten einen polnischen priester, ist vns angezeyget worden, dasz er in der nacht vmb segers eins solte auff die gassen gangen seyn vnd von einem in polnisscher kleydunge geschlagen worden; er weis aber nicht, wer es sey gewesen, hot vns ouch dis nicht geklaget. Wo er ymandes hette konnen anczeygen, wolten denselbigen derogestalt gestroffet haben, damit andere des ein abeschewen hetten bekommen. Sonst wissen wir nichtes, das etwas gescheen sey, sonder der priesterschafft in yhren einkunfften vorhaltungen vnd vorhelffungen, wie bevor von alters, gewogen vnd hulfflichen sein, es wer dan das sich ymandts von yhnen in den byrheusseren zu gemeine macheten, dovon ist vns auch nichtes bewust. — Weiter kamen wir in erfarunge, das obgemelter herr Isaac sich habe vornehmen lossen, das ein erbar radt des Francisci Radtmans mutter hetten angemost zu arrestiren, weil sie von Thorun mit yhrem sone weg zyhen wolte, sie solte den vierden pfennigk vnd teill yres guttes bey vnsz vorlossen, welches dan gnediger herr in vnsere gedancken nicht gekommen, vilweniger tadtlichen vorgenehmen, wusten ouch solches nicht zuvorantworten. Wir haben auch vnserer stadt richter dorumb fragen lossen, ab yrgent einerley arrestation wyder disselbige wer bogeret oder vorgenomen worden; hott der herr scholze angezeyget, dasz seiner W. nichtes hivon bewust wehr. Wir haben vber disz, hochw. g. herr, welches wir alsz libhabere der warheit von vnsz durren sogen, das wir nicht gewust, wen vnd wohin deselbte frawe mit sampt yhrem sone herr Franz ist gezogen, wie solten

wir dan yr deromossen disz angemost haben, so gedochter Isaac weniger dan mit grunde E. hochw. g. so kuniglichen that vorgeben. — Besonder wir wollen E. hochw. g. nicht bergen, dasz vor vns der priesterbruderschafft seniores deutsch vnd polnisch erschinen seint, vnd haben vnsz kleglicher weysse vorgetragen, dasz wie gedochter Francz Radtman, doer iungest von hynnen abe gescheyden, hott er der priesterschafft alhir in Thorun yhre statuta, brieffe, registere vnd privilegia der zinser sampt den schlusselen weg mit sich genohmen, das hausgerette, so yr bruderschafft gehort, habe er alhir in ein kammer vorschlossen vnd ein schlos davor geleget, sich anmossende des alles, gleich ob es im alleine zuboherig wehr. Ob disz woll vnd loblich gethon, vnd ob solches zur billigkeit von im begangen, wollen wir E. hochw. g. zuerkennen geben, vnd hetten mehr wyder jnen mit grundt von im zu sagen vnd zu klagen, dan dasz er magk vnsz schuldt geben. Bitten derohalben E. hochw. g. in nahmen vnd wegen der ganzen priesterschaft, disselbe geruchte ynen dohin durch geburliche bozwangk myttel zuhalten, dasz solches alles, so mit sich genohmen, wyderkehren vnd wo es hin gehort, zustellen wolle. — Wie deme allen, was sonst belanget disz oberzelte vngegruntte angeben der beyden priester, dy weil es dohin gerichtet, euwr hochw. g. gemutte iegen vns vnd vnser stadt zuerwegen, bitten wir E. hochw. g. wolten yhnen vnd yhrem mylden bericht wie auch anderen in dissem nicht glauben geben, vnd wolten vns auch, alsz denen so alwege glaubhafftigk gewesen vnd noch sein, dovor noch halten, dasz wir vns derogestalt in allen sachen sowol der religion alsz sonst in allen anderen weltlichen handelungen so vorhalten haben, das wir solches vor gott vnd vor der welt konnen vorantworten. — Hyrmit wir vnsz in E. hochw. g. gnedige beforderunge thuen entpfhelen, welche der almechtige gott zu langen joren erhalte. Datum Thorn. 12 Martii 1555.

Euwer hochw. gnaden

dinstwillige Burgermeistere und radthmanne koniglicher Stadt Thorun.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 99 fol. 20—22.*

## 1038.

***1555. März 23. Heilsberg.*** *Bischof Hosius schreibt an den Rath zu Thorn in Religionssachen.*

Magistratui Thoronensi.

. . . . . Ersame namhaftige heren, besundere gute freunde. Wir haben gerne vnd mit sunderem wolgefallen aus ewer Et. schreiben eingenomen vnd vorstanden, das die sich, was vnsere heilige catholische religion belangt, also halten wollen, damit sie solchs vor got vnd der welt verantwurten mugen. Konten auch wol leiden, wunschen auch das von hertzen, das wir aller, wie vor zeiten, einer zungen, eines glaubens vnd hertczen weren, vnd keiner meinung theten anhengen; denn wo solchs were, wurde alle

ding weh vnd bass bei vns zughen; denn wo einer macht hat, sich in einem zu trennen, mag ehr solchs im anderen auch thun. Wie esz itz in der Stadt Thorn zugeth, wissen wir zum grunde nicht, haben esz aber zum teil gewust, wie wir derselben bischof gewesen; wir gunten aber E. Et. hertzlich, das alles catholische bei denselben gehalten wurde, vnd das man sich keiner trennung angemasset hette, wiewol wir solchs alles ewerm itzigen bischof bevolen, den das angehet vnd damit zu schaffen hatt. Was aber die prister belangt, die sich alhie vnder vns auf pfarren begeben, als solten die E. Et. vor vns belautmundet haben, vnd das sich angemasset, das ihnen nicht geburt, stellen wir auch sie nicht in abreden, das herr Isaac gefroget worden, wie ess mit der Religion vnd der pristerschaft zu Thorn ein gestalt hette. Worauf von im, nicht domit E. Et. zu beschuldigen, geantwurt: esz ginge also zu, das esz wol besser mit nichte; das man die prister, so catholisch weren, wenig theten achten, vnd der einen ane einige vrsache geschlagen hette, welchs den auch in E. Et. schreiben nicht wirt vorneinet, vnd kan sein, das die, so der trennung sein, bei den einwonern der stadt Thorn grosse furderung haben, der anderen aber, so sich der catholischen religion halten, wenig geachtet werde. Wie wir den das genugsamen bericht von vnseren vnderthanen, so die prister von dannen geholet haben, welcher gestalt sich viel von einwonern der stadt Thorn mit schimpflichen vnd honischen worten kegen vnser person vnd die so catholisch sein vnd sich [zu] der trennung vnd absunderung nicht halten, vornemen lassen, das den alles frucht seindt des newen vnd fumften Evangelii vnd desselben anhenger, do wir vns der vier Evangelii Cristi hilten vnd von dem fumften nichts gewust; were solchs nicht gestellt, hette auch nicht stelle gehabt, do man dergestalt von denen, so catholisch sein, vbel reden solte. Esz ficht vns aber wenig an, das die, so der trennung seindt, vns belautmundet. Darin man aber hern Francisco schuld gibt, wirdt ehr das vor seinem geburlichen richter, do ehr vor dem vorclaget wurde, gutt bescheidt geben; vormeint auch, ehr nichts vorgenomen habe hinder der anderen prister wissen vnd ane gutten grundt. So wolten wir nicht gerne, wie esz den auch nicht sein kann, das man die prister vor weltlichen richtern beschuldigen solte, noch das sich des das weltliche gerichte solte anmassen, was dem geistlichem zu richten geburt. Die prister zu Thorn haben ihren bischof, werden sie dem klagen vnd der etzwas an hern Francisco furderen, alsdan wirdt ehr sein antwurt, worum das, was im schult gegeben wirdt, von im geschen, wissen darzuthun. Welchs wir auf E. Et. schreiben, denselben zur freuntlichen antwurt nicht terffen zu vorhalten. Und bevelen E. Et. hiemit dem schutz des allerhogsten. Datum aus vnserm schlosz Heilsberg den XXIII Martii M. D. LV.

*Concept im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 18 fol. 203.*

## 1039.

***1555. Mai 30. Althausen.*** *Bischof Johannes von Culm setzt Bischof Hosius den Hergang bei der Sendung des Franz Rothmann auseinander.*

R^me^ etc. Dominum Franciscum Rothmanum, ubi ad me venit, Toruniam remisi, ut confratribus suis facti . . . reddita ratione ad me cum testimonio rediret. Quod quidem quomodo fecerit, quanquam innoxius erat, ex exemplo literarum, quas ipsius confratres ad me miserunt, R. p. vestra facile intelliget. Opto R. p. vram. bene ac foeliciter valere. Cuius me amori plurimum commendo. Starogrodi XXX Maii anno M. D. L. V.

R^mae^ d. vrae. amicus et frater Joannes Episcopus Culmensis.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 11 fol. 60.*

## 1040.

***1555. Juni 8. Neisse.*** *Friedrich Staphylus berichtet an Bischof Hosius über seine Ablehnung des ihm angetragenen Culmer Schulamtes.*

R^mo^ domino Stanislao Episcopo Varmiensi etc. ad manus proprias. —
*Praes. 6 Julii 1555 Helsberg.*

Salutem etc. Quod felix ac faustum sit ecclesiae, iterum nobis spes quaedam illuxit synodi polonicae: quam ad Calendas Julias Petrocoviae futuram audimus. Utinam vero ad restinguendum commune incendium concurrant ii omnes, quos maxime adesse oportebat, re non verbis opem ferre. Quale sit et quantum periculum, horrendo vicinorum fremitu subinde ad nos defertur, ut, etsi id malum iam deflagrasse apud nos videatur, vehementer timendum tamen de reliquiis. Ego sane, quod hominis privati est et laici, quoniam secus non possum, precibus meis conatum iuvabo piorum. Scripsit mihi Petrocovia d. Cromerus et, ne plane ociosus in foro desideam, me vocabat in vineam Culmensis scholae, ut si eam vellem ludimagister regendam suscipere, fore stipendium par laboribus meis. Rescripsi causamque ostendi, cur tantum munus non auderem capessere: primum, quia eiusmodi laboribus me non assuefactum: deinde, quod valetudine utar minus firma, cum illud officium non minus robur corporis quam ingenii postulet: postremo, etiamsi omnia illa praesto essent, a rege tamen Ferdinando mihi conditiones propositas, de quibus, quoad Viennam reverterit, datum deliberandi spatium. Quamobrem sic statui, reverendissime praesul, si sanctissimo regi potero mea qualicunque industria inservire, me id prorsus velle, in Prussiam reverti nolle. Sin autem tale quippiam videbitur, quod sustinere vires meae non possint, te rogabo, praesul, me ut digneris hospitio suscipere. Restant mihi adhuc circiter tria millia thalerorum de patrimonio meo apud cognatos in Prussia: ut pro ea pecunia villam aliquam pro filiolis meis in ditione tua aut alibi coemerem, spero te adiuturum. Quare si res meas sic non potero apud regem constituere, quemadmodum

studiorum meorum ratio postulat, tibi confestim scribam, tuo utar et consilio et auxilio: daboque operam, ne, siquid in me contuleris, te unquam poenitere possit. Comitia Augustana apud nos silent. De rege Danorum et Augusto electore nescio quid classicum spargitur: sed nihil certi. Vale. Datum Nissae 8 die Junii A° 1555.

Vestrae Celsitudinis indignus clientulus Frid[ericus] Staphylus.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 71 fol. 94.*

## 1041.

***1555. Juni 16. Althausen.*** *Bischof Johannes von Culm berichtet an M. Cromer in Betreff des Thorner Predigers.*

R^do domino Martino Cromero, I. V. Doctori, Cracoviensi et Varmiensi canonico, S. R. M^tis Secretario.

R^de etc. Quod Staphylum habere non possumus, plurimum mihi dolet. Facile Culmenses ac item coeteri, ut opinor, secundum Hoppium in homine adquievissent. Miror Culmenses adeo esse de causa sua solicitos. Quasi aliorum mihi magis quam meorum commoda curae sint. Quanquam iuri communi claro et aperto repugnare, haud quaquam licere mihi existimo. Reiecta est tamen haec caussa in tempus aliud, cum ob profligatam valetudinem meam, tum ut commendationi R. D. Vrae. locus esset. Torunenses facessunt mihi negocium cum concionatore illo suo non satis catholico. Concionari hominem prohibui, quod laicus et haereticus esset; at cum contemnens mandata mea pergeret concionari, citatus est tandem ex officio. Egerunt mecum Torunenses partim per literas, partim coram, ut illi diem datam prorogarem, ut in citatione causam exprimerem, ut darem literas securitatis, quo ita venire illi et abire a me tuto liceret. Diem quidem prorogavi, reliqua ut concederem, causa non erat. Non modo ad dictam diem non stetit, sed movit has turbas. Imprimis misit quosdam civium, qui pro se causam agerent; quos cum admittere noluissem, nulla absentiae causam legitimam allegantes, appellarunt Rigam. An recte, ipsi viderint, cum nec ad defendendum procuratores essent. Deinde cum per nos contumax pronunciaretur et excommunicaretur, venerunt quidam cum notario publico, appellationem insinuantes nomine concionatoris, quasi ab ipso missi. Cum tamen re vera ipse Senatus Torunensis totam hanc camerinam moveret vulgi sediciosi praetextu, et cum appellationem non reciperemus: nescio quo tandem usi consilio publicum instrumentum pene ob oculos nostros postibus affixerunt. Hic nos, ut authorem facti cognosceremus, utque senatus simulatio palam esset, illos, qui instrumentum adfixerunt, Starogrodi retinuimus, atque accersito Culma bannito iudicio, deprehendimus ex confessionibus singulorum, quos retinuimus, authoritate Senatus Torunensis cuncta fieri. Ea est illorum hominum audacia, ut muneris sui obliti audeant se in munus ac officium meum ingerere. Itaque obtineat mihi rogo R. D. Vra. mandata severiora R. M^tis, ne isti homines audeant

iurisdictionem meam impedire, quin illud agant sedulo pro officio suo, ut ipsis adiutoribus possim iurisdictionem meam in personas ad ius meum pertinentes Toruniae exercere ac sententias per me latas exequi; nominatim autem quo istum ipsum haereticum concionatorem Joannem Hillanium Lignicensem in manus meas tradant, ut debitas poenas de eo sumam. Quod si curae erit R. D. Vrae., et amici fungetur officio, et Torunenses posthac iurisdicioni ecclesiasticae obsequentiores efficiet, et ego interim commodius officio meo pastorali fungi potero. Scripsi ea de re R. domino Vicecancellario regni, sed brevius; R. D. Vrae. intererit, rem omnem ordine exactius illi narrare, quod mea caussa facturam esse non dubito. Nunquam adeo improbum hominem illum concionatorem putaram fore. Mire episcopum Varmiensem, hominem sibi ignotum, conviciis pro concione laceravit, nec mihi ipsi pepercit, et quod deterrimum est, Christum dominum adeo blasphemavit, ut suo spurcissimo ore Corporis Christi repositorium Sathanae cloacam ausus sit publice appellare. Torunensibus aequis auribus id audientibus, cuperem ne hoc inultum ferat. Modo mihi R. D. Vra. consilio et auxilio suo ne desit. Eorum civium attestationes, quos apud me retinueram, mitto, ut R. D. Vra. atque D. Procancellarius intelligat, quidquid sit instigante senatu Torunensi fieri. Agat diligenter rogo R. D. Vra., quo adiectis gravissimis poenis mandata R. M$^{tis}$ haberi possint contra senatum Torunensem, ut vel hac ratione audacia Torunensium reprimatur. Fecerit mihi valde gratum et officio suo non indignum. Opto R. D. Vram. diu et feliciter valere. Cuius me amori commendo. Starogrodi XVI Junii anno domini 1555.

Curae sit rogo R. D. Vrae., ut alium aliquem idoneum praeceptorem loco Staphyli habeamus.

R$^{dae}$ d. vrae. amicus et frater Joannes Episcopus Culmensis.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 71 fol. 92—93.*

## 1042.

***1555. Juni 20. Petrikau.*** *König Sigismund August gestattet dem Johannes Hoppe noch für ein Jahr die Verwaltung des Rectorats an der Culmer Schule.*

Sigismundus Augustus, dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lithwaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae etc. dominus et haeres. Significamus omnibus ac singulis, quorum interest, universis, quia de certa scientia nostra et voluntate docto et famato Joanni Hoppio, artium liberalium magistro, authoritate superioritatis nostrae regiae salvum conductum et omnimodam securitatem a vi et potentia quarumcumque personarum, ubicunque in regno et dominiis nostris, praesertim vero in civitate Culma et extra illam morandi, officiumque suum rectoratus scholastici in eadem schola Culmensi exercendi, denique et negocia sua peragendi, disponendi, et quandocumque ei placuerit, inde recedendi, ac rursus redeundi, libere, secure, pacifice ac sine quovis impedimento, persona et rebus suis

omnibus sub nostra regia protectione salvis semper manentibus, hinc ad decursum unius anni dedimus et concessimus, damus et concedimus harum serie literarum; ita tamen ut ipse in secularibus causis et controversiis de se conquerenti in iure et coram iudice competenti respondere teneatur. Quocirca R^do^ Culmensi Episcopo eiusque officialibus, denique et proconsulibus ac consulibus eiusdem civitatis Culmensis ceterisque subditis nostris serio precipimus ac mandamus, quatenus hunc salvum conductum nostrum in omnibus eius punctis, clausulis, articulis et conditionibus firmiter teneatis et observetis, ac ab aliis teneri et observari faciatis; ipsique Joanni Hoppio nullam vim publice vel privatim, publice vel occulte, directe vel indirecte, vel quocunque alio quesito colore, durante huiusmodi salvo conductu nostro, inferre audeatis aut inferri permittatis, verum eundem suo officio rectoratus scholastici quiete uti patiamini, pro gratia nostra et officio suo aliter non facturi. Datum Petricoviae feria quinta ante festum S. Joannis Baptistae proxima anno domini M. D. L. V. regni nostri XXVI. — Relatio magnifici Joannis de Oczieszino, R. P. cancellarii generalis, Cracoviensis Sandecensis Olstinensis Capit. succamerarii Cracoviensis. Joannes Oczieski R. P. Cancellarius ss.

*Beglaubigte Abschrift im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 13 fol. 113.*

## 1043.

***1555. August 26. Löbau.*** *Bischof Johannes von Culm macht Stanislaus Hosius Mittheilungen in Betreff des Culmer Rectors Joh. Hoppe.*

R^me^ etc. Est quidem ita, R^me^ domine, laborari plurimum pro Hoppio, ut in scholam Culmensem restituatur. Erat apud me d. palatinus Mariemburgensis. Egit de Hoppio mecum simulque literas exhibuit R. M^tis^, quibus Hoppius non restituitur modo Culmam, sed ipsi etiam scholae invitis nobis praeficitur. Caeterum ego spacium mihi deliberandi sumpsi, primum ad diem divo Bartholomeo sacrum, postea etiam ulterius. Quod d. palatino significavi per d. castellanum Elbingensem fratrem meum, non quidem eo consilio, quasi existimarem suscipiendum esse haereticum perseverantem in sententia sua, sed propter capiendum consilium, quibus modis Culma arcerem pestem istam, si me invito restitueretur, salva R. M^tis^ authoritate et gratia. De quo imprimis R. p. vram. facere volui certiorem ac eius inniti consilio, nisi me d. palatinus Culmensis antevertisset. Scripsi ad d. Procancellarium et ad d. Cromerum per hunc servitorem meum, ut me atque ecclesiam meam adiuvarent hoc in negocio consilio et re, quomodo videlicet possem meo episcopali officio libere fungi Culmae in civitate mea, salva authoritate et gratia R. M^tis^. Qua in re ut me etiam adiuvet apud aulam, R. p. vram. plurimum illam rogo. Nunc ex quibusdam intellexi, habere d. palatinus Mariemburgensis facultatem specialem R. M^tis^ praeficiendi scholae Culmensi istum ipsum Hoppium; quo nihil accidere posset

molestius. Est animus, modo id consultum sit, quod ex R. p. vra. primo quoque tempore velim scire, hominem, si id acciderit, non ex schola modo, verum etiam ex civitate nostra omnino turpiter ejicere. Rogo, perscribat mihi hac de re suam sententiam sine mora, ut certo sciam, quid potissimum sequi conveniat. Quicquid fit, fit me invito. Audio habitare eum in schola et docere privatim, me connivente tantisper, dum aliquid certi consilii habuero, ne forte imprudenter offendam R. M$^{tem}$. Quae scribo, ita vera sunt, quasi oculi R. P. vrae. cernant. Non adeo sum ovium mearum oblitus, ut sciens prudensque velim eas veneno perire haereseos. Audiet R. p. vra., quod posthac faciam, ubi rationem ac viam cognovero, qua meo munere possim fungi, R. M$^{tis}$ salva authoritate et gratia. Mitto R. p. vrae. exemplum literarum R. M$^{tis}$ impetratarum pro Hoppio. Mitto item exemplum literarum castellani Cracoviensis scriptarum ad intercessionem d. palatini Culmensis pro Hoppio, ut R. P. vra. intelligat, quam sibi sit dissimilis et quo studio d. palatinus Culmensis in causa Hoppiana; verum haec R. p. vrae. soli scripta sint. Cuius me amori plurimum commendo. Lubaviae XXVI Augusti, anno M. D. L. V.

R$^{mae}$ d. vrae. amicus et frater Joannes episcopus Culmensis.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 14 fol. 11.*

## 1044.

***1555. September 5. Frauenburg.*** *Bischof Johannes von Culm berichtet an Bischof Hosius in der Hoppeschen Angelegenheit und in Betreff der Culmer Schule überhaupt.*

R$^{mo}$ . . . . dno. Stanislao, d. g. Episcopo Varmiensi etc. — *Praes. 6 Septemb. 1555. Heilsberg.*

R$^{me}$ etc. Seriem rei Hoppianae renovatae cum per literas a me tum a R$^{do}$ domino Gasparo Hannovio coram R$^{mae}$ d. vrae. et vere et recte expositam arbitror. Non opinabar profecto (in optimam spem, et ab aliis et a R. d. doctore Martino Cromero vocatus, qui diligenter per literas a me, ut quantum fieri posset, Hoppianorum conatus, si quos sentiret, apud Regiam aulam reprimeret, rogatus incumbi quidem pro Hoppio clausulum, verum nihil Hoppianos promoturos respondit) eo rem redituram. Verum hac concepta securitate confisus, tanta et tam inopinata celeritate circumventus fui, ut quid consilii caperem, vix pervidere possem. Ita actu provisa erant omnia. Postmodum quod ad me pertinere necessitatemque postulare visum fuit et ad praepediendos huiusmodi impetus, quantum facere maxime potui, feci, cuius effectum (utinam deus omnipotens largiatur optimum ac salubrem) ab aula regali, unde omnis dependet nostrae authoritatis conservatio, expecto optatum atque felicem. Porro in hac sollicitudine hic constitutus, easque mecum ruminans, ne quid res scholae Culmensis detrimenti me absente capiat amplius, et quid ibidem rei geratur, scire cupidus, hinc procuratum ac exploratum dum mitto: significatur mihi a fratre meo, Hoppio isti ante paucos dies scholae Culmensis administrandae habenas

potestatemque traditas esse a d. palatino Marieburgensi. Qua re (serio loquor) audita, ita suim commotus et turbatus animo, ut in M. Regiam, cuius nutu et permissione id factum esse non possum non suspicari, revereri cogerer, vel omnibus invitis Hoppium istum incunctanter civitate mea ejici expellique curarem. Cum autem omnia periculi dubii plena consilio prius quam violentia experiri conveniat, ne quid inceptum temere, unde a Regia Maiestate graviter notari culparique possim, cum R$^{ma}$ d. vra. hac de re conferendum et consultandum censui prius, cuius perspecta antea sententia et consilio, quicquid res postulaverit, absque mora exequar. Quam ob rem a R. d. vra. magnopere peto, ut quid in hac re consulto fieri opus et expedire censeat, aperiri mihi atque communicare dignetur. — Ad Graudentinam conventionem proximam profectura R. d. vra., ne Lubavienses lares insalutatos preterire velit, diligenter rogo. Valeat R$^{ma}$ d. vra. diutissime foeliciter incolumis. Cuius sincere benevolentiae atque favori me commendo solito. Varmiae 5 Septembris Anno domini 1555.

R$^{mae}$ d. vrae. amicus et frater Joannes Episcopus Culmensis.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 13 fol. 63.*

## 1045.

***1555. October 2. Althausen.*** *Bischof Johannes von Culm macht Bischof Hosius Mittheilungen in Betreff Hoppes und der Culmer Schule.*

R$^{mo}$ . . . . domino Stanislao d. gr. Episcopo Varmiensi etc.

R$^{me}$ d$^{ne}$ etc. Hesterna die circa tempus vesperarum puer meus, diu desideratus, ab aula reversus est, qui mihi regias, quales optabam ad expellendum denuo intrusum meque invito Culmae morantem gestientemque Hoppium, attulit literas; quae quales sint ac quid ponderis in se contineant, ex copia earundem hisce adiuncta R. p. vra. cognoscet facile. Quarum authoritate ac robore confirmatus, peracta presenti conventione, incunctanter quod factu opus est, exequar, nulla prorsus vel minima interposita ulteriore dilatione. Arbitror enim idcirco eo usque id differendum, ne quid subita Hoppii expulsione fautores illius commoti ac extimulati turbarum in frequentia senatus tantorumque virorum imprudenter excitent, ad quod nonnulli istorum propensiores sunt, quam par est. Verum tamen peto a R. p. vra, ut suum iudicium (cui uni stabo,) notum mihi facere non gravetur, ne quid a quoquam negligentior aut tardior fuisse dicar postea. — Exposueram per literas R$^{dis}$ dominis Procancellario et d. Martino Cromero negotium illud, quod mihi nomine apostatae cum Radinensi capitaneo est, ac pariter studiose rogaram, ut regias quoque literas ad hoc conficiendum opera illorum expeditas habere possem. Ad quod mihi a R. d. d. Martino Cromero rescribitur: In genere, regio nomine, scriptum esse ad omnes praefectos, magistratus urbium, oppidorum et nobilitatem terrae Culmensis, ne uspiam

ferantur tales presbyteri. Ego vero literas tales vidi nullas, neque antehac de iis audivi quicquam. Scribit praeterea de quodam alio ad Thuronenses mandato, quod postulaveram, idque mihi transmisisse. Verum nullum huiusmodi inter literas, quae nunc mihi allatae sunt, tale reperio; fieri fortasse potest, quod per alium miserit, qui nondum per oblivionem reddidit. Quamobrem si quid huiusmodi literarum in conspectum R. v. paternitatis pervenerit, rogo, ut ad me perferatur celeriter. Ceterum allatum huc pariter est ad me per puerum meum mandatum quoddam et regales literae R. p. vrae. inscriptae, quas una cum eodem mandato per praesentem ei mitto, sinceriter exoptans, ut quam feliciter diutissime incolumis valeat R. p. vra. Cuius fraternae benevolentiae me intime commendo. Starogrodi 2 Octobris anno domini 1555.

R^mae^ p. vrae. amicus et frater Joannes Episcopus Culmensis.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 71 fol. 105.*

## 1046.

***1555. December 28. Heilsberg.*** *Bischof Hosius richtet an Johannes und Hugo von der Damerau, Hauptleute auf Rheden, die ernste Erinnerung, sich dem Bischofe Johannes von Culm zu unterwerfen.*

Den edlen vnd ehrenvhesten Hansen vnd Heuggen von der Dameraw gebrudern, heuptleuthen vfm Rheden.

. . . . . Wir haben ewr schreiben erhalten, vnd lesende genugsam eingenomen, was ihr des pristers halben, widder den der hochwirdiger her Culmischer Bischof seiner Jurisdiction gebrauchet, vormeldet. Vnd wollen darauf euch nicht bergen, das kurtz vor gedochtem ewrem schreiben vns desfals hochgedochter her Bischof viel anders berichtet, nemlich das wie seine liebe gemelten prister ictzlich mal citirt vnd geladen, nie aber erscheinen noch geschen wollen, sunder gantz vnd gar sich contumacem vnd vngehorsamlich kegen seine liebe erzeiget vnd dadurch per sententiam in excommunicationem gefallen ist, welchs ehr alles nicht gescheuet, sunder wie ein verechter gleichwol des pristerlichen ampts gepfleget, gefenglich nemen und kegen Fredeck furen vnd alda behalten lassen; sollet ihr auch mit gesammelter handt an den orth begeben vnd in gemeltes des hern bischofs schlosz Frideck gangen vnd den prister von dannen mit gewalt widderum genommen haben. Wie euch nu solchs geburt, habet ihr wol zu bedencken; den ab gleich der her bischof den vngehorsamen prister gefangen nemen lassen, hat solchs seine liebe billicher weise, als dem der prister vnderworfen, vorgestellet; das ihr jhnen aber aus der hern bischofs schlosz widder seiner lieben willen wegkgenomen, sehen wir nicht, wie ihr das zu verantwurten. Wir gesweigen, das ihr euch der jurisdiction anmasset, die euch nicht geburet, euch selbst prister setzet vnd annemet ewers gefallens ane des herr bischofs bewilligung, der do mit der pristerschaft vnd kirchen

dinern alwege zuschaffen. Derwegen kunnen wir solchs ewer vernemen nicht billigen, vnd obwol das in ewrem schreiben von vns nicht begert wirdt, so dunket vns dennoch geraten sein, das ihr alle wege suchet, damit ihr euch dem hern bischoffe vorsunet, vnd die sache in keine weiterung kommen lasset, welches vnsers erachtens also geschen kundte, da ihr den prister dem hern bischof widder an den ort, von dannen ihr ihnen genomen, einstellet vnd dahin vberantwurtet. Wen solchs beschen, verhoffen wir der ander sachen halben desto leichter mit seiner liebden wurde sein zu handelen, worzu wir vns den auch gerne, so ferne wir darin ersucht, wellen gebrauchen lassen vnd allen fleiss verwenden, auf das allerlei weiterung vnd vnwellen, der sich sunst vielleicht aus diesen thuendt zutragen vnd erheben mochte, vndernumen vnd verhuttet wurde. Wo ihr euch nu wollet rathen lassen, czweifeln wir nicht, ihr dieser vnsere meinung werdet nochkomen, vnd haben euch solches auf ewer schreiben zum gunstigen bericht nicht wollen bergen. Gotlicher genaden bevolen. Datum aus vnserm schlosze Heilsberg den XXVIII Decembris MDLV.

*Concept im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 18 fol. 244. — Ebendaselbst fol. 243 befindet sich das Concept des Bischofs Hosius zu einem Briefe mit demselben Datum an die Mutter „der edlen vnd tugentreichen frawen Elisabet, seligen Hansen von der Dameraw vorlassenen witfrawen, heuptfrau vfm Rheden“, mit gleichem Inhalte und der Bitte ihre Söhne zum Nachgeben gegen den Culmer Bischof zu bewegen.*

## 1047.

***1556. März 16. Wilna.*** *Sigismund August, König von Polen, befiehlt den Bischöfen und Räthen der Lande Preussens auf dem Landtage zu Marienburg Vorschläge zu machen, in welcher Weise dem verderblichen Treiben der Wiedertäufer, Picarden und anderer Haeretiker, die nicht nur die Religion, sondern auch die bürgerliche und staatliche Ordnung verwirren, begegnet werden könnte.* Vilnae d. XVI Martii Anno d. 1556, Regni n. XXVII.

*Lengnich, Gesch. Pr. II. Doc. 38 nr. 19.*

## 1048.

***1556. April 30. Krakau.*** *Johannes Grodzieczki entschuldigt sich bei Bischof Hosius wegen des für Joh. Hoppe ausgegangenen Schutzbriefes.*

R$^{mo}$ . . . . d. Stanislao d. gr. Episcopo Varmiensi etc. — *Praes. die 22 Maii 1556 Helsberg.*

R$^{me}$ etc. Dedit non ita pridem magnificus dominus meus suas ad R$^{mam}$ Celsitudinem vestram literas, quibus et labescentem in dies hic apud nos religionis statum et constans suum erga veterem catholicamque ecclesiam studium declararet, quas cum non satis certus acceperit tabellarius, an redditae sint, dubito. Quamobrem significandum id R$^{mae}$ C. vrae. putavi, ut quod ipsa forte non dubitat, certior etiam sit hic literis, herum meum firmum esse rectae fidei assertorem et propugnatorem: et si quid vel respondere vel de negocio religionis per literas cum illo agere voluerit, occasio eiusmodi illam non lateat. Neque

vero moveat R$^{mam}$ C. vram. quod in proximis regni comitiis mandata nescio quae ex cancellaria herili pro Hoppio prodierint: surrepticia enim fuerant illa, et praeter voluntatem ac noticiam magnifici domini mei confecta, qui, posteaquam id rescivit; diu multumque succensebat cancellariae suae directori, quod facinus istud non animadvertisset. Atque ego permultum quoque dolebam, me hic praesentem tantulum operae R$^{mae}$ C. vrae. navare non potuisse, ut pro mea erga illam observantia literas eiusmodi impedirem. Sed tam occulte quidam fortasse ex notariis novatoribus istis favebat, ut nihil istiusmodi non solum praesentire, verum ne suspicari quidem potuerimus. Non enim tantum praesens, cum apud R$^{mam}$ C. vram. essem, obsequendum illi existimavi alacriter, verum etiam si alio me necessitas abstraxerit, perpetuus tamen eius et addictissimus servulus dici volo etc. Cracovia pridie Calendas Maii 1556.

R$^{mae}$ C. vrae. servitor addictissimus Joannes Grodzieczki.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 38 fol. 29.*

## 1049.

***1556. Juni 16. Lowicz.*** *Stanislaus Dąbrowski, Kanzler des Gnesener Erzbischofs, berichtet an Bischof Hosius in der Angelegenheit des Joh. Hoppe.*

R$^{mo}$ . . . . . d. Stanislao d. g. Episcopo Varmiensi etc.

R$^{me}$ etc. Quod postulabat d. v. R$^{ma}$ per hunc puerum suum, fecerunt R$^{mi}$ domini Archiepiscopus et Legatus apostolicus, quia scripserunt per cubicularium regium et Regiae Maiestati et domino Vicecancellario diligenter, ne instancia palatini Marienburgensis pro Hoppio aliquid optineret. Fuit enim hic cubicularius regius, qui differebat literas convocando Warschoviam senatores, omnes etiam inferiores castellanos ad consilium pertinentes pro feriis Exaltacionis s. Crucis; iam fortassis non vult cum nunctiis consilia captare, nescio quid erit etc. — — Lovicii die 16 Junii Anno 1556.

Eiusdem d. v. R$^{mae}$ servitor Stanislaus Dambrovski.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 11 fol. 77.*

## 1050.

***1556. Juni 25. Löbau.*** *Bischof Johannes von Culm theilt Bischof Hosius die Ursachen des stockenden Briefwechsels mit.*

R$^{mo}$ . . . d. Stanislao d. gr. Episcopo Varmiensi etc.

R$^{me}$ etc. Puerum, quem ad R. M$^{tem}$ misi cum literis senatus Prutenici atque nunciorum productis, expecto in dies. Eaque potissima fuit ratio, quod ad R. p. vram. nihil scripserim hactenus, ut certo nuncio aliquo accepto ab aula de negociis reipublicae ad R.

p. vram simul etiam perscriberem. Ceterum cum ad me capitaneus Radinensis divertit, et reddita illa ex transactione debita pecunia, ad R. p. vram iturum se esse dixit, nolui committere, quin R. p. vram. scriptis meis inviserem, omnia fausta ac felicia illi comprecans. Ubi autem Vilna puer meus redierit, tum demum si quid huiusmodi dignum adfuerit, R. p. vrae. sine mora perscribam. Interea me favori R. p. vrae. commendo, quam optime diu valere cupio. Lubaviae XXV Junii Anno domini 1556.

R$^{mae}$ d. vrae. amicus et frater Joannes Episcopus Culmensis.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 11 fol. 78.*

## 1051.

***1556. August 19. Althausen.*** *Bischof Johannes von Culm äussert gegen Bischof Hosius seine Ansichten wegen Berufung eines Landtages und des Besuchs der etwa einberufenen Synode.*

R$^{mo}$ . . . d. Stanislao d. gr. Episcopo Varmiensi etc.

R$^{me}$ etc. Quid nobis impendeat periculi, ex literis R. p. vrae. facile intellexi. Qua ratione vero potissimum huic malo occurri possit, non puto aliter commodius statui posse, quam si conventus indicatur absque mora, ut ibi communicatis consiliis ratio aliqua ineatur propulsandi imminentis periculi. Caeterum vereor atque dubito, ne minus liceret nobis sine speciali mandato R. M$^{tis}$ conventum indicere. Quod si id licere putaverit R. p. vra., re ita postulante, non requisita M$^{te}$ Regia, censuerim primo quoque tempore conventum indicendum; sin minus, referendum esse quam primum ad M$^{tem}$ R., ut ipsius mandato speciali conventus sine ulla mora indicetur, et ineatur aliqua commoda ratio propulsandi seu amovendi imminentia pericula. Haec est mea tantis de rebus sententia, quantum angustia temporis et celeritas tabellarii patiebatur; nam cum fratribus quod abessent ea de re communicare non potui. Optarim tamen, ut R. p. vra. illud statuat uti primarius senator, quod maxime reipublicae nostrae commodum adferre videatur, curetque omnibus modis, ne longior mora aliquid adportet mali. Aequum autem mihi esse videretur, ut hii, qui suis consiliis privatis authores fuerunt, quo istos imminentes motus timeremus, idem ipsi suis potissimum consiliis pericula impendentia retunderent, atque cogitarent, ne quid detrimenti respublica nostra pateretur. Ad futuram synodum (si modo futura est aliqua synodus, de qua nihil postea certi auditur) non precibus vocor, sed minacibus mandatis, tanquam unus de suffraganeis illius sedis. Quibus quanquam parere mihi necessarium esse non puto, qui alio sedi adscriptus sum, tamen si melius valuero, parebo non invitus propter ecclesiam meam; aut si minus prospera erit valetudo mea, mittam aliquem excusandae absentiae meae causam, apud legatum apostolicum, cui soli ea in re necesse habeo parere, non autem aut d. Archiepiscopo Gnesnensi aut synodo. Itaque R. p. vram. rogo, faciat me certiorem, si quid certi habebit de synodo. Opto

R. p. vram. bene et feliciter valere, cuius me favori commendo. Starogrodi XIX Augusti Anno 1556.

R$^{mae}$ p. vrae. frater et amicus Joannes Episcopus Culmensis.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 11 fol. 83.*

## 1052.

***1556. September 18. Breslau.*** *Friedrich Staphylus berichtet an Bischof Hosius, wie es mit der Berufung eines Dr. Petrus Reimundus an die Culmer Schule stehe.*

Reverendissimo domino Stanislao, episcopo Warmiensi etc.

S. P. Accepi literas tuas, inclyte praesul, et ut breviter respondeam, negotium doctoris Petri, quem Culmensi gymnasio cupio praefectum iri, ita habet. Domo aberam tum, quum reverendus d. Cromerus dedisset literas suas ad me Plesna Viennam petens. Ego vero reversus domum mox tabellarium expedivi, qui illum sequeretur Viennam. Verum biduo ante discesserat Cromerus quam tabellarius meus illuc venisset. Scripseram autem inter cetera de doctore Petro, monens, ut coram ageret cum homine, et si ita videretur, nomine Culmensis episcopi conveniret. Et quoniam iste meus conatus irritus fuit, rescripsit tamen d. Petrus, et ostendit se nihil cupivisse optatius: verum interea se operam suam medicam condixisse in menses duos duci cuidam Bohemicarum turmarum. Petere autem, ut interim proposita functio sibi maneat integra, velle, quam primum inde se expediverit, me reddere certiorem et quo sit animo in Culmensis scholae functionem rescribere. Culmensi episcopo iam non vacabat scribere, nec cum nihil certi habebam, volebam ei molestus esse: sed confestim ut d. Petri responsum accepero, omnia ad illum accuratissime [scribam]. De ecclesiae statu piget dicere: pudenda est Catholicorum desidia, Lutheranorum credulis vigilantia: immo vereor, ne plerique sic rem commutarint cum nomine, ut, cum foris studeant togati videri, domi utantur pallio. Ego forsitan alio cogar. Discedet iam a nobis d. Slaupnerus, vir et doctus et pius. Eum ego Nissam pertraxeram factusque ibi fuerat parrochus non absque egregio fructu uberrimae messis. Sed Lutherus mortuus illic nunc cepit vivere, qui vivus apud quosdam subinde moriebatur. Quando itaque amitto socium illum et studiorum et periculorum communium, nec aliud quotidie magis, quam corruptelas catholicae fidei invalescere, cogito, ut Patriarcha inquit: Locus mihi erit, Deus providebit. Deus caelestis pater conservet ecclesiam suam et Celsitudinem tuam ecclesiae florentem antistitem. Me reverenter commendo. Datum Vratislaviae 18 September A$^{o}$ 1556.

Vestrae Celsitudinis

obseq(uentissimus) cliens Frid. Staphylus.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 71 fol. 130.*

## 1053.

***1556. September 30. Warschau.*** *Johannes Grodzieczki berichtet an Bischof Hosius über den livländischen Krieg, den Reichstag und die Hoppe'sche Angelegenheit.*

R^mo^ . . . . d. Stanislao d. gr. Episcopo Varmiensi etc.

R^me^ etc. Adventus ad nos R^mae^ p. vrae. cum reipublicae religionique christianae pernecessarius tum vero catholicis bonisque omnibus gratissimus, mihi vero supra, quam dici potest, iucundissimus est futurus. Nam et de bello Livonico prosequendo vel honestis aliquibus conditionibus deponendo, et de tot in republica religionis ergo motibus compescendis, futura videtur in hoc conventu deliberatio; quorum utrumque recte ut provideatur, R^mae^ P. vrae. permultum interest. Regis quidem animus omnino ab hoc bello abhorret: sed dux Prussiae modis omnibus laborat et contendit, ut Livones bello persequantur et fratris eius iniuriae vindicentur, qua de causa etiam legatum hic suum habet. Senatores vero plerique omnes contumeliam quandam Regiae M^ti^ a Livonibus illatam graviter ferunt: verendum ut sit, ne, si nemo fuerit, qui pacem graviter suadeat, gravius aliquod vicinis isthic regionibus, quam speremus, bellum conflatur. De negotio religionis si quid agetur, periculum est, ne R. d. episcopi, quemadmodum in superioribus comitiis Petrcoviensibus, se nimium faciles praebeant. Princeps noster ita huc venit, ut ocyus, quam vellemus, avolaturus videatur. Proceres tamen eo sunt animo, ut quam longissime illum in regno retineant, ac deinceps etiam comitia aliaque regni negotia procurare faciant. Quid efficient, dies indicabit: nam necdum omnes vocati convenere, et senatus integer habitus non est. — Non dubitet R^ma^ p. vra., me sedulo omnia curaturum, quae mihi in literis suis mandat, tum ut illi debitum praestare possim officium, tum quoniam catholica religio, de qua agitur, mihi maxime est cordi. Nam et acta illa laboresque R^mae^ p. vrae. Marienburgensia oportune hero meo legi, quae illi magnopere placuerunt, idemque in caeteris episcopis desiderare visus est: et posteaquam certis indiciis intellexisset, quis esset suppositor et surreptor illius mandati, quod ex Cancellaria nostra pro Hoppio emanavit, illud me diligenter instante effecit, ut ex albo notariorum cancellariae non sine gravi contumelia expungeretur: caeterisque exemplo est futurus, ne quem deinceps apud nostros favorem Satanistae in eiusmodi literis exhibendis se habituros sperent. Quod reliquum est, Deus optimus Maximus servet R^mam^ P. vram. etc. Varschavia pridie Calendas Octobris Anno domini 1556.

R^mae^ P. vrae.

servitor addictissimus Joannes Grodzieczki.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 38 fol. 30.*

## 1054.

***1556. November 1. Neisse.*** *Der Kaiserl. Rath Friedr. Staphylus berichtet an Bischof Hosius über die Besetzung des Rectorats der Culmer Schule, dass Dr. Petrus Reimundus sich noch nicht entschieden habe, ein M. Balthasar Braun zur Uebernahme wohl bereit sei.*

R^mo^ . . . . . domino Stanislao, Episcopo Warmiensi etc.

S. P. Non ita pridem est, inclyte praesul, quod R^mae^ d. tuae scripsi Vratislavia. Rogabam enim Culmensi antistiti significari de d. Petro Reimundo, quod se medicum addixisset domino Seretino, duci Bohemicorum militum. Ego interea responsum ab illo non recepi, ignarus an voluntatem commutavit vel non, siquidem tam longa intervenerit mora. Heri per opportunum tabellarium, qui in Ungariam ad ipsa castra nostrorum militum missus est, hinc iterum scripsi, admonens de responso, quod vel ad me Ratisponam mitteret, (illuc enim a rege nostro evocatus sum,) vel recte ad te in Prussiam. Cupio enixe Culmensis episcopi conatum non fieri irritum. Hic apud nos fingi potius, quam fieri schola videtur. Qui huic nostrae praeest, Magister Balthasar Braun, vir mediocris doctrinae est, et quantum licuit animadvertere hactenus, vere catholicus. Ostendit nuper se non obscure cupere, si alibi honestus locus offerretur, velle hunc istum scholae locum deserere. Cuius rei ego memor sic iudicabam, quod, si Culmensis praesul adhuc alium non esset nactus, nec satis mature responderet d. Petrus, non incommodum fore crediderim, si hunc magistrum ad vos possemus ablegare. Quamobrem, si ita videtur, rescribet R d. tua et mittet literas ad d. Johannem Brandes, affinem meum, qui Ratisponam per Schuchtmano deferri curabit. Orarem etiam R^mam^ d. tuam, ut si quid spei esset de synodo Polonica, ut id etiam regi nostro etiam non esset ignotum: Ratisponae enim iam agetur ea de re potissimum. Scio enim nostros non minus μετεώρους esse, quid vos moliamini in Polonia, quam vestrates, quid nostrates Ratisponae. Sic ego arbitror. Tu vero, inclyte praesul, si forte hoc ego minus decore aveo, ignosces imprudentiae meae. Certe religionis antiquae magno teneor studio. Deus te tuosque conatus fortunet et tueatur. Me reverenter commendo. Datum Nissae ipso die Omnium Sanctorum. A.° 1556.

Rex noster pridie Adventus dominici Ratisponam ingredietur.

Vestrae Celsitudinis

fidelis clientulus Fridericus Staphylus, Reg. Rom. consiliarius.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 71 fol. 133.*

## 1055.

***1557. Februar 20. Loebau.*** *Bischof Johannes von Culm äussert sich gegen Bischof Hosius über die Ankunft und Aufnahme des neuen Culmer Rectors Dr. Petrus Reimundus.*

R^mo^ domino Stanislao, d. gr. Episcopo Varmiensi.

R^me^ etc. Quae mihi R. p. vra. paulo ante perscripsit de domini doctoris Petri adventu, hoc dominus Plotowski, Zeburgi praefectus, obscurius hodie narravit. Advenisse

hominem hunc ad nos, ut fertur, eruditum, mirum in modum gaudeo, juventuti terrae Culmensis optime cupio, simulque velim obtrectatoribus aliquando os claudatur, qui nos scholam Culmensem perdidisse falso iactant. De pietate ac religione istius boni viri non est, opinor, quod dubitem. Qui catholicorum literis commendatur, catholicum esse oportet. Neque id parvo argumento est, non eum abhorrere a catholica professione, qui ad R$^{mam}$ p. vram. episcopum catholicum divertit. Cogitabam quidem apud me, num meos equos isthuc missurus sim, ne ille fortasse suos interea equos habeat; sed tutius esse arbitror et honestius etiam, ut pro eo meos equos mittam, quod intra paucos dies facturus sum. Modo apud R. p. vram. expectet paululum. Non dubito, quin R. p. vra. ita hominem accipiat, ut illum in has terras venisse haud poeniteat. Ego ubi virum nactus fuero, dabo omnem operam, ut se apud nos gratiosum intelligat. R$^{mae}$ autem p. vrae. maiore, quo possum, studio ago gratias pro impensa in adipiscendo isto homine opera. Perscripsi ad ipsum literas, invitans ut ad me veniret simul atque pro ipso misero. Quas literas pro arbitratu suo aut reddi ipsi aut retineri iubeat rogo, uti R. p. vrae. commodissimum videbitur. Causa religionis quo sit in loco in comiciis Varsoviensibus, ex literis R. p. vrae. et exemplo mihi misso cognovi. Faxit dominus, ut in dies magis magisque catholica ecclesia, nebulis istis atque adeo turbinibus diversarum opinionum depulsis, nitori suo pristino restituatur. Orationem R$^{mi}$ D. Cracoviensis R. p. vrae. missam a d. doctore Cromero perlegi iussu ipsius, ut ex scheda inclusa cognoscet. Interea me mutuae R. p. vrae. benevolentiae commendo. Lubauiae XX. Februarii anno domini M. D. L. VII$^{o}$.

R$^{mae}$ p. vrae. amicus et frater Joannes Episcopus Culmensis.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 12 fol. 2.*

## 1056.

***1557. Juli 10. Neisse.*** *Friedr. Staphylus berichtet an Bischof Hosius über Eingang und Beförderung der Briefe desselben und den Wunsch eines M. Thomas Lebersorg, an der Culmer Schule angestellt zu werden.*

R$^{mo}$ . . . . domino Stanislao Episcopo Varmiensi etc.

S. P. etc. Ad ferias Pentecostes profectus fui Vratislaviam, ibique, R$^{me}$ praesul, ternas tuas literas accepi eodem tempore, quas in diverso dederas. Apud d. Cyrum canonicum Vratislaviensem et literas et munus tuum deposuerat d. Cnobelsdorff, reddidit ille utrumque: alteras tradidit Jacobus Schachman: tertiae per meum tabellarium allatae fuerunt. Quod vero, inclyte antistes, ad munus tuum attinet, nescio, plus dolorisne an voluptatis mihi adferat ista tua munificentia: doloris, quod re nullam possim, inanem cogar verbis significationem exhibere gratitudinis: voluptatis, quod non in minima felicitatis parte reputem, conatus tibi probari meos, quos tu unus magis foves, quam multi alii. Ago igitur tibi gratias, benignissime praesul, referre non possum, nisi forte grati

animi votum quodammodo sit gratitudo quaedam. Addam huic sedulas preces meas, ut caelestis pater tibi largiri dignetur longaevam vitam felicesque successus ad fulciendas ruinas ecclesiae. Ad reliquas literas tuas, quae eiusdem erant argumenti, iam nihil aliud possum respondere, nisi quod suas Augustano et Salisburgensi episcopis literas transmisi, et volo de iteranda editione utriusque voluminis tui cum illis coram agere. Atqui spero eos liberalitate sua non defuturos huic praeclaro operi. Qua de re rescribam Wormatia: quo iam me ad iter paro. Utinam te eodem aliqua melior occasio perduceret, haud dubie plurimum autoritatis allaturus et auxilii tam afflictae causae et propemodum a nostris desertae: ad cuius defensionem fortem dei manum expectemus oportet. — Venit ad me hic magister Thomas Lebersorg, secuturus fortunam d. Petri, petiitque a me, sibi ut accessum ad te pararem literis meis: cupere enim functionem aliquam sibi scholasticam offerri, praesertim si apud d. Petrum, quem Culmae esse confidit, locus posset obtingere. Juvabis illum, si talis videbitur, mihi parum notus est. Vale inclyte. Datum Nyssae 10 die Julii A° 1557.

Mitto exemplum catechismi hic recusi; misissem plura, nisi pediti fuisset gravis sarcina.

Vestrae Celsitudini R$^{mae}$ deditissimus Frid. Staphylus.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 71 fol. 146.*

## 1057.

***1558. Mai 9. Marienburg.*** *Bischof Johannes von Culm sendet an Bischof Hosius Glückwünsche zu dessen Reise nach Rom und berichtet von dem Landtage.*

R$^{mo}$ . . . d. Stanislao, d. gr. Episcopo Varmiensi etc.

R$^{me}$ etc. Cum ex aliis tum ex domino Crizanowski accepi, R. p. vram. Romam abire. Quod iter ut R$^{mae}$ p. vrae nobisque ac inprimis religioni catholicae felix ac faustum sit, Christum precor. Quando autem R$^{ma}$ p. vra. Lubaviam, ut accepi, iter factura est, rogo, ut in arcem meam divertat. Ego vero dabo operam, si per comicia licebit, ut aut ipse ad R. p. vram. excurram illo aut cancellarium meum mittam. De comiciis nihildum certi est, nisi quod die crastina legatum R. M$^{tis}$ dominum Brodnicensem sumus audituri. Deum praecor, ut R. p. vram. diutissime salvam ac incolumem conservet. Cuius me gratiae commendo. Mariemburgi 9 die Maii, anno domini 1558.

R$^{mae}$ p. vrae. amicus et frater Joannes, Episcopus Culmensis.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 17 fol. 22.*

## 1058.

***1558. [September.] Graudenz.*** *Die auf dem Michaelis-Landtage 1558 zu Graudenz anwesenden Räthe der Lande Preussens schreiben 1. an den König von Polen: Die Abgesandten der*

*Stadt Thorn hätten geklagt, dass der Erzbischof Nicolaus von Gnesen entgegen ihren und ihres Diöcesanbischofs Rechten sowie den Privilegien der Lande Preussens, in einer rein weltlichen und vor das Forum Seiner Majestät gehörigen Sache sie vor Gericht gefordert und sogar mit der Excommunication bedrängt habe, und da dieses eine die allgemeinen Freiheiten betreffende Angelegenheit sei, bäten sie mitsammt den Thornern, durch königliches Ansehen den Erzbischof zu vermögen, königliche Unterthanen, die nicht unter seiner Jurisdiction stehen, nicht weiter zu belästigen. (O. D.) — sowie 2. an den Erzbischof von Gnesen: Die Thorner Abgesandten hätten geklagt, dass er sie in einer weltlichen Sache vor sein Forum gefordert und mit dem Bann belegt habe, obwohl sie nicht einmal in geistlichen Angelegenheiten unter ihm, sondern zunächst unter dem Bischof von Culm, in zweiter Instanz aber unter dem Erzbischof von Riga ständen, und so bäten sie, die Thorner nicht weiter den Landesprivilegien entgegen zu belästigen. O. D.*

*Lengnich a. a. O. II. Doc. 48 nr. 26 u. 27 u. S. 173.*

## 1059.

***1558. December 28. Warschau.*** *König Sigismund August von Polen gestattet der Stadt Thorn bis zum nächsten Reichstag oder einem allgemeinen Concil die Predigt des Evangeliums nach der Augsburgischen Confession und die Austheilung des Abendmahls unter beiderlei Gestalt.*

Sigismundus Augustus, dei gratia rex Poloniae etc. Notum testatumque facimus praesentibus literis nostris universis et singulis, quod cum multum saepeque nobis et per supplices libellos et per quosdam consiliarios nostros humiliter supplicasset instantibusque precibus nos obtestatus esset senatus populusque civitatis nostrae Thorunensis, ut illis praedicationem Evangelii iuxta praescriptum Augustanae confessionis et administrationem Coenae dominicae sub utraque specie iuxta veteris ecclesiae morem concedere dignaremur, nec pateremur homines privatos ob causam publicam omnium ordinum conventum toties rejectum Evangelii ac utriusque speciei privatione turbare, vexare, molestare; nam esse ex eorum numero passim plerosque, qui usum tanti sacramenti a multis iam annis in universum non attingentes misere et acerbe luctantur: ideo nos, qui pro virili parte ex officio nostro regio infirmitati hominum mederi et illorum conscientiis consulere tenemur, non potuimus tot instantes preces fidelium subditorum nostrorum et suffragia certorum consiliariorum eius provinciae negligere. Quare ad intercessionem eorundem consiliariorum nostrorum inhaerentes promissioni nostrae, quam praefatae civitati Thorunensi una cum reliquis civitatibus Prussiae in conventu Warsaviensi proxime praeterito per Cancellarium et Vicecancellarium nostrum regnique nostri conferebamus, admisimus, prout praesentibus admittimus, senatui populoque civitatis nostrae Thoruniensis liberam praedicationem verbi dei per concionatores eorum, modo sint docti et in sacris exercitati, necnon liberam administrationem et liberum usum Coenae dominicae sub utraque specie omnibus hominibus utriusque sexus et cuiuscunque conditionis, qui hoc sacramento uti voluerint, hinc usque ad futura regni nostri comitia vel ad celebrationem concilii generalis et nationalis harum

testimonio literarum, quibus sigillum nostrum est appensum. Datum Warsaviae die vigesima tertia Decembris Anno domini MDLVIII. Regni nostri XXIX.

*Thornische Denkwürdigkeiten. Berlin 1726 4 fol. 98, in deutscher Uebersetzung p. 12. — Eine ähnliche Urkunde für die Stadt Danzig d. d.* Vilnae fer. 2 post fest. Visitationis Mariae *(Juli 5)* 1557 *bei Lengnich II Doc. 43 nr. 22 und deutsch p. 159.*

## 1060.

***1559. Mai 4. Krakau.*** *Sigismund August, König von Polen, transsumirt und confirmirt dem Domcapitel von Culm vier Urkunden über das Gut Mortschin.*

Sigismundus Augustus, dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lithvaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae etc. dominus et haeres. Significamus tenore praesentium, quorum interest, universis et singulis harum notitiam habituris: Quod cum exhibitae coram nobis essent per certos consiliarios nostros nomine venerabilis capituli Culmensis certae literae in pergameno scriptae, partim a generalibus olim ordinis sanctae Mariae Theutonicorum in Prussia [magistris] legitime invicem succedentibus, partim aliis eiusdem ordinis officialibus eidem venerabili capitulo concessae, scriptura, sigillis et omnibus aliis partibus salvae et integrae, nullique suspicioni obnoxiae, supplicando, ut easdem renovari et sub sigillo nostro extradi mandare dignaremur: Nos non solum id ipsum non gravate eiusmodi supplicationi tanquam non iniustae concedendum esse putavimus, verum etiam alias literas ipsas ratas et gratas habendum esse duximus, quarum quidem literarum tenor ad verbum sequitur et est talis:

> Frater Cunradus Wuchtewange, fratrum domus sanctae Mariae Theutonicorum per Prussiam et Livoniam praeceptor etc. *wie oben S. 62 nr. 96.* Datum in Papow anno domini MCCLXXIX°. quarto Idus Augusti.
>
> Universis tam praesentibus quam futuris, praesentem paginam inspecturis. Frater Conradus de Tyrberch etc. *wie oben S. 67 nr. 106.* Datum in Lipona anno domini MCCLXXXV. III Nonas Marcii.
>
> Wissentlich sey allen, dy diesen bryeff ansehen oder horen lesen, das wyr bruder Gerhard von Visnich, voyth zur Lyppe etc. *wie oben S. 301 nr. 385* in der Jarczall Gotis MCCC und in dem nunczigsten Jare in dem landtgehegetem dinge czu Lissow etc.
>
> Wissentlichin seye allen etc. das wir bruder Hans von Behnhausen Kompthur tzu Thorn mit bruder Ludewig von Erlichshusen voyth tzur Lippe etc. *wie oben S. 469 nr. 582.* Gegebin tzu Colmenze am Sontage nach Trium regum nach der Jartzal unsirs herren tusindt vierhundirt und im sechs und virtczigsten Jare.

Nos itaque Sigismundus Augustus praefatus rex supplicationi praedictae annuentes, — — — — authoritate nostra regia approbamus, ratificamus et confirmamus, per praesentes, decernentes eas robur debitae firmitatis obtinere. Quatenus tamen in eorum omnium et singulorum qua . . . . — — — — — — — — — . . ctu ad hoc usque tempus praefatum venerabile capitulum semper fuerit vel per vim aut iniuriam esse desierit. In cuius rei fidem et testimonium sigillum nostrum praesentibus est subappensum. Datum Cracoviae quarta die mensis Maii, anno domini Millesimo quingentesimo quinquagesimo

nono, regni vero nostri anno Trigesimo. — Relatio domini Joannis de Ocziessino, R. Poloniae cancellarii, Cracoviensis gene . . . . . — Zatoriensis Sandecensis Olstinensisque capitanei. Joannes Occesk R. P. Cancell. sscp.

*Abschrift bei Mauritius nr. 148.*

## 1061.

***1560. März 22. Mirakowo.*** *Johannes Liubodzieski, Bischof von Culm, erklärt, dass sein Domcapitel und Lucas Conopatzki ihren Streit über die Grenze zwischen Morczyn und Mirakow und Grodno durch Schiedsrichter beilegen wollen.*

Joannes Liubodzieski, divina gratia episcopus Culmensis, universis et singulis, quorum interest, presentibus litteris significamus, quod cupientes inter venerabile Capitulum nostrum Culmense ex una et generosum dominum Lucam Conopatzki fratrem nostrum parte ex altera, ut amice transigeretur de finibus inter bona Morczin et Mirakow et Grodno, si opus erit, ne lites ex litibus inter praedictos sererentur, atque in apertas inimicitias, ut fit, hac occasione erumperent, in rem praesentem seu in locum controversiarum descendimus cum quibusdam amicis et propinquis nostris, ut litem conceptam inter partes componeremus. Sed cum magnitudine ipsius rei et temporis angustia minus litem componere potuissemus, illud apud partes non invitas obtinuimus, ne lis longissimum in tempus extraheretur, ut litem iudicio compromissoriali componerent, atque debito fine terminarent. Itaque venerabile Capitulum Culmense, videlicet venerabiles domini Bartholomeus et Sixtus Plemenski, Martinus Laubichius, eiusdem Culmensis ecclesiae canonici, nominarunt ex parte sua iudices compromissarios, videlicet magnificum dominum Joannem a Dzialin palatinum Culmensem et duos nobiles terrae Prussiae indigenas aut quoscunque alios, modo numerus ternarius utrinque non excedatur, tunc nominandos, si canonici alicuius Warmiensis facultas haberi non poterit. At generosus dominus Lucas Conopatzki nominavit ac elegit ex parte sua iudices compromissarios videlicet magnificum dominum palatinum Marienburgensem et generosum dominum Felicem Melzinski, gladiferum terrae Culmensis, et Mathiam Richnowski scabinum terrae Culmensis, in quos quidem utrinque delectos iudices ita compromittunt, ut omni appellationi renuncient, quinimo ipsorum iudicum compromissariorum sententiae diffinitivae pro quacunque parte latae et pronunciatae irrefragabiliter perpetuo stare teneantur. Cui quidam negotio communi assensu delegerunt diem feriam quintam proxime sequentem festum divi Philippi et Jacobi, quae erit secunda dies Maii mensis, in ipso loco differenciarum. Si vero ex alterutra parte iudicum delectorum aliquem pro tunc seu ad diem praefinitum abesse contigerit, licitum erit partibus litigantibus ex praesentibus amicis aliquem in locum absentis substituere. Habebunt autem potestatem domini compromissarii terminum ex partium consensu designatum aliqua enata causa rationabili limitare aut prorogare toties, quoties opus fuerit,

idque non sine consensu et voluntate partium usque ad sententiam diffinitivam. Hoc nihilominus adiecto, quod, quomodocunque lata per dominos compromissarios sententia fuerit, tenebitur generosus dominus Lucas sine praeiudicio sententiae servandae permittere emensurari bona Morczin, volentibus dominis Canonicis, hoc causa domini Henrici Krüger sive dominae Catharinae Hermanowa seu cuiuscunque alterius vicini requirente atque postulante, his limitibus, qui ante finitum iudicium seu latam sententiam inter praefatos litigantes Capitulum videlicet Culmense et dominum Lucam Conopatzki per venerabile Capitulum fuerint inter bona Morczin et Mirakow demonstrati, ne venerabili Capitulo aliquod ex prohibitione emensurationis praeiudicium contra tertium aliquem illis litem intentandam vel forte intentaturam generaretur. Res autem seu fundi portio controversa videlicet in sequestro usque ad sententiam dominorum compromissariorum manere, ita ut neutra partium portione controversa fundi utatur, donec lis per sententiam diffinitivam compromissariorum terminatur. Caeterum ut a partibus litigantibus tucioris poenae compromissum firmius teneatur et servetur, poenam mille aureorum ungaricalium inter praefatas partes ex ipsarummet partium voluntate et assensu constituimus, ut pars compromissum rejiciens atque resolvens ad poenam praefatam teneatur, sententia nihilominus compromissariorum rata manente, ita ut parti servanti dimidia pars praenominatae poenae, altera vero fisco M$^{tis}$ Regiae debeatur. In cuius rei fidem et testimonium sigillum nostrum apponi curavimus et item partium litigantium. Actum et datum in Mirakow XXII mensis Martii Anno MDLX.

*Original auf Papier mit aufgedrückten Signeten des Bischofs und Domcapitels (der dritte Aufdruck ist abgefallen) im Archiv des Domcapitels in Pelplin.*

## 1062.

***1560. August 15. Wilna.*** *Sigismund August, König von Polen, befiehlt dem Bischof von Culm, die Thorner nicht weiter wegen der Religionsübung durch kirchliche Censuren zu belästigen.*

Sigismundus Augustus, rex Poloniae etc. Reverendo in Christo patri, domino Johanni Lubodziecki, episcopo Culmensi, sincere nobis dilecto, gratiam nostram. Reverende in Christo pater, sincere nobis dilecte. Cum superiori tempore egissent apud nos per querelam famati senatus et cives Thorunenses de decretis latis in sese censurisque ecclesiasticis, quod concionatoribus ritibusque in religione suis uterentur, quae quidem potestas decreto senatus facta illis per nos in comitiis Varsaviensibus esset, binas literas nostras ad S. Tuam dederamus, ut illos ab eiusmodi censuris ecclesiasticis liberos faceret, neque impediret, quominus facultate hac iuxta modum per nos illis praescriptum uti possent. Rursum autem ad nos per querelam detulerunt, S. Tuam iisdem censuris ecclesiasticis se persequi, eamque in rem in causa exstitisse superioris conventus terrarum Prussiae, magno publico terrarum illarum incommodo et privatorum hominum detrimento, solvendi.

Volentes itaque tum concessionis nostrae facultatem illis manere, tum nullam deinceps causam existere aut publicarum in terris illis aut privatarum cuiusque turbandarum rationem, mandamus omnino S. Tuae, ut illos ab eiusmodi censuris liberos praestet neque prohibeat illis, quominus secundum concessionem nostram liberi eiusmodi ritus sint, neve committat, ut deinceps ea res causam publici conventus dirimendi praebeat; alioquin si quicquam detrimenti ex eo publice terris illis illatum fuerit, non possumus, nisi culpa S. Tuae totum illud accidisse, interpretari. Factura S. Tue pro officio suo et pro gratia nostra regia. Datum Vilnae 15 Augusti 1560. Regni vero nostri 31 anno.

Sigismundus Augustus Rex.

*Zernecke, Thornische Chronica S. 139.*

## 1063.

***1561. October 26. Althausen.*** *Joannes, Bischof von Culm, bittet den Danziger Rath zu gestatten, dass Doctor Andreas, Physicus und Apotheker, ihm, der schon eine Zeit hindurch krank wäre, in seinem Leiden Hülfe leiste.* Dat. Altenhausz den 26. Octobris a. d. 1561.

*Original mit Siegel (Wappen Nałęcz) im Danziger Stadtarchiv. Aehnliche Schreiben wegen desselben Arztes noch vom 15. November 1561, 19. Februar und 7. März 1562.*

*Nach den Acta capituli Warmiensis fol. 46 starb der Bischof Johannes zu Althausen am 24. März 1562.*

## 1064.

***1562. April 18. Wilna.*** *Sigismund August, König von Polen, zeigt dem Papst Pius IV. die Nomination des Abtes Stanislaus Selislawski von Pelplin zum Bischof von Culm an und bittet um dessen Confirmation.*

Sanctissimo ac beatissimo domino Pio, Papae quarto, S. R. ac universalis Eccl. summo pontifici.

Sanctissime etc. Post oscula pedum beatorum meique regni et dominiorum meorum commendationem. Mortuus est nuper in domino reverendus olim in Christo pater Joannes Lubodziesky, episcopus Culmensis, in terris Prussiae dicionis meae. Cupiens itaque pro officio meo regio prospicere, ne ecclesia Culmensis diutius suo pastore careret, nominavi in locum defuncti pro more et consuetudine ac legibus iam pridem in regno meo observatis venerabilem Stanislaum Zelislawski, abbatem Pelplinensem, virum religiosum vitaeque integritate et in deum pietate singulari praeditum, ac in dicionibus illis nostris nobili atque clara familia natum. Quamobrem supplico Sanctitati vestrae, ut hanc meam nominationem ratam et gratam habere, illamque authoritate sua, qua in terris secundum deum maxima fungitur, confirmare velit. Qua in re ut nulla interponatur mora, Sanctitatem vestram maiorem in modum rogo: permultum enim et dicionibus illis meis interest et illius

ecclesiae tranquillitati, quamprimum negocium perfici. Supplico autem Sanctitati vestrae, ut dicto Abbati Pelplinensi et nominato Culmensi non permittat Sanctitas vestra eam abbatiam cum episcopatu simul obtinere: habet enim episcopatus iste tam uberes redditus, ut episcopum bene sustentare possit: tum autem ea re vehementer permoverentur omnes ordines terrarum Prussiae, neque ego id aequo animo ferre possem. Quod quidem Sanctitatem vestram pro officio suo non gravatim facturam omnino confido, cuius paterno amori me ac regnum dominiaque mea commendo, illamque bene ac prospere valere cupio. Datum in civitate nostra Vilnensi magni ducatus Lithwaniae, decima octava die mensis Aprilis, anno domini Millesimo quingentesimo sexagesimo secundo, regni vero mei trigesimo tertio.

Eiusdem Sanctitatis vestrae obsequentissimus filius

Sigismundus Augustus Rex Poloniae manu pp. subscripsit.

*Litt. Principum Tom. XXIX fol. 18. Theiner, Mon. Pol. II 645 nr. 716.*

## 1065.

***1562. October 9. Rom.*** *Papst Pius IV. providirt den Elect Stanislaus Selislawski mit dem Bisthum Culm.*

Pius Episcopus, servus servorum dei. Dilecto filio Stanislao, Electo Culmensi, salutem etc. Apostolatus officium meritis licet imparibus nobis ex alto commissum, quo ecclesiarum omnium regimini divina dispositione praesidemus, utiliter exequi coadiuvante domino cupientes, solliciti corde reddimur et solertes, ut, cum de ecclesiarum ipsarum regiminibus agitur committendis, tales eis in pastores praeficere studeamus, qui populum suae curae creditum sciant non solum doctrina verbi, sed etiam exemplo boni operis informare commissasque sibi ecclesias in statu pacifico et tranquillo velint et valeant, auctore domino, salubriter regere et feliciter gubernare. Dudum siquidem provisiones ecclesiarum omnium tunc vacantium et inantea vacaturarum ordinationi et dispositioni nostrae reservavimus, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super his per quoscunque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contingeret attemptari; Et deinde ecclesia Culmensi, cui bone memorie Johannes, episcopus Culmensis, dum viveret, praesidebat, per obitum eiusdem Johannis episcopi, qui extra Romanam curiam debitum naturae persolvit, pastoris solatio destituta: Nos, vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta, ad provisionem dictae ecclesiae celerem et felicem, de qua nullus praeter nos hac vice se intromittere potuit sive potest reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne ecclesia ipsa longe vacationis exponatur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de praeficiendo eidem ecclesiae personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus, deligentem, demum ad te, Abbatem monasterii Pelplinensis Cisterciensis ordinis Wladislaviensis diocesis, de nobili genere procreatum et in presbyteratus ordine

constitutum, pro quo charissimus in Christo filius noster Sigismundus Augustus, Poloniae rex illustris, nobis super hoc humiliter supplicavit, cuique apud nos de literarum scientia, vitae mundicia, honestate morum, spiritualium providentia et temporalium circumspectione aliisque multiplicum virtutum donis fidedigna testimonia perhibentur, direximus oculos nostrae mentis. Quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua nobis et fratribus ipsis ob tuorum exigentiam meritorum accepta, praefatae ecclesiae de eorundem fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi in episcopum praeficimus et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesiae tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo. In illo, qui dat gratias et largitur premia, confidentes, quod dirigente domino actus tuos praefata ecclesia sub tuo felici regimine regetur utiliter et prospere dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Jugum etc. Volumus autem, quod cum primum regiminis ipsius ecclesiae ac huiusmodi administrationis possessionem seu quasi fueris vigore praesentium pacifice assecutus, regimini et administrationi dicti monasterii, cui praeesse dinosceris, et quod ex tunc vacare decernimus, cedere omnino tenearis. Datum Romae apud sanctum Petrum anno incarnationis dominicae Millesimo quingentesimo sexagesimo secundo, Septimo Idus Octobris, Pontificatus nostri Anno Tertio.

*Original auf Pergament mit der Bleibulle an hanfener Schnur im Archiv des Domcapitels zu Pelplin. Ebendaselbst auch die Notificationsbulle an den Clerus der Diöcese Culm.*

## 1066.

***1564. März 2. Löbau.*** *Stanislaus Selislawski, Bischof von Culm, dankt dem Bischof Hosius für dessen Mühwaltung zu seiner Consecration und bittet beim päpstlichen Legaten der Sache der Culmer Nonnen sich anzunehmen.*

Ill^mo^ ac R^mo^ domino Stanislao Hosio, S. R. E. presbytero Cardinali et episcopo Varmiensi etc.

Ill^me^ etc. Cum hesterna die nonnullae mihi ex aula regia redderentur literae, redditae quoque una binae Ill^mae^ et R^mae^ Celsitudini vestrae inscriptae, quas hisce inclusas Ill^mae^ et R. C. vestrae transmitto. Non possum autem non eidem Ill. ac R. C^nl^. vestrae gratias quam maximas agere, (referre enim non licet) quod tam prompte tamque benigne mihi suam, quantum consecrationis meae attinet negotium, operam et studium detulerit, enitarque pro virili mea, ut tanti beneficii nequaquam immemor fuisse videri queam. Istud unice rogo, ut I. et R. C. vra. quam primum certi quid hac in re statuere ob suam ad Regiam M^tem^ profectionem potuerit, me quoque certiorem facere non gravetur. Monialium' Culmensium causam, (quam per M. Schirmerum Ill^mae^ ac R^mae^ C. vrae. meo iussu insinuatam esse accepi) ut Ill. et R. C. vra. apud legatum apostolicum agere non dedignetur, itidem obnixe precor. Peterem ego hoc ipsum a domino legato apostolico,

sed quoniam mihi ne de facie quidem cognitus est, cum illo per intercessorem agere commodius visum est, quem ego neque digniorem neque faciliorem, quam Ill. ac R. C. vram., in hac Borussia nostra reperire potui. Ideoque et rursus, ut has in se recipere partes velit, quam officiosissime rogo. Novi ex aula ad me perscriptum nihil est, nisi quod Lithuani iam Warsovia discesserint neque in unionem (quam vocant) consenserint. Nostris XXV Februarii dicta fuit dies. Quid cum illis actum sit, incertum adhuc est. Deus Opt. Max. Regiae M$^{tis}$ mentem eo flectere et inclinare dignetur, ut nonnisi quod in reipublicae nostrae emolumentum et commodum vergat, nostris imperare velit. Haec, quae modo celebrantur, regni comitia brevi dissolvenda esse multi asserunt, ac in Partzino propter Lithuanos complenda finiendaque. Haec sunt, quae modo ex aula habere potui. Si quid posthac communicabitur, non committam, quin statim Ill. et R. C. vra. sciat. Ill. et R. C. vram. multos in Nestoris annos quam rectissime valere opto. Cuius me tutelae et benevolentiae totum dedico atque committo. Datum Lubaviae 2 Martii Anno 1564.

Ill$^{mae}$ ac R$^{mae}$ Cels. vrae.

observantissimus Stanislaus, Episcopus Culmensis manu propria.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 12 fol. 52.*

## 1067.

***1564. März 11. Culmsee.*** *Beschluss des Culmer Domcapitel über Benutzung seiner Fischereien.*

Anno domini 1564 die vero undecima Martii de piscaturis, praesentibus et consentientibus omnibus dominis canonicis, capitulariter actum et confectum est.

Cum quatuor dominorum canonicorum nunc residentium integer sit numerus, lacus Mialkusz pro ponendis saccis in quatuor partes iuxta praescriptum venerabilis domini Bartholomei Plemieczki sub manu eiusdem dividi debet modo sequenti, ut est in schedula. — Praedicta vero divisio in posterum sic semper observetur, quando residentium plenus est numerus, ut quaecunque pars cuicunque dominorum canonicorum missa sorte obvenerit, isto anno contentus sit, neque alium quemquam in sua parte molestare debeat. Ac singulis annis fiat nova sortis missio. Ubi vero in eodem lacu maioribus retibus vel cum cleppa vel aliis retibus slempnicza etc. praeter saccos piscatum fuerit, pisces capti pro numero canonicorum residentium, qui ad retia ipsa communiter contulerunt, dividantur, ac de his fiat sortis missio. Hoc etiam observetur in aliis lacubus, quando communis fit piscatio. — Magister vero piscaturae venerabili capitulo et dominis canonicis corporale debet praestare juramentum, de fideli sui officii administracione, de fideli piscium aequali divisione, ita ut nulli canonicorum, alteri prae altero in hac divisione favere debeat. — Maior lacus in Bielczyn communis maneat, ut neque cuiquam canonicorum liberum sit privatim vel saccis vel quibuscumque aliis retibus sibi facere utilitatem,

nisi fortassis, qui praestimonium Belczinense habeat residensque apud ecclesiam fuerit atque a magno lacu circa ecclesiam piscatione cum rethi, quod kleppam vocant, abstinere malit, tunc pro venerabilis capituli arbitrio ibidem, resoluta glacie usque ad eiusdem concretionem, cum eodem instrumento piscari possit: alioquin inviolabilis permaneat, ut absenti canonico nulla ibidem sit piscatura in usum praedii sui, nisi ex gratia et concessione venerabilis capituli ad mensam familiae suae, et neutiquam ad vendendum. — Lacuum autem, qui in praestimoniis dominorum canonicorum sunt, quisque canonicus possessor integrum pro voluntate et necessitate sua omnimodumque cum quibuscunque velit retibus et instrumentis, eius lacus, qui praestimonio suo iacet vel adiacet, usum fructum sine aliqua impeditione habeat, scilicet ut habens praedium Wratislaviense lacu in Scąmpa, habens Kunczevicense lacu ibidem (excepta tamen ibidem piscina molari, quae communis maneat) utantur. Habens Belczinense minori lacu ibidem et qui Withkoviense ibidem lacu utifruantur. Neque in quocunque horum lacuum fiat aliqua communis piscatio, nisi ex voluntate et consensu possessoris vel eiusdem procuratoris. — Ostrowek lacus locabilis maneat, et qui velit eo uti, numerata mercede conducat. — Sic et qui in magno lacu circa ecclesiam saccos ponere voluerit, conducto habeat; debent tamen domini canonici in locatione externis perferri. — A resolutione usque ad concretionem glaciei liberum erit cuique dominorum canonicorum cum sua kleppa, etiam bis in die uno, aut quando hospitum operariorum aut domestica necessitas postulaverit, piscari.

*Nach einer Abschrift im Nachtrage des Cop. Culmense.*

## 1068.

***1564. April 19. Löbau.*** *Stanislaus Selislawski, Bischof von Culm, schreibt an den Cardinal Hosius in Betreff des Termins zur Eröffnung des preussischen Landtages.*

Ill$^{mo}$ ac R$^{mo}$ Domino Stanislao Hosio, S. R. E. tituli S. Laurentii presbytero Cardinali et Episcopo Varmiensi etc. — *Praes. 27. April 1564 Reselii.*

Illustrissime etc. Ex literis Illustrissimae ac R$^{mae}$ Celsitudinis v. hodie per tabellarium suum mihi allatis intellexi eandem a R. M$^{te}$ Lomzam ad proximas Calendas Maii avocari. Et si Ill$^{mae}$ ac R$^{mae}$ C. v. profectionem suam instituerit, vix fieri posse, ut comitiis nostris Mariaeburgi non ita pridem celebrandis adesse possit. Ideoque si ita placeret M$^{ti}$ suae in feriam secundam post festum S. Trinitatis vel aliud tempus comitia transferri, non existimare Ill. ac R. Celsitudinem V. aliquid detrimenti reipublicae hanc exiguam moram allaturam esse. Quapropter a me petit, ut eam in sententiam meas quoque ad R. M$^{tem}$ darem literas. Cum igitur in his et multo maioribus rebus obsequia mea promptissima Ill$^{mae}$ ac R$^{mae}$ C. V. declarare pro virili semper studeam, feci id et quidem perlibenter, measque, ut voluit Ill$^{mae}$ ac R$^{mae}$ C. V., ad R. M$^{tem}$ tabellario suo dedi literas, in quibus scribo, si ita M$^{ti}$ suae visum fuerit comitia nostra in aliud tempus prorogare, me volun-

tati et mandato M^tis^ suae obsequi paratissimum esse. Ego me, deo adiuvante, crastino die do itineri Culmam versus, ibidem in castro nostro Starigrod aliquot dies commoraturus, et cum Culmensibus negotium religionis praesente capitulo tractaturus. Faxit Deus aeternus, pater domini nostri Jesu Christi, ut omnia ad nominis sui divini gloriam et ecclesiae suae utilitatem et unitatem dirigantur. Ego quidem, quantum pro virili possum, officio meo non sum defuturus. Haec Ill^mae^ ac R^mae^ Celsitudinis V. ad literas suas respondere breviter volui. Quam diutissime felicissimeque valere precor meque illius benevolentiae commendo. Datum Lubaviae 19 Aprilis 1564.

Ill^mae^ ac R^mae^ Celsitudinis V. observantissimus Stanislaus Episcopus Culmensis.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 26 fol. 55.*

## 1069.

***1564. September 3. Löbau.*** *Stanislaus Selislawski, Bischof von Culm, theilt dem Cardinal Hosius Ort und Zeit seiner Consecration mit.*

Illustrissimo ac Reverendissimo domino Stanislao Hosio S. R. E. tituli S. Pancrantii Presbytero Cardinali et Episcopo Varmiensi. — *Praes. 5 Septemb. 1564 Heilsperg.*

Ill^me^ etc. Quando se mihi R^ndus^ dominus Mathias Drzewiczki, praepositus Vladislaviensis et canonicus Cracoviensis obtulit, pro officio meo facturum me esse putavi, aliquid ad Ill^mam^ ac R^mam^ D. vestram dare literarum. Nihil novi est, quod scribam R^mae^ D. vrae., nisi quod adhuc experimur gratia dei singulari auram non incommodam. Diu faciat hoc dominus. Illud praeterea notum facio Ill^mae^ ac R^mae^ D. vrae., quod ad diem Natali sanctissimae Virginis Marie sacrum Ploccam me confero, consecrandi causa. Reverendissimus dominus Chelmensis, ad quem cancellarium meum miseram, id mihi dedit consilii, quod ad dictam diem capitulo isthic celebrando designatam, plurimis praelatis convenientibus, optatum negotium expeditius confici possit. Optavissem quidem ego ad iam rem tam sanctam et summae coniunctionis uti ministerio Ill^mae^ ac R^mae^ D. vestrae. Quando vero eam nobis occasionem eripuerunt partim valetudo mea, partim vero casus isti, quos Ill^ma^ ac R^ma^ D. vra. ad me perscripsit paulo ante, ferendum venit aequo animo. Puto etiam factum meum, quo utilitas ecclesiae meae spectatur, Ill^mam^ D. vram. in bonam partem esse accepturam, neque mihi consilio et auxilio defuturam unquam suo, in administratione ecclesiae ac ovium mihi commissarum. Ego vero quantum in me erit officii, studii et virium, omne id consummam in referenda gratia Ill^mae^ ac R^mae^ D. vrae. patrono et fautori meo. Quod super est, deum precor, ut Ill^mam^ ac R^mam^ D. vram. diu nobis et ecclesiae salvam atque incolumem conservet. Cuius me gratiae commendo. Datum Lubaviae 3 die Septembris Anno domini 1564.

Illustriss. ac Rmae. D. vrae. addictissimus Stanislaus de Silslau,
confirmatus episcopus Culmensis manu propria.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 12 fol. 76.*

## 1070.

***1565. Januar 19. Löbau.*** *Stanislaus Selislawski, Bischof von Culm, ersucht den Cardinal Hosius, den preussischen Landtag von Gollub nach Lessen zu verlegen.*

Ill^mo^ . . . . . D. Stanislao Hosio . . . . . Cardinali et Episcopo Varmiensi etc. —

*Praes. 21 Januar 1565.*

Reverendissime etc. Ex R^mae^ et Ill^mae^ Celsitudinis V. servitore revertente nunc ex illis locis, ubi comitia a R. M^te^ indicta fuerant, intellexi in oppido Golubensi vix locum idoneum quinquaginta equis inveniri. Praeterea summam ibi esse penuriam omnium rerum ad victum necessariarum, quibus omnibus difficillime in tanto conventu hominum carere possumus. Cum igitur ad R^mam^ Cel. V. dominum palatinum Mariaeburgensem ea de re scribere cognovissem, qui conventum hunc in oppidum Lassin transferri petit, ubi et maior commoditas hospitiorum, omnis generis piscium recentium atque aliarum rerum maior quoque copia haberi potest. Si idem R^mae^ et Ill^mae^ Cel. v. tanquam superiori et praesidenti nostro videbitur, posset adhuc quidem id aliis satis tempestive significari. Ideoque peto, ut R. Cel. v. me, quod hac in re statuere voluerit, certiorem reddere quam primum velit. Nam si in Lassin, qui semper meus erat animus, haberi conventus debet, iter R^mae^ C. v. non ita longum conficiendum esset, dum ad decem fere miliaria locus ille proprior situs sit. Quia vero nullibi propius quam hac proficisci R. et Ill. C. V. poterit, eandem mirum in modum rogo, ne in itinere Lubaviam ad me deflecti gravetur. Omnia, quaecunque his satis iniquis temporibus res nostra familiaris praebere potest, lubentissimo et gratissimo animo in R^mam^ C. v. conferam, neque tanto hospite mihi quidem hoc tempore quicquam gratius accidere poterit. Qui sit sensus et animus R^mae^ p. v. peto me quamprimum certiorem fieri. Cuius me favori et gratiae etiam atque etiam commendo. Eandemque optime felicissimeque valere opto. Datae Lubaviae ex arce mea 19 Januarii Anno 65^to^.

R^mae^ et Ill^mae^ Cel. V. addictissimus amicus Stanislaus Episcopus Culmensis.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 26 fol. 56.*

## 1071.

***1565. Juni 4. Medzelanz.*** *Stanislaus Selislawski, Bischof von Culm, schreibt an den Cardinal Hosius in Betreff der Landtagsangelegenheit.*

Ill^mo^ . . . . . D. Stanislao Hosio . . . . . Cardinali et Epo. Varmiensi etc. —

*Praes. 8 Junii Reselii 1565.*

Ill^me^ etc. Literas S. R. M^tis^, domini nostri clementissimi, in quibus M^tas^ sua R. comitia quarta huius mensis Junii, qui praesens est, haberi mandat, et graviter se ferre scribit, quod absque mandato et scitu M^tis^ suae proximum Mariaeburgensem conventum celebraverimus, una cum Ill^mae^ C. V. literis, in quibus meam sententiam sibi perscribi

cupit, hesterno die hic Medzelanzii, dum in absentia fratrum rei familiari meae, quae propter inundationem proximam magno damno affecta est, operam darem, accepi. Quod igitur ad Regias illas literas, quas debita cum reverentia perlegi, attinet, audio quidem contra nostram communiter ex comitiis factam excusationem palatinatus Mariaeburgensis videlicet et Pomeraniae nuncios ad prius Mtis R. rescriptum et mandatum electos et ad praesentem diem deputatos esse. Ad quem quidem diem paratus essem una cum reliquis Mtis suae subditis adesse, sed cum certo intelligam neminem ex dominis consiliariis sibi hospitia Mariaeburgi procurasse, et secundae hae literae suae Mtis (quod idem Illma C. V. scribit) tardius advenerint, neque etiam civitatibus omnibus quicquam adhuc innotuisse existimo, aliquem conventum pro voluntate Mtis R. ad hodiernum diem celebrari non possibile esse video. Ideoque Illmam et Rmam C. V., qui praesidem consilii harum terrarum agit, obnixe rogo, ut suae sententiae et excusationi ad S. R. Mtem me quoque adiungere aut potius omnium nomine scribere velit, propter tarditatem literarum regiarum diem a Mte sua praescriptum habendis comitiis observari non potuisse. Quod vero Mtas sua R. se moleste ferre scribit, proxime habita comitia sine voluntate et internuncio Regio facta esse: quid in ea re commissum sit, sane non video, cum antiquitus semper observatum sit, bis in anno comitia propter iudicia exercenda etiam sine speciali Mtis R. mandato haberi. Quae omnia Illma et Rma C. V., ut S. R. Mti diligenter scribere nosque omnes de non habitis comitiis excusare velit, maximopere rogo. Si in posterum S. Mtas alium diem mature, in quo omnes ordines harum terrarum convocari commode possunt, significaverit, me meo officio et muneri pro virili non defuturum recipio. Quae omnia ut Illma C. V. S. R. Mti significare et rescribere velit, maiori quo possum studio rogo, meque Illmae et Rmae C. V. favori et amicitiae diligentissime commendo. Datae Medzelanzii 4 Junii Anno 1565.

Illmae et Rmae C. V.

addictissimus Stanislaus, d. gr. Episcopus Culmensis manu propria.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 26 fol. 57.*

## 1072.

***1565. August 29. Löbau.*** *Stanislaus Selislawski, Bischof von Culm, dankt dem Cardinal Hosius für die Nachricht vom Besuch des päpstl. Legaten, zweifelt aber ob er zu der Zeit in Löbau sein könne, da er durch die Abhaltung eines Schiedsgerichts in Anspruch genommen sei.*

Illustrissime etc. Quod Illma et Rma Cels. Vra. suis me literis invisere ac de adventu Illmi Cardinalis Sanctissimi D. et Legati certiorem facere dignata est, gratias quam possum, ago maximas. Erit quidem ipsius Celsitudinis adventus mihi modis omnibus acceptissimus, sed num illo tempore ego Lubavie esse possim, vehementer addubito. In causa sunt

rixae illae, quae inter magnificum dominum Culmensem palatinum eiusque terrae judicium ac Gluchowski exortae, nobis in comitiis Marieburgensibus nuper dijudicandae sunt propositae. Iis componendis, dum me partes arbitrum esse voluere, ac huic negotio quinta Septembris in Fredecco dicta sit dies, periculum est, ne, si non illa die reconciliarentur, terrestria iudicia, quae paulo post exerceri consuevere, penitus intermittantur. Istud vero quam non expediat praesenti rerum statui, Illma Cels. vra. videt, et urget dominus palatinus et judicium, ut controversia dirimatur. Dabo tamen nihilominus operam, ut etiam, si me absente Illmam ipsius Cels. Lubaviam venire contigerit, pro summo meo posse, quam honorificentissime a meis excipiatur tracteturque. Quod reliquum est, me Illmae et Rmae Cels. vrae. fraternae benevolentiae quam studiossissime commendo, quam et nobis et ecclesiae suae Deus Opt. Max. diu incolumem servet, precor. Datum Lubaviae 29 die Augusti Anno domini 1565°.

Illmae et Rmae Cels. Vrae. studiossimus Stanislaus Episcopus Culmensis.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 14 fol. 10.*

## 1073.

***1566. Juni 19. Althausen.*** *Stanislaus Selislawski, Bischof von Culm, verschreibt das Gut Gutau und das Dorf Rumienica seinem Verwandten Felix Konarski auf Lebenszeit des Bischofs und sieben Jahre nach dessen Tode.*

Stanislavs de Silslav, dei gratia episcopus Culmensis, universis et singulis, quorum interest, praesentibus literis notum facimus, quod cum nobiscum expenderemus atque reputaremus, quam magno nobis constet quorundam incultorum fundorum extirpatio, aedificatio ac instructio, et pleraque adhuc in episcopatu Culmensi loca inculta sine ullo fructu et proventu extent, quae similem culturam non sine impensa et gravi molestia requirunt; Cupientes praedium Gvtau incultum, quod iure feudi cuidam datum morte eius ad ecclesiam nuper rediit, simulque villam desertam et incultam Rvmienica ad meliorem culturam reducere, atque sine labore, solicitudine et impensa nostra, ampliorem fructum ecclesiae ac successoribus nostris comparare atque relinquere: communicato cum venerabili Capitulo nostro consilio simulque speciali consensu eiusdem capituli accedente, praenominatum praedium Gvtau et villam Rvmienica locanda esse duximus, prout praesentibus locamus, generoso domino Felici Conarski, adfini nostro, uxori et liberis, successoribusque eius exnunc ad septem annos exactos, computandos ex eo die, quo nos ex hac peregrinatione vita et statione decedere volente domino contigerit, pro centum marcis, singulas per viginti grossos usualis monetae computando. Quas centum marcas praefatus adfinis noster, uxor et liberi successoresque eius legitimi pro festo divi Martini nobis et successoribus nostris praestare tenebuntur et debebunt. Idque cum omnibus obventionibus, fructibus, proventibus iam factis et postea faciendis, cum pratis, sylvis, pascuis, pinetis,

et cum molendino uno novo, simul cum piscina eidem molendino adiuncta, antiquius pro nobis et successoribus nostris reservando. Quascumque praeterea piscinas fecerit seu posuerit post diem eius privilegii, concedimus eidem adfini nostro, uxori et successoribus eorum facultatem eisdem piscinis arbitratu suo utendi fruendi. Adiungentes et concedentes insuper piscaturam minoribus duntaxat instrumentis in lacu dicto Rumian. Porro quicquid in praefatis bonis Gvtav et Rvmienica praefatum adfinem nostrum aedificare ac meliorationem facere contigerit, tenebitur et debebit successor noster, exactis et finitis praenominatis septem annis post decessum nostrum, praefato adfini nostro, uxori ac haeredibus centum marcas monetae currentis singulas per viginti grossos computando, reponere, priusquam de praefatis bonis decedat. In cuius rei fidem et evidentius testimonium sigillum nostrum et venerabilis Capituli nostri appendi curavimus. Actum et datum Starogrodi XIX die mensis Junii, anno domini M. D. LX. VI. Praesentibus testibus ad hoc rite et legitime vocatis nobilibus Simone Maricio LL. Doctore curiae nostrae cancellario, Jobo Havbicz marschalco, Mathia Leski Starogrodi praefecto, Christophero Chelmowski succamerario nostris et aliis plurimis fidedignis.

*Original auf Pergament im Culmer Diöc.-Archiv. Daran haben an Pergamentstreifen zwei Siegel gehangen, wovon das zweite abgefallen ist. Das erste wohlerhaltene Siegel zeigt unter der bischöflichen Mitra den Wappenschild, auf welchem ein Baum mit Wurzeln, Stamm und Aesten befindlich ist. Die Umschrift lautet:* STANISLAVS ZELISLAVVSKI D. G. EPS. CVLMEN.

## 1074.

***1566. Juli 6. Medzelanz.*** *Stanislaus Selislawski, Bischof von Culm, antwortet dem Cardinal Hosius in Bezug auf die Vorgänge im Herzogthum und geht ihn um Rath an in Betreff der Königl. Aufforderung zur Besoldung des Heeres einen Beitrag zu leisten.*

Illustr$^{mo}$ ac R$^{mo}$ . . . . . Stanislao Hosio S. R. E. tituli s. Pancratii presb. Cardinali necnon Epo. Varmiensi etc. — *Praes. 7 Juli 1566 Heilsperg; respondi eodem.*

Illustrissime etc. Quod tardius, quam vellem et res ipsa postulare videatur, ad literas Ill$^{mae}$ ac R$^{mae}$ D. V$^{rae}$ rescribo, non mea culpa fit, sed eo factum est, quod literae Ill$^{mae}$ ac R$^{mae}$ D. Vrae. ante triduum mihi redditae sunt. Novationes subitas fieri in vicino nobis ducatu Prussiae audio equidem ipse, et moleste fero, ut debeo, metuens ne nobis aliquid mali asportent. De milite, qui ex Germania accersitus esse dicitur, varii rumores feruntur; alii Danorum regi in auxilium adservari dicunt, alii vero regi nostro in Livonia. Suspicantur nonnulli duci Mecelburgensi praesidio adesse, qui novi istius senatus consilio administrationem ambit ducatus istius Prussici. Ferunt etiam proscriptos esse edicto imperiali Joannem Margrabium et ducem Mecelburgensem, propterea ad praesidium istorum militem hunc in promptu habere. Utcumque tamen res se habet, non potest nobis non suspectus esse miles iste, quem sane cavendum esse censuerim et arcendum pro virili, si quam vim adferre voluerit bonis Ill$^{mae}$ ac R$^{mae}$ D. vrae. Quod

scribit Illma ac Rma D. vra, velle ea de re perscribere ad Mtem R., illud optimum et consultissimum mihi esse videtur. Hesterna die cubicularius Regiae Mtis cum literis Mtis R. ad me venit, quibus Regia Mtas admonet et adhortatur, ut exemplo aliorum senatorum regni singulare feram subsidium ad stipendium militibus persolvendum. Adiunctae sunt regiis literae archiepiscoporum et episcoporum regni, quibus admoneor, ut ad proximum festum divi Jacobi, exemplo ipsorum, mittam notabilem summam pecuniae non minorem mille florenis. Quae res cum et nova sit et aliquod grave exemplum his terris allatura esse videatur, non putavi quicquam suae Regiae Mti aut senatoribus regni prius respondendum, quam ad consultationem Illmae ac Rmae D. vrae. negocium referrem. Qua de re etiam ad magnificum dominum Culmensem palatinum perscripsi. Itaque Illmam ac Rmam D. vram. maiore, quo possum, studio rogo, suam mihi hac de re perscribere dignetur sententiam, ne si quid inconsulte faciam, rei publicae novo exemplo adportem aliquod novum periculum. Quod Illmam ac Rmam D. Vram. pro suo in rempublicam studio et amore nostro mutuo facturam esse confido. Datum Medilesi VI die Julii Anno domini 1566.

Illustrissimae ac Rmae D. vrae.

addictissimus Stanislaus de Silslaw Episcopus Culmensis m. ppr.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 14 fol. 78.*

## 1075.

***1566. August 21. Krakau.*** *Sigismund August, König von Polen, transsumirt und bestätigt fünf Urkunden aus den Jahren 1489, 1494, 1495, 1537 und 1541 betreffend das alleinige Eigenthums- und Nutzungsrecht des Culmer Domstifts an dem grossen See bei Culmsee.*

Sigismundus Augustus, dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lithvaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae etc. dominus et haeres. Significamus tenore praesentium, quibus expedit, universis et singulis, quod productae sunt coram nobis quinae literae sub sigillo appenso magistratus civitatis nostrae Thorunensis in charta pecorina conscriptae, qui quidem magistratus eas fideliter ex architipis sive originalibus suis descriptas esse testatus est. Quarum primae ad modum instrumenti publici secundum testimonium magistratus Thorunensis scriptae ad hunc modum se habent.

I. n. d. a. Sub anno nativitatis eiusdem Millesimo quadringentesimo octuagesimo nono, indictione septima, die vero sabbathi secunda mensis May, etc. *wie oben S. 578 nr. 714.*

Secundas vero itidem in pergameno germanicae scriptas fratris Johannis de Tieffen, magistri generalis ordinis sanctae Mariae Theutonicorum, sigillo maiori eiusdem in ceram nigram membranulae transfixae impendente sigillatas, idem senatus Thorunensis testatur. Quarum tenor est talis.

Wir Bruder Hans von Tieffen, Hoemeister Deutsches Ordens, thun kundt etc. *wie oben S. 588 nr. 727.* Uf unserem Hause Konigsbergk nach Gotts gebort thausendt vierhundert und im vier und neuntzigsten Jare am Dinstagt nach Egidii.

Tertias similiter in pergameno serenissimi olim principis domini Joannis Alberti, regis Poloniae etc. patrui nostri charissimi, sic ad verbum scriptas esse idem senatus affirmat:

> Joannes Albertus dei gratia rex Poloniae etc. *vgl. S. 588 nr. 728.* Actum et datum in Thorun, Sabbatho ipso die sancti Valentini, Anno domini Millesimo quadringentesimo nonagesimo quinto, regni vero nostri Anno tertio. In cuius rei etc.

Quartas divi parentis nostri, qui nuper in Christo obdormivit, esse papiraceas asserit cum sigillo eiusdem impresso, quarum tenor talis est:

> Wir Woywoden, Castellanen, Unterkammerer, Prelaten etc. *vgl. S. 775 nr. 920.* Geben zu Thorn am XXVI$^{ten}$ May, im Jare Christi unsers einigen Heilandt im V$^{c}$ im sieben und dreysigsten.
>
> Sigismundus d. g. rex Poloniae etc. *vgl. oben S. 804 nr. 958.* Datum Vilnae XIIII Juni, Anno domini Millesimo quingentesimo quadragesimo primo, regni vero nostri XXXIV.

Quoniam itaque praedictae literae a nobis visae et coram nobis lectae, integrae, sanae ac omni vitio carentes reperiebantur, accepta etiam fide de praedictorum sigillorum et manus regiae veritate, dictorum venerabilium dominorum Vincentii et Baltasaris canonicorum [precibus in]clinati, ipsas literas per notarium nostrum diligenter ad verbum transumi, transcribi et exemplari, ac in hanc publicam transumpti formam redigi iussimus. Quibus etiam ad certioris fidei corroborationem nostri magistratus Thorunensis — adjicimus et decretum. In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium sigillum nostrum praesentibus duximus appendendum. Datum in Thorun die quinta Martii Anno domini M° D° XLVIII°.

Supplicatum itaque nobis est nomine venerabilis Capituli cathedralis Culmensis, ut quinas has literas authoritate nostra regia confirmare dignaremur. Cui nos supplicationi tanquam iustae annuentes, praefatas quinas literas in omnibus earum punctis, clausulis, conditionibus et articulis, confirmandas duximus, ita ut confirmamus, ratificamus et approbamus praesentibus. Tibi, magnifico Joanni de Lusianis, palatino Culmensi et capitaneo nostro Rhedensi, et cuicunque alio pro tempore existenti palatino Culmensi, mandantes, ut iura haereditaria venerabilis capituli Culmensis authoritate, qua modo isthic loco fungitur, synceritas tua tueatur et defendat atque praefatum capitulum manu teneat, neque contra ea fieri quicquam in damnum et praeiudicium venerabilis capituli atque ..... gationem iurium et privilegiorum ipsius a quoquam permittati. In cuius rei fidem et testimonium sigillum praesentibus suspendi iussimus. Datum Cracoviae XXI$^{ma}$ Augusti anno Millesimo — — — regni vero nostri decimo nono. — Relatio reverendi in Christo patris domini Samuelis, episcopi Cracoviensis et R. P. cancellarii.

Samuel Episcopus Cracovien. et R. P. Cancellarius ss.

*Original auf Pergament mit dem polnischen Reichssiegel an grüner und rother Seide im Culmer Diöc.-Archiv. Am unteren Theil ist die Urkunde sehr verstockt. Abschriften bei Mauritius nr. 133.*

## 1076.

***1566. August 31. Löbau.*** *Stanislaus Selislawski, Bischof von Culm, theilt dem Cardinal Hosius mit, dass ihm der Palatin von Pommerellen über den Lubliner Reichstag nichts Besonderes erzählt habe, und bittet den Cardinal bei der Reise zum Landtage auf seinen Gütern einzukehren.*

Illmo domino Stanislao Hosio, S. R. E. tituli S. Theodori presbytero Cardinali et Episcopo Varmiensi.

Illustrissime etc. Quod Illma et Rma C. V. me suis literis tam amanter invisere dignata est, summas ago gratias, ex iisque haud parvam coepi voluptatem, cum eas ipsas ex amantissimo benevolentissimoque animo profectas esse non dubitem. Hodie apud me pernoctavit magcus d. Pomeraniae palatinus, rediens ex comitiis Lublinensibus, qui eadem fere retulit mihi, quorum Illma C. V. in literis suis mentionem facit. De reliquis, cum C. V. scribat se ex aula certiorem factam esse, nihil communicare possum, quod non cogitem iam antea Illmae et Rmae C. V. notissimum esse. Unum etiam atque etiam peto, cum Illma C. V. per hunc episcopatum meum proficiscens ad comitia proxime ventura iter factura sit, ne cum comitatu suo bona mea praeterire, sed ad ea divertere velit, iisque omnibus, quae res familiaris mea praebere potest, utatur ut suis. Quod ut faciat mirandum in modum oro, eamque diu felicissimam et bene valentem esse cupio. Cuius me gratiae et benevolentiae diligentissime commendo. Datae ex castro meo Lubaviensi, ultima Augusti Anno 1566.

Illmae et Rmae C. V.

addictissimus amicus et servitor Stanislaus Episcopus Culmensis.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 16 fol. 77.*

## 1077.

***1567. März 3. Marienburg.*** *Stanislaus Selislawski, Bischof von Culm, äussert gegen den Cardinal Hosius sein Bedauern, dass letzterer an dem Landtage in Marienburg nicht habe theilnehmen können und wünscht ihm Genesung.*

Illmo ac Rmo Principi, domino Stanislao Hosio, S. R. E. tituli S. Theodori Presbytero Cardinali et Episcopo Varmiensi etc.

Illme etc. Quem finem habet conventus iste Mariemburgensis, Illma D. V. ex nuncio suo Rndo domino canonico et recessibus intelliget. Optavissem autem, quemadmodum et reliqui ordines, ut Illmae ac Rmae D. vrae. per valitudinem in hoc conventu adesse licuisset. Quoniam vero aliter domino deo visum est, in cuius potestate salus et consilia nostra posita sunt, deum praecor, ut Rmam D. vram diutissime salvam conservet, ut ita et ecclesiae catholicae et reipublicae nostrae superstes diu esse ac praeesse possit. Cetera Rndus D. Joannes Leomanus, canonicus Varmiensis, de me deque molestiis meis referet

coram R$^{ma}$ D. vra., cuius me gratiae ac benevolentiae commendo. Datum Mariemburgi ex comitiis 3 Marcii Anno 1567.

Ill$^{mae}$ ac R$^{mae}$ D$^{onis}$ vrae.

addictissimus servitor Stanislaus, Episcopus Culmensis.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 26 fol. 58.*

## 1078.

***1567. Mai 20. Petrikau.*** *Sigismund August, König von Polen, befiehlt dem Bischof Stanislaus Selislawski, die Thorner in der Ausübung des lutherischen Gottesdienstes nicht zu stören.*

Sigismundus Augustus, dei gratia rex Poloniae, magnus dux Litthvaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae etc. dominus et haeres. Reverendo in Christo patri, domino Stanislao Zieleslawski, episcopo Culmensi, sincere nobis dilecto, gratiam nostram regiam. Sincere nobis dilecte. Retulerunt ad nos non sine quaerela senatus et respublica Thorunensis, sinceritatem tuam una cum venerabili capitulo Culmensi illos de industria impedire, ne concionatoribus ritibusque suis in religione ac ecclesiis pro se ac illis, quod per nos senatus consulto et decreto in generalibus comitiis Warsaviensibus facto concessum atque indultum est, libere et pacifice uti possent. Praeterea queruntur, sinceritatem tuam et dictum capitulum sacerdotes non modo indoctos et sacrarum literarum imperitos, sed etiam vita et moribus dissolutos scandalaque publice praebentes, in pagorum jurisdictione civitatis Thorunensis subditorum ecclesiis contra voluntatem ipsorum fovere et tueri; annosque complures sectarium quendam parochum, sub specie catholici sacerdotis in villa Czarnowo dogma Anabaptisticum profitentem, non ita pridem ad assiduam senatus illius instantiam ita dimisisse, ut etiam praesens in vicinia proxima haereat, sacraque ministeria ecclesiae dei obire et pastoris muneri fungi permittatur. Quapropter ad senatus civitatis nostrae Thorunensis suplices preces, tum ad quorundam consiliariorum intercessionem nostrorum, qui a nobis id vehementer petierunt, ne simplices ac miseros homines agrestes, civitatis illius subditos, in varia et diversa sectarum haeresiumque studia per eiusmodi sacerdotes ineruditos rerumque divinarum imperitos et vita sua scandalosos distrahi atque offendi pateremur; verum ut sacerdotes christianae confessionis Augustanae praescriptae (ad quam iam dudum animos suos plebecula illa adiecit et assuevit) pastores et ministros verbi dei et rituum sacrorum iuxta professionem puriorem Augustanam non modo admittere, verum etiam in eadem concessione nostra ipsos clementer tueri atque prosequi dignaremur. Nos itaque precibus illorum benigne annuentes, ac omnino habere volentes, ne in posterum civitas nostra Thorunensis eiusque subditi a quopiam cuiuscunque dignitatis tam ecclesiasticae quam secularis vel aliquo alio iuris praetextu in concessione illa nostra inque possessione sua ullo modo turbetur et molestetur, mandamus sinceritati tuae capituloque Culmensi, ne prohibeat neve impediat aut committat, quominus illi Evangelii

praedicatione et ritibus atque ministris suis ecclesiasticis in religione iuxta confessionem Augustanam ipsis per nos concessam atque indultam in ecclesiis tam urbanis quam villanis libere et pacifice utantur ac fruantur, non obstantibus aliis quibusvis literis nostris ad importunam instantiam cuiuscunque in contrarium emanatis et emanandis. Factura sinceritas tua cum capitulo supradicto pro gratia nostra regia. Datum Petricoviae in conventione regni generali die vigesima Maii Anno domini Millesimo Quingentesimo Sexagesimo septimo, Regni vero nostri Anno XXXVIII. — Ad S. R. M. mandatum Valentinus Dębinsky, Regni Poloniae Cancellarius et S. R. M.

*Thornische Denkwürdigkeiten. Berlin 1726. 4 p. 99—101, in deutscher Uebersetzung p. 14 ff. — Ueber des Bischofs Auftreten gegen Graudenz vgl. Hartknoch, KGesch. S. 1063.*

## 1079.

***1567. Juli 11. Löbau.*** *Stanislaus Selislawski, Bischof von Culm, theilt dem Cardinal Hosius mit, was für Anordnungen vom Könige von Polen gegen die säumigen Steuerzahler getroffen seien.*

Ill^mo^ . . . . . d. Stanislao Hosio, S. R. E. tituli S. Dionysii Presbytero Cardinali et Episcopo Varmiensi etc.

Ill^me^ etc. Cum proxime quidam ex familiaribus R^mae^ d. v. ad me iussu d. v. R^mae^ diverteret, accidit, quod eo tempore domi forte non essem. Reversus autem literas R^mae^ d. v., quae preterea nihil continebant, quam quod me ad ipsius sermones remittebant, inveni. Ad quas hactenus, dum carerem commodo tabellario, nihil quidem respondi; nunc oblato homine, nolui committere, quin has ad R^mam^ d. v. scriberem literas. Ceterum novarum rerum, quae huc adferantur, nihil habeo, quod non putem iam d. v. R^mae^ antea cognitum esse; repetam tam obiter, quae mihi hoc tempore et literis et sermone aliquorum nuncientur. Grudentinorum negotium ratione thelonei adhuc inexpeditum manet in curia regia neque adhuc quidem poena in mandato Regiae M^tis^ expressa absoluti sunt. Revisores dicuntur advenire, postulaturi nomine R. M^tis^ castra illa, quae quartam partem secundum decretum nuper Pietrocoviae factum non dederunt. Et undiquaque apparet propter executionis causam, hanc terram Prussiae nosque omnes summo in periculo constitutos esse. Quae mala cum caeteris nobis imminentibus malis aeternus deus clementer avertere dignetur. Ad extremum R^mam^ D. V. foeliciter valere cupio. Datae Lubaviae 11 Julii Anno 67^to^.

R^mae^ D. V.

addictissimus servitor Stanislaus Episcopus Culmensis.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 26 fol. 59.*

## 1080.

***1567. August 1. Löbau.*** *Stanislaus Selislawski, Bischof von Culm, schreibt an den Cardinal Hosius in Betreff der Graudenzer Zollsache.*

Ill$^{mo}$ . . . d. Stanislao Hosio S. R. E. tituli S. Theodori Presbytero Cardinali necnon Episcopo Varmiensi etc. — *Praes. 4 Augusti 1567; responsum 5 Augusti Heilsberg.*

Ill$^{me}$ etc. Binas ab Ill$^{ma}$ ac R$^{ma}$ d. v. accepi literas, unas 18 Julii, alteras 21 eiusdem mensis Heilspergae datas, quae mihi gratissimae fuerunt. Inprimis autem eam partem epistolae Ill$^{mae}$ ac R$^{mae}$ d. v. legi libenter, in qua bonam praebet spem, executionis negotium et theloneum Grudentinum non tam rigidum processum habiturum esse, sicut multi ea in re valde pendent animi. Verum quid responsi acceperint Grudentini, et quid Gedanenses internuncii apud R. Maiestatem confecerint, iam Ill$^{mae}$ ac R$^{mae}$ d. v. notum esse arbitror, cum Gedanenses tabellarium suum ad Ill$^{mam}$ et R$^{mam}$ d. v. celeribus equis missuros et de omnibus rebus eandem certiorem reddituros esse dicerent. — Commissarios regios Regiomonte discessisse, et aliquos propter Calvenismum loco motos esse, ut Ill$^{ma}$ et R$^{ma}$ d. v. in priori epistola sua significat, eo libentius audio, quo eorum commissariorum consilia huic reipublicae prutenicae magis salutaria fore confido; sed haec omnia, veluti sapientissime Ill$^{ma}$ et R$^{ma}$ d. v. scribit, dies nos docebit. Praeterea quod scribam, omnino nihil habeo. Reliquum est, ut me gratiae et benevolentiae Ill$^{mae}$ ac R$^{mae}$ d. v. diligentissime commendem, quam diutissime valere et sospitem esse praecor. Datae Lubaviae i. die Augusti Anno 67.

Ill$^{mae}$ ac R$^{mae}$ d. vrae.

addictissimus servitor Stanislaus Episcopus Culmensis.

Ill$^{me}$ etc. Prioribus meis literis ad Ill$^{mam}$ et R$^{mam}$ d. v. iam obsignandis, literae a Grudentinis ad me perlatae sunt, in quibus consilium, quid ipsis in periculo metuendo propter citationem in causa thelonei, termino limitationis decurso, faciendum sit, diligenter petunt, remittentes quasi de se negotium ut commune ad omnes harum terrarum status. Qua in re ipsos consilio meo iuvare, non prius Ill$^{mae}$ ac R$^{mae}$ d. v. cognito atque perspecto, nec potui nec debui. Eos igitur ad Ill$^{mam}$ et R$^{mam}$ d. v. tanquam principem Senatus Prussici primum compellandum eiusque auxilium implorandum pervenire volui, amanter rogans Ill$^{mam}$ et R$^{mam}$ d. v., ut quid ipsi visum fuerit, me quoque hoc non latere faciat. Ac iterum Ill$^{mam}$ et R$^{mam}$ d. v. cum meae in eam observantiae commendatione quam foelicissime diu valere cupio. Datum ut in literis.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 26 fol. 60—61.*

## 1081.

***1567. December 3. Löbau.*** *Stanislaus Selislawski, Bischof von Culm, berichtet dem Cardinal Hosius über die Abreise des Königs von Polen zum Heere.*

Ill^mo^ . . . . Stanislao Hosio . . . . . Cardinali necnon Epo. Varmiensi etc.

Ill^me^ etc. Ex Starogrodo arce mea revertens Lubaviam, forte ad me venit Plovesii, familiaris Ill^mae^ ac R^mae^ D. vrae., qui has eidem reddidit literas; eum vacuum absque literis meis ad Ill^mam^ ac R^mam^ D. V. venire nefas esse duxi. Nova quidem, quae ex regia curia scribuntur, communicarem libentissime, si non scirem, ea ipsa multo exactius multoque diligentius ad eandem perscripta esse. Nihilominus tamen, cum nullum aliud scribendi argumentum in praesentia succurrat, obiter significanda putavi. Perfertur autem R. M^tem^ 21 Novembris proxime elapsi constituisse progredi Radoscoviam usque, ubi aiunt congregatum esse universum M^tis^ suae exercitum, quem triduo post lustratura est R. eius M^tas^, peracta lustratione, ulterius contra Moscum processura. Deus aeternus regi nostro adsit eiusque conatus adversus hostem immanissimum gubernare modisque omnibus fortunare dignetur. Quae inter legatos regni et Lituanos ultro citroque de unione acta et tandem inter ipsos conclusa sunt, cum ea cumulate ad Ill^mam^ ac R^mam^ D. vram. scripto missa esse non dubitem, hisce literis repetere supervacaneum esse existimavi. Igitur quod superest, Ill^mam^ ac R^mam^ D. V. diu salvam atque incolumem esse opto, cuius me gratiae studiose commendo. Datae Lubaviae 3 Decembris Anno 67.

Ill^mae^ ac R^mae^ D. V. addictissimus servitor Stanislaus,

d. gr. Episcopus Culmensis, idem manu propria.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 16 fol. 44.*

## 1082.

***1569. Juli 25. Löbau.*** *Stanislaus Selislawski, Bischof von Culm, wünscht dem Cardinal Hosius glückliche Vollendung der Reise und empfiehlt ihm den Ueberbringer des Briefes, den Edelmann Orlowski.*

Ill^me^ etc. Illustrissimae Reverendissimaeque Celsitudini Vestrae omnia summa mea studia defero eidemque fausta et felicia cuncta a deo precor et exopto. Simulque gratulor ex animo eam firma valetudine advenisse, tum quod me literis suis invisit, gratias ingentes ago. Postquam vero perceperim, Ill^mam^ R^mamque^ Cels. vram. urbem versus ex mandato regio profecturam, istud grave admodum Ill^mae^ R^maeque^ Cels. v. futurum hac praesertim aetate non dubito. Ita quoque optarim eam ab isto gravamine potuisse immunem esse. Verum cum voluntati regiae mos gerendus sit, quo iter hoc atque negotia Ill^ma^ R^maque^ Cel. v. ex animi sententia conficiat absolvatque ac tandem sana et incolumis ad nos quam citissime revertatur, dominum deum ex animo precari nunquam desistam. Praeterea nobilis dominus Orlowski, praesentium exhibitor, avunculus noster coniunctissimus, me

certiorem fecit, eum una urbem aditurum, non potui intermittere, eum Illmae Rmaeque Cel. Vrae. commendare, magnopere petens, eum paterno suo favore ac benevolentia amplecti, meoque nomine commendatum habere dignetur. Quod de Illma Rmaque Cels. vra. meis summis studiis promerebor. Hisque Illmam Rmamque Cel. vestram Deo Optimo Maximo et me ipsius paterno favori quam studiosissime commendo. Datum ex arce mea Lubaviensi die 25 mensis Julii Anno domini M. D. LXIX°.

Illmae Rmaeque Cels. Vestrae

addictissimus servitor Stanislaus Episcopus Culmensis.

*Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 16 fol. 110.*

## 1083.

***1569. October 19. Mirakowo.*** *Schiedsspruch über Grenzstreitigkeiten zwischen dem dem Culmer Domcapitel gehörigen Gute Morczin und dem Dorfe Mirakowo.*

Michael [Baierski] judex terre Culmensis, Joannes Schimberski, Sim[on] Maritius LL. Doctor, Joannes Strobanth proconsul Torunensis. Notum [fac]imus, quorum in[ter]est, universis et singulis, actam es[se] coram nobis tanquam iudicibus compromissariis causam seu co[ntr]oversiam de f[ini]bus regundis inter bona Morczin venerabilis Capituli Culmensis [ex] una, et v[il]lam Miracowo haereditariam g[enero]si [Lucae] a Conopath parte ex altera. [Et] cum utraque pars suos reg[ens] fin[es] et signis [et t]estimoniis comprobar[et], inten[cione]m [suam] petens, ut ad prolacionem decreti procederemus: Nos, re bene oculis sub[ie]cta, visis signis et vallis, testimoniis etiam vt[rin]que excussis, pronunctiandum esse duximus, quemadmodum praesentibus pronunctiamus et definimus, hoc nostr[o d]ecreto mediante: Venerabile Capitulum ce[r]tius et melius causam suam proba[viss]e, privilegio, [test]imoniis et signis. Propterea [ei]dem venerabili Capitulo partem co[ntroversa]m adiudicando, scopulos seu tumulos quattuor limitares poni s[eu exi]g[i cura]vimus, incipiendo a tumulo antiquo aciali, qui est iuxta vallum [in] pa[rie]te v[idelicet], qui distinguit bona Morczin a bonis Miracouo et Slawk[ow]o [dir]ecte usque ad scopulum lapideum antiquum, qui est in eodem p[arie]te, imponentes partibus praefatis vigore eiusdem decreti ex compromis[so la]ti perpetuum silentium. Actum et datum in loco differentiarum seu in [re] praesenti decimanona die Octobris anno domini Millesimo Quingentesimo sexagesimo Nono; presentibus nobilibus Georgio Gluchowski, Michaele Turz[in]czki, Joanne Zaleski, Benedicto et Stanislao Obrempskie, Matia Gaiewski ministeriali terrestri Culmensi, caeterisque quam plurimis fide dignis.

*Das Original auf Pergament, welches durch Feuchtigkeit sehr gelitten hat und an dem noch das erste und dritte Siegel von den vier Commissarien an Pergamentstreifen hängen, befindet sich im Culmer Diöc.-Archiv. Die Lücken sind aus der Abschrift bei Mauritius nr. 126 ergänzt.*

## 1084.

***1574. Mai 11. Culmsee.*** *Das Domcapitel von Culm verkauft die Mühle in Dembowo.*

Nos Bartholomevs Plemientsky senior, Joannes Koss, Sixtus Plemientsky, Martinus Laubichius, canonici, totumque capitulum cathedralis ecclesiae Culmensis, significamus et notum esse volumus omnibus et singulis, ad quos praesentes literae nostrae pervenerint, quod cum molendinum nostrum frumentarium in Dembovo, hactenus desolatum, pluribus annis certo molitore carens, nobis capituloque nostro nullum omnino fructum attulerit, nos itaque attendentes restaurationi praedicti molendini vendidimus illud discreto Gregorio, tabernatori in Radoski, pro certa summa pecuniaria, videlicet sexaginta marcis pruthenicalibus, per viginti grossos computando, iam exoluta, conferentes praedictum molendinum praefato Gregorio eiusque legitimis haeredibus et successoribus cum omni usu et usufructu et utilitate iure Culmensi perpetuo possidendum; ita ut ipse Gregorius eiusque in posterum haeredes et successores ipsum molendinum cum rotis et lapidibus molaribus ac septis, canalibus et aggeribus aliisque requisitis instrumentis et aedificiis suis propriis laboribus et expensis instruere ac rata tecta conservare sit obligatus, ad quod nos aut nostri successores nullum ei subsidium ferre obligamur, nisi in aliqua inevitabili citra neglectum molitoris aggeris ruptura accidat, quo casu subditi nostri tociens, quotiens opus fuerit, ipsum aggerem aductionibus terrae exaltare et reparare iuvabunt, ac pro aedificio molendini robora per molitorem excisa adducere tenebuntur. Nomine vero census de dicto molendino ipse Gregorius eiusque haeredes et successores pro festo S. Martini episcopi triginta sex modios siliginis ad curiam nostram Cauernick praesentare et persolvere, ac duos porcos pro nostris pecuniis emptos singulis annis in perpetuum saginare sine quavis contradictione tenebitur. Verum ut se melius in ipso molendino sustentare et censum praedictum expedire possit, assignamus ei haeredibusque et successoribus ipsius unum mansum agri inter ipsum molendinum et bona Guttove censualem, a quo singulis annis similiter ad festum S. Martini solvere debeant marcam unam, liberum tamen a serviciis et laboribus consuetis currulibus, non tamen manualibus, et pratum unum Zalyeschna, sine quo vivere non poterit. Ex speciali quoque gratia concedimus eis in piscina molari facultatem piscandi cum instrumentis, almanice nuncupatis handwath et hamen, tempore tamen foeturae excepto, ad ipsorum mensam duntaxat et nequaquam ad vendendum vel aliis donandum, nobis et successoribus canonicis alioquin dimissionem, quam ablas vocant, omnem alium quemcunque usum fructum et utilitatem istius molaris piscinae reservantes. In quorum omnium fidem et testimonium capitulare nostrum sigillum maius subappendere curavimus. Actum et datum circa ecclesiam cathedralem in Colmsehe anno domini Millesimo Quingentesimo Septuagesimo quarto, octiduum ante festum Pentecostes.

D. C. Laubichius.

*Nach zwei alten Copien im Culmer Diöc.-Archiv. Eine dritte bei Mauritius nr. 157.*

## 1085.

***1574. Juni 4. Rom.*** *Papst Gregor XIII. notificirt dem Könige Heinrich von Polen die Provision des Petrus Kostka mit dem Bisthum Culm an.*

Gregorius Episcopus etc. Charissimo in Christo filio Henrico, Poloniae regi illustri, salutem etc. Gratiae divinae premium etc. Hodie siquidem ecclesiae Culmensi, tunc per obitum bonae memoriae Stanislai, olim Episcopi Culmensis, extra Romanam curiam defuncti, pastoris solatio destitutae, de persona dilecti filii Petri Electi Culmensis, nobis et fratribus nostris ob suorum exigentiam meritorum accepta de fratrum eorundem consilio apostolica auctoritate providimus, ipsumque illi in episcopum praefecimus et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesiae sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde confectis literis plenius continetur. Cum itaque, fili charissime, sit virtutis opus etc. Datum Romae apud sanctum Petrum anno incarnationis dominicae Millesimo quingentesimo septuagesimo quarto, pridie Nonas Junii, pontificatus nostri Anno Tertio.

*Original auf Pergament mit Bleibulle an hanfener Schnur im Archiv des Domcapitels zu Pelplin. Daselbst auch die Notificationsbulle an die Vasallen; die Bulle an das Domcapitel aber im Culmer Diöc.-Archiv.*

## 1086.

***1574. Juni 5. Rom.*** *Gregor XIII. erlaubt dem Bischof Peter Kostka, das bisher innegehabte Canonicat von Ermland auch ferner beizubehalten.*

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Petro electo Culmensi, salutem etc. Personam tuam nobis etc. Et sicut accepimus, tu tempore provisionis et praefectionis huiusmodi canonicatum et praebendam ecclesiae Warmiensis obtineres, prout optines: Nos tibi, qui de nobili genere procreatus existis, ut statum tuum iuxta pontificalis dignitatis exigentiam decentius tenere valeas, de alicuius subventionis auxilio providere, teque praemissorum meritorum tuorum intuitu gratioso favore prosequi volentes, — motu proprio, non ad tuam vel alterius pro te nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate tecum, ut etiam, postquam in vim provisionis et praefectionis praedictarum pacificam possessionem seu quasi regiminis et administrationis dictae ecclesiae Culmensis ac illius bonorum seu maioris partis eorum assecutus fueris et munus consecrationis susceperis, canonicatum et praebendam praedictos, — ut prius, quoad vixeris, etiam una cum dicta ecclesia, quamdiu illi praefueris, retinere libere et licite valeas. — Dat. Romae apud S. Petrum a. incarnat. dom. MDLXXIV. pridie Nonas Juni, pont. n. Anno Tertio.

*Original auf Pergament mit Bleibulle an seidener Schnur im Archiv des Domcapitels zu Pelplin.*

## 1087.

***1576. September 2. Graudenz.*** *Stephan Bathori, König von Polen, bestätigt der Stadt Thorn ihre gehabten Rechte und besonders das der Religionsfreiheit.*

In nomine domini Amen. Ad perpetuam rei memoriam. Regum et principum virtus in tempora perpetua illustratur, cum fidelium subditorum saluti et commodo consulunt perspiciuntque, cumque eos iustitia diligunt et in iuribus ipsorum eos tuentur et conservant. Ut autem talium regum ac principum laus et virtus ad posteros transferatur, solent literis suis ea, quae subditis bene et laudabiliter pro eorum incrementis tribuunt, memoriae posterum tradere. Nos itaque Stephanus, dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lithvaniae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae etc. etc. necnon Transsylvaniae princeps, significamus tenore praesentium, quibus expedit universis et singulis, praesentibus et futuris, harum notitiam habituris, quia cum divina favente clementia, omnium ordinum et statuum Regni, magni ducatus Lithvaniae, Prussiae caeterarumque provinciarum, ad praefatum regnum pertinentium, libera electione sacro regni diademate insigniti sumus, mente et affectu integritatis nostrae concepimus, ut omnes subditos nostros status et conditionis cuiuscunque gratia et favore condigno complecteremur, et complexos servaremus, iustitiaque ipsos pro posse nostro dignaremur, atque immunitates iuraque ipsorum et privilegia, quibus ex munificentia et donatione serenissimorum praedecessorum nostrorum, regum Poloniae aliorumque principum, potiti sunt et potiuntur, servaremus et manuteneremur. Cum itaque totius communitatis atque omnium ordinum civitatis nostrae Thorunensis nomine nobis supplicatum sit, ut confirmaremus iura et privilegia civitatis nostrae Thorunensis, praedecessoribus nostris et regno nostro semper fidelis et sincera subiectione commendatae, ac eandem quoque fidem et obedientiam nobis imprimis testata sit: hinc praenominatam nostram civitatem Thorunensem cum omnibus incolis suis non minori gratia et favore regio complectimur et ex certa nostra scientia, liberalitate et mutua deliberatione, de consilio et approbatione consiliariorum nostrorum, pro felici gubernationis nostrae auspicio, proconsulibus, consulibus, scabinis totique communitati dictae civitatis nostrae Thorunensis imprimis religionem Augustanae Confessionis omniaque et singula templa et monasteria tam intra, quam extra civitatem, ut iis nunc utuntur, non impediendo in illis cultum divinum more sacrae Romanae ecclesiae, integre conservamus et ab omnibus, quorumcunque hominum impetitionibus et molestationibus tenebimur. Deinde vero ius in electionibus regni iuxta privilegium Casimiri, postea omnia et singula eorum iura, privilegia, libertates, praerogativas, inscriptiones, donationes, immunitates, literas, statuta municipalia, consuetudines etiam ab antiquo servatas, in genere aut in specie, in publico aut in privato, quaecunque aut quascunque tam a Cruciferis quam a divae memoriae serenissimis Poloniae regibus, antecessoribus nostris, caeterisque principibus et dominis super quibusvis bonis et libertatibus eis iuste et debite concessis habent, in omnibus positionibus, conditionibus, punctis, clausulis et articulis universis, in iisdem suis iuribus scriptis et literis contentis et expressis,

ita quidem acsi praesentibus de verbo ad verbum inserta hic fuerint et expressa, innovandas, ratificandas, roborandas, approbandas, gratificandas duximus, uti praesentium literarum patrocinio innovamus, ratificamus, roboramus, approbamus, gratificamus et confirmamus, decernentes debere eadem et easdem robur habere iustae atque debitae firmitatis in perpetuum; assecurantes insuper eos tenore praesentium pro nobis et successoribus nostris regni Poloniae regibus, eadem ipsorum iura libertates, immunitates, praerogativas, privilegia, statuta municipalia, consuetudines antiquas, literas et inscriptiones quaecunque et quascunque, in omnibus eorum et earum modis, positionibus, descriptionibus, articulis, punctis et conditionibus firmiter, inconcusse et inviolabiliter non solum debita manutenere, salva sarta tectaque tueri, defendere et ea servari tenerique perpetuis temporibus facere curareque, verum etiam omnia et singula, quae contra eadem vel easdem hactenus iniuste et illegitime introducta sunt et in posterum introducentur, pro regio nostro munere emendare et abolere atque cum ipsorum fides erga praedecessores nostros atque in regnum Poloniae constans subiectioque nobis commendatur, de qua etiam erga nos persuasi sumus, pro meritis eorum et ex reipublicae utilitate easdem eademque illorum privilegia et immunitates augere et in statum eos meliorem redigere curabimus, tenore praesentium mediante. Illaeso communi privilegio divi Casimiri, antecessoris nostri, terris Prussiae dato et a nobis confirmato manente. In cuius rei testimonium evidentius praesentes nostras confirmationis literas sigillo nostro hic appenso de certa scientia nostra voluntateque communiri fecimus et manu nostra subscripsimus. Datum Graudentii die secunda Septembris Anno domini Millesimo Quingentesimo Septuagesimo Sexto, Regni vero nostri Anno Primo. Praesentibus magnificis et generosis Petro Zborowsky a Zborow palatino et capitaneo generali Cracoviensi, Eustachio Wolowicz castellano Frocensi M. D. L. vicecancellario Bretensi Combrinensi capitaneo, Andrea comite in Tenczin Belsensi Hrubiezowiensique, Fabiano Czema Marienburgensi Graudentensi et Stargardiensi, Achatio Czema Pomeraniae Gnevensi Christburgensique palatinis et capitaneis, Joanne comite in Tenczin Libinicensi subcamerario nostro et Lublinensi, Joanne a Zboraw Gnesnensi Odalanoviensique, Joanne Dulski Culmensi Rogoznensi Brunscensi et Sariscensi capitaneis, Felice Zwinski Juniwladislaviensi castellanis, Andrea Oppalinsky marschalco Rohatinensi Grywensi capitaneo, Petro Dunin Wosky cancellario custode Lancziciensi, Joanne Samoisky vicecancellario regni nostri, Belsensi Nisznensi, Kamieniecensi capitaneo, Hieronymo Rozdraczewsky praeposito Plocensi maiore secretario, Stanislao Osonsky curiae nostrae referendario, cantore Gnesnensi, Cracoviensi Vladislaviensi canonico et aliis quam plurimis dignitariis, officialibus, secretariis et aulicis nostris. Datum per manus superius recensiti magnifici Joannis Zamoisky, regni nostri Vicecancellarii, Belsensis, Kniskinensis Kamieniecensisque Capitanei, sincere nobis dilecti.

(L. S.) Stephanus Rex.

*Thornsche Denkwürdigkeiten. Berlin 1726 4 p. 102—106, in deutscher Uebersetzung p. 16.*

## 1088.

***1577. Mai 19. Petrikau.*** *Jacob Uchanski, Erzbischof von Gnesen, hält eine Provinzial-Synode ab, auf der unter anderen auch* „Stanislaus Karnkowski Wladislaviensis et Pomeraniae episcopus“ *und* „Albertus Gadomski I. U. D. Pomeraniae archidiaconus, in ecclesia Wladislaviensi canonicus“, *nicht aber der Culmer Bischof, anwesend sind. Die Statuten wurden von Gregor XIII. unterm 29. December 1577 bestätigt und im folgenden Jahre den 19. Februar 1578 publicirt. Die Synode bestimmt u. a.*

Caput XV. Episcopatus Pomesaniensis et Sambiensis ut in pristinum statum restituatur.

Petendum est a Sacra Regia Maiestate per R$^{mos}$ Dominos suo et totius cleri nomine, ut Episcopatus Pomesaniensis et Sambiensis in Prussia, contra iura ecclesiastica occupatos, eorumque ecclesias profanatas et spoliatas in pristinum statum vindicet et restituat: praesertim vero Pomesaniensis, cuius magna pars est in ditione Sacrae Regiae Maiestatis sine ullo episcopo et pastore legitimo. Supplicandumque est Sanctissimus D. N., ut de consensu serenissimi regis eam portionem Episcopatus Pomesaniensis ditionis regiae, si inter episcopatus restitui non poterit, Episcopo Culmensi uti viciniori adiungat.

Acta et constitutiones synodi provincialis Gneznensis provinciae a. d. MDLXXVII. die XIX Mensis Maii habitae et celebratae. Cracoviae 1578 4. *Wiederabgedruckt als liber quintus in den* Constitutiones Synodorum Metropolitanae eccl. Gnesnensis provincialium tam vetustorum quam recentiorum usque ad annum dni. MDLXXVIII. Stud. et op. R. D. Stanislai Karnkowski Epi. Wladislav. et Pomeraniae. Cracoviae 1579 4 *und mit Auslassung des Cap. I (weshalb darin obiger Beschluss die Nummer XIV hat) in den* Constitutiones synodorum metropol. eccl. Gnesnensis provincialium, auctoritate Synodi provincialis Gembicianae per deputatos recognitae. Jussu et op. D. Joannis Wężyk Archiepi. Gnesnen. Cracoviae 1630 4.

## 1089.

***1578. O. T. u. O.*** *Peter Kostka, Bischof von Culm, überlässt sein Gut Weisshoff (Neuhoff) an den Hauptmann Daniel Plemieczki auf 30 Jahre.*

Petrus Kostka, dei gratia episcopus Culmensis, significamus et notum esse volumus omnibus et singulis, ad quos praesentes literae nostrae pervenerint, quod nos utilitati mensae nostrae episcopalis prospicientes ac honestam rationem habentes fidelium obsequiorum et meritorum generosi domini Danielis Plemieczki, capitanei nostri Starogrodensis, qui nobis et ecclesiae nostrae in ipso capitaneatus officio utiliter et non sine laude ab aliquot annis praestitit et in futurum fideliter est praestiturus, ut meritorum suorum aliqualem accipiat compensationem et ad maiora magis inflammetur, venerabilis capituli nostri Culmseensis ad hoc accedente consilio et assensu, ipsi domino Danieli eiusque legitimis haeredibus et successoribus locavimus inscripsimus et concessimus, prout praesentibus locamus inscribimus et concedimus ad triginta annos proxime futuros bona nostra deserta Weysendorf alias Byalidwor in Culmensi territorio sita ac villis Rude et Waldau contermina, a plurimis iam annis hominum memoriam excedentibus adeo desolata insylvata et inculta, ut nobis et ecclesiae nostrae nullus fructus inde pervenerit, ab ipso domino Daniele eiusque haeredibus et successoribus iure Culmensi tam longe late circum

ferentialiter in suis limitibus et terminis, quibus ab antiquo sunt limitata et distincta, et generaliter cum omni utilitate usufructu nihil prorsus excipiendo. Cum vero praefatus dominus Daniel maximis sumptibus et expensis, praesertim hoc difficili tempore, praedicta bona nostra exstirpabit, duos lacus Suęte et Elembogk nuncupatos et ad mensam nostram episcopalem pertinentes cum libera piscandi facultate, et generaliter cum maioribus et minoribus retibus tam tempore hyemis quam etiam aestatis; item et libera pascua in tota sylva Bialidwor; item et mellificia iam constructa et construenda; item ligna humi iacentia alias liezącze drwa praefato domino Danieli eiusque haeredibus et successoribus nihil nobis et successoribus nostris in his praedictis iuris reservando sed totum in illum eiusque successores transfundendo in hac locatione praesentibus inclusimus et concessimus. Adjicientes insuper, quod si forte bonorum nostrorum praefatorum occasione controversiae cum aliquo inter illum et successores eius exortae fuerint, illas nemo nisi nos et successores nostri diiudicabimus et componemus. Pro hac locatione et inscriptione ipse dominus Daniel eiusque haeredes et successores censum annuum vigintiquinque marcarum in terra Culmensi communiter currentium, viginti grossis in singulas marcas computatis, singulis annis in festo sancti Martini nobis et successoribus nostris solvere et praesentare sint obligati, ita tamen ut a nobis et successoribus nostris iuxta taxationem, acceptis ab utrisque partibus arbitris, aedificia, quae in illis bonis erexit et construxit, illi vel eius haeredibus realiter persolvantur. In quorum omnium fidem et testimonium praesentes literas concessimus nostro et capituli nostri praedicti sigillis maioribus subappensis munitas. Datum in castro nostro N. anno 1578.

*Nach einer Abschrift im Nachtrag des Cop. Culmense nr. 89 und bei Mauritius pag. 214, wo in der Ueberschrift bemerkt wird, dass das Domcapitel den Consens nicht ertheilt hat. Die Urkunde ist daher nur ein Entwurf, wie auch das Schreiben des Bischofs vom 19. März 1580 zeigt.*

## 1090.

***1580. Januar 18. Löbau.*** *Peter Kostka, Bischof von Culm, überweist dem Minoritenkloster in Löbau bei der neuen Besetzung mit Mönchen aus der polnischen Provinz verschiedene Rechte und Einkünfte.*

In nomine domini Amen. Nos Petrus Kosthka, dei et apostolicae sedis gratia episcopus Culmensis et episcopatus Pomesaniensis administrator. Ad perpetuam rei memoriam universorumque Christifidelium notitiam praesentia nostra scripta deducere volentes, omnibus et singulis, ad quos ea pervenerint, salutem in domino sempiternam. Posteaquam ad ecclesiae huius nostrae gubernacula dei benignitate licet immeriti vocati sumus, pastoralis nostrae sollicitudinis rationem id a nobis iure suo exigere semper iudicavimus, ut si quid aut ab humanae salutis hoste esset in hac dioecesi nostra depravatum, aut verius ex neglecto dei cultu et pietate in plurimorum hominum animis hoc deploratissimo

tempore penitus extincta collapsum et violatum, id totum omni diligentia et studio, adiuvante nos gratia divina, restitueremus, et in meliorem statum redigeremus. Cum itaque coenobium ordinis fratrum minorum de observantia a reverendissimo olim domino Nicolao Krapicio, episcopo Cvlmensi, antecessore nostro, extra muros oppidi nostri Lubaviensis sub ipsa arce nostra constructum penitus desolatum, et magna ex parte deformatum, ac fratribus ipsis destitutum, summo nostro dolore invenissemus: nullum laborem intermittendum nullisque sumptibus parcendum esse duximus, quoad illud coenobium repararetur et divinus in eo cultus, fratribus aliunde advocatis, restauraretur. Quia vero ex provincia Saxoniae, sub cuius potestate et administratione hoc monasterium erat, propter haereses, quae ibi longe lateque viguerant, vastatis iam ubique et ad ruinam redactis omnibus illius ordinis coenobiis, fratres habere nullo modo poteramus, a reverendo patre Nicolao Roxolano, provinciae Poloniae ministro, petivimus, ut hoc ipsum monasterium in suam tutelam reciperet eique de fratribus provideret. Sed cum praefatus minister absque SS$^{mi}$ Domini nostri et eius Ordinis Patris generalis authoritatibus hoc se minime praestare posse affirmaret: ea de re ad reverendissimum in Christo patrem dominum Jo. Andream Caligarium, episcopum Brittonoriensem, pro tunc per regnum Poloniae Nuntium apostolicum, scripsimus, ut his apud ss. dominum nostrum, dominum Gregorium, divina providentia papam XIII. et apud reverendissimum in Christo patrem dominum Franciscum Gonzaga, ordinis fratrum minorum de observantia Ministrum generalem, hoc negotium per litteras suas, quibus etiam nostras adjunximus, promovere non gravaretur, humillime petentes, ut authoritate apostolica et patris generalis praedicti consensu, semotis omnibus impedimentis, praefato Poloniae ministro huius coenobii Lubaviensis cura et administratio demandaretur. Quibus literis nostris Sanctitas sua benigne annuens, supranominato reverendissimo Patri generali gratiose concessit, ut hoc monasterium a provincia Saxoniae avelleret et sejungeret atque provinciae Poloniae annecteret et incorporaret. Is igitur rem aequissimam et ad promovendum in his locis iam magna ex parte collapsum cultum divinum apprime necessariam esse considerans, tandem praefato Poloniae Ministro hanc provinciam iniunxit, ut praedictum coenobium in suam curam atque tutelam reciperet, eidem fratribus opportunis et commodis prospiceret ac perpetuis temporibus in suam Poloniae provinciam adscriberet. Qui quidem praefatus Poloniae minister precibus nostris sanctissimique domini nostri et ipsius ordinis generalis authoritatibus adductus, huius monasterii curam et administrationem benigne suscepit, id provinciae Poloniae adiunxit et incorporavit, et fratres Varschaviae anno domini Millesimo Quingentesimo Octuagesimo huc ablegavit, qui locum ipsum incolerent et pro sui instituti ratione regerent atque in pristinum statum restituerent. Quae omnia cum nos ad divini cultus inprimis propagationem, ad ecclesiae catholicae utilitatem, ad ipsius ordinis incrementum, et ad nostri nostrorumque successorum dominorum episcoporum perpetuam memoriam firma et stabilia in futurum esse cupiamus, hanc praefati monasterii restaurationem eiusque a provincia Saxoniae avulsionem et ad

provinciam Poloniae annexionem et incorporationem legitimis monimentis duximus approbandam, quemadmodum presentibus litteris nostris approbamus et confirmamus in dei nomine. Quia vero ea nunc est deploratorum nostrorum temporum ratio, refrigescente passim in omnibus locis christiana charitate, haeresibusque et falsis de religione opinionibus totam fere catholicam ecclesiam, praecipue autem dioecesim hanc nostram, misere vexantibus et propemodum opprimentibus, ut nisi patribus ipsius coenobii, qui se vitamque suam piorum hominum elemosinis sustentare coguntur, liberalitate nostra et pia largitione opitulemur, cultus in eo divinus vel omnino pereat vel certe saepius non sine maximo nostro et piorum omnium dolore intermittatur, necesse sit, idcirca nos, quos curae nostrae pastoralis sollicitudo adducit, ut de salutari ecclesiarum dioecesis nostrae statu et conditione assidue congrue cogitemus, ipsisque, quas necessariarum rerum solatio destitutas esse videmus, pro vicibus subveniamus, zelo internae commiserationis moti benignamque inopiae et egestatis patrum eiusque coenobii rationem habentes, atque cupientes, eos in peragendis divinis laudibus et officiis ecclesiasticis absolvendis iugiter permanere atque contineri, habita cum venerabili capitulo nostro matura deliberatione deque ipsius consilio et assensu, pro ipsorum patrum meliori commoditate et sustentatione haec, quae sequuntur, illis dedimus, donavimus et assignavimus, ac perpetuis temporibus adscripsimus, quemadmodum damus, donamus, assignamus et adscribimus per praesentes. Inprimis damus eis, concedimus et ascribimus pro illorum mansione et commodiori habitatione locum atque fundum iam ab antiquo ipsis assignatum et concessum ab ipsisque possessum, in quo templum et monasterium illorum constitutum est et aedificatum, cum horto viridario et piscina adiacentibus, ita late longe et circumferentialiter, prout se in suis metis et limitibus nunc extendunt et ea hactenus praefati patres tenuerunt, habuerunt et possederunt, ac etiam nunc tenent, habent et possident, cum omnibus iuribus fructibus utilitatibus et emolumentis ex eis provenientibus, nihil omnino nobis et successoribus nostris ex eis reservantes. Deinde damus eisdem patribus, donamus et perpetuis temporibus ascribimus operas omnes et labores communes, vulgo scharwerk nominatos, quos nobis et mensae nostrae episcopali coloni villae nostrae Bisswaldt praestare tenentur, videlicet a festo Omnium Sanctorum usque ad festum Annuntiationis B. Mariae virginis, ut ipsi coloni in cedendis, colligendis et vehendis lignis praedicti coenobii patribus operas eas et labores praestent, quos nobis et mensae nostrae episcopali praestare consueverunt. Hoc saltem excepto, quod in devehendis nostris et successorum nostrorum frumentis illorum opera, prout et aliorum subditorum nostrorum, nobis et successoribus nostris uti liberum erit. A festo autem Annuntionis B. Mariae Virginis usque ad festum Omnium Sanctorum ipsas operas et labores cum censu annuo et iurisdictione integra atque dominio nobis et successoribus nostris reservamus. Quibus quidem operibus et laboribus communibus sic designatis, nostro successorumque nostrorum nomine ex nunc cedimus, easque praefatis patribus concedimus perpetuo et in aevum. Et quoniam hic Lubaviae magna

plerumque est piscium, praesertim recentium, penuria, ideo praedictis patribus damus et concedimus liberam piscationem in flumine Drwancia, ita longe et late, atque se dominium nostrum et possessiones nostrae extendunt. Quaquidem piscatione, ut pro meliore eorum commoditate uti possint, illis concessimus et donavimus domunculam penes ipsum fluvium Drwanciam pro piscatoris habitatione, a nobis extructam et aedificatam, cum uno jugero agri pro horto, ut in ea proprium suum piscatorem habere possint, qui pisces potissimum ipsis procuret atque in eis capiendis omnem diligentiam adhibeat. Insuper damus et assignamus ipsis patribus quindecim currus foeni singulis annis ex nostris pratis circa Drwanciam sitis, sectionis tempore colligendi et evehendi. Praeterea eisdem patribus damus et assignamus singulis annis unam lastam hordei seu brasei, et alteram lastam avenae, dimidiam partem tonnae butyri, caseorum seu formularum sexagenas sex, porcos castratos quatuor trium ad minus annorum, ex arce et praedio nostro Lubaviensi repetenda et percipienda. Quae omnia et singula superius expressa praefatis patribus ipsius coenobii Lubaviensis damus, donamus, assignamus et ascribimus perpetuis temporibus. Dantes eis potestatem omnia et singula, prout superius recensentur et describuntur, singulis annis a nostris Officialibus repetendi, colligendi, habendi, percipiendi ac in suos usus beneplacitos convertendi; ea tamen conditione, ut pro valetudine statu felicique nostro et successorum nostrorum successu capitulique nostri proque animae nostrae, praedecessorum et successorum nostrorum salute in sacrosanctis sacrificiis suis et aliis orationibus preces ad deum fundere non intermittant. Hanc autem donationem et provisionem, sic per nos factam, Nos observaturos et praestituros ipsis praefati coenobii patribus bona fide promittimus, ac nos et successores nostros dominos episcopos hisce literis obligamus. Quos per viscera misericordiae dei et domini nostri Jesu Christi obsecramus et obtestamur, ut hanc ipsam donationem et provisionem nostram ratam et gratam habentes, eam in omnibus suis punctis clausulis et articulis firmiter, integre et inviolabiliter conservare, praedictosque patres benigno, ut confidimus, affectu prosequi velint, immortalem mercedem et uberrimum fructum a Deo Opt. Max. recepturi: Qui enim seminat in benedictionibus, de benedictionibus vitam aeternam metet. Ut vero Christi fideles ipsi eo libentius devotionis causa confluant atque ad reparationem, conservationem et munitionem huiusmodi manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono coelestis gratiae uberius conspexerint se refectos, ac indulgentias concessas promereri ac consequi valeant: Nos de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius authoritate confisi, coelestem thesaurum aperientes, omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus, vere poenitentibus et confessis, qui ecclesiam huiusmodi in Nativitate domini nostri Jesu Christi, Purificationis, Annuntiationis, Visitationis, Assumptionis, Nativitatis et Conceptionis Beatae Mariae et S. Joannis Baptistae, S. Michaelis archangeli et anniversario Dedicationis ecclesiae eiusdem a primis vesperis usque ad secundas vesperas inclusive devote visitaverint annuatim, et ad praemissa manus porrexerint adiutrices, ut praefertur, in singulis festivitatibus

sive diebus praedictis, quibus id fecerint, quadraginta dies de injunctis eis poenitentiis misericorditer in domino relaxamus, praesentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. In quorum omnium fidem et testimonium praesentes manu nostra subscribimus et sigillis nostro et venerabilis capituli nostri communiri fecimus. Actum et datum in arce nostra Lubaviensi die XVIII. Januarii anno domini Millesimo Quingentesimo Octuagesimo. Praesentibus reverendo et venerabili ac nobilibus Odineto Perrenott praeposito et officiali, Andrea Crugero parocho, Andrea Zalieski burgrabio Lubaviensi et Sebastiano Jassinski marschalco et aliis fide dignis testibus, aulicis nostris, ad praemissa vocatis. Labore et vigilantia Fratris Mathiae Mogilnensis.

Petrus Kosthka episcopus Culmensis.

*Aus dem Original auf Pergament mit dem Siegel des Bischofs und Domcapitels im Kgsb. St.-Archiv.*

## 1091.

***1580. März 19. Löbau.*** *Peter Kostka, Bischof von Culm, fordert sein Domcapitel auf, die Verleihung des Gutes Weysshoff nochmals zu erwägen.*

Quemadmodum antea cum reverendis fratribus vestris egeramus de bonis istis nostris Weyssenhoff diligenter inspiciendis et revidendis, ita et nunc ad R. fratres vestros ea de causa scribimus, postulantes et hortantes, ut dispecto commodo tempore ad rem praesentem veniant, diligenterque illam inspiciant et inquirant, tandemque nobis referant, et de illis deque illa locatione nobiscum communicant, ut omnibus iis de rebus id constituamus, quod e re gratiae nostrae et ex dignitate nostra videatur esse, virique optimi generosi domini Danielis Plemiezki de nobis gratiaque nostra benemeriti exspectationi satis faciamus. Faciant R$^{di}$ ff. v. pro officio suo rem sane condignam nobisque pergratam omnique nostra benevolentia recompensandam. Datum ex arce nostra Lubavia 19 die Martii Anno domini 1580.

*Nach einer gleichzeitigen Abschrift im Nachtrage des Cop. Culmense nr. 89 und deren Copie bei Mauritius nr. 89. Sie hat die Ueberschrift:* Revisio bonorum Weysendorff alias Dialy dwor.

## 1092.

***1582. Mai 14. Thorn.*** *Zeugenaussage der Nonne Elisabeth Krowicka*[1]) *in Thorn in Betreff einiger Verhältnisse des H. Geist-Klosters.*

In nomine sanctae et individuae trinitatis Amen. Noverint universi praesens hoc publicum instrumentum inspecturi, lecturi et audituri, quod anno a partu sanctissimae Virginis Mariae Millesimo Quingentesimo Octoagesimo secundo, indictione decima, die vero

1) *So in der Ueberschrift genannt.*

mensis May 14, tempore pomeridiano, hora circiter secunda, pontificatus sanctissimi in Christo patris ac domini nostri divina providentia papae Gregorii Tredecimi anno undecimo, regni vero serenissimi ac invictissimi regis Poloniae Stephani primi etc. septimo, in monasterio S. Spiritus Thorunensis inque habitatione venerabilis deodicatae virginis senioris monasterii eiusdem dictae Helizabethae Herminkenen consueta. Coram me nobili Alberto Sperlingo a Reichnaw, judice ordinario ac publico apostolica regalique auctoritatibus notario atque prothonotario infrascripto, in testium infrascriptorum ad idque specialiter vocatorum ac rogatorum praesentia, constituta personaliter ipsa venerabilis pia et religiosa deodicata virgo senior monasterii S. Spiritus Thorunensis atque ibidem ultro sponte atque ex libero beneque praemeditato animo, sentiens se iam provectae aetatis mortique vicinam esse, idque iterato ac repetitis vicibus ea omnia, quae ex ordine sequuntur, enunciavit et confessa est, literarumque monumentis ad perpetuam rei memoriam perdiligenter ea per me consignari fecit ac curavit. — Imprimis autem exposuit se pro certo auditione accepisse ab olim item seniori virgine, quae Angelica nominabatur, necnon a praeposito dicto Paulo Lembergo eiusdem monasterii S. Spiritus Thorunensis, nimirum reposuisse se ad fideles manus senatus Thorunensis in praetorium paratae pecuniae eiusdem monasterii summam octingentarum marcarum ex patrimonio earundem virginum, quae tunc temporis se divino cultui ac religioni eo in monasterio addixerant, collectarum. — Relatum etiam fuisse ab eisdem, senatum Thorunensem promisisse pollicitumque esse eidem monasterio S. Spiritus annuum censum ex deposita illa pecunia e praetorio pensum iri, cuius quidem memoratae pecuniae depositae causa et nomine supradicta venerabilis senior virgo Angelica una cum aliis virginibus ipsismet praesentibus et audientibus annuum censum ab infrascriptis senatoribus, nempe Conrado Hithfeldt consule Thorunensi et Joanne Koya supremo eiusdem civitatis scriba, exigebant. Qui quidem ultro tum confessi sunt, se ipsa (utpote Elizabetha) audiente, se teneri ad eiusdem census pensionem paratos etiam esse ad persolvendum. Ignorat autem ipsa Elizabetha, an aliquid unquam revera dederint penderintve necne. — Deinde libere pronunciavit ac confessa est praedicta Elizabetha, nempe tempore venerabilis virginis senioris nomine ac cognomento Magdalenae Hokkene, quo etiam tempore se iam deo in monasterio devoverat, praedium quoddam in suburbio ad Vistulam situm ad monasterium hoc Thorunense S. Spiritus pertinuisse, lanionibusque primum elocatum fuisse ab ipsis deodicatis virginibus. Postea Adriano Fridwaldo, demum Fulckero ad certam annuamque pensionem utendum fruendumque locatum fuisse, sed hic desiit pensionem illam debitam exsolvere. Itaque ignoratur, quomodo a monasterio S. Spiritus monialium sit alienatum. Ceterum hoc ipsum praedium nunc possidet defuncti Nicolai a Linden relicta vidua. Pertinere autem ad hoc praedium retulit primum saltum quendam, deinde agrum et prata quaedam, ad haec pomarium et piscinulas quasdam ad Istulam sitas, quas vulgo Lachen appellant. — Praeterea enunciavit ac confessa est, esse prata quaedam apud S. Barbaram

ad hoc ipsum monasterium S. Spiritus spectantia, ad quae defulcanda solitos esse mitti rusticos ex pagis Wytramowice et Pigza, foenumque illud in hoc monasterium S. Spiritus ab eisdem rusticis devehi solitum esse. Postea vero eadem prata elocata fuisse cuidam Benedicto Koya, qui adhuc in vivis est. — Ad haec protulit et confessa est spectabilem Joannem Strobanth consulem olim Thorunensem ab ipsis deodicatis virginibus S. Spiritus, dum piae memoriae venerabilis Barbara Vildene e Posnania oriunda eidem monasterio praeesset, molendinum papiraceum dictum Mniszek conduxisse. Deinde tres mansos in pago Brzezinelc. Item pratum quoddam apud vetus Thorunium. Ex quibus nimirum molendino, prato et mansis tenebitur singulis annis monasterio eidem pendere ad festum Purificationis sedecim marcas pruthenicas seque ad onera a coeteris rusticis praestari solita obligasse. Recognovit item et confessa est vineam quandam iuxta piscatores et primam a civitate sitam ad monasterium hoc sancti spiritus monialium pertinere, in qua quaedam domuncula est exstructa. E qua quidem vinea affirmabat monasterium ipsius memoria undecim vasa vini uno anno percepisse. — Deinde confessa est vineam quandam ad Troposch molendinum sitam ad monasterium divi Jacobi in nova civitate Thorunensi olim pertinuisse, quam nunc quidam civis Thorunensis Sebastianus Tenche tenet; perdiligenter autem inquirendum, quomodo quove iure ea vinea a virginibus deodicatis et monasterio earum sit abalienata, cum ad deosacratas dicatasque virgines olim pertinuerit. — Praeterea enunciavit ac confessa est, Fabianum Muchingier pellionem teneri eidem monasterio pendere tres marcas annui census ex aedibus suis idque ratione quinquaginta marcarum, quibus ipsae aedes illius sunt oneratae eidem monasterio s. Spiritus. — Insuper asseveravit, atque fassa est, centum marcas anno superiori ab Anna Michałowna per suos tutores nempe Adamum Pellionem ac Georgium Kalixtum in praetorium Thorunense depositas esse, de quibus ipsi puellae, quoad vixerit, et a morte illius ipsi monasterio s. Spiritus monialium annuatim sex marcas illud pendere atque persolvere teneri. — Demum confirmavit ac professa est dicta Elizabetha, senatum Thorunensem ad se aliquot e sui medio superioribus hisce temporibus misisse, qui eam cohortarentur ac monerent, uti privilegia scriptaque jura omnia ad monasterium hoc Thorunense bonaque deodicatarum virginum spectantia, quae inclusa in quadam peculiari cistula in hoc monasterio minus tuto extra moenia servarentur, intra veteris civitatis moenia, idque in praetorium multo tutius securiusque asservatum ac depositum darentur, atque ita multis verbis ultro citroque habitis, tandem se persuasionibus suis eo induxerunt, uti cistulam illam una cum privilegiis monasterium hoc bona eius resque sacratarum deo virginum concernentibus, allegatis illis personis a senatu in Thorunense praetorium deponendam fideique senatus concredendam asportari permiserit. Quae quidem ad hoc tempus in praetorio apud senatum Thorunensem asservantur ac detinentur. Acta sunt haec in praesentia generosae ac venerabilis deodicatae sacrataeque virginis Magdalenae a Mortang abbatissae Culmensis, nobilium item deodicatarum virginum eiusdem monasterii S. Spiritus Hedvigis Jachyniewska,

Agnethis Modliszewska et aliarum virginum eiusdem monasterii S. Spiritus Thorunensis. Deinde reverendi domini Odineti Perrenot praepositi et officialis Lubaviensis atque nobilis Joannis Zebrowski, anno indictione die loco ac regimine ut supra.

Et quoniam ego nobilis Albertus Sperlingus a Reichnaw, Pomesaniensis dioecesis laicus, sacra apostolica regalique authoritatibus notarius ac prothonotarius, praemissis . . . praefui, instrumentum hoc publicum . . . subscripsi etc.

Testor quoque me praesentem fuisse, cum haec agerentur. Odinetus Perrenot C. C. et Administrator subscripsi. L. S.

*Abschrift im Copiar. der S. Jacobskirche zu Thorn nr. 4 fol. 151—153.*

## 1093.

*[1582.] Die Katholiken des Herzogthums Preussen in dem Bisthum Pomesanien bitten den König Stephan von Polen um Schutz für ihre Religion.*

Serenissime atque invictissime rex, domine domine clementissime. Nos universi catholicae ac sanctae Romanae ecclesiae parentes filii, in Prussiae ducatu habitantes commorantesve, pias demissasque orationes nostras ad deum omnipotentem pro sacra Regia Majestate Vestra devote inprimis assidueque offerimus. Quandoquidem autem gloriosae recordationis Sigismundus Augustus, Poloniae rex etc., praedecessorque Sacrae Regiae Majestatis Vestrae quoddam privilegium de Augustana Confessione atque appellatione illustrissimo principi nostro domino Alberto Friderico, marchioni Brandenburgensi et in Prussia duci etc., adolescenti adhuc anno domini 1569 Lublini concesserit, nempe eum omnia alia peregrina dogmata et haeresium genera, quae post Augustanam confessionem sunt exorta, quaeque ab ea sunt aliena, in ducatu ibidem ferri noluisse, penitusque prohiberi et aboleri in verbo regio promisisse; Ceterum quoniam dicti privilegii Lublinensis importuni impetratores in ipsum privilegium in catholicos ipsos atque sanctae Romanae ecclesiae parentes observantesque filios sinistre torqueant ac extendi velint, inque eorum exitium atque perniciem prorsus interpretentur, acsi eorumdem catholicorum et sanctae Romanae ecclesiae filiorum doctrina pietasque et religio, atque adeo conformis religioni ejusdem Majestatis Regiae, tamquam post Augustanam confessionem exorta, ab eaque aliena veluti peregrina exotica et haeretica, in eodem ducatu aeque interdici exterminarique debeat, indeque non solum plurimos in Augustanae confessionis errorem inducendi eosque in eodem retinendi, sed etiam summo infestoque odio livore atque invidia eosdem catholicos persequendi, criminationibus onerandi, conviciis injuriisque afficiendi et ad quaevis officiorum genera atque honores aditum intercludendi occasio adhuc est sumpta: Idcirco sacram Regiam Majestatem vestram humilime obsecramus, quatenus in hoc articulo privilegium istud sacra Majestas vestra Regia clementer veraciter pioque rege digne declarare super eoque publici aliquid ad praedictam sinistram interpretationem resolvendam

evidenti nobis constitutione dignetur providere. Et quoniam sub eodem ducatu in Prussia, in episcopatu quondam Pomesaniensi, rite consecrato episcopo, item sacerdotibus atque sacrosancto missae tremendo sacrificio nunc omnino careamus, sine quibus verus veri Dei cultus religioque exerceri minime potest; eamdem sacram Majestatem vestram Regiam etiam atque etiam humilime obsecramus, quo[d] nos aliquando tandem pro innata sua clementia regia a longe respicere et erga nos misericordia, sero licet, uti velit, nobisque cum profanato non ita pridem Episcopatu Pomesaniensi episcopos legittimeque ordine sacro consecratos, sacerdotes sive presbiteros una cum sacrificiis et aliis deo dicatis sacris rebus, quae haudquaquam in usus profanos alienari possunt, restituere dignetur, vel cum Illustrissimo Principe ac curatore regni nostri principis pro augusta sua Regia auctoritate disponere, quatenus eodem in ducatu quibusvis catholicis liberum sit et concessum, in templis sive ecclesiis bonorum suorum sanctae Romanae ecclesiae religionem cultumque pertractare atque a quavis communi ecclesiae res sacras deoque dicatas abalienatas jure repetere ac recuperare, riteque ordinatos et consecratos sacerdotes fovere ac sacrosancto majorum more tremendum missae sacrificium in eodem ducatu adhuc temere abnegatum peragere, necnon ad suspectos et catholicis infestissimos Augustanae confessionis sive alterius cujusvis sectae judices, (qui cum inter sese plerumque in articulis fidei ex diametro dissideant, in oppugnando vero obedientibus Romanae ecclesiae filiis egregie subdoleque in eorum perniciem conveniant) catholicos suae causae assessores sive episcopos, uti jure communi est provisum, sive certos alios ad id deputandos habere queant, ut vel sic ipsorum iniquis conspirationibus artibus atque machinationibus, quibus conjunctis viribus ac consiliis catholicos oppugnare nituntur, aliqua tandem ratione occurratur, nec catholici a pia et recepta legitimaque veteri sua suorumque majorum catholicae religionis possessione absterreantur et in veteri quidem laudabili ritu debitos deo cultus officiaque omnia catholico homine digna sine quovis impedimento libere impuneque quovis in loco tractare et se ad peragenda ea conferre liceat. Neque permittat sacra Majestas Vestra Regia nostram conditionem hic in ducatu fieri deteriorem, quam alioquin sub Turcis habitantium sive morantium hominum Christianorum. Quod superest, Sacrae Majestatis Vestrae patrocinio ac tutelae nos, causam nostram nostraque omnia secundum Deum humilime committimus ac commendamus Sacrae Regiae Majestatis Vestrae subditi devotissimi humilimique clientes sub ducatu in Prussia ex episcopatu quondam Pomesaniensi catholici sanctaeque Romanae ecclesiae filii obedientes suo nomine aliorumque, qui propter metum haereticorum ibi latent.

*Aus dem Vaticanischen Archiv Annus 1582 Tom. XIX pag. 544. Ex autographis litteris Poloniae nach Marinis Abschrift nr. 130 im Kgsb. St.-Archiv.*

## 1094.

***1583. October 12. Culmsee.*** *Peter Kostka, Bischof von Culm, hält eine Diöcesan-Synode zu Culmsee* feria tercia post festum s. Dionysii.

*Die Statuten sind gedruckt unter dem Titel:* Constitutiones synodales ecclesiae Culmensis a Petro Costka, Episcopo Culmensi,. emendatae et auctae 1583, opera et impensis Odineti Perrinot in lucem editae 1614. 4; *ferner in den Statuten der Bischöfe Gembicki (unvollständig) und Dzialinski, und bei Hartzheim, Concilia Germaniae VII 971 ff. Eine Uebersicht bei Jacobson, Gesch. der Quellen des kath. Kirchenrechts der Provinzen Preussen und Posen. Kgsb. 1837 p. 184 nr. 55, vgl. auch p. 98.*

## 1095.

***1584. Juli 4. Löbau.*** *Petrus Kostka, Bischof von Culm, incorporirt der Propstei des Georgs-Hospitals vor Löbau das Beneficium der hl. Barbara, dessen Einkünfte er vermehrt.*

In nomine domini Amen. Petrus Costhca, dei et apostolicae sedis gratia episcopus Culmensis, universis et singulis, ad quos praesentes nostrae pervenerint literae, salutem in domino sempiternam. Curae nostrae pastoralis solicitudo, qua non solum divini numinis cultum conservare sed etiam pro viribus augere tenemur, id a nobis exigit, ut, quae in ipso cultu divino peragendo temporum iniquitate depravata sunt et collapsa, ea nos omni studio et diligentia restituamus et in meliorem statum redigamus. Proinde nos considerantes eum esse statum et conditionem Praepositi hospitalis sancti Georgii extra muros oppidi nostri Lubaviensis constituti, ut propter tenues eius redditus nec apud ipsam praeposituram suam residere nec debita in ea officia divina commode absolvere valeat; in ecclesia vero parochiali tam paucos esse sacerdotes, ut nullo modo pro dignitate episcopali in celebrandis pontificalibus aliisque divinis officiis perficiendis assistentia sua et ministerio nobis adesse possint; hanc ipsius praepositi conditionem meliorem reddere volentes cupientesque, ut is apud suam praeposituram, nisi legitima de causa aut de nostro nostrorumque successorum consensu absens esse cogatur, pro illius ecclesiae utilitate et divini cultus augmentatione nostroque et nostrorum successorum decore semper resideat, innixi decreto ss. Concilii Tridentini de quibuscunque beneficiis ecclesiasticis, ubi necessitas postulat, propter eorum paupertatem, perpetuo uniendis et coniungendis, ne ecclesiarum status, ubi sacra deo ministrantur, diminuatur sed ex dignitate conservetur: beneficium altaris Sanctae Barbarae in templo Polonorum eiusdem oppidi Lubaviensis, quod iam fere vetustate collapsum et magna ex parte deformatum est, a reverendissimo in Christo patre domino Nicolao Crapitz, felicis memoriae episcopo Culmensi, antecessore nostro, fundatum et institutum, cum omnibus fructibus, redditibus, utilitatibus et emolumentis suis praepositurae praefatae de consensu et voluntate venerabilis domini Odineti Perrenot, praepositi ipsius hospitalis Sancti Georgii et eiusdem altaris Sanctae Barbarae moderni possessoris, adiungendum, adscribendum, incorporandum et perpetuo uniendum duximus, uti quidem adiungimus, adscribimus, incorporamus et unimus praesentibus literis

nostris in perpetuum. Et quia ipsius altaris proventus ita quoque sunt tenues et exigui, ut nec sic cum praefatae praepositurae redditibus coniuncti ad ipsius praepositi decentem et necessariam sustentationem sufficere possint: idcirco nos, habita ratione servitiorum atque obsequiorum nobis ecclesiaeque nostrae ab ipso venerabili Odineto Perrenot, eiusdem hospitalis praeposito, pluribus annis summa fide, diligentia ac studio praestitorum, motu nostro proprio, speciali etiam venerabilis Capituli nostri consensu ad hoc accedente, decem illos mansos in villa nostra Rosenthal, de quibus censum annuum possessor praefati altaris S. Barbarae ab antiquo percipere solitus est et nobis labores communes, quos vocant Scharwerck, eorum coloni hactenus praestiterunt; qui quidem mansi nunc ab istis coluntur, videlicet ab Augustino Wayner duo, a Gregorio Saluth duo, ab Henrico Hoffman tres, a Gregorio Rosner tres; hos inquam decem mansos simul cum censu annuo ex taberna ipsius villae Rosenthal proveniente, antiquitus ad hoc ipsum beneficium S. Barbarae spectante, cum omnibus emolumentis et fructibus atque etiam laboribus eiusmodi communibus ex iis mansis promanantibus et cum omni iure, iurisdictione, dominio et proprietate praefato praeposito et eius successoribus eiusdem hospitalis praepositis dandum, donandum, concedendum et ascribendum esse duximus, quemadmodum praesentibus damus, donamus, concedimus et adscribimus perpetuo et in aevum; nihil omnino nobis et successoribus nostris in eis mansis et taberna reservantes. Dantes potestatem ipsi praeposito et eius successoribus, praedictum altare S. Barbarae redditusque eius universos, qualescunque sint et quocunque nomine nuncupentur, una cum donatione nostra superius recensita tenere, habere, possidere, singulisque annis eo modo, quo possessor dicti altaris nosque proventus ipsos possidebamus, percipere, ac in usus suos quoscunque convertere temporibus perpetuis. Ea tamen lege et conditione, ut in praefati Sancti Georgii hospitalis templo duas ad minus missas, in praedicto autem altari S. Barbarae itidem duas, praefatus praepositus et eius successores per se vel alium idoneum sacerdotem singulis septimanis celebrare et pro nobis nostrisque successoribus ac aliis praefati beneficii fundatoribus deum orare teneantur et debeant, atque ad personalem residentiam faciendam omnino sint adstricti. Cuiusquidem praepositurae sic per nos restitutae et dotatae patronos et collatores dd. episcopos Culmenses, nostros felices successores, superesse volumus, ad quos de iure et non ad alios spectat et incumbit. Hanc vero unionem et incorporationem necnon etiam donationem sic per nos factam nos observaturos et praestaturos ipsi praeposito et eius successoribus bona fide promittimus ac nos et nostros successores dd. episcopos literis hisce obligamus. In cuius rei fidem et testimonium praesentes manu nostra subscripsimus et nostro ac venerabilis Capituli nostri sigillis communiri iussimus. Datum in arce nostra Lubaviensi feria quarta post festum Visitationis beatae Mariae virginis anno domini Millesimo Quingentesimo Octuagesimo quarto. Praesentibus honorabilibus dominis Andrea Gryger parocho Lubaviensi, Joanne Mollero sacellano nostro, nobilibus Sebastiano Przemethowski curiae nostrae marschalco, Georgio Schmids

secretario nostro, Thoma Kaczkowski familiari nostro aliisque fidedignis testibus ad praemissa vocatis.

Petrus Costhca Episcopus Culmensis ssp.

Fridericus Sakeski, Canonicus Culmensis ex commissione venerabilis Capituli.

*Original auf Pergament mit den Siegeln des Bischofs Petrus Kostka und des Domcapitels von Culm an rother und gelber Schnur im Culmer Diöc.-Archiv. Abschrift im Cop. Culmense nr. 90, Mauritius nr. 156.*

## 1096.

***1584. November 10. [Culmsee.]*** *Das Domcapitel zu Culmsee verkauft die Mühle in Samin.*

Nos Praelati et Canonici totumque Capitulum ecclesiae cathedralis Culmzeensis significamus et notum facimus omnibus et singulis, praesentibus et futuris, ad quos praesentes literae nostrae pervenerint, quod nos utilitati mensae capituli prospicientes et ecclesiae huius Culmensis commoda et proventus, quantum in nobis est, augere et ampliare cupientes, famato viro Sachariae Waydemaier, civi Thorunensi, eiusque legitimis haeredibus et successoribus molendinum nostrum frumentarium et serratile in villa nostra dicta Samyn consistens, ex quo nobis et ecclesiae huic reditus sane exiguus aut nullus proveniret, vendidimus pro quingentis florenis et monetae numerique polonicalis, quemlibet triginta grossos computando, iure Culmensi hereditarie et perpetuo possidendum, vendendum, hypotecandum et alienandum cum consensu tamen nostro et venerabilis capituli. Concedentes illis liberam piscationem cum parvis instrumentis retiariis videlicet sabrodma et zlemnicza nuncupatis, cum quatuor etiam saccis in lacu nostro Saminensi ponendis. Excipientes tamen et reservantes pro nobis et successoribus nostris dominis canonicis fossam seu rivum, qui ducitur ad molendinum pro 4 captura anguillarum, quem intactum ac liberum ab omni piscatione et positione quorumvis instrumentorum esse volumus. Dantes illis praeterea omnem libertatem lignandi in sylvis nostris Saminensibus pro foco et igne fovendo necnon pro aedificatione aut reparatione necessaria molendini tam frumentarii quam serratilis aliorumque aedificiorum robora et alia ligna excedendi secandique, quae illi ipsi proprio sumptu aedificare et meliorare debebunt. Nos itidem quandocunque necessitas postulaverit, aggerem illis restaurabimus. Si autem agger huiusmodi negligentia molitoris rumperetur, nos ad hoc nihil conferre obligamur, nisi ex bona voluntate nostra. Similiter illis concedimus liberum hortum et certa prata circa molendinum sita, sicut illis demonstrata sunt. Ad haec et libera pascua pro pascendis equis et pecoribus suis propriis et non alienis, nec non etiam liberam braxationem cerevisiae pro suo proprio et domestico usu, non autem ad propinationem tabernarum habebit. Damus illi quoque hanc libertatem, ut possit et valeat molendinum frumentarium seu ipsam structuram aut aedificium molendini, infra tamen molendinum serratile, ad locum commodiorem, prout illi visum fuerit, pro molitione frumentorum transferre et collocare. Praeterea concedimus

illi quatuor mansos liberos in bonis Samyn, a quibus ab omni ministerio alias scharwerk exemptus et posteri eius esse debebunt. A duobus tamen mansis praefatis annuatim sex marcas prutenicas, quamlibet viginti grossos computando, nobis et successoribus nostris dominis canonicis loco annui census numerare tantum tenebuntur et obligati erunt. Liberum quoque illis erit in dicto molendino farinam in tunnas compactare, eamque libere absque omni impedimento, cum quibusvis generis asseribus aqua vel terra in usum suum distrahere et vendere, secundo et adverso flumine demittere et advehere res necessarias. De his praenominatis omnibus Sacharias Waydemayer eiusque legitimi heredes et successores nobis et venerabili capitulo pro censu annuo unam cum dimidia lastam siliginis sine omni contradictione annuatim pro festo sancti Martini more aliorum molendinatorum cum sex marcis supranominatis dare tenebuntur. Quod autem attinet ad molendinum serratile, tenebuntur nobis a quolibet arbore pinu de radice secta vel vi ventorum aut aliquo casu deiecta et evulsa quinque grossos, pro robore autem seu quercu grossos quindecim persolvere. Liberum denique erit eis ex dictis sylvis nostris Saminensibus excidere et devehere singula, quae ad colligationem et demissionem asserum et clepkorum necessaria requiruntur. Ad cuius rei memoriam et firmitatem capituli nostri sigillum maius praesentibus literis appendi curavimus. Datum capitulariter in vigilia sancti Martini Anno domini M°. D°. LXXXIIII°.

*Nach der gleichzeitigen Abschrift im Nachtrage des Cop. Culmense nr. 87 und deren Copie bei Mauritius nr. 87.*

## 1097.

***1588. Januar 11. Krakau.*** *Sigismund III., König von Polen, verspricht bei seiner Krönung den Abgesandten der Stadt Thorn,* „ut religionis Augustanae Confessionis, tam in civitate Thorunensi quam extra muros, per suburbia et villas, in eius districtu et iuris dictione, templis, monasteriis et xenodochiis, in quorum usu et possessione hactenus civitas fuit pacifice et quiete, libera professio fiat, . . . . . omnesque in libero usu religionis Augustanae Confessionis, necnon possessione templorum, monasteriorum, xenodochiorum usque hactenus habitorum ac tentorum, conservabimus . . . et tuebimur.“ Datum Cracoviae in conventu felicis coronationis nostrae die undecima mensis Januarii a. d. 1588. Regni nostri anno I.

*Thornische Denkwürdigkeiten p. 106 und deutsch p. 19. Lengnich, Gesch. der preuss. Lande VI 21 § 26.*

## 1098.

***1588. Februar 28. Culmsee.*** *Das Domcapitel von Culm erneuert die Verschreibung über das Schulzenamt im Dorfe Melberg.*

Nos Praelati et Canonici totumque Capitulum ecclesiae cathedralis Culmsensis universis et singulis, ad quos praesentes nostrae literae pervenerint, notum facimus et attestamur, quod coram nobis constitutus fidelis noster Adamus Radomsky, scultetus villae nostrae

Melberk, exposuit, quomodo ad officium eiusdem sculteciae quatuor mansos liberos ab antiquo possideat, privilegium autem, quod antecessoribus suis super hoc concessum fuerat, casu quodam vel certe temporis iniuria sit amissum, supplicavitque nobis, ut ei et eius successoribus de privilegio oportuno in his quatuor mansis providere dignaremur. Nos vero matura deliberatione diligentique super hac re examine habitis, eiusdem sculteti Adami Radomsky, qui nobis et capitulo multos annos fidem servitiaque sua egregia praestitit atque probavit, supplicacionibus tanquam rationi consentaneis annuentes, eidem ipsiusque veris et legitimis heredibus concedimus et per hoc privilegium facultatem damus, ut ad praefatum officium sculteciae villae nostrae praedictae Melberk, quae intra suas granicias triginta septem mansos plenarie continere debet, illos quatuor mansos antiquitus per eundem scultetum possessos retineat, et cum omni utilitate iure Culmensi perpetuis temporibus possideat, cum tercio denario mulctarum et poenarum iudicialium; absolventes illum liberumque facientes, prout hactenus liber fuit, ab omni censu et laboribus communibus a rusticis praestari solitis, servitia tamen illa, quae caeteri sculteti nobis et capitulo debent, ipse Adamus et eius successores obire tenebuntur. In cuius rei fidem et testimonium sigillum nostrum capitulare maius praesentibus est supappensum. Datum Culmseae capitulariter, feria quarta post dominicam Invocavit, Anno domini M. D. LXXXVIII.

*Abschrift im Archive des Culmer Domcapitels.*

## 1099.

***1589. April 21. Warschau.*** *Bischof Peter Kosthca von Culm schreibt an den Cardinal Alexander Peretti von Montalto: Er habe zwar nie die Sache Gottes und das Ansehen des heiligen Stuhls zu vertheidigen unterlassen, besonders aber sei dies auf dem Reichstage zu Warschau von dem ganzen Senate der Geistlichen gegen die wüthenden Angriffe der Häretiker mit solchem Erfolg geschehen, dass ihre Kraft gebrochen oder wenigstens zurückgedrängt erscheint.* Dat. Warsaviae XXI. Aprilis MDLXXXIX.

*Aus den Nuntiat. Polon. T. 27 fol. 105 sq. bei Theiner, Mon. Pol. III 89 nr. 64.*

## 1100.

***1589. October 1—6. Petrikau.*** *Stanislaus Karnkowski, Erzbischof von Gnesen, hält eine Provinzial-Synode, auf der unter andern anwesend sind:* Hieronymus comes a Rozdrazow Vladislaviensis et Pomeraniae episcopus, Nicolaus Kostka, canonicus Culmensis pro R. D. Petro Kostka, Episcopo et Capitulo Culmensi. *Die Statuten wurden von Sixtus V. am 11. März 1590 bestätigt.*

*Constitutiones et decreta condita in provinciali Synodo Gnesnensi, quam Ill. Stanislaus Karnkowski AEpus Gnesnen. . . . a. 1589 habuit. Pragae 1590 4. Vgl. auch Theiner, Mon. Pol. III 117 nr. 91.*

## 1101.

***1590. Januar 9. Warschau.*** *Sigismund III., König von Polen, präsentirt dem Bischof Peter Kostka von Culm für die Pfarrkirche in Thorn nach dem Tode des ermländischen Domherrn Johannes Hannow, Pfarrers daselbst, den Priester Andreas Markowski.* Datum Varsaviae die 9 mens. Januarii anno 1590.

*Zernecke, Thornische Chronik S. 199.*

## 1102.

***1594. Februar 1. Löbau.*** *Peter Kostka, Bischof von Culm, setzt dem Organisten an der Franciscaner-Kirche in Löbau ein Gehalt aus.*

Petrus Kosthka, dei et apostolicae sedis gratia Episcopus Culmensis et Episcopatus Pomesaniensis Administrator, universis et singulis, ad quos praesentes literae nostrae pervenerint, salutem in domino sempiternam. Curae nostrae pastoralis sollicitudo, qua non solum divini numinis cultum conservare, sed etiam pro viribus augere tenemur, id a nobis exigit, ut, quae in eo ipso cultu divino peragendo temporum iniquitate depravata sunt et collapsa, ea nos omni studio et vigilantia restituamus, et in meliorem statum rediganus. Proinde nos considerantes eum nunc esse statum et conditionem coenobii ordinis fratrum minorum de observantia, a R$^{mo}$ olim d. Nicolao Crapicio, episcopo Culmensi, praedecessore nostro, extra muros oppidi nostri Lubauiensis sub ipsa arce nostra constructum (!), iniuria vero temporis poenitus desolatum ac magna ex parte deformatum, nostro tandem labore et diligentia restauratum atque restitutum, ut, nisi patribus ipsius coenobii opera et studio nostro subveniamus, cultus divinus in eo servari solitus vel penitus intermittatur, vel certe magna ex parte diminuatur necesse sit. Unde nos, quos pastoralis officii debitum inducit, ut de salubri statu ecclesiarum nostrae dioecesis sollicite cogitantes, illis, et praesertim cum necessariarum rerum solatio carere noscuntur, optatae consolationis subsidia ministremus, pia devotione moti, volentes praefato coenobio in conservatione divini cultus pro viribus consulere, ipsumque cultum divinum in eo non solum conservare, sed etiam deo auxiliante in dies magis promovere, ad laudem Dei ipsius omnipotentis, et divini eius cultus augmentum, organa, quibus saepedictum monasterium carebat, propriis nostris sumptibus construi atque confici magno studio curavimus. Verum cum patribus ipsis, qui vitam suam piorum hominum eleemosinis sustinere coguntur, organistam, qui debitas deo laudes in eisdem organis persolveret, sustentandi facultas omnino deesset: ex liberalitate nostra providentes, ut ipsum monasterium uberiorem assequatur conditionem, cultus quoque divinus eiusque officia in eo debita cum solemnitate absolvantur et iugiter peragantur: Sexcentos florenos, numeri et monetae polonicalis de paratis nostris peccuniis, pro sustentatione ipsius organistae praefato coenobio assignavimus et deputavimus, ac re ipsa numeravimus, atque in praetorio civitatis nostrae Culmensis deponi voluimus. Ex quibus sexcentis florenis praedicto coenobio pro sustentatione

eiusmodi organistae, triginta sex floreni annui census cèdent et provenient; statuentes ac decernentes, perpetuisque temporibus habere volentes, ut organista ipsius coenobii pro tempore existens ex ipsis sexcentis florenis triginta sex florenos perpetui census, pro sua sustentatione percipiat: videlicet pro festo S. Joannis Baptistae decem et octo, alios autem decem et octo pro festo Nativitatis domini. Volumus praeterea, ut praedictus organista pro tempore existens, si cum in ipso oppido nostro Lubauiensi habitare contigerit, ab omnibus oneribus, servitiis, contributionibus et exactionibus civilibus quibuscunque liber sit et immunis. Cui quidem organistae tale onus annectimus, ut quotiescunque festum duplex celebrari contigerit, in primis secundisque vesperis atque in summo sacro, singulis vero dominicis diebus per annum, Aduentu et Quadragesima exceptis, in missa et vesperis, et in missis votivis, nisi legali impedimento detineatur, in ipsis organis, iuxta morem ritumque coenobii, ludere debeat et sit adstrictus. Quae omnia et singula sic fieri ordinamus, disponimus et decernimus authoritateque nostra demandamus, in nomine domini. Tandem obsecramus et obtestamur per viscera misericordiae Jesu Christi, dei et domini nostri, omnes et singulos, quos praesens tangit negocium vel tangere quomodocunque in futurum poterit, praecipue vero R$^{mos}$ DD. Episcopos successores nostros, quos ipsius donationis et fundationis nostrae patronos et protectores efficimus atque constituimus per praesentes, quatenus hoc pium institutum nostrum, veluti testamentum nostrae voluntatis ultimae, quod pro ipsorum et nostro decore ac reverentia condidimus, authoritate et providentia sua, velint, ut confidimus, perpetuo conservare et in eodem statu retinere, neque ut ulla in parte aliquando infringatur aut iminuatur permittere. Si quis autem, quod Deus avertat, piae huic donationi et fundationi nostrae aliquid detrahere vel contra eam facere quovis ullo praetextu et colore praesumpserit, eius conscientia coram deo et hominibus sit onerata atque gravata, et nisi poenituerit, indignationem Dei omnipotentis incurrat et districtae subiaceat ultioni. In quorum omnium et singulorum fidem ac robur perpetuum, praesentes manu nostra subscriptas sigillo nostro maiori consignari mandavimus. Actum et datum in arce nostra Lubauiensi die 1. Februarii, anno domini M°. D°. XCIIII°. Praesentibus R. D. Odineto Perrenot, canonico Culmensi et praeposito Lubauiensi, venerabili Andrea Vnger parocho Lubauiensi, nobilibus Christophero Zapendowski et Thoma Kaczkowski familiaribus nostris, aliisque fidedignis testibus:

Petrus Kostka Episcopus Culmensis. Maximo labore Fratris Mathiae Mogilnensis pro tunc Gwardiani Lubauiensis.

Do potestatem religioso in Christo patri, fratri Guardiano Lubauiensi Ordinis S. Francisci FF. Minorum de observantia, nunc et pro tempore existenti, eo attento, quod organarium domesticum e religiosis habere possit et soleat atque inhaerendo constitutionibus et declarationibus sedis apostolicae: ut censum seu eleemosynam a R$^{mo}$ olim Petro Kostka Episcopo Culmensi praedecessore nostro, prout intrò continetur ordinatam,

ad alias necessitates ecclesiae, videlicet pro candelis, cerâ et vino convertere possit, non obstante in contrarium, cum obligatione tamen ad reparanda organa, quoties opus fuerit. In arce Lubauiensi die 3. Junii a. d. M. DC. LX. VII.

And. Olszowski Epus Culmensis et Pomesaniae, Vice-Cancellarius Regni.

Fr. Christophorus polonus, provinciae Maioris Poloniae minister provincialis mpp:

1667. Die 9 Junii.

*Original auf Pergament mit einem Rest vom Siegel im Kgsb. St.-Archiv.*

## 1103.

***1594. Februar 14. Löbau.*** *Peter Kostka, Bischof von Culm und Administrator des Bisthums Pomesanien, versetzt die Bauern des Dorfes Tinwalde in das Vorwerk Guttowo und verleiht diesem Dorfrechte.*

In nomine domini Amen. Nos Petrus Kosthka, dei gratia episcopus Culmensis et episcopatus Pomezaniensis administrator, universis et singulis, quorum interest, praesentibus literis nostris significamus, quod cum ex praedio nostro Guttowo ob soli infoecunditatem aliaque loci illius incommoda exiguus admodum fructus ad mensam nostram episcopalem proveniret, coloni vero villae nostrae Tinwald, tum crebris pestilentiae morbis iactati, tum nimia oppidi nostri Lubaviensis vicinitate exhausti, ad eiusmodi paupertatem redacti essent, ut nec operis nobis praestandis nec censibus annuis pendendis ullo modo satisfacere possent: Nos mensae nostrae episcopali consulere ipsiusque conditionem meliorem reddere volentes, hanc ipsam villam Tinwald in praedium convertendam atque ex ea praedium erigendum esse existimavimus, quemadmodum non sine nostris sumptibus erexiimus; praedium autem praefatum Guttowo colonis ad habitandum et incolendum designavimus atque attribuimus, ex eoque villam instauravimus et condidimus. Quam ad ceterarum villarum nostrarum statum et perfectionem perducere cupientes, honesto viro Johanni Ron suisque veris haeredibus et successoribus legitimis quatuor mansos liberos ad officium scultetiae dictae villae nostrae Guttowo a nobis assignatos et deputatos vendendos esse duximus, prout pro sexcentis marcis prussicis, in singulas marcas viginti grossos computando, numeri et monetae polonicalis, iure Culmensi perpetue vendidimus, cum omnibus pertinentiis, utilitatibus, fructibus, proventibus et piscina, cumque tertio denario poenarum et mulctarum minorum more aliarum scultetiarum. Tenebitur autem idem Johannes Ron ac haeredes et successores eius nobis et successoribus nostris eas operas praestare ac servitia, quae sculteti ceterarum villarum ecclesiae nostrae solent et debent. In quorum fidem et evidentius testimonium praesentes manu nostra subscriptas sigillo nostro maiori consignari fecimus. Actum et datum Lubaviae die XIIII Februarii, anno domini M° D° XC° IIII°. Praesentibus reverendo et nobilibus Odineto Perenot canonico Culmensi et Lubaviensi praeposito et officiali, Valentino Kukowsky burgrabio

Lubaviensi, Thoma Kaczkowski, Stanislao Wnorowski et aliis fidedignis aulicis nostris ad praemissa vocatis.

Petrus Kosthka episcopus Culmensis subscripsi.

*Original auf Pergament mit dem Siegel des Bischofs Peter Kostka an einem Pergamentstreifen im Culmer Diöc.-Archiv. Abschrift bei Mauritius nr. 116.*

## 1104.

***1595. Juli 17. Rom.*** *Papst Clemens VIII. zeigt dem Domcapitel von Culm die Provision des Electen Peter Tylicki als Bischof von Culm an.*

Clemens episcopus etc. Dilectis filiis Capitulo ecclesiae Culmensis, salutem etc. Hodie ecclesiae vestrae Culmensis tunc per obitum bonae memoriae Petri episcopi Culmensis extra Romanam curiam defuncti pastoris solatio destitutae de persona dilecti filii Petri Tyliczki electi Culmensis, nobis et fratribus nostris ob suorum exigentiam meritorum accepta, de fratrum eorundem consilio apostolica auctoritate providimus ipsumque illi in episcopum praefecimus et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesiae sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde confectis literis plenius continetur. Quo circa discretioni vestrae etc. Datum Romae apud sanctum Marcum anno incarnationis dominicae Millesimo quingentesimo nonagesimo quinto, Decimo sexto Kal. Augusti, pontificatus nostri Anno Quarto.

*Original auf Pergament mit der Bleibulle an hanfener Schnur im Culmer Diöc.-Archiv. Daselbst von demselben Datum die Bullen 1. an das Volk von Culm, 2. an die Vasallen und 3. an den König Sigismund.*

## 1105.

***1596. Januar 3. Culmsee.*** *Das Domcapitel von Culm verschreibt vier Hufen in Samin.*

Nos Praelati et Canonici totumque Capitulum ecclesiae cathedralis Culmensis, significamus et notum esse volumus omnibus et singulis, praesentibus et futuris, tenore praesentium, ad perpetuam rei memoriam. Quod nos singularem et honestam rationem habentes meritorum generosi domini Severini Zaleski, terrarum Prussiae ensiferi ac bonorum nostrorum Kauernicensium arendatoris, in quorum administratione nobis per aliquot annos gratissimus et commendatissimus exstitit, quo nomine illum digna recompensatione remunerari volentes, eundemque ad maiora benevolentiae munera studia et officia nobis et ecclesiae huic propensum promptissimumque reddere cupientes, ipsi et eius posteritati legitimae utriusque sexus quatuor mansos desertos et incultos in villa nostra Samyn a censu et quibusvis aliis oneribus et laboribus rusticalibus, vulgo scharwerk dictis, liberos et instar aliorum nobilium vasallorum nostrae ecclesiae in eadem villa commorantium, cum libertate parvis retibus et instrumentis pro mensa duntaxat sua in lacu nostro Sami-

nensi piscandi, habendum tenendum possidendum necnon vendendum, permutandum, alienandum, et in usus suos beneplacitos, prout sibi melius visum fuerit, convertendum dedimus, donavimus, concessimus atque tradidimus jure Culmensi perpetuis temporibus et titulo irrevocabili. Ratione cuius libertatis praedictus dominus ensifer et eius successores legitimi, aut qui ea bona possidebunt, in recognitionem dominii praesentabunt nobis et successoribus nostris quotannis pro quolibet festo s. Martini unam libram cerae cum quinque obolis prussicis, aratraliaque consueta more aliorum frumenta persolvenda et successores eius persolvent. Juribus nihilominus nostris regalibus salvis per omnia manentibus. In quorum omnium fidem et testimonium praesentes sigillo nostro capitulari communiri jussimus. Datum Culmsae die tertia mensis Januarii anno domini Millesimo quingentesimo nonagesimo sexto.

*Nach einer dem Original auf Pergament entnommenen und 1758 in die Gerichtsacten von Kauernik eingetragenen Abschrift, von der eine beglaubigte Abschrift im Archive des Culmer Domcapitels sich befindet.*

## 1106.

***1596. März 4. Culmsee.*** *Das Domcapitel von Culm verkauft 9¼ Hufen in Samin.*

Nos Praelati et Canonici totumque Capitulum ecclesiae cathedralis Culmsensis notum testatumque facimus universis et singulis, ad quos literae praesentes pervenerint quorumque inprimis scire interierit, quod nos mensae nostrae capitularis rationibus consulere eiusque conditionem meliorem reddere volentes, ut videlicet tanto commodius alios mansos desertos locare possimus, nobili Joanni Rudkowsky et eius successoribus legitimis novem mansos cum quadrante mansi desertos et incultos, in villa nostra Samin, ita late, longe et circumferentialiter, quemadmodum praefati mansi in suis metis et limitibus se extendunt ipsique demonstrati sunt, ab omnibus laboribus et oneribus rusticalibus liberos, more et instar aliorum nobilium vasallorum nostrorum in eadem villa Samin commorantium vendendum esse duximus, sicut pro certa pecuniae summa, quam nobis integram persolvit, iure Culmensi vendidimus, cum omni iure et utilitate in agris, pratis, pascuis, silvis, nemoribus et paludibus, et cum libertate parvis retibus et instrumentis pro mensa sua duntaxat in lacu nostro Saminensi piscandi. Quos quidem novem mansos cum quadrante praefato Joanni Rudkowsky et eius legittimis successoribus habendum, tenendum, possidendum, et ad usus suos beneplacitos, prout sibi melius visum fuerit, convertendum concessimus atque tradidimus perpetuis temporibus. Ita tamen quod praedictus Joannes Rudkowsky et eius successores legitimi nobis et capitulo in uno equo valido et competentibus armis, quotiens opus fuerit, inservire et in recognitionem dominii quotannis pro festo s. Martini in castro nostro Kaurnik unam libram cerae cum quinque obolis prussicis praesentare et in omnibus se ceteris eiusdem villae nostrae nobilibus vasallis nostris conformare tenebuntur. In cuius rei fidem et testimonium has nostras literas concessimus, sigillo nostro

maiori capitulari communitas. Datum Culmseae capitulariter die quarta mensis Martii anno domini M. D. XCVI.

*Nach einer Abschrift aus dem XVII. Jahrhundert im Archiv des Domcapitels in Pelplin.*

## 1107.

***1596. Juni 24. Thorn.*** „Petrus Tylicki, dei et apostolicae sedis gratia Episcopus Culmensis et Pomesaniensis episcopatus perpetuus administrator," *ertheilt der Seniorin Sophia Dulska des Nonnenklosters zum hl. Geist ausserhalb Thorn, auf ein Jahr die Erlaubniss:*

*1. in Begleitung zweier Nonnen oder anderer ehrbarer Frauen das Kloster zu verlassen, so oft sie dieses zur Inspection der Klostergüter oder zur Wahrnehmung gerichtlicher Verhandlungen oder um sich mit der Aebtissin von Culm zu berathen für nothwendig erachte.* Dat. Thorunii die 24 mensis Juni anno domini 1596.

*2. die Procuratoren des Klosters und Bauhandwerker für Reparaturen ins Klostergebäude einzulassen und in Gegenwart von vier Nonnen zu sprechen; ferner den Eltern und weiblichen Blutsverwandten der Nonnen den Eintritt ins Kloster zu gestatten und daselbst auch Aspirantinnen, die sich fürs Klosterleben vorbereiten wollen, aufzunehmen und unterweisen zu lassen.* Dat. Thorunii die 24 mensis Junii a. d. 1596.

*Abschrift im Copiarium nr. 2 fol. 54—55 der Jacobskirche zu Thorn.*

## 1108.

***1596. September 23. Culmsee.*** *Das Domcapitel von Culm verschreibt an Job Bistram, Richter des Michelauer Landes, einen Garten vor der Stadt Neumark.*

Nos Praelati et Canonici totumque Capitulum ecclesiae cathedralis Culmensis, universis et singulis, quorum interest, praesentibus et futuris, significamus notumque ac testatum facimus, quod cum generosi d. Jobi Bistram, iudicis terrae Micheloviensis, merita illustria et spectata, quae in nos et capitulum iam a multis annis declaravit atque in posterum uberius declaraturum speramus, iu[re?] quodam suo id postulare videantur, ut eum aliquo favore prosequamur, ne ingrati praestitorum nobis et capitulo officiorum omnino habeamur, eidem et eius legitimis successoribus hortum novem terrae iugera alias morgi continentem, inter viam, qua itur a molendino nostro ante oppidum Novoforense constituto versus praedium nostrum Mszanowo et fluvium Drevantiam situm, habentem ab oriente aggerem penes ipsam viam, a meridie rivulum, qui fluit ab eodem molendino in Drevantiam, ab occidente ipsam Drevantiam, a septentrione vero fossam quandam ductam ab eadem Drevantia per praefatam viam Mszanoviensem, quemadmodum ei assignatus est et per nos extraditus, pro granario ad reponenda frumenta aedificando et exstruendo, dandum, donandum atque concedendum duximus, prout praesentibus damus, donamus et concedimus in perpetuum possidendum, utendum, fruendum et in usus beneplacitos convertendum temporibus perpetuis; dominium tamen supremum nobis et capitulo in eis

reservandum censumque annuum quinque grossorum monetae currentis de quolibet iugere solvendum, quem censum singulis annis pro festo s. Martini praefatus d. iudex et eius successores legitimi ad castrum nostrum Kurnicense praestare atque extradere tenebuntur; iuribus nostris regalibus salvis per omnia remanentibus. In cuius rei fidem et testimonium praesentes sigillo nostro capitulari communiri iussimus. Datum apud ecclesiam cathedralem in capitulo die vigesima tertia Septembris anno domini Millesimo quingentesimo nonagesimo sexto.

*Original auf Pergament im Culmer Diöcesan-Archiv; das Siegel ist abgefallen. Abschrift bei Mauritius nr. 117.*

## 1109.

***1599. Juli 31. Culmsee.*** *Peter Tylicki, Bischof von Culm, macht Zusätze zu den Statuten des Domcapitels.*

Petrus Tyliczki, dei et apostolicae sedis gratia episcopus Culmensis et perpetuus episcopatus Pomesaniensis administrator necnon regni Poloniae vicecancellarius. Universis et singulis, ad quos praesentes literae nostrae pervenerint, quorumque interest aut interesse aliquando poterit, significamus et notum facimus, quod cum ex gratia supernae celsitudinis, cuius nutu et dispositione omnia tam in coelo quam in terra gubernantur, pastorali officio fungamur, ad ea, quae ad honorem divinae majestatis in ecclesia nobis concredita restaurare possumus, piis studiis animum intendere debemus. Proinde considerantes statum ecclesiae nostrae cathedralis ob paucitatem canonicorum et aliorum clericorum ecclesiae ministerio addictorum ita concidisse, ut pene prostratus iaceat, constitutiones porro et statuta ab antecessoribus nostris, nominatim vero a R$^{mo}$ olim domino Tidemanno, episcopo Culmensi, praedecessore nostro, de capituli consilio pie sancteque praescripta non plane observari: muneris nostri esse putavimus, ne in nobis rei maxime necessariae incuria reprehendatur, culpaeque nobis conscii simus, eas rationes inire, quibus et dei cultus debito ordine in ecclesia peragatur et pie religioseque sancitae a praedecessoribus nostris constitutiones firmiter observentur. Quibus in suo robore et authoritate permanentibus, nonnullas alias ad temporis nostri statum accomodatas, de eiusdem capituli nostri consilio et unanimi consensu, ipsis addendas decrevimus ac statuimus, decernimusque et statuimus per praesentes, quas eiusdem authoritatis et firmitatis cum prioribus esse volumus, sub poenis in eis contentis, et aliis arbitrariis in transgressores statuendis et decernendis.

(1.) Inprimis statuimus, ut iuxta statutorum ipsius ecclesiae dispositionem numerus canonicorum augeatur, qui superioribus temporibus extenuatis vi bellorum proventibus et fructibus ecclesiae ad quatuor tantum redactus erat, iam tandem vero auctis per dei gratiam ipsius ecclesiae et capituli facultatibus, et in felicioris status augmentum restitutis, quintus canonicus suppleatur et instituatur, qui in absolvendis divinis officiis et aliis canonicorum muniis obeundis ad caeterorum normam se conformet. Pro cuiusquidem

quinti canonici provisione et uberiori sustentatione nos de mensae nostrae episcopalis fructibus et redditibus, per nos deo opitulante aliquantulum auctis et in meliorem statum redactis, ducentos florenos numeri et monetae polonicae, triginta grossis quemlibet computando, pro vicarii vero ipsius sustentatione alios quinquaginta similes florenos concessimus et erogavimus, concedimusque et erogamus per praesentes ex censu nostro, quem Hollandi de villa nostra Kokoczko ad arcem nostram Starogrodiensem spectante dependunt, singulis annis in duobus terminis, videlicet mediam partem pro festo ss. apostolorum Philippi et Jacobi, reliquam mediam partem pro festo s. Martini episcopi et confessoris, per eiusdem arcis nostrae Starogrodiensis praefectum vel oeconomum nostrum praefato canonico incunctanter persolvendos. Capitulum autem nostrum, loco allodii seu praestimonii, duodecim illis mansis plebanalibus, quos hactenus cum ipsa parochiali ecclesia in sua potestate et dispositione pro suae sustentationis subsidio habuit sed iam illis absque ullo dispendio suo carere potest, eidem novo canonico cessit, prout in perpetuum vigore presentium cedit, et ad distributiones quotidianas, quae canonicis apud ecclesiam residentibus et divinis officiis secundum statutorum praescriptum praesentibus proveniunt, admisit et ex nunc admittit: ea tamen conditione et ratione, ut curam animarum et ecclesiae ipsius parochialis Culmsensis administrationem, quam antea capitulum sustinuit, suscipiat, capellanumque et choralem in divinis officiis ministrantes apud ecclesiam cathedralem more aliorum canonicorum residentium teneat et sustentet, omniaque munera et officia peragat ac onera sufferat, quae caeteri canonici residentes peragunt et sufferunt. Occurrente vero vacatione allodiorum, quae a senioribus nunc obtinentur, eorum optandorum secundum locum senii sui eo jure, quo alii canonici facultatem habebit: qua optione facta priorem suam conditionem iuniori canonico relinquere tenebitur.

(2.) Item statuimus, ut quilibet canonicus novissime institutus et receptus eo, qui nunc a nobis est erectus et institutus, canonicatu potiatur ac ratione eiusdem ultimi canonicatus curam animarum et ecclesiae parochialis praefatae administrationem habeat, officiaque parocho incumbentia aut per se aut per proprium vicarium, quem semper habere debebit, adimplere obstringatur.

(3.) Ut autem divina officia in hac ecclesia nostra cathedrali a canonicis residentibus congruo ordine debitaque reverentia peragantur et ipsi canonici ad ea perficienda promptiores reddantur, statuimus, ut distributiones quotidianae, quas, qui divinis officiis secundum modum in constitutionibus super hoc editis praescriptum intersunt, percipere solent, augeantur: ita ut cuilibet canonico residenti, qui praesens divinis laudibus et officiis, ut dictum est, adfuerit, per septimanam tres floreni distribuantur, praeter alias distributiones, quae canonicis praesentibus in maioribus festivitatibus et aliis festis celebribus ac hebdomadario suam septimanam absolventi proveniunt.

(4.) Item. Considerantes et diligenter apud nosmetipsos perpendentes, salutem et rationem fidelium nostrae curae commissorum multo magis in iis, quae spirituale incre-

mentum generant, quam in temporalium rerum moderamine versari et consistere: salutare ac necessarium poenitentiarii officium in omnibus cathedralibus et maioribus ecclesiis ex sanctorum patrum sacrorumque canonum institutione exerceri solitum ad praesentissimum remedium, quo animarum vulneribus medetur, pro debito officii nostri in hac ecclesia nostra cathedrali instituendum esse duximus et ordinandum, quemadmodum instituimus et ordinamus per praesentes. Dantes illi omnimodam potestatem confessiones quorumvis poenitentium nostrae curae concreditorum audiendi, eisque beneficium absolutionis a quibusvis peccatis et delictis suis, etiam in casibus nobis ac sedi nostrae episcopali reservatis (sola haeresi excepta) in foro conscientiae impertiendi atque dandi, et pro illis poenitentias salutares, publicas vel occultas, iuxta delictorum criminumque exigentia iniungendi, et eos ecclesiae reconciliandi. Super quibus omnibus et singulis plenam ei facultatem et licentiam authoritate nostra ordinaria concedimus et elargimur. Cui poenitentiario sic a nobis instituto et ordinato pro sua decenti sustentatione de consensu eiusdem capituli nostri conferimus et assignamus perpetuis temporibus omnem censum accisae, quem cives nostri Culmsenses ex braseis suis, ratione cauponarum eis per nos concessarum, nobis et successoribus nostris dependere tenentur, videlicet ex quolibet modio brasei medium grossum. Qui quidem poenitentiarius officio quoque concionatoris in hac ecclesia nostra cathedrali fungetur, percipietque a capitulo tam ex summis pecuniariis pro eodem concionatore fundatis et assignatis, quam ex propriis capituli proventibus annuatim quadraginta florenos, quos praefato poenitentiario ratione officii concionatoris in hac ecclesia singulis annis pro festo s. Martini se extradituros et persoluturos capitulum sancte promittit et presentibus et obstringit.

(5.) Item statuimus, ut in expediendis ecclesiae et capituli negotiis, et iis presertim, quae ad tuenda episcopatus et capituli iura et bona pertinent, ne super hoc difficultates aut contentiones aliquando oriantur, ex quo magnum aliquod damnum ecclesiae inferri posset, ordo directus observetur: hoc est, ut quilibet canonicus gradatim iuxta ordinem receptionis suae illa negotia, quandocunque inciderint, expedire teneatur vel alicuius canonici, qui eius nomine ea expediat, opera uti. Ratio tamen haberi debet infirmae valitudinis et aliorum legitimorum impedimentorum.

(6.) Item statuimus, ut vigesimus septimus articulus statutorum ecclesiae de revidendis tertio quoque anno limitibus et finibus bonorum episcopatus et capituli, hactenus cum maximo ecclesiae damno neglectus et praetermissus, in posterum strictissime observetur. Similiter ut allodia et praestimonia canonicorum revideantur, detque operam capitulum, ne deteriora sed meliora reddantur: sylvae quoque ipsis allodiis adiunctae ne devastentur, quod antea magno cum detrimento factum est, neque arbores ex eis vendantur, sed parce, pro usu suo, illis possessores earum utantur, sub poena amissionis ipsorum allodiorum.

(7.) Item statuimus, ut canonici et capitulum jura ecclesiae sarta tecta conservent et tueantur, omnes iniurias et damna fundorum legitimo iudicio prosequantur, curentque, ne ecclesia aliquid detrimenti ex negligentia vel taciturnitate sua accipiat.

(8.) Quia vero relatione accepimus, contentiones ratione piscationis non raro suscitari, volentes omnium discordiarum et contentionum ansam praecludere, statuimus, ut omnes piscatores sub unius potestate, cui hoc officium a capitulo commissum fuerit, remaneant illique obediant, nec ullus canonicorum in officium alteri commissum se ingerat vel illum in officio sibi commisso quoquomodo interturbet. Quociescunque enim id vel per se vel per alium fecerit, a perceptione distributionum quotidianarum et piscatione per unius septimanae spatium prima vice privabitur: quod si secundo id fecerit, per integrum mensem sic punietur: si autem tertio id attentare praesumpserit, ad reverendum dominum nostrum per capitulum deferetur et excommunicationi subiacebit. Quod si quis ex famulis canonicorum, inscio domino suo, idem commiserit, iustitiam de eo ad arbitrium capituli dominus ipsius administrare sub eadem poena tenebitur et erit adstrictus. Idem in piscatu piscium observari debet, ne quis canonicorum absque aliorum consensu, maxime vero praefecti ipsius piscationis, alio tempore vel alio lacu aut stagno capitulari piscari iubeat, aut piscatoribus suis piscari permittat, quam a capitulo constitutum fuerit, sub simili poena, toties quoties id facere praesumpserit.

(9.) Item statuimus, ut bis in anno capitulum generale habeatur, primum videlicet pro festo s. Joannis Baptistae, alterum pro festo s. Martini, in quibus capitulis generalibus omnes canonici adesse tenebuntur, (nisi aliquo legali impedimento, de quo capitulum cognoscet et decernet, aliquis eorum detentus abesse cogeretur,) et de rebus ac negotiis ecclesiae diligenter deliberabunt, rationes administrationum audient, resque graviores tractabunt, et caetera omnia expedient, quae ecclesiae et capituli commodo atque usui erunt. Quicumque vero canonicus ipsis generalibus capitulis, cessante legitimo, ut dictum est, impedimento, interesse neglexerit, a perceptione summarum ex redditis rationibus relictarum, si quae dividendae fuerint, omnino privabitur et soli praesentes eas inter se divident.

(10.) Item statuimus, ut literis patentibus et diplomatibus a capitulo concedendis et extradendis nomina singulorum canonicorum, qui tempore expeditionis illarum in capitulo praesentes aderunt, exprimantur, ut omnis occasio de eis male suspicandi vel eas in dubium revocandi praecidatur.

(11.) Item statuimus, ut liber actorum habeatur, in quo ea, quae acta erunt in capitulo notatu digna, per iuniorem canonicum, quociescunque capitulum celebrabitur, accurate describantur et ab eo diligenter observentur.

Quae omnia et singula sic fieri ordinamus, disponimus et decernimus auctoritateque nostra ordinaria statuimus in nomine domini. In cuius rei fidem praesentes manu nostra subscripsimus, nostroque et capituli nostri sigillis communiri curavimus. Actum apud

ecclesiam nostram cathedralem, die ultima Julii, Anno domini Millesimo Quingentesimo Nonagesimo Nono.

Petrus Epus Culmen. subscr. prop.
Fridericus Salieski canonicus Culmseensis.
Joannes a Conopath canonicus Culmsensis.
Odinetus Perrinot subsc. pr. C. C.
Joannes Pissinsky subsc. pr. C. C.

*Nach dem dem Copiarium Culmense beigehefteten Original mit den eigenhändigen Unterschriften. Die beiden einst aufgedrückten Siegel sind abgefallen. — Ein zweites gleichfalls mit den eigenhändigen Unterschriften versehenes Original findet sich in dem Archive des Domcapitels. Die beiden Siegel sind auf Papier aufgedrückt. Das erste zeigt das Familienwappen des Bischofs, ein mit der Oeffnung nach unten gekehrtes Hufeisen, über dem und in dem sich ein Kreuz befindet; die Unterschrift ist unleserlich. Das zweite hat auf dem Wappenschild ein sechsspeichiges Rad mit der Umschrift:* „SECRE. CAPITV. CVLMEN:“

## 1110.

***1599. Juli 31. Culmsee.*** *Das Culmer Domcapitel trifft Bestimmungen über die den Domherren zu gewährenden täglichen Distributionen.*

In nomine domini amen. Nos Praelati et Canonici totumque Capitulum ecclesiae cathedralis Culmsensis, vocationis nostrae memores atque diligenter considerantes, nostrum officium id a nobis in primis requirere, ut quae ab antecessoribus nostris ad laudem sanctissimae Trinitatis pie sancteque constituta sunt, ea pro viribus observemus: cupientes cultum divinum, ad quem omnes obstricti sumus, in hac ecclesia magis ac magis in dies, deo adiuvante, promovere officiaque divina congruo ordine debitaque reverentia ad praescriptum statutorum nostrorum absolvere: de communi omnium nostrum consensu, sub approbatione reverendissimi domini nostri, domini Episcopi Culmensis, domini nostri clementissimi, distributiones quotidianas modo infrascripto constituimus, ad quas deserviendas et percipiendas quilibet canonicus apud ecclesiam iuxta tenorem ipsorum statutorum nostrorum residens, si divinis officiis ordine inferius descripto praesens adfuerit, et non aliter, admittetur, nisi legitimo impedimento excusetur. Impedimenta autem legitima, quibus non obstantibus canonici residentes quotidianas distributiones percipere poterunt, haec sunt: vera infirmitas, capituli et ecclesiae negotia procurans, a R$^{mo}$ domino nostro domino episcopo ex capitulo ad aliquod negotium evocatus, de consensu capituli urgentia et necessaria aliqua negotia peragens. Quibus impedimentis cessantibus, quilibet canonicus a divinis officiis infrascriptis absens, ad praefatas distributiones quotidianas deserviendas et percipiendas inhabilis erit, easque nulla ratione nullove colore aut praetextu repetere poterit.

1. Atque in primis statuimus iuxta quartum et octavum articulum statutorum nostrorum, ut quilibet canonicus praesens in ecclesia sub officiis divinis in choro absque superpelliceo non compareat, neque in processionibus absque almutio incedat. Quoties-

cunque enim id fecerit, pro absente reputabitur, et ad percipiendas distributiones eas, quas tunc alii deservient, omnino inhabilis habebitur.

2. Item statuimus, ut quilibet canonicus, qui die dominico processioni interfuerit, decem grossos percipiat: qui summo sacro, decem: et qui vespertinis praecibus, decem: canonicus vero hebdomadarius eo die celebrans, unum florenum.

3. Item. Singulis feriis hebdomadae quicunque canonicus in aliqua diei hora, sive matutina sive vespertina, sive in missa adfuerit, decem grossos deserviat, exceptis iis diebus, in quibus propter sequens festum vel ratione septimanae inchoandae vesperis interesse tenetur; nam tunc praeter vesperas illas in aliqua eiusdem diei hora vel in missa adesse obligatus erit, sub poena carentiae decem grossorum.

4. Item statuimus, ut in festis duplicibus celebribus, quae inferius describentur, cuilibet canonico praesenti triginta grossi distribuantur, videlicet ei, qui primis vesperis interfuerit, decem grossi, qui missae, decem, et qui secundis vesperis, decem; canonico autem celebranti videlicet hebdomadario unus florenus.

5. Item statuimus, ut in festis solennioribus et maioribus festivitatibus anni et aliis duplicibus celebribus, prout infra annotabuntur, quilibet canonicus hebdomadarius tam in primis vesperis, in matutino et laudibus, quam in missa et secundis vesperis officium absolvat: quod si neglexerit, careat illis distributionibus, quae ratione eiusdem officii caeteris praesentibus provenient, et ad fabricam vel alias ecclesiae indigentias applicentur. Quilibet autem canonicus in solennibus festis praesens duos florenos percipiat, hoc est, qui primis vesperis interfuerit, quindecim grossos, et qui matutino et laudibus, quindecim grossos, qui missae, quindecim grossos, et qui secundis vesperis, quindecim grossos. Canonicus vero hebdomadarius missam celebrans unum florenum percipiat.

6. Item statuimus, ut in tribus feriis maioris septimanae ante ipsum Pascha, hoc est, in die coenae domini, in die parasceves et in sabbato sancto, cuilibet canonico praesenti in quovis officio, videlicet in matutino, quod pridie vesperi absolvitur, et in officio missae secundum morem ecclesiae peragendo, ac in completorio ipsius Sabbati sancti decem grossi erogentur.

7. Item statuimus, ut in maioribus solennitatibus, in quibus processio fieri solet, cuilibet canonico, qui processioni praesens adfuerit, quindecim grossi distribuantur; similiter in die s. Marci evangelistae et in tribus diebus Rogationum et in die octavae corporis Christi ei, qui processioni ante missam interfuerit, quindecim grossi. In aliis autem festis ac diebus, in quibus processiones fieri consueverunt, ac in die animarum, et quotiescunque instituentur, decem grossos quilibet canonicus percipiat.

8. Idem quoque observari volumus in officiis specialibus, quae certis diebus peraguntur, utpote in benedictione cereorum, cinerum, palmarum, ignis, fontis, lotione pedum et aliis similibus, ut cuilibet canonico praesenti huiusmodi officio decem grossi distribuantur.

9. Item statuimus, ut canonicus hebdomadarius, qui non interfuerit vesperis sabbati, in quibus septimana eius incipit, in stallo suo cum superpellicio, careat pro illis vesperis iis distributionibus, quae caeteris tunc praesentibus canonicis provenient. Quae si nullae fuerint, careat illis decem grossis, quos percipere debuisset, si praesens in ecclesia eo die fuisset. Si vero die dominico in matutino adesse neglexerit, privetur illis decem grossis, quos, si processioni eo die adesset, percipere debuisset; quod si nec processioni interfuerit, careat iis decem grossis, qui ei, si ab officio missae non abesset, provenirent.

10. In festis vero duplicibus celebribus, si hebdomadarius matutinum, prout supra dictum est, neglexerit, decem illis grossis careat, qui ipsi, si summo sacro interfuisset, provenire debuissent. Quodsi nec ipsum sacrum celebraverit, nec per alium confratrem suum celebrari curaverit, volumus, ut quotiescunque illud die dicto vel in aliis festis celebribus infra suam septimanam occurrentibus intermiserit, etiamsi praesens eidem sacro adfuerit, nihilominus tamen ipso floreno privetur, quem percipere debuisset, si ipse celebrasset, et ad fabricam ecclesiae, vel ut supra declaratum est, convertatur.

11. Item statuimus, ut quilibet canonicus praesens in festo Nativitatis domini percipiat pro strena duos florenos ungaricales, in festo Paschatis pro agno paschali duos quoque ungaricales, et in festo Pentecostes ratione solennitatis, ut largiores eleemosinas erogare possit, duos pariter ungaricales. Quae omnia a residentibus canonicis et officiis divinis, ut supra dictum est, praesentibus tantum deservienda et percipienda esse declaramus et interpretamur.

12. Item statuimus, ut quilibet canonicus residens tres menses per annum libere habeat, videlicet sexaginta dies tempore messis, et alios triginta dies per reliquum anni spatium, quos sibi quisque elegerit: exceptis tamen ipsius septimanis et maioribus anni festivitatibus, quibus semper praesentes adesse, nisi legali excusentur impedimento, omnes canonici tenebuntur. Si vero hebdomadarius in sua septimana, quoties ea inciderit, divinis officiis iuxta praescriptum istarum constitutionum interesse neglexerit, quotiescunque id fecerit, tocies iis distributionibus privabitur, quas percipere debuisset, si praesens adfuisset, et fabricae vel aliis ecclesiae necessitatibus deputabuntur.

13. Porro in ipsis tribus mensibus ab omnibus officiis divinis et ab ecclesia impune abesse quilibet canonicus poterit, ut tum rei familiari operam dare, tum alia privata negotia sua absque ulla suprascriptorum distributionum quotidianarum carentia peragere possit; ordinate tamen, ne duo simul vel plures, excepto tempore messis, quo omnes praeter hebdomadarium abesse poterunt, se absentent, id de scitu senioris vel hebdomadarii fieri debet.

Festa vero solemnia, in quibus omnes canonici apud ecclesiam adesse et horis canonicis interesse ac officium divinum secundum ordinem septimanarum suarum per se absolvere tenentur, haec sunt: Nativitatis domini, Stephani protomartyris, Joannis evangelistae, Epiphaniae domini, Paschatis cum duobus sequentibus diebus, Ascensionis domini,

Pentecostes cum duobus sequentibus diebus, sanctissimae Trinitatis, Corporis Christi, Joannis Baptistae, ss. apostolorum Petri et Pauli, Assumptionis beatae Mariae virginis, Dedicationis ecclesiae, quod celebratur prima dominica post festum Bartholomaei, Nativitatis beatae Mariae Virginis, Omnium sanctorum.

Festa autem duplicia celebria, in quibus omnes canonici primis et secundis vesperis ac missae interesse debent et hebdomadarius divinum officium absolvere, haec sunt: Circumcisionis domini, Purificationis beatae Mariae virginis, Matthiae apostoli, Annuntiationis beatae Mariae virginis, Adalberti episcopi et martyris, Philippi et Jacobi apostolorum, Inventionis sanctae crucis, Stanislai episcopi et martyris, Visitationis beatae Mariae virginis, Mariae Magdalenae, Jacobi apostoli, Laurentii martyris, Hyacinti confessoris, quod celebratur die dominica infra Octavam Assumptionis beatae Mariae virginis, Bartholomaei apostoli, Exaltationis sanctae crucis, Matthaei apostoli et evangelistae, Michaelis archangeli, Simonis et Judae apostolorum, Martini episcopi et confessoris, Catharinae virginis et martyris, Andreae apostoli, Nicolai episcopi et confessoris, Conceptionis beatae Mariae virginis, Thomae apostoli.

In cuius rei fidem reverendissimi domini nostri et capituli sigilla praesentibus sunt impressa. Actum in capitulo, die ultima Julii, Anno domini M°. D°. XC. Nono.

*Nach dem Original mit dem Secretsiegel des Domcapitels im Archiv des Domcapitels. Das Siegel des Bischofs ist abgefallen. Gleichzeitige Abschrift im Cop. Culmense.*

## 1111.

***1600. April 13. Rom.*** *Papst Clemens VIII. bestätigt die durch den Bischof Petrus Tilicki erfolgte Errichtung eines fünften Canonicats an der Culmer Domkirche.*

Clemens episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Superna dispositione, cuius inscrutabili providentia ordinationem suscipiunt universa, in supereminenti apostolicae dignitatis specula meritis licet imparibus constituti, circa statum quarumlibet praesertim cathedralium ecclesiarum salubriter dirigendum, prout pastoralis officii nobis incumbens exigit, diligenter intendimus, ac illa quae pro beneficiorum ecclesiasticorum praesertim canonicatuum et praebendarum in ecclesiis ipsis propagatione et divini cultus augmento ex pia fidelium, praesertim pontificali dignitate praeditarum, personarum devotione processisse dicuntur, ut firma perpetuo et inconcussa permaneant libenter, cum a nobis petitur, apostolico munimine roboramus ac etiam de novo concedimus aliasque desuper disponimus, prout in domino conspicimus salubriter expedire. Sane pro parte venerabilis fratris nostri Petri episcopi et dilectorum filiorum capituli Culmensis nobis nuper exhibita petitio continebat, quod alias dictus Petrus episcopus, considerans pro pastorali sua sollicitudine et vigilantia ad ea, quae ad instaurandum ecclesiae Culmensis, cui ad presens praeesse dignoscitur, statum pertinebant, summam curam et studium se adhibere, et si

aliquid in eius cultu depravatum aut ex pietate et religione collapsum vel intermissum est, id totum omni diligentia, divina cooperante gratia, restituere et in meliorem statum redigere debere. Superioribus vero temporibus numerum canonicatuum et praebendarum ipsius ecclesiae ex illius fructibus diminutione, quae vi et iniuria bellorum causata erat, ad Quatuor canonicatus et totidem praebendas reductum fuisse, et in eadem ecclesia sufficientem canonicorum et aliorum ecclesiae ministerio addictorum numerum pro divinis peragendis non adesse, nec propterea debita quotidie divina officia rite peragi, nec pro dignitate episcopali munia pontificalia decenter obiri vel exerceri posse, et eas rationes sibi ineundas esse, quibus decori eiusdem ecclesiae, aucta ministrorum frequentia, consuli, et administratio tam spiritualium quam temporalium commodius geri posset: Ideo matura cum praedictis capitulo super has re habita deliberatione, unum canonicatum et unam praebendam in eadem ecclesia ultra alios iam ibi existentes pro uno clerico seu presbytero futuro inibi canonico sub sedis apostolicae beneplacito de consensu dictorum Capituli perpetuo erexit et instituit, illisque sic erectis et institutis pro eorum dote redditum annuum ducentorum et quinquaginta florenorum monetae usualis regni Poloniae ex censu annuo, qui mensae episcopali Culmensi ex villa Kokoczko impenditur singulis annis, pro una videlicet ss. Jacobi et Philippi, et pro altera census huiusmodi medietatibus in s. Martini festivitatibus per praefectum seu oeconomum arcis Starogrodensis ad dictam mensam legitime spectantem, tunc et pro tempore existentem, incunctanter et integre persolvendum perpetuo applicavit et appropriavit. Praedicti vero capitulum pro allodio seu praestimonio, quod loco habitationis seu domus canonicalis cedit, duodecim mansos terrae ex bonis stabilibus parochialis ecclesiae oppidi Culmse Culmensis diocesis, quae mensae capitulari dictae ecclesiae perpetuo canonice unita existit, et perpetuo cesserunt et assignaverunt, ac canonicatum et praebendam erectos huiusmodi pro tempore obtinentes ad distributiones quotidianas, quas canonici apud dictam ecclesiam Culmensem residentes percipere solent, ex tunc admiserunt; ea tamen ratione, ut curam animarum dilectorum filiorum parochianorum dictae parochialis ecclesiae dilectis filiis capitulo et canonicis praedictis ratione unionis huiusmodi incumbentem unus ipse novus Canonicus gerere et exercere, capellanumque et choralem in divinis officiis ministrantes ad instar aliorum canonicorum in praefata ecclesia Culmensi manutenere, omniaque officia peragere et onera sustinere deberet, quae ceteri huiusmodi canonici residentes peragere et sustinere solent et debent. Quotiéscunque tamen aliquos canonicatum et praebendam ex antiquioribus vacare contingeret, facta de more per seniores seu antiquiores canonicos allodiorum seu praestimoniorum optione, liceret eidem novo canonico allodium sive praestimonium vacans aut dimissum optare priori dimisso, quod postremo institutus et receptus canonicus acceptare et donec illud vacaverit et illud optare voluerit, retinere, ac interim curam animarum praefatam dictaeque parochialis ecclesiae administrationem gerere, officiaque parochialis illi incumbentia per se vel vicarium ab eo assiduo manutenendum obire teneretur. Et

idem Petrus episcopus iuspatronatus et praesentandi personam idoneam ad canonicatum et praebendam erectos huiusmodi, quotiescunque illos quovis modo vacare contingerit, Advocato episcopali, in dicto oppido iurisdictionem saecularem exercenti, pro tempore existenti, perpetuo concessit et attribuit, prout in publicis desuper confectis scripturis plenius dicitur contineri. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, erectio et institutio huiusmodi aliaque praemissa ex necessariis causis, divini cultus et ministrorum augmentum in praefata ecclesia Culmensi concernentibus facta esse dinoscantur, ac propterea Petrus episcopus et capitulum praedicti illa pro firmiori eorum subsistentia et observatione inviolabili nostro et sedis apostolicae patrocinio communiri et roborari plurimum desiderant, quare pro parte Petri episcopi ac capituli et canonicorum praefatorum, asserentium dictorum canonicatus et praebendae de novo erectorum huiusmodi fructus, reditus et proventus viginti quatuor ducatorum auri de camera secundum communem exstimationem valorem annuum non excedere, nobis fuit humillime supplicatum, quatenus in praemissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur: Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes, beneficia ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem secundum exstimationem eandem, et beneficii, cui aliud uniri peteretur et semper in unionibus commissio fieret, ad partes vocatis, quorum interesset, et idem observaretur in confirmationibus unionum, praefatum Petrum episcopum ac singulares dictorum capituli personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, necnon census et parochialis ecclesiae huiusmodi fructuum, redituum et proventuum secundum exstimationem praedictam valorem annuum praesentibus pro expresso habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, erectionem, institutionem, applicationem, appropriationem et assignationem praedictas auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuo approbamus et confirmamus, ac illis perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos tam iuris quam facti ac solemnitatum de usu iure vel consuetudine aut alias quomodolibet requisitarum vel necessariarum ac quosvis alios et quantumvis substantiales defectus, si qui in praemissis quomodolibet intervenerint in eisdem, supplemus, necnon erectionem, institutionem, applicationem, appropriationem et assignationem praedictas perpetuo validas et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus, ad quos nunc quomodolibet spectat et spectare poterit in futurum, perpetuo firmiter et inviolabiliter observari debere, ac quicquid secus super hiis a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, in posterum contingeret attentari, irritum et inane decernimus. Et nihilominus pro potioris cautelae suffragio in dicta ecclesia Culmensi unum canonicatum et unam praebendam ultra alias iam ibi existentes pro uno presbytero futuro inibi canonico, qui apud ipsam ecclesiam Culmensem personaliter

residere ac omnibus horis canonicis et aliis divinis officiis, diurnis pariter et nocturnis, in eadem ecclesia Culmensi persolvi solitis intervenire, capellanumque et choralem officiis huiusmodi ministrantes more aliorum canonicorum residentium manutenere debeat et teneatur, ac stallum in choro locumque et vocem in capitulo, processionibus et aliis actibus capitularibus dictae ecclesiae Culmensis habere, necnon omnibus et singulis privilegiis, immunitatibus exemptionibus, libertatibus, praerogativis, antelationibus, indultis, favoribus et gratiis aliis universis, quibus caeteri eiusdem ecclesiae Culmensis antiquiores canonici de iure usu vel consuetudine aut alias quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, similiter et pariformiter uti frui potiri et gaudere libere et licite valeat, auctoritate apostolica et tenore praemissis et perpetuo erigimus et instituimus. Nec non a praefata mensa reditum annuum ducentorum et quinquaginta florenorum ex censu, qui ex villa praedicta de Kokoczko, ut praemissum est, impenditur, a parochiali ecclesia vero praefata duodecim mansos huiusmodi cum iuribus et pertinentiis suis universis similiter perpetuo separamus et dismembramus, illaque sic separata et dismembrata canonicatui et praebendae per praesentes erectis huiusmodi reditum videlicet ducentorum et quinquaginta florenorum huiusmodi singulis annis in perpetuum, pro una videlicet in SS. Jacobi et Philippi apostolorum et altera medietatibus in s. Martini festivitatibus praedictis, per dictae arcis praefectum aut oeconomum pro tempore existentem persolvendum, pro congrua eorum dote ac illos pro tempore obtinentis sustentatione onerumque ei incumbentium supportatione, mansos vero praedictos pro allodio seu praestimonio eorundem canonicatus et praebendae per praesentes erectorum, ita quod liceat illos sic pro tempore obtinenti corporalem realem et actualem redditus et mansorum eorundem ac iurium et pertinentiarum suarum quorumcunque possessionem per se vel alium seu alios eius ac ipsorum canonicatus et praebendae per praesentes erectorum nominibus propria auctoritate apprehendere ac apprehensam perpetuo retinere, fructus quoque reditus et proventus iura obventiones et emolumenta inde provenientia quaecunque necnon distributiones praedictas percipere, exigere, levare, recuperare, locare et arendare, ac in suos eorundemque canonicatus et praebendae per presentes erectorum usus et utilitatem convertere, diocesani loci vel cuiusvis alterius licentia desuper minime requisita, ea tamen ratione et conditione, ut novus ipse canonicus curam animarum praedictam exercere omniaque officia et onera, quae per alios huiusmodi canonicos residentes peraguntur et sustinentur, similiter peragere et sustinere debeat et omnino teneatur. Quotiescunque tamen aliquos ex antiquioribus canonicatibus et praebendis praedictis vacare contigerit, facta de more per antiquiores canonicorum allodiorum seu praestimoniarum optione, allodium seu praestimonium ultimo loco vacans seu dimissum optare possit priore dimisso, quod postremo institutus et receptus canonicus acceptare, et donec aliud allodium seu praestimonium vacaverit et illud optare voluerit, retinere etiam possit. Interim tamen eandem animarum curam dictaeque parochialis

ecclesiae administrationem gerere officiaque parochialia per se vel vicarium ab eo continuo manutenendum et ab ordinario approbandum obire teneatur, itidem perpetuo applicamus et appropriamus. Non obstantibus priori voluntate nostra praedicta ac Lateranensis Concilii novissime celebrati uniones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri prohibentis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictae ecclesiae Culmensis iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, quod dicta parochialis ecclesia debitis propterea non fraudetur obsequiis, et animarum cura huiusmodi in illa nullatenus negligatur, sed eius congrue supportentur onera antedicta. Per praesentes autem non intendimus dictum iuspatronatus in aliquo reservare. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, approbationis, confirmationis, adiectionis, suppletionis, erectionis, separationis, dismembrationis, applicationis, appropriationis, decreti et voluntatis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud sanctum Petrum anno incarnationis dominicae Millesimo sexcentesimo Id. Aprilis pontificatus nostri Anno Nono.

*Original auf Pergament mit der Bleibulle an rother und gelber seidener Schnur im Archiv des Domcapitels zu Pelplin.*

## 1112.

***1600. Juli 10. Culmsee.*** *Das Domcapitel zu Culmsee erneuert die Verschreibung über die Mühle zu Waldowo.*

Nos Fridericus Zalieski senior, Joannes Konopaczki, Odinetus Perrenot, Joannes Pissinski canonici totumque capitulum ecclesiae cathedralis Culmsensis, universis et singulis, ad quos praesentes hae literae nostrae pervenerint, significamus et notum facimus, quod cum molendini nostri in Waldowo dispositionem post mortem honesti olim Martini Bogusz, ibidem ultimi et immediati molitoris, innovari contigisset, nos maturo consilio praehabito, considerantes temporis moderni conditionem a priscis temporibus longe diversam esse, omniumque rerum praecium valde auctum esse atque in dies magis ac magis augeri: attendentes etiam praedictum Martinum defunctum tertiam rotam in ipso molendino absque scitu et assensu nostro et capituli construxisse, de qua nullum omnino censum nobis hactenus persolvit: his causis et aliis permoti, mensae nostrae capitularis, nostris et nostrorum successorum rationibus consulere volentes, commendatam autem habentes fidem probitatem atque industriam honesti Alberti Bogusz, eiusdem defuncti Martini molitoris filii et haeredis legitimi, illum circa possessionem praefati molendini nostri reliquimus, eidem et eius legitimis haeredibus praedictum molendinum nostrum in Waldowo, cum agro ad illud ex antiquo spectante, et cum pratis, pascuis caeterisque emolumentis atque utilitatibus iure haereditario possidendum, vigore antiqui privilegii praedecessoribus ipsius collati et expediti concessimus et inscripsimus, prout perpetuis temporibus concedimus et

inscribimus per praesentes. Ea tamen conditione, ut pro duabus lastis farinae, quas secundum illud antiquum privilegium duobus canonicis senioribus singulis annis praedecessor ipsius Alberti hucusque persolvit, duas lastas siliginis eisdem duobus senioribus residentibus canonicis more consueto quotannis extradat. Ratione autem tertiae rotae non ita pridem extructae, tertiam lastam siliginis addat inter duos alios canonicos residentes, qui illis duobus senioribus ex receptione succedunt, dividendam, ita ut pro quolibet quadrante anni quadraginta quinque modios siliginis absque ulla contradictione dare et extradere teneatur, ex quibus duo seniores canonici, ut iam dictum est, triginta modios, duo vero subsequentes canonici quindecim modios percipient, quos etiam libere molere et Culmseam advehere praedictus molitor astrictus erit, et cuiuslibet dominorum canonicorum frumenta ad hoc idem molendinum deducta absque aliqua mensura pro molitura dari solita per cribrum pollinarium molere tenebitur; salvo tamen salario trium denariorum a quolibet modio sic per cribrum molito ipsi molitori persolvendo. In caeteris vero privilegium antiquum in suo robore et valore consistere, nec ei quicquam detractum esse volumus. In cuius rei fidem et testimonium sigillum nostrum capitulare maius praesentibus est appensum. Actum et datum Culmseae in capitulo, die decima mensis Julii, anno domini Millesimo sexcentesimo.

*Nach der gleichzeitigen Abschrift im Nachtrage zum Cop. Culmense nr. 87 und deren Copie bei Mauritius nr. 87.*

## 1113.

***1600. November 10. Rom.*** *Papst Clemens VIII. gestattet dem Electen Laurentius Gembicki von Culm, sich von jedem beliebigen Bischof weihen zu lassen.*

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Laurentio Electo Culmensi, salutem etc. Cum nos pridem ecclesiae Culmensi certo tunc expresso modo pastoris solatio destitutae de persona tua nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de fratrum eorundem consilio apostolica auctoritate duxerimus providendum, praeficiendo te illi in episcopum et pastorem, prout in nostris inde confectis literis continetur: Nos ad ea, quae ad tuae commoditatis augmentum cedere valeant, favorabiliter intendentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tibi presbytero, ut, a quocunque malueris catholico antistite, gratiam et communionem sedis apostolicae habente, accitis et in hoc sibi assistentibus duobus vel tribus catholicis episcopis similes gratiam et communionem habentibus, munus consecrationis recipere valeas, ac eidem antistiti, ut recepto prius a te nostro et Romanae ecclesiae nomine fidelitatis debitae solito iuramento iuxta formam, quam sub bulla nostra mittimus introclusam, munus praefatum auctoritate nostra impendere licite tibi possit, plenam et liberam dicta auctoritate earundem tenore praesentium concedimus facultatem. Volumus autem et dicta auctoritate statuimus et decernimus, quod si non recepto a te per ipsum antistitem dicto iuramento, idem antistes munus ipsum tibi impendere et tu

illud suscipere praesumpseritis, dictus antistes a pontificalis officii exercitio et tam ipse, quam tu ab administratione tam spiritualium quam temporalium ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso. Praeterea et volumus, quod forma huiusmodi a te tunc prestiti iuramenti nobis de verbo ad verbum per tuas patentes literas tuo sigillo munitas per proprium nuncium quantocius destinare procures, quodque per hoc venerabili fratri nostro archiepiscopo Gnesnensi, cui ecclesia ipsa metropolitico iure subesse dinoscitur, nullum imposterum praeiudicium generetur. Datum Romae apud sanctum Petrum anno incarnationis dominicae Millesimo sexcentesimo. Quarto Idus Novembris, pontificatus nostri anno Nono.

*Original auf Pergament mit der Bleibulle Clemens VIII. an hanfener Schnur im Archiv des Pelpliner Domcapitels. — Die Bulle an den Clerus von demselben Datum im Original auf Pergament mit der Bleibulle im Culmer Diöc.-Archiv.*

## 1114.

***1600. November 18. Rom.*** *Papst Clemens VIII. zeigt dem Könige Sigismund III. von Polen an, dass er vor einigen Tagen den Bischof Peter von Culm ins Bisthum Ermland und den Bischof Stanislaus von Chelm ins Bisthum Luck versetzt und zum Bischof von Chelm den Georg Zamoiski ernannt habe.* Dat. Romae etc. die 18 Novembris Anno Jubilei 1600 etc.

*Ex Reg. Brevium T. 44 fol. 354 bei Theiner, Mon. Pol. III 276 nr. 208.*

## 1115.

***1601. März 3. Warschau.*** *Sigismund III., König von Polen, transsumirt und bestätigt auf Bitten der Aebtissin Sophia Dulska des Nonnenklosters in Thorn die Schenkungsurkunde des HM.'s Ludolf König vom Jahre 1345 (vgl. nr. 281) über die St. Jacobskirche in Thorn.* Datum Varsoviae die tertia Martii a. d. MDCI. Regnorum nostrorum Poloniae XIIII. Sueciae VII.

*Original auf Pergament mit dem polnischen Reichssiegel in einer Holzkapsel im Archiv der Jacobskirche zu Thorn. Abschrift daselbst im Copiar. nr. 4 fol. 35—36.*

## 1116.

***1601. April 16. Rom.*** *Papst Clemens VIII. erklärt dem Bischof Laurentius Gembicki von Culm, dass, als er ihn für das Bisthum Culm providirte, er ihm zugleich das mit demselben früher für immer unirte Bisthum Pomesanien übertragen habe.*

Clemens papa VIII. Venerabili fratri Laurentio, episcopo Culmensi et Pomesaniensi. Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. Cum ecclesiae Culmensi, cui certo tunc expresso pastoris solatio destitutae de persona tua nobis ac venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae ecclesiae cardinalibus ob tuorum exigentiam meritorum accepta apostolica auctoritate providimus, teque illi in episcopum praefecimus et pastorem, prout in literis apostolicis desuper plenius continetur, ecclesia Pomesaniensis apostolica

auctoritate dudum unita fuerit, in literis autem apostolicis praedictis nulla de dicta ecclesia Pomesaniensi mentio facta fuerit: Nos, ne propterea ab aliquibus dubitari possit, an tu dictae ecclesiae Pomesaniensis verus pastor et praesul existas, opportune providere volentes, harum serie decernimus et declaramus, te eiusdem ecclesiae Pomesaniensis praedictae ecclesiae Culmensi unitae episcopum et pastorem esse et fore, ac illius curam regimen et administrationem habere, ac illam in spiritualibus et temporalibus regere et administrare omniaque et singula episcopalia munia in illa exercere libere et licite posse ac debere, perinde acsi in praedictis literis, quod ipsa ecclesia Pomesaniensis ecclesiae Culmensi perpetuo unita existit, quodque nos te in Culmensis et illi unitae Pomasaniensis ecclesiae episcopum et pastorem praefecimus, expressum fuisset, sicque et non aliter per quoscunque iudices ordinarios et delegatos etiam causae palatii apostolici auditores et sanctae Romanae ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos ac sedis apostolicae nuntios iudicari et diffiniri debere, ac irritum et inane, quicquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemtari. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae dilectis filiis capitulo et clero ac populo et vasallis eiusdem ecclesiae Pomesaniensis, ut te in eorum episcopum et pastorem devote recipiant et agnoscant, ac debita honorificentia prosequantur tuaque salubria monita et mandata suscipiant humiliter et efficaciter adimplere procurent, vasalli vero consueta servitia et iura tibi ab eis debita integre persolvant et exhibeant; alioquin sententiam sive poenam, quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus ac faciemus auctore domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Non obstantibus premissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon eiusdem ecclesiae Pomesaniensis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscunque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris, die decima sexta Aprilis M. DCI. pontificatus nostri anno decimo.

M. Vestrius Barbianus.

*Nach der gleichzeitigen Abschrift im Nachtrag des Cop. Culmense und deren Copie bei Mauritius nr. 158.*

## 1117.

***1601. Juli 30. Löbau.*** *Laurentius Gembicki, Bischof von Culm, bestätigt die Stiftung des verstorbenen Domherrn Johannes Konopacki zu einer ewigen Lampe in der Domkirche zu Culmsee.*

Laurentius Gembicki, dei gratia episcopus Culmensis, perpetuus administrator episcopatus Pomesaniensis etc. Universis et singulis, quorum interest aut quomodolibet interesse poterit, tenore praesentium significamus, exhibitum nobis esse legatum quoddam per R. D. Odinetum Perrenoth, canonicum Culmensem, factum ecclesiae nostrae cathedrali Culmensi ab haeredibus R. D. Joannis Konopacki, canonici Culmsensis, in legato ipso, uti hic inseritur, nominatis, cuius quidem legati tenor sequitur et est talis:

Universis et singulis, quorum interest, notum sit per praesentes literas, quod inter magnificos et generosos dominos Georgium castellanum, Matthiam succamerarium Culmensem, Christophorum et Stanislaum a Konopath, fratres germanos R$^{adl}$ d$^{ni}$ a Konopath canonici Culmsensis piae memoriae, haeredes ex una, praelatosque canonicos et totum venerabile capitulum cathedralis ecclesiae Culmsensis repraesentantes ex altera parte, talis facta sit conventio, quod verum est: Praefati magnifici et generosi domini a Konopath innitentes voluntati praenominati R. dni. canonici, fratris sui in domino requiescentis, ad laudem et gloriam omnipotentis dei, pro salute dicti R. d. fratris aliorumque praedecessorum suorum legandum duxerunt sexcentos florenos polonicales, quemlibet triginta grossis currentis monetae numerandum, ex bonis, quae ipsis iure naturalis successionis et ex testamento post decessum praefati R. fratris cesserunt et obvenerunt, prout legant et iam ex nunc realiter et in effectu dederunt et tradiderunt praenominato venerabili capitulo cathedralis ecclesiae Culmsensis eiusque posteris futuris dominis canonicis perpetuo et in aevum. Quod legatum dictum venerabile capitulum grato ab eisdem dominis a Konopath suscipiens animo de eoque ipsos quietat ac liberos facit, se sponte ac libere pro se successoribusque suis futuris dominis canonicis submittendo et obligando, ignem ardentem sive lucentem in lampade, quam R. d. frater praefatorum dominorum a Konopath, dum in vivis esset, erexerat et coram venerabili Sacramento ss. Corporis Christi ante ciborium in eadem cathedrali ecclesia chorda pendere fecerat, semper et continuo cunctis diebus ac noctibus procurare ac facere. In quo suas suorumque successorum futurorum dominorum canonicorum conscientias perpetuis temporibus coram omnipotenti deo eiusque iusto iudicio aggravat et onerat; ac insuper, si aliquando successu temporis lampas illa incuria venerabilis capituli praefati aut eius successorum futurorum dominorum canonicorum per aliquod tempus notabile negligeretur, ex tunc idem venerabile capitulum aut eius successores futuri domini canonici poenam centum florenorum ungaricalium succubiturum est, per eosdem dominos a Konopath aut eorum successores in iudiciis, quibus bona terrae eiusdem venerabilis capituli subsunt, exigendam et in pios usus eorum arbitrio erogandam; nichilominus poena eiusmodi soluta, praesenti conventioni semper et in toto satisfacere tenebitur suis cum successoribus futuris dominis canonicis. Cuius quidem legati approbationem et confirmationem authenticam omniumque et singulorum praemissorum conventorum in parte et in toto, tam in specie quam in genere, et econtra illud ipsum venerabile capitulum cathedralis ecclesiae Culmsensis a Loci eius Ordinario, Ill$^{mo}$ ac R$^{mo}$ in Christo patre et domino domino Laurentio Gembicki, dei gratia episcopo Culmensi, etc. ab hinc infra sex septimanas immediate sequentes procurare et una cum praesentibus literis ad acta civilia civitatis Culmsensis offerre ingrossandam erit obstrictum. Alioquin ad legati huius restitutionem venerabile capitulum Culmsense in aliis sex septimanis post elapsas praedictas sex septimanas provisiones praedictae summae coram bannito iudicio civitatis Culmsensis tenebitur, quod ad acta eiusdem civilis iudicii etiam in absentia

dominorum a Konopath reponere et relinquere debebit absque fideiussione, quod dicti domini a Konopath per unum ex medio sui cum cautione pro reliquis levabunt et inde percipient quietatione facta absque omni conditione venerabilis Capituli vadio simili ratione, cuius forum esse debebit in iudicio, cui bona terrae eiusdem venerabilis capituli subiacent. Quibusvis tam facti quam iuris beneficiis renunciantes. In cuius rei robur ac firmitatem sigilla tam saepedicti ven. Capituli quam supranominatorum dominorum a Konopath praesentibus literis sunt appensa cum subscriptione nominum partis utriusque. Actum et datum Culmsae feria sexta post festum Divisionis Apostolorum proxima anno domini Millesimo sexcentesimo primo. Sigillorum loca et subscriptionum.

Petitum itaque a nobis fuit nomine venerabilis capituli Culmsensis, quatenus hoc legatum eo modo, uti praemittitur, factum authoritate nostra ordinaria approbare, ratificare et confirmare dignaremur: Nos, praesenti legato viso et lecto, attendentes petitionem esse iustam, tam ipsum legatum quam conventionem inter v. capitulum et haeredes praedictos in praeinserto legato nominatos factam in omnibus eius punctis et clausulis conditionibusque approbandum, confirmandum, ratificandum duximus, prout approbamus, ratificamus et confirmamus authoritate nostra ordinaria in dei nomine per praesentes. Actum et datum in arce nostra Lubaviensi die trigesima mensis Julii anno domini Millesimo sexcentesimo primo cum sigilli nostri appressione, praesentibus R. dno. Martino Mirucki Gnesnensi et Posnaniensi canonico, Joanne Prawantio et aliis fide dignis.

L. S. Laurentius Gembicki Epp̄us Culmensis.

*Nach einer Abschrift im Archive des Pelpliner Domcapitels in Sedlags Msc. fol. 329. — Die erwähnte Eintragung in die Acten der Stadt Culmsee geschah* Culmsae coram civili officio feria sexta post Assumptionem B. V. M. proxima *(August 17)* a. d. 1601.

## 1118.

***1601. November 26. Culmsee.*** *Beschlüsse des Culmer Domcapitels.*

Quae in capitulo generali anno domini 1601. feria quarta post festum s. Martini episcopi et confessoris habito et per aliquot dies continuato, cui etiam Ill$^{mus}$ et R$^{mus}$ Dominus noster interfuit et praefuit, communi omnium consensu statuta sunt et definita.

In primis, ut confessio fidei ab omnibus fieret, obedientiaque summo pontifici ac ipsi Ill. et R. Domino eiusque successoribus praestaretur, quod ab omnibus prompto et alacri animo factum est.

Deinde decretum, ut in articulo statutorum ecclesiae de juramento circa receptionem novi canonici praestando hoc etiam addatur: Ut quilibet canonicus deinceps recipiendus professionem fidei catholicae faciat atque obedientiam summo pontifici ac s. sedi apostolicae et reverendissimo domino lociordinario pro tempore existenti exhibeat. Juret quoque quod bona ecclesiae non alienabit, et alienata pro posse recuperabit: iuxta ss. Concilii

Tridentini decreta et bullam Pii papae Quarti super hoc editam ac formam in statutis provincialibus descriptam. Sitque in posterum forma haec juramenti cuiuslibet canonici recipiendi: „Ego N. juro, quod ss. domino nostro, pontifici Romano, pro tempore existenti, et ipsius legatis et nuntiis, necnon reverendissimo domino meo, domino N. episcopo Culmensi et eius successoribus canonice legitimeque intrantibus obediens ero; consilia et secreta ecclesiae custodiam; jura, privilegia, statuta et consuetudines eiusdem ecclesiae servabo, defendam et manutenebo, bonum, utilitatem et honorem ipsius ecclesiae et capituli procurabo, quantum possum et licite adimplere valeo; bona ad ipsam ecclesiam spectantia non alienabo, nec ut alienentur consensum meum praebebo, si quae alienata fuerint vel distracta, ad jus et proprietatem ipsius ecclesiae reducere procurabo. Quae omnia in praesenti juro et bona fide promitto. Sic me deus adiuvet et haec sancta eius evangelia.“

De parte horti ante arcem Lubaviensem siti consensit venerabile capitulum, ut patribus monasterii concedatur iuxta Ill$^{mi}$ et R$^{mi}$ Domini nostri arbitrium et dispositionem.

Organario assignavit venerabile capitulum centum florenos pro salario, ut suis sumptibus se ipsum sustentet, de habitatione sibi provideat et calcantem conducat.

Sacristano septuaginta florenos assignavit cum participatione offertoriorum sexies in anno, videlicet in dominica Palmarum, feria quinta magna, in festis Paschae, Pentecostes, ss. Trinitatis et Nativitatis domini. In quibus diebus aequalem partem cum vicariis accipiet, qui tunc illud offertorium inter se cum ipso sacristano aequaliter divident. Victualia vero, utpote panis, caseus, ova et alia eius generis sacristano cedent, praeter pullos sive gallos, quos vicarii cum ipso sacristano inter se dispertient. — Ipse autem sacristanus omnes cereas oblationes, quae in ecclesia quocunque tempore offeruntur ad usum ecclesiae ipsius fideliter conservabit. Curam sacristiae et vestium sacrarum atque supellectilis argenteae habebit. Ideoque juramentum fidelitatis et obedientiae venerabili capitulo praestabit dabitque operam, ut omnia recto ordine disponantur. — Vestes et linteamina sacra suo tempore mundentur; ecclesia, cum opus fuerit, purgetur; caereos praeterea et candelas pro usu et ministerio ecclesiae parabit. Sacerdotibus in divinis officiis peragendis praesto aderit eisque ministrari curabit. Hostias seu oblata conficiet, pro quibus tamen conficiendis duos modios tritici venerabile capitulum eidem sacristano quotannis extradet. Ipse vero sic de cibo et potu providebit.

Campanatori triginta florenos venerabile capitulum concessit, et quicquid pro pulsu campanarum in obitu defunctorum colligere consuevit, quod tamen avidius non extorquebit: ea tamen conditione, ut se ipsum alat, curam diligentem horologii habeat et funes ad pulsandas campanas necessarios comparet; candelas accendat et extinguat et debita obsequia in ecclesia praestet secundum instructionem sacristani.

Pro lotrice duodecim florenos venerabile capitulum destinavit, ut quoties opus fuerit, vestes lineas, mappas, mantilia, strophiola caeteraque linteamina ecclesiae lavet et mundet.

Pro vino et cera venerabile capitulum, facta diligenti computatione, centum quadraginta florenos singulis annis exponi adinvenit.

Secretario capituli viginti florenos venerabile capitulum attribuit, ut ea, quae in capitulo tractabuntur et quae in negociis capituli describenda erunt, fideliter annotet, ac in regestris capituli diligenter scribat, super quo juramentum fidelitatis et silentii coram venerabili capitulo deponet.

De custodia sigilli maioris capituli statutum est, ut sub sigillo singulorum canonicorum observetur, nec eo quicquam obsignetur, nisi in capitulo generali.

De altaribus ecclesiae constitutum est, ut secundum praescriptum statutorum et antiquam consuetudinem ea domini canonici seniores per optionem obtineant, donec de illis aliter disponatur.

De provisione Rn$^{di}$ domini Fabiani Konopacki decretum est, quandoquidem in hoc negocio de conservandis ecclesiae juribus et statutis et antiquis ac receptis consuetudinibus tuendis et defendendis agitur; super quo quilibet canonicus jusjurandum interposuit, ut communibus consiliis et impensis, si rei exigentia postulaverit, negocium prosequatur; in quo etiam Ill$^{mus}$ et R$^{mus}$ Dominus noster studium consilium auxiliumque suum benigne polliceri dignatus est.

Item statutum est, ut vicarii et chorales sint sub potestate reverendi domini senioris, qui in negligentias et insolentias eorum diligenter animadvertet eaque de causa quilibet canonicus singulis quartalibus salarium, quod ipsis debetur, in manibus eiusdem reverendi domini senioris deponet, qui ipsum salarium unicuique eorum pro cuiuslibet conditione distribuet et extradet.

Item statutum est, ut sacristanus Rn$^{di}$ domini Dąbrowski censurae subsit, qui eundem sacristanum una cum sacristia accurate inspiciet, an omnia recte et decenter fiant et ordinentur. Et si quid negligentius agi animadvertet, de eo serio illum admonebit et pro officio suo mulctabit, in gravioribus autem ad capitulum deferet.

Quia vero in praeterito generali capitulo constitutum est, ut in extradendis inventariis post cessum vel decessum cuiusvis canonici meliora pecora venerabile capitulum deligat et a successoribus recipiat; ne in posterum variae super hoc difficultates et contentiones oriantur, statutum est, ut omnia inventaria quorumcunque allodiorum tam pecorum quam aliarum rerum aboleantur et obliterentur atque eorum loco summa pecuniaria reponatur et extradatur, quotiescunque aliquod allodium cum inventario vacare contigerit: ob eandem causam singulis allodiis, ubi antea inventaria reperiebantur, assignata est certa pecuniae summa, quae vice inventariorum ipsorum cessum vel decessum cuiuscunque canonici huiusmodi allodium obtinentis per ipsum cedentem vel eius demortui successores incunctanter ei numerare debebit, ad quem allodium illud per optionem vel quocunque alio jure pervenerit. Itaque pro inventario praedii Witkowo assignatae sunt centum quinquaginta marcae pruthenicae, quamlibet marcam viginti grossis computandum

et satio hyemalis, pro satione vero aestivali tres lastae cum media avenae, triginta modii hordei et quinque modii pisi. In praedio Morczyny nullum est inventarium praeter sationem hyemalem. Pro praedio Bielczyny assignatae sunt ducenti septuaginta marcae similes, et utraque satio, tam hyemalis quam aestivalis. Pro praedio Biskupice quindecim huiusmodi marcae et utraque satio tam hiemalis quam aestivalis. Pro praedio Wroclawki designatae sunt trecenti quindecim marcae similes cum satione hyemali tantum. Villa Skąpe cum praedio nullum habet inventarium praeter sationem hyemalem. Pro praedio Konczewice deputantur trecenti octuaginta marcae huiusmodi et utraque satio tam hyemalis quam aestivalis. Pro allodio quinti canonici, ad quod spectant duodecim mansi plebanales, nullum est assignatum inventarium nec ulla satio.

In cuius rei fidem sigillum nostrum capitulare praesentibus est affixum. Actum et datum a capitulo generali die 26 Novembris Anno domini 1601.

L. S. L. S.

Ego Joannes Praeuantius diocesis Culmensis, auctoritate apostolica notarius, testor hos articulos suprascriptos Ill$^{mo}$ et R$^{mo}$ domino Laurentio Gembicki, dei gratia episcopo Culmensi, per Reverendum dominum Odinetum Perrenot, canonicum et officialem Culmensem, esse oblatos. Quos Ill$^{mus}$ et R$^{mus}$ Dominus uti legitime et in rem illius ecclesiae factos authoritate sua ordinaria confirmavit, approbavit et ratificavit, suumque sigillum apponi iussit. Ideoque in eius rei fidem hoc praesens meum testimonium manu mea scripsi et subscripsi, signoque et nomine meis solitis et consuetis, quibus in talibus utor, consignavi, presentibus reverendis dominis Adamo Lesniowski, Posnaniensi Pultoviensi canonico et curiae suae ill$^{mi}$ et rev$^{mi}$ paternitatis cancellario, domino Joanne Kobylinski Cieplicio Ill$^{mi}$ et R$^{mi}$ domini capellano, venerabili Simone Bremelski parocho Lasinensi. Actum et datum in arce Starogrodensi anno domini 1601 die 29 Novembris Indictione decima quarta.

*Nach einer Abschrift im Archive des Domcapitels.*

## 1119.

***1602. Juli 4. Culmsee.*** *Das Domcapitel von Culm stellt zur Beaufsichtigung seiner Waldungen bei Klonowo einen neuen Waldwart an.*

Nos Praelati et Canonici totumque Capitulum ecclesiae cathedralis Culmsensis, notum testatumque facimus universis et singulis, ad quos hae praesentes pervenerint, quorumque inprimis scire interierit, quod cum nobili olim Eliae Tolodzieczki et eius legitimis haeredibus masculini sexus quatuor mansos ab omni onere rusticali et censu liberos in villa nostra Klonowo ea ratione concessissemus, ut in custodiendis sylvis et borris nostris capitularibus Klonoviensibus dictis omnem curam et diligentiam ipse et successores eius adhiberent; praefatus autem Elias cum omnibus liberis suis anno superiori pestilentia defunctus esset, sola uxore relicta vidua, ita ut ipsi quatuor mansi ad nostram et ad

capituli dispositionem devenissent: Nos volentes bonis ipsis nostris capitularibus pro debito officii nostri mature prospicere planeque providere, ne quid detrimenti ob defectum sylvani perciperent, rationem etiam habentes orbitatis viduae ipsius relictae, ex speciali gratia nostra nobili Jacobo Bonikowski concessimus, ut praefatos quatuor mansos a supramemorata vidua centum florenis polonicis, quemlibet florenum triginta grossis computando, redimat, eosque mansos hac ratione possideat, qua et saepedictus Elias Tolodzieczki possidebat, illosque cum ipse Jacobus Bonikowski tum ipsius haeredes legitimi masculini sexus possideant et fruantur, ut sylvarum et borrarum nostrarum praedictarum Klonoviensium curam et diligentem custodiam habere sint obstricti, atque omni studio et fidelitate incumbere, ne damnum aliquod et detrimentum ob eorum incuriam in sylvis et borris nostris saepedictis inferatur, iacturamque aliquam nos et venerabile capitulum patiamur, aut illorum culpa difficultates et incommoda nobis eveniant, sub poena amissionis eorundem mansorum et privilegii praesentis ipsi Jacobo Bonikowski super hoc gratiose concessi. In cuius rei fidem et testimonium has nostras literas concessimus sigillo nostro maiori capitulari communitas. Datum Culmseae capitulariter, die quarta mensis Julii, anno domini Millesimo Sexcentesimo Secundo. Volumus nihilominus, ut praefato Jacobo Bonikowski et eius successoribus salva semper remaneat summa supraexposita pro reemptione praedictorum mansorum.

*Ab extra:* Hoc privilegium redemptum est per venerabile Capitulum a possessore ipsius anno domini 1612$^{mo}$.

*Original auf Pergament mit einem Einschnitt zum Pergamentstreifen im Culmer Diöc.-Archiv. Siegel fehlt. Abschrift bei Mauritius nr. 118.*

## 1120.

***1603. März 18. Krakau.*** *Sigismund III., König von Polen, verurtheilt den Thorner Magistrat zur Herausgabe der demselben übergebenen und noch nicht völlig restituirten Urkunden an das Benedictinerkloster daselbst.*

Sigismundus Tertius, dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae, Livoniaeque etc. necnon Suecorum, Gottorum Vandalorumque haereditarius rex. Significamus praesentibus literis nostris, quorum interest, universis et singulis, citatos fuisse ad nos iudiciumque nostrum literis adcitationis nostrae spectabiles ac famatos burgrabium, proconsulem et consules civitatis nostrae Thorunensis ex eisdem officiis bonisque illorum omnibus ad instantiam religiosae abbatissae, priorisae et subpriorisae totiusque conventus monasterii sancti spiritus Thorunensis ad paratam causam et actionem per easdem actrices coram iudicio nostro eisdem citatis ratione certorum privilegiorum praefato monasterio servientium citatis concreditorum institutam et hucusque in exequutione rei iudicatae dependentem. In qua causa post aliquot decreta antea per

nos lata intercesserat novissime decretum nostrum, quo pronuntiatum fuit citatos ad evasionem iuratoriam provocare non posse sed teneri privilegia omnia actricibus restituere sub poena taxae, videlicet decem millium florenorum idque coram certis commissariis nostris eodem decreto nostro deputatis. Coram quibus quidem commissariis posteaquam nihilominus citati eadem privilegia se habere negarent eorumque restitutionem omnino impossibilem esse assererent, commissarii nostri praefati denuo eandem causam pro declaratione ad nos iudiciumque nostrum sine ulla praefixione termini remiserant, prout actus commissariorum et adcitatio praefata latius de praemissis testantur. In termino itaque hodierno Judicii Relationum nostrarum propriarum ex appellatione a sententia Assessorum judicii nostri per partem citatam ad nos interposita incidente et hucusque continuato partibus praefatis, actorea per nobilem Stanislaum Przeworski, citata vero per nobilem Joannem Sikorski in praesentia egregii Joannis Ekhardi secretarii Torunensis, plenipotentes suos coram nobis comparentes eumque terminum attentantes controversias suas coram commissariis factas repetentibus, decreta nostra et alia documenta ibidem producta denuo coram nobis exhibentibus. Nos cum consiliariis nostris lateri nostro assidentibus eo considerato, quod inter defensas citatorum illae sunt praecipuae, quod errorem temporis ex morte Elisabethae virginis causantur, quasi ea tempore regis Augusti esset defuncta, cum constet eam anno Millesimo Quingentesimo Octuagesimo Secundo tempore regis Stephani testamentum condidisse, quae quidem ratio in priori decreto nostro, quo citatos ad iuramentum provocare non posse decreveramus, ultima erat. Et etiamsi haec aliqua ex parte claudicaret, reliquae tamen in eodem decreto positae integrae sunt, utpote quod Magistratus ad extradenda sibi ea privilegia virgines plane adegerit, quod scrinium duobus seraculis clausum et claves ab eo obsignatas receperit (prout hoc ex apocha citatorum apparet) neque vero claves obsignatas neque scrinium, in quo duorum seraculorum vel talium (?) vestigium appareat, restituerit neque apocham suam eliberaverit. Praeterea quod iidem citati malam informationem procuratorum causantur, quae ratio eos iuvare iam non potest, cum ignorantia iuris neminem excuset. Ex iis itaque rationibus exceptiones partis citatae locum non habere adinvenimus decrevimusque, quatenus coram nobis in causa ulterius procedat. In ulteriori itaque processu cum nihilominus idem citatorum plenipotens integram privilegiorum extraditionem affirmaret et citatos ad restitutionem privilegiorum, quae non haberent, cogi impossibile esse assereret atque ad iuramentum evasionis provocaret. Et praeterea actrices in iudicio terrestri privilegium fundationis produxisse certis attestationibus et rescriptis deduceret atque ita eas integra privilegia habere ostenderet, alias quoque defensiones coram commissariis adductas denuo afferret. Actorea vero pars prioribus decretis nostris inhaereret. Nos cum eisdem consiliariis nostris eo ex controversia partium attento, quod decreto nostro priori ex certis rationibus iam cognitum et pronuntiatum est citatos ad evasionem iuratoriam admitti non posse sed eadem privilegia fidei suae credita integre restituere teneri sub pena taxae decem millium florenorum,

cui tamen decreto hucusque satisfactum non est. Ideo decernendum duximus decernimusque, quatenus pars actorea abbatisa videlicet moderna cum una virgine ex conventu coram officio spirituali in manibus officialis loci illius in sex septimanis a data praesentium computandis iuramentum corporale praestent in eam iuramenti rotam, quod monasterio et conventui eorum magistratus Torunensis privilegia per virgines illius temporis magistratui itidem illius temporis cum scrinio concredita non integre extradidit, sic eas deus adiuvet et sancta Jesu Christi passio. Quod iuramentum posteaquam actrices, uti praemissum est, praestiterint, extunc citati privilegia, quae sibi actrices deesse affirmaverint, eidem reddere et restituere vel si ea reddere non poterint aestimationem litis iuxta taxam in citatione positam, videlicet decem millium florenorum, actoreae parti persolvere tenebuntur idque in sex septimanis post praestitum iuramentum praefatum coram loci illius palatino vel eius officio. Praeterea vero ad nullam damnorum quorumvis refusionem tenebuntur. Quod si actrices existimant bona aliqua adhuc ex vi non restitutorum privilegiorum sibi deberi, de eis salvas actiones qualescunque eis competierint contra quosvis eorundem bonorum possessores eisdem reservamus, amissione privilegiorum et solutione taxae praefatae non obstante, praesentis decreti nostri vigore. Pro cuius exequutione remittimus partes quoad iuramenti praefati praestitionem ad officialem loci illius, quoad vero solutionem praestandam ad loci illius palatinum in terminis superius specificatis peremptoriis. Pro cuius rei fidem sigillum regni nostri praesentibus est appressum. Datum Cracouiae feria tertia post dominicam Judica proxima anno domini Millesimo Sexcentesimo tertio regnorum nostrorum Polonici Sedecimo, Suetici vero anno Decimo. — Relatio Rndi. in Christo patris domini Petri Tylicki episcopi Varmiensis, R. P. vicecancellarii.

Petrus Tylicki Epūs Varm. P. Sczerbicz sscr.

R. P. vicecancellarius subscripsit.

*Original auf Pergament mit dem Reichssiegel in einer Blechkapsel an seidenen Schnüren im Archiv der Jacobskirche in Thorn.*

## 1121.

***1603. März 20. Krakau.*** *Sigismund III., König von Polen, verurtheilt den Magistrat in Thorn, welcher sich in den Besitz der Hospitalsgüter zum hl. Geiste gesetzt hatte, zur Herausgabe derselben an das Benedictinerkloster daselbst. Warschau 1593 April 23. — Neue Ausfertigung.*

Sigismundus Tertius, dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae, Livoniaeque etc. necnon Sveciae hereditarius rex. Significamus praesentibus literis nostris, quorum interest, universis et singulis, quod posteaquam vocati fuissent ad nos iudiciumque nostrum literis adcitationis nostrae spectabiles ac famati burgrabius, proconsules, consules totaque communitas civitatis nostrae Thorunensis ex officiis bonisque illorum omnibus ad instantiam deodicatarum Zophiae Dulska abbatissae totiusque conventus virginum monasterii Thorunensis ad ecclesiam et xenodochium sancti

spiritus siti, cum assistentia Rdi. in Christo patris domini Petri Kostka de Stangenberg, episcopi Culmensis, tanquam patroni sui, ad paratam causam para ... terminum dilationis ad producendum iura et privilegia ad causam, quae eisdem ..... cum eisdem citatis ratione certorum bonorum et villarum ad praedictum conventum spectantium coram judicio nostro intercedebat, citatis per decretum nostrum in comitiis anni Millesimi Quingentesimi Nonagesimi concessae: quae quidem adcitatio edita propterea fuit, quod ..... concordia per certas personas inter easdem partes tentata et tractata, effectum tamen suum debitum sortita et consensu virginum approbata non est, quemadmodum adcitatio praefata latius de praemissis testatur. In termino itaque hodierno judicii relationum nostrarum propriarum, ex eadem adcitatione tum et dilatione superius recensita nec non ex appellatione a sententia Assessorum judicii nostri per partem citatam ad nos interposita incidente et hucusque continuato, partes praefatae actorea per nobilem Mathiam Kączki, citata vero per nobilem Simonem Wisonski plenipotentes suos coram nobis comparuerunt, causamque praedictam eo qui sequitur ordine prosequebantur. Et primum quidem post accessoria quaedam minoris momenti introducta et decisa, cum citati post decretam sibi responsionem eam causam transactione sopitam esse denegarent, atque eandem transactionem manibus certarum insignium personarum nec non nobilis Casparis Okurowski mixta, eiusdem partis actoreae plenipotentis ac mandatarii, subscriptam sigillisque eorum munitam autentice producerent: actorea parte in contrarium transactionem per illos arbitros, zelo quidem optimo institutam et tractatam fuisse, respondente, eam tamen sufficientem non esse et proinde subsistere non posse inde deducente, quod procurator Caspar Mixta, qui virginum nomine transactioni subscripsit, ad faciendas transactiones mandatum nullum habuit, habere autem expresse de iure debuit, siquidem procuratores bona principalium suorum obligare alienare aut de illis transigere non possunt: Deinde quod eadem transactio (prout ex ipsius verbis manifeste constat) per episcopum Culmensem loci illius ordinarium accedente consensu virginum approbari debuit, quod tamen factum non est: nam neque episcopus eam approbasse probatur, et virgines tantum abest, ut in eam consensissent, ut statim post acceptam de ea notitiam contra illam sint protestatae atque partem adversam propterea denuo adcitarunt. Nos itaque cum consiliariis nostris eo considerato, quod citati non probant procuratorem virginum ad faciendam transactionem expressum mandatum habuisse: tum quod eadem transactio neque per loci ordinarium neque per ipsas virgines approbata est: Ideo eandem transactionem tanquam insufficientem suis viribus consistere non posse adinvenimus eaque non obstante decrevimus, quatenus pars citata super propositionem partis actoreae in negotio principali directe respondeat, dilationique suae satisfaciat. Directe itaque respondendo pars citata produxit privigelium Kochmagistri, supremi magistri ordinis Teutonici, Thorunii feria quinta ante festum Exaltationis sanctae Crucis anno Millesimo Quadringentesimo Decimoquinto datum, quo et monasterium xenodochio et bona utriusque unita

et in unum corpus redacta sunt cum ea expressa clausula, ut integrum sit magistris ordinis eorumque successoribus pro rei exigentia eadem bona rursus separare et disiungere: Secundo loco produxit decretum Ser$^{mi}$ regis Stephani antecessoris nostri, quo virtute illius ipsius clausulae ea bonorum disiunctio atque separatio facta est, et monasterii quidem bona monasterio, xenodochii vero eidem xenodochio sub curam et administrationem magistratus civitatis restituta relictaque sunt. Tertio dicebant se iam inde ab annis centum triginta septem in continua eorum bonorum administratione fuisse, quod certis munimentis ipsarumque virginum quietationibus comprobabat. Postremo exhibebant nobis generalem iurium suorum confirmationem per nos factam, qua magistratus civilis in usu cum aliarum rerum tum vero ecclesiarum et xenodochiorum conservatus est. Iis sic deductis petebat sese circa usum tam antiquum conservari, ab impetioneque virginum liberam renunciare. Actorea vero pars incontrarium respondendo: Primum quod attinet privilegium incorporationis, dicebat, se quoque eodem privilegio probare bona xenodochii monasterio suo debere, quo in eo privilegio nihil est manifestius, vigore cuius quidem unionis virgines plus quam centum et septuaginta annis a data privilegii ea bona pacifice possidebant: quod decretum separationis Ser$^{mi}$ antecessoris nostri attinet, de eo iam tanto minus laborandum est, quanto maiore sollennitate illud in Comitiis regni decreto nostro sublatum est, sublatum autem propterea, quod illud non in suis terminis neque cum legitimo et competenti actore promulgatum erat, sine scitu voluntate et assistentia virginum bonorum illorum haeredum; Denique ex ipsis privilegii verbis apparere, separationem tum demum fieri debuisse, si virgines viginti pauperes in xenodochio non foverent, quod tamen contra virgines probatum non est; imo quamdiu bona xenodochii possederunt, nihil pauperibus deerat: Administrationem quod attinet, dicebat fieri quidem potuisse, ut virgines tempore bellorum et tumultuum sese in tutelam et administrationem magistratui tum catholico dederet, non tamen inde sequi, ut administrator vel defensor bona fidei suae commissa pro suis usurpare debeat, magistratum vero virginum non civitatis nomine bona administrasse vel ex ipsis quietationibus per citatos productis colligi potest. His ita deductis et allegatis ostendebat insuper pars actorea, magistratum civilem non posse bonorum illorum et xenodochii administrationem suscipere. Primum: propterea quod privilegio eius unionis, quo monasterium ad ecclesiam sancti spiritus translatum est, non illis sed virginibus et praeposito ea cura est commissa: quod si magister ordinis tunc magistratum civilem, quamvis catholicum, praeteriit, multo minus modernus magistratus existens a religione catholica diversus id sibi vendicare potest. Deinde quod eodem privilegio tam virgines quam pauperes ad missas orationes pro defunctis aliaque bona opera obligantur, hoc autem magistratus civilis et pauperes, quos ille in sua religione retinet, praestare non possunt, quandoquidem neque missas in sua religione celebrant neque pro defunctis orant. Itaque propter piam fundatorum intentionem facilius ea omnia per sanctimoniales pauperesque Romanae obedientiae quam per magistratum civilem religionis diversae praestari posse. Citatis se religionem Romanam pauperibus impedire negantibus. Nos igitur cum

eisdem consiliariis lateri nostro assidentibus eo considerato, quod bona xenodochii monasterio virginum ex praescripto privilegii superius recensiti unita et incorporata sunt, in quibus citati non aliud quam administrationis ius ab ipsis virginibus olim permissum sibi competere asseverant, idque ipsarum virginum quitationibus comprobant, ex omnibus constat magistratum civilem virginum nomine illa bona administrasse. Decretum quoque separationis Ser$^{mi}$ antecessoris nostri per decretum nostrum in totius reipublicae corona, auctoritate conventus regni generalis, tanquam ex instantia actoris incompetentis, in suis terminis latum sublatum est. Insuper quod separatio iuxta ipsius privilegii tenorem non nisi tunc libera esse magistris eorumque successoribus debuit, cum virgines conditioni de fovendis viginti pauperibus satis non facerent, cuius rei virgines nunquam accusatae convictaeve fuerunt. Ex his itaque causis et rationibus decernendum duximus decernimusque, debere ac teneri citatos omnia et singula bona ad xenodochium spectantia tam ea, quae in privilegio incorporationis praefatae continentur, quam ea quaecunque illis bonis successu temporis sive per industriam humanam sive ex liberalitate piorum catolicorum hominum accesserint, cum omnibus attinentiis colonis aedificiisque virginibus earumque monasterio restituere eaque deoccupare, atque in possessione eorum pacificam mittere, idque in sex septimanis a data praesentium computandis sub vadio taxae in originali citatione positae, videlicet decem millium florenorum polonicalium correspondentium. Iamque ex nunc parti actoreae addimus nobilem et nobiles, quem et quoscunque voluerit, ad intromittendum easdem virgines in bona superius recensita. Casu vero non admissae possessionis remittimus causam praesentem cum toto eius effectu ad loci illius palatinum, cuius iurisdictioni bona praefata subiacent tanquam ad brachium nostrum regalem pro faciendo et terminando pro . . . . . one necnon pro decernendo vadio praefato presentis decreti nostri vigore. In cuius rei fidem et testimonium sigillum nostrum praesentibus est appressum. Datum Warsouiae feria sexta ante dominicam Conductus Paschae proxima anno domini Millesimo Quingentesimo Nonagesimo Tertio, Regni vero nostri anno Sexto. Relatio R$^{di}$ Joannis Tarnowski, Cracoviensis Vladislaviensis Lanciciensisque praepositi, R. P. vicecancellarii. P. Sczerbicz subscripsit. Joannes Tharnowski R. P. vicecancellarius subscripsit.

Quas quidem literas . . . insertas in actis cancellariae nostrae contentas, nos ad petitionem certae personae ex eisdem describi et authentice extradi mandavimus, volentes, ut robur suum debitum obtineant. In cuius rei fidem et testimonium sigillum nostrum presentibus est appensum. Datum Cracoviae feria quinta ante dominicam Palmarum proxima anno domini Millesimo Sexcentesimo Tertio, regnorum nostrorum Polonici XVI°, Suetici vero anno Nono. Relatio R$^{di}$ in Christo patris domini Petri Tylicki, episcopi Varmiensis et regni Poloniae vicecancellarii.

Petrus Tylicki Epus Varm. R. P. Vicecancellarius subscripsit.
And. Mokronoski subscrip.

*Original auf bereits sehr beschädigtem Pergament mit dem königlichen Siegel in einer Blechkapsel an seidenen Schnüren im Archiv der Jacobskirche in Thorn.*

## 1122.

***1603. November 7. Löbau.*** *Laurentius Gembicki, Bischof von Culm, giebt dem Jungfrauenkloster zu Culm den Consens zum Ankauf eines Obstgartens.*

Gembicki, dei gratia episcopus Culmensis, episcopatus Pomesaniensis perpetuus administrator. Significamus praesentibus literis nostris, quorum interest, universis et singulis, quod, cum religiosae ac deodicatae virgines Magdalena de Morezgi abbatissa, et Anna Macieiewska, priorissa, suo totiusque conventus monasterii virginum Culmensis nomine, mediam partem pomarii eidem conventui et vallo civitatis adiacentis ante portam piscatorum siti a spectabilibus et famatis Martino Roga et Barbara Kochanska legittimis coniugibus mille florenis polonicis emissent, mediam vero eiusdem pomarii partem iidem coniuges mera deliberataque voluntate eidem conventui dono dedissent, eamque ad rem consensus noster requireretur, faciendum nobis esse putavimus, ut, postulante id a nobis utraque parte, non gravatim ad eam emptionem et donationem consentiremus easdemque, ita uti coram Actis officii suburbani Judicii civilis Culmensis factae atque recognitae sunt, in omnibus punctis, clausulis, conditionibus singulisque et universis contentis comprobaremus, confirmaremus et ratificaremus, quemadmodum quidem comprobamus, confirmamus et ratificamus easdemque robur debitae et perpetuae firmitatis non secus, acsi consensus noster antecessisset, habere et obtinere volumus. In cuius rei fidem praesentes manu nostra subscriptas sigillo nostro consignari iussimus. Datum in arce nostra Lubauiensi die VII. mensis Novembris anno domini Millesimo Sexcentesimo Tercio.

Laur. Gembicki Episcopus Culmensis.

*Original auf Pergament mit Siegel im Culmer Diöc.-Archiv.*

## 1123.

***1603. December 1. Culmsee.*** *Laurentius Gembicki, Bischof von Culm, redigirt die verschiedenen älteren Statuten des Culmer Domcapitels und vermehrt sie durch neue.*

Laurentius Gembicki, dei gratia episcopus Culmensis et perpetuus episcopatus Pomesaniensis administrator. Universis et singulis, ad quorum notitiam praesentes literae nostrae pervenerint, significamus et notum facimus, quod posteaquam ad munus episcopale nullis nostris meritis sed sola dei omnipotentis clementia et providentia evecti sumus, omni cura et studio nobis ad id incumbendum putavimus, ut ecclesiarum nostrae curae commissarum, maxime vero ecclesiae huius cathedralis, quae caput est caeterarum, rationes ita constituerentur, ut in ea divinus cultus congruo ordine debitaque pietate peragatur, et ii, qui se divino ministerio dedicarunt, vita et moribus caeteris praeluceant omniumque virtutum exemplum praebeant. Ad quem effectum cum a nostris antecessoribus nonnullas constitutiones pie editas consideraremus, passim tamen dispersas nec in ordinem ullum digestas, eas ad laudem Dei Optimi Maximi et ecclesiae huius nostrae statum

utilitatemque communem, personarum in ea divino cultui mancipatarum captum faciliorem et profectum officiorumque normam de venerabilis capituli nostri consilio et assensu in unum corpus redigere, et coniunctim cum iis, quae nostro tempore accesserunt, rationibus istius temporis accommodare studuimus, quemadmodum per dei gratiam redeginus et accommodavimus. Ad quas observandas uti iam pridem receptas ac usu diuturno firmatas et stabilitas et fideliter retinendas omnes ipsius ecclesiae nostrae canonici praesentes et futuri sub praestitis et praestandis juramentis erunt obligati, ac sub poenis in eis expressis et designatis omnino adstricti.

Primo nimirum. Quia numerus canonicorum, qui ad quatuor tantum redactus erat, dei benignitate cura et studio reverendissimi praedecessoris nostri domini Petri Tylicki et sanctissimi domini nostri Clementis octavi confirmatione et ordinatione tandem auctus est, et quintus canonicus additus, cum assignatione certorum proventuum, tam ex bonis mensae episcopalis quam capituli, et distributionum quotidianarum, iuxta constitutionem super hoc factam in generali capitulo sub R$^{mo}$ domino Petro Tylicki tum episcopo Culmensi, per SS. D. N. approbatam, qui quidem quintus canonicus curam ecclesiae parochialis et animarum in ea degentium gerit et sustinet: idcirco statuimus, ut quemadmodum omnium fructuum obventionum et utilitatum particeps est effectus, ita etiam omnia onera officiaque ecclesiastica pariter obeat et sustineat, ac in omnibus se caeteris canonicis residentibus conformet.

2. Porro. Quia haec ecclesia cathedralis Culmensis in matricem ecclesiam est erecta ac beneficiis ecclesiasticis prae caeteris dotata, ut ea etiam aliis totius dioecesis ecclesiis regula sit et exemplar, divinique nominis laudes iugiter in ea legantur, praedicentur et celebrentur: statuimus imprimis, ut horae canonicae, tam diurnae quam nocturnae, iuxta ecclesiasticam consuetudinem et s. Romanae ecclesiae institutum, singulis diebus, modo et ordine in Breviariis et Missalibus ex decreto ss. Concilii Tridentini restitutis descripto, in ea peragantur, lectiones sacrae ac verbi divini conciones frequententur, omniaque cum tali pietate et devotione recitentur et decantentur, ut gravitas actionum internam pietatem ministrorum domus domini contestetur.

3. Item statuimus, ut canonici residentes iuxta ordinem receptionis servent hebdomadas in ecclesia hoc modo: ut in festis primae et secundae classis et aliis festis celebribus in ipsa hebdomada occurrentibus, canonicus hebdomadarius ipsius festi officium tam missae quam utrarumque vesperarum, matutini et laudum, a primis vesperis incipiendum, dominicis vero diebus missam tantum per se vel per alium canonicum peragat. In festis vero inferioribus et ferialibus diebus capellani iuxta constitutiones suas officia ipsa obeant. Hebdomadam autem a meridie Sabbathi terminari et ob eodem inchoari censemus, horas quoque consuetas canonicas intelligi declaramus. Ut autem solemniores festivitates maiori quoque celebritate et decore peragantur, statuimus, ut canonici in maioribus illis festis in primis vesperis ad Magnificat et in processione pluvialibus utantur.

4. Porro. Ut divina officia in hac ecclesia nostra cathedrali a canonicis residentibus congruo ordine debitaque diligentia peragantur, et ipsi canonici ad ea absolvenda promptiores reddantur: statuimus, ut distributiones quotidianae, quas, qui divinis officiis intersunt, secundum modum et formam in canone ss. Concilii Tridentini super hoc praescriptam et ordinationem R$^{mi}$ praedecessoris nostri percipere solent, singulis septimanis dividantur et pro ratione uniuscuiusque praesentia distribuantur.

5. Item statuimus, ut canonicus hebdomadarius diebus dominicis et festis celebribus, infra suam septimanam occurrentibus, horis canonicis, videlicet utrisque vesperis, matutino et laudibus, a principio usque ad finem in stallo suo praesidendo personaliter intersit, aut alium canonicum sui vice surrogare teneatur, diligentemque curam adhibeat, ut cum debita reverentia diligentiaque integre divina officia peragantur, sub poena privationis distributionum in earum statutis expressa. Diebus autem feriis et festis non celebribus vicarius ipsius canonici hebdomadarii per se vel per alium vicarium absolvat.

6. Item. Ut numerus et ordo psallentium in choro integer permaneat, statuimus, ut nullus ex choralibus intra divina officia, quae ab ipsis decantantur, sese a choro absentet, sed nec ipsi vicarii ante absolutum matutinum, et hoc causa sacri peragendi tantum, iuxta illorum statuta, nisi in magna necessitate a canonico hebdomadario vel eius vicario super hoc licentia obtenta. Quorum etiam negligentias et insolentias, si quas commiserint, debet ipse hebdomadarius vel eius vicarius illi, qui tum praesidebit, nunciare, qui studeat illos ab illicitis evagationibus et aliis exessibus refrenare, et ipsi chorales iuxta statuta ipsis praescripta intra divina se gerant et excessus inter se puniant. Nullus quoque canonicus choralem suum infra officia, cuiusvis officii vel ministerii praetextu, extra chorum evocet, alioquin mulctabitur parte congrua refectionum eius diei arbitrio canonici praesidentis.

7. Item. Ut inter residentes canonicos, sicut in emolumentis, sic et in oneribus paritas servetur, statuimus, ut nullus canonicus ad fructuum praebendae perceptionem et alias obventiones ecclesiasticas admittatur, nisi sit sacro presbyteratus ordine insignitus, et officia divina, maxime vero sacrosanctum missae sacrificium, per se ad altare maius prius peragat, ac septimanam suam more aliorum canonicorum residentium observet. Qui vero in capitulum cooptatus fuerit et infra annum ad sacrum presbyteratus ordinem promoveri non curaverit sed distulerit, a capitulo deferendus erit R$^{mo}$ domino ordinario, qui contra illum secundum ss. canonum praescriptum procedat.

8. Item. Ut canonicalis vocationis dignitas etiam exterioris habitu religionis dinoscatur, statuimus, ut canonicus sub divinis officiis in choro sine superpellicio non compareat. In processionibus quoque et aliis solemnibus actionibus almutio indutus incedat, nisi officiorum celebritas indumenta requirat solemniora, sub poenis in ordinatione distributionum statutis.

9. Item statuimus, ut annis singulis canonici residentes post festum s. Martini in capitulo generali unum inter se eligant, qui in omnibus actionibus, negotiis et consiliis capitularibus per tempus sibi commissi officii praesit eaque dirigat, habeatque potestatem, quoties causae et negotia occurrerint, sive ad ecclesiam pertinentia sive ad administrationem bonorum aut eorum ab iniuriis vicinorum defensionem, quae capitularem deliberationem vel discussionem postulare videbuntur, capitulum convocandi: in quo ipsius erit officium, negotia, super quibus deliberatio fieri debeat, ex loco suo proponere. Quapropter crebro cum administratore bonorum sive oeconomo de rationibus eorum communicabit, paratusque ad capitulum veniet, ea omnia ordine exponet, quae necessaria pro tempore videbuntur; de his sententiam suam primo loco dicet, per ordinem deinde sententias aliorum rogabit, ac secundum plures concludet. Quod si in aequales partes discesserint, res ad R$^{mum}$ dominum episcopum definienda deferatur. Si vero hunc modum praescriptum praesidens non servaverit, ad arbitrium capituli puniatur: cuius iudicio, si stare noluerit, ad R$^{mum}$ dominum episcopum deferatur.

10. Item statuimus, ut in eodem capitulo generali iidem canonici residentes unum similiter inter se eligant, cui administrationem bonorum communium capituli districtus Kaurnik in temporalibus committant. De qua administratione perceptisque et expensis omnibus rationem sufficientem in capitulo generali reddere semel in anno, recurrente festo s. Martini, sit obligatus; qua facta erit in potestate capituli illi tale administrationis officium diutius permittere vel illi per suffragia alium subrogare. Quodque is, qui electus fuerit, juramentum praestare teneatur, se, quamdiu commissum officium geret, fideliter administraturum, in quo, si negligens repertus fuerit, judicium capituli sustinere tenebitur, legitima provocatione non negata. Ad particularia vero officia, veluti annonarum, piscaturae, curae ecclesiae, fabricae, distributionum quotidianarum, et similia, electiones et deputationes fiant, ut est ab antiquo consuetum. De quibus officiis sibi commissis quilibet ad ea electus rationem itidem reddere tenebitur singulis annis, in eodem generali capitulo, et regestra sua bene disposita et ordinata apud ipsum capitulum reponere, sub poena arbitrio capituli irroganda.

11. Item statuimus, ut habeatur locus capitularis specialis, in quo, quoties de negotiis, juribus et opportunitatibus ac commoditatibus ecclesiae vel capituli, aut aliis causis et incidentibus rebus, consultationes capitulares habendae sunt, praesertim vero et ordinarie singulis quatuor septimanis semel, videlicet feria sexta prima cuiusque mensis, aut die feriali proximo, cum festum celebre in ea occurrerit, ad pulsum campanae congregationes capitulares fiant, serveturque in illis ordinis et honestatis iusta moderatio, ut videlicet ad inductionem praesidentis vota et sententiae in deliberationibus pronuncientur, ita ut alter alterius vocem non praeoccupet aut interturbet, sed iuxta ordinem quisque libere proferat sententiam suam. Nullus quoque capitularis contra alium capitularem, dum capitulum celebratur, in verba inhonesta contumeliosa vel iniuriosa prorumpat, alioquin poena

decem florenorum ad fabricam ecclesiae convertendorum, vel etiam maiori, si delicti gravitas postulaverit, ad arbitrium capituli mulctetur, atque ipsi capitulo et personae lesae omnino satisfacere teneatur sub eadem poena. Si quis vero vocatus ad capitulum, legitimo cessente impedimento, quod praesidenti intimare oportebit, non venerit, unius marcae pruthenicae poenam luat, publico ecclesiae aerario applicandae.

12. Item statuimus, ut bis in anno capitulum generale habeatur, primum videlicet octava die post festum s. Martini, festo aliquo celebri non impedita, alterum sequenti die post festum s. Joannis Baptistae similiter non impedita. In quibus generalibus capitulis omnes canonici adesse tenebuntur, nisi in negotio capituli aliquis eorum detentus abesse cogeretur, et de rebus ac negotiis ecclesiae diligenter deliberabunt, de rationibus administratorum inquirent, resque graviores tractabunt, et caetera omnia expedient, quae ecclesiae et capituli commodo atque usui erunt. Quicunque vero canonicus ipsis generalibus capitulis, cessante illo impedimento, ab ipso principio usque ad conclusionem interesse neglexerit, participatione summarum ex redditis rationibus relictarum, si quae dividendae fuerint, omnino privabitur et soli praesentes eas inter se pro ratione uniuscuiusque residentiae divident.

13. Item statuimus, ut singulis annis pro festo s. Martini ex censibus districtus Kaurnik ad aerarium publicum ecclesiae reponantur viginti marcae pruthenicae, et census ex villa et molendino Staw, ex quibus occurrentibus extraordinariis casibus et negotiis capituli subveniatur. De quorum dispensatione is, cui commissum fuerit, rationem in capitulo generali facere teneatur. Pecunia autem illa publica in loco tuto capitulari custodiri debet.

14. Item statuimus, quod consilia, vota, decreta, gesta et gerenda capituli, quae tanquam secreta celanda fuerint, praeterea quae pro talibus per praesidentem de voluntate capituli declarata fuerint, iura quoque et munimenta ecclesiae, quae periculosum est propalari, ac etiam quae quis in capitulo protestando dicit, se capitulariter dicere vel facere, nisi talia essent, quae de iure celari non debent, nullus sub poena periurii et privationis distributionum ac suffragii in capitulo ad medium annum, vel ulterius pro gravitate delicti, revelare audeat, quousque per ipsum capitulum decretum fuerit publicari posse.

15. Item statuimus, ut quilibet canonicus apud ecclesiam residens pro praebenda suo canonicatui annexa secundum antiqua statuta triginta marcas pruthenicas singulis annis habeat in duobus terminis iuxta residentiae suae ratam percipiendum, mediam partem videlicet quindecim marcas postridie festi s. Joannis Baptiste, alteram vero mediam partem quindecim itidem marcas octavo die post festum s. Martini episcopi et confessoris. Quas pecunias ex censibus et redditibus, qui ex bonis capitularibus Kauernicensibus colliguntur, ab administratore eorundem bonorum percipiet.

16. Item statuimus, quod salvis optionibus, de quibus infra statuitur, omnes proventus ex censibus, annonis, piscationibus, et aliis bonis capituli obvenientes, sint omnibus resi-

dentibus canonicis communes, ex quibus distributiones quotidianae deservientibus, ut supra fiant, et corpora praebendarum expediantur per officialem, cui haec cura erit commissa; residuum vero residentibus canonicis pro rata residentiae cuiusque distribuatur. Canonicus autem quilibet proprium capellanum, qui in divinis officiis deserviat, suis salario et expensis habere, similiter et choralem proprium stipendio provisum continuo tenere sit obligatus, alias non solum distributionibus quotidianis et aliis residentium praerogativis privetur, sed etiam si diutius in negligentia perstiterit, ad R^m^ dominum ordinarium deferatur, ut ab eo iuxta praescriptum Concilii Tridentini fructibus quoque et emolumentis praediorum mulctetur. Quod si canonicus receptus vicarium tantum habuerit, et de chorali sibi non providerit, si per integrum quartale, decem florenis; si autem choralis adfuerit et vicarium per id temporis spatium non habuerit, viginti florenis mulctabitur, in aerarium publicum ecclesiae reponendis. Si vero per medium annum hoc contigerit, duplicata simili poena plectetur et crescente negligentia poena quoque augenda erit.

17. Item statuimus, cum praedia sive allodia canonicalia cum villis ad illorum usum deputatis non ita pridem quinque partita fuerint, et quinque canonicis residentibus pro praestimoniis destinata et assignata, statuimus, id etiam deinceps observari debere, ut per cessum vel decessum aut aliam quamcunque dimissionem vel amissionem, vacante aliquo ex ipsis allodiis seu praestimoniis, quinque canonici, qui ex residentibus receptione seniores fuerint, infra quatuor septimanarum spatium ad ipsius vacantis praestimonii optionem, servato ordine receptionis, procedant. Praestimonium quoque, quod per optantem dimissum fuerit, poterit tum per alium ex praedictis quinque simili conditione optari, et vacantium optiones consequenter fieri. Quorum optionum publicatio et processus ad acta capitularia diligenter referantur.

18. Item. De curiis seu domibus canonicalibus intra septa ecclesiae constitutis, quae a quatuor senioribus ad praesens obtinentur, ac etiam de domibus vicariorum et hortis ac vivariis equinis extra civitatem, volumus eandem ordinem quoad optiones et optantium habilitatem, sicut de alodiis, observari.

19. Item statuimus, quod si canonicus praestimonium vel curiam canonicalem habens per unius anni spatium sine licentia et voluntate R^mi^ domini episcopi et capituli, excepta gravis aegritudinis causa vel captivitatis, extra residentiam moratus fuerit, ac canonice monitus ad praefinitum a R^mo^ domino episcopo et capitulo tempus ad ecclesiam et residentiam suam redire neglexerit, lapso termino monitionis, tam praestimonium quam curia ipsius, cum caeteris rebus iure canonicali obtentis, tanquam dimissa et vacantia habeantur; quae tunc modo praedicto per alios optari poterunt, proviso quod de rebus mobilibus ad dimittentem canonicatum pertinentibus nihil alienetur vel amittatur. Eum autem residere interpretamur, qui animo continuo apud ecclesiam manendi familiam domesticam et apparatum rei familiaris retinuerit, et equos necessarios ad minus duos aluerit, capellanumque

et choralem in divinis officiis ministrantes, ut supra dictum est, habuerit, nec ultra tres menses per annum se ab ecclesia sine licentia R^mi domini episcopi et capituli absentaverit.

20. Item statuimus, quod canonicus residens per R^m dominum episcopum vocatus, aut ad loca remotiora intra vel extra provinciam de consensu capituli missus, vel etiam cum ipso R^mo domino episcopo ad conventiones intra vel extra Prussiam proficiscens, fructus praebendae suae et distributiones singulas, acsi praesens deserviret, percipiat. Qui si etiam per capitulum in aliquo negotio ecclesiae missus fuerit, tunc ultra praesentiam, illius quoque sumptibus vivat, in cuius negotio susceperit profectionem.

21. Item statuimus, quod quilibet canonicus praestimonium suum, quod habet cum coniuncta villa, teneatur diligenti cura sic administrare, ut in suis limitibus et attinentiis, aedificiis necnon privilegiis et iuribus conservetur, neve occasione alicuius negligentiae aut gravaminis in periculum desolationis aut aliud detrimentum deveniat, quin etiam collapsa restaurare in primis teneatur. Quod si eius incuria vel insolentia vel desidia ipsum praestimonium deteriorari compertum fuerit, et capitulariter monitus ad praefinitum a capitulo tempus reparare neglexerit, aliud optare non permittatur, donec ipsum praestimonium ad statum priorem reparetur, fructusque, qui ad reparationem huiusmodi convertantur, interim non percipiat ex eodem. Quod si perceperit, ipso facto sit excommunicatus; si vero ante reparationem decedens ruinosa aedificia reliquerit, de praebenda aut aliis bonis eius relictis tantum retineatur, ut competens reparatio fieri possit.

22. Item statuimus, ut quamprimum canonicus praebendatus et praestimonium habens ultimum diem clauserit, praestimonium per eum relictum sub potestatem et regimen capituli redigatur et recipiatur, defunctus vero canonicus intra quatuor septimanarum spatium sepeliatur. Familia autem defuncti interea ex mobilibus ab illo ratione ecclesiae relictis alatur et sustentetur, eaque de causa omnes obventiones proventuum, quomodolibet ad canonicos residentes spectantes, aliaeque refectiones et distributiones ipsi defuncto pro ratione residentiae usque ad tempus sepulturae praefixum, et non ulterius, obveniant, quas ipse, si viveret et praesens officiis divinis interesset, perciperet. Tempus vero iustum et commodum successoribus defuncti concedi debet, ad res iure successionis sibi competente absque ullo dispendio atque detrimento explorandas, si testatus decesserit.

23. Item statuimus, quod canonicus praestimonium obtinens, si illo dimisso aliud optaverit, antequam ipsius possessionem accipiat, teneatur omnia et singula ad praedium suum spectantia, una cum sationibus et frumentis a se receptis, integre successori relinquere, nec aliquid eorum, quae ad aedes et aedificia pertinent, quae videlicet vel clavis affixa vel propriis locis aut usibus eorum aptata fuerunt, iuxta inventaria super hoc confecta, inde asportet vel alienet: alioquin donec de omnibus rebus a se per inventarium receptis deque alienatis et deficientibus restitutionem vel compensationem sufficientem fecerit, ad optati praestimonii usum nequaquam admittatur. Quod post obitum vel decessum alicuius canonici stricte quoque observari volumus, ut eius successores hoc

omnino praestare teneantur, et illi canonico, ad quem praestimonium vel aedes canonicales defuncti per optionem pervenerint, omnia supramemorata incunctanter restituere sint adstricti, antequam demortui successione potiantur. Quam successionem sic adibunt, ut, si in primis tribus mensibus Januario, Februario et Martio, canonicus testatus decesserit vel canonicatu cesserit, quartam partem fructuum omnium illius anni, si in tribus sequentibus, videlicet Aprili, Maio, Junio, mediam partem, si in tribus sequentibus, hoc est Julio, Augusto, Septembre, tres partes, si in tribus ultimis, nempe Octobre, Novembre, Decembre, integros prorsus fructus totius anni percipiant. Hoc tamen proviso, ut pro ratione perceptorum fructuum frumenta quoque et sementem faciendam et omnia iuxta inventarium relinquant.

24. Item statuimus, ut de domibus sive curiis canonicalibus cum suis attinentiis, ac etiam de aedificiis in area ecclesiae adhaerente, eadem ratio ac de allodiis habeatur, ut videlicet quisque ea, quae suis usibus concessa et deputata sunt, in aedificiis et pertinentiis suis, ne collabantur vel intercidant, diligenter conservet, collapsa restituat vel in meliorem formam commutet, utensilia quoque domus ab antecessore relicta, quae in inventario conscripta apud capitulum habeantur, in ea integritate, qua accepit, successori relinquat: alioquin eisdem poenis subiaceat vivens vel moriens, ut de praestimoniis superius est expressum.

25. Item statuimus, quod si quis canonicorum, ruinosis aedificiis acceptis, sumptuosam reparationem domus vel praestimonii sui facere cogatur, aut alias intra septa ecclesiae domum suam pro decore canonicalis residentiae notabiliter sumptibus suis melioraverit, in quo stabitur iudicio capituli, ne horum impendiorum suorum fructu destituatur, debent melioramenta ipsa vel nova aedificia, postquam domus vel allodium huiusmodi per cessum vel decessum vacaverit, antequam optetur, per capitulum moderata aestimatione taxari, et qui domum vel allodium ipsum optaverit, pecuniam, ad quam taxata fuerint, teneatur infra duos annos canonico cedenti, vel eius demortui haeredibus, aut iis, quibus ex testamento aut alias iure debetur, persolvere, nisi aliter poterit cum ipsis de summa vel tempore solutionis convenire. De aedificiis quoque in area simili modo, sicut de habitationibus, observetur.

26. Item statuimus, quod singulis trienniis capitulum per se vel eos, quos ad hoc deputabit idoneos, sive ex ordine suo, sive inferiori gradu sacerdotes, rei oeconomicae gnaros, capitulo obstrictos, habitationes canonicales et praestimonia ac etiam areae aedificia visitabit, inspectisque inventariis diligenter investigabit, an omnia iuxta dispositionem superiorum statutorum observentur et consistant. In quibus si defectus aliquis ex canonici possessoris culpa repertus fuerit, studeat capitulum iuxta vigesimi primi articuli praescriptum ea in melius reformare ac ita prospicere, ne ecclesia vel capitulum periculum aut detrimentum inde aliquot subeat: sylvae quoque ipsis allodiis adiunctae ne devastentur, quod antea magno cum detrimento factum est, neque arbores ex eis vendantur aut

donentur, sed parce pro usu suo illis possessores utantur, sub poena amissionis ipsorum allodiorum.

27. Item statuimus, ne quis canonicus allodia sua sive praestimonium obtentum aliasve ecclesiae possessiones in locationem sive arendam concedat, absque expresso venerabilis capituli consensu.

28. Item statuimus, quod nullus beneficiatus ecclesiae nostrae cathedralis ad possessionem et perceptionem fructuum beneficii sui admittatur, nisi prius per se, vel si absens fuerit, per procuratorem suum, et cum ad ecclesiam pervenerit, personaliter, ad sancta dei evangelia, facta prius fidei professione secundum ss. Concilii Tridentini decreta et bullam Pii IV. super hoc editam, praestet iuramentum. Canonicus quidem juret forma sequenti: „Ego N. iuro, quod sanctissimo domino nostro Pontifici Romano pro tempore existenti et ipsius legatis et nunciis, necnon reverendissimo domino meo domino N. episcopo Culmensi et eius successoribus canonice legitimeque intrantibus obediens ero; consilia et secreta ecclesiae servabo; iura, privilegia, statuta et consuetudines eiusdem ecclesiae observabo, defendam et manutenebo; bonum, utilitatem et honorem ipsius ecclesiae et capituli procurabo, quantum possum et licite adimplere valeo; bona ad ipsam ecclesiam spectantia non alienabo, nec ut alienentur consensum meum praebebo; quae alienata fuerint vel distracta, ad ius et proprietatem ipsius ecclesiae reducere procurabo. Quae omnia in praesenti juro et bona fide promitto. Sic me deus adiuvet et haec sancta dei evangelia.“ — Vicarius vero juret, ut sequitur: „Ego N. iuro, quod reverendissimo domino nostro episcopo Culmensi et eius successoribus legitime intrantibus obediens ero, singulis canonicis reverentiam et honorem debitum ubique impendam, statuta et consuetudines huius ecclesiae servabo, bonum, utilitatem honorem ipsius ecclesiae fideliter procurabo, quantum possum et licite adimplere valeo. Ita me deus adiuvet, et haec sancta dei evangelia.“

29. Item statuimus, ut quilibet canonicus, cum in capitulum et ecclesiam recipitur et per se vel procuratorem suum introducitur, teneatur pro ornamentis ecclesiae apud capitulum reponere viginti florenos polonicales in ipso primo ingressu.

30. Item statuimus, quod de triennio in triennium capitulum certos canonicos deputet, qui limites et fines inter bona capitularia et bona R^morum^ dominorum Culmensis et Plocensis episcoporum, et ducatus Masoviae ac castrorum Bratianensis et Brodnicensis aliorumque confinium et vicinorum visitent, ac diligenter perlustrent, signaque metalia granitierum, videlicet scopulos, acervos, cumulos, incisiones aliaque similia recognoscant; et sicubi animadverterint vel immutatos scopulos vel disiectos vel diuturnitate temporis abolitos aliaque itidem signa: tum venerabile capitulum et reverendissimum dominum episcopum mature praemoneant, ut communibus consiliis prospiciant, ne quod detrimentum bonis ecclesiae inferatur.

31. Item statuimus, quod canonicus praebendatus, pro legationibus aut officiis quibuscunque capituralibus obeundis a capitulo electus seu deputatus, teneatur sine contradictione illas vel illa suscipere vel explere, nec se quoquomodo, quominus id faciat, subtrahere debebit. Qui si causas aliquas seu impedimenta, quibus se excusare niteretur, allegaverit, iudicio capituli stabit, an propter eas vel ea sit ab huiusmodi onere rationabiliter sublevandus. Alioquin si post binam admonitionem contumaciter se opposuerit, in decem florenis de proventibus ad ipsum spectantibus ei detrahendis puniatur. Ut autem in expediendis huiusmodi ecclesiae et capituli negotiis, et iis praesertim, quae ad tuenda episcopatus et capituli iura et bona pertinent, ne super hoc difficultates aut contentiones aliquando oriantur, ex quo magnum aliquod damnum ecclesiae inferri posset: statuimus, ut ordo directus observetur, hoc est, ut quilibet canonicus gradatim iuxta ordinem receptionis suae illa negotia, quandocunque inciderint, expedire teneatur, vel alicuius canonici, qui eius nomine ea expediat, opera uti; ratio tamen haberi debet infirmae valetudinis et aliorum legitimorum impedimentorum.

32. Item statuimus, ut liber actorum habeatur, in quo ea, quae acta erunt in capitulo notatu digna, per iuniorem canonicum, ubi secretarius capituli abesset, quotiescunque capitulum celebrabitur, accurate describantur et ab eo diligenter observentur.

33. Item statuimus, ut literis patentibus et diplomatibus a capitulo concedendis et extradendis nomina singulorum canonicorum, qui tempore expeditionis illorum in capitulo presentes aderunt, exprimantur, ut omnis occasio ea improbandi aut in dubium revocandi praecidatur.

34. Item statuimus, ut sigillum maius capituli, quo privilegia et diplomata alicuius momenti a capitulo concedenda obsignari solent sub firma custodia in loco capitulari, ubi etiam privilegia ecclesiae serventur, habeatur, ac sub sigillis singulorum canonicorum observetur, nec eo quicquam consignetur, nisi in generalibus capitulis. Clavem autem ad locum illum capitularem is habebit, cui a capitulo committetur.

35. Item statuimus, quod statuta et ordinationes praescriptae bis singulis annis in capitulis generalibus, omnibus canonicis capitulariter convocatis, per capituli secretarium vel per alium canonicum capitularem, cui id commissum fuerit, distincte et intelligibiliter legantur, ne quisquam periurii periculum possit incurrere aut ignorantiam eorum praetendere valeat seu allegare. Quae omnia et singula sic fieri et firmiter observari ordinamus, disponimus et decernimus in nomine domini.

Si tamen incidentes aliquae necessitates vel futurorum temporum rationes aliqua immutari vel adiungi postulaverint, vel etiam dilucidius explicari, cum consilio eiusdem venerabilis capituli nostri, nobis et successoribus nostris erit eius rei libera potestas. In quorum fidem praesentibus manu nostra subscriptis sigilla nostrum et venerabilis capituli

sunt subimpressa. Actum et datum Culmsehae in capitulo generali die prima mensis Decembris, anno domini Millesimo Sexcentesimo Tertio.

Laurentius Gembicky, Episcopus Culmensis, praesentes subscripsit propria manu, cum appressione sigilli ipsius et venerabilis capituli.

*Nach der Abschrift im Nachtrage des Copiariums Culmense und zwei anderen Abschriften im Archive des Domcapitels.*

## 1124.

***1605. Juni 21.*** *Laurentius Gembicki, Bischof von Culm, hält eine Diöcesansynode.*

*Die Statuten wurden von Gembicki im Jahre 1605 zum Drucke befördert, und wiederholt in den Statuten des Bischofs Działiński und bei Hartzheim, Concil. Germaniae VIII 655 ff. Eine Uebersicht der Titel bei Jacobson KR. p. 189 nr. 56. Vgl. p. 99.*

## 1125.

***1605. November 20. Culmsee.*** *Das Domcapitel von Culm erneuert die Verschreibung über die Mühle in Klonowo.*

Nos Praelati, Canonici totumque Capitulum ecclesiae cathedralis Culmensis, universis et singulis, quorum interest, significamus et notum facimus, quod cum honorabilis olim Valentinus Jagielka molendinum nostrum dictum Klonowsky, cum uno manso agri et omnibus attinentiis, fructibus, redditibus et proventibus, ad idem molendinum antiquitus spectantibus, ita longe late et circumferentialiter, prout sese in suis metis et limitibus extendit, a reverendo domino Nicolao Kostka, abbate Pelplinensi, tunc temporibus bonorum nostrorum Cauernicensium arendatore, pro summa centum quinquaginta marcarum pruthenicarum, in quamlibet viginti grossis computandarum, de consensu venerabilis capituli emisset et in effectu persolvisset, cum ea conditione, ut de eodem ipso molendino et manso agri ad illud spectante singulis annis decem similes marcas pruthenicas ad curiam nostram Cauernicensem pro festo s. Martini episcopi et confessoris census nomine dare, et in manus administratoris eorundem bonorum pro tempore existentis extradere idem Valentinus et eius posteri tenerentur. Quo Valentino de vivis sublato, cum Jacobus de Grodziczno Dorotheam derelictam eiusdem Valentini in uxorem duxisset, et cum aliis ipsius Valentini successoribus de praedicti molendini et eius attinentiarum portione eos concernente convenisset, sortemque illorum propriis suis pecuniis de consensu quoque ven. capituli redemisset: idem ipse Jacobus nobis humiliter supplicavit, quatenus ei et eius successoribus de eiusmodi emptione et ipsius molendini et mansi agri, assensu ven. capituli, adeptione diplomate nostro cavere atque providere dignaremur. Nos super hoc diligenti inquisitione habita, rem ita se habere certo deprehendimus ac venerabile capitulum eiusmodi emptionem propter insignem ecclesiae huius utilitatem concessisse comperimus. Quapropter supplicationi praedicti Jacobi tanquam iustae et legitimae inclinati, hoc ei

privilegium dandum et conferendum duximus, quemadmodum damus et conferimus per presentes, ut videlicet praefatum molendinum Klonowsky dictum, cum manso agri ad illud spectante, et cum omnibus fructibus redditibus et emolumentis ex eis provenientibus, idem Jacobus et eius successores legitimi habeant, teneant, possideant, utantur, fruantur iure perpetuo et haereditario, prout antecessores ipsius habuerunt tenuerunt et possiderunt. Ea tamen conditione, ut supraexpressum censum decem marcarum pruthenicarum singulis annis pro festo sancti Martini ad curiam nostram Cauernicensem absque ulla dilatione et difficultate ipse Jacobus eiusque successores legittimi solvant et extradant, iuribus nostris capitularibus per omnia salvis et integris remanentibus. In cuius rei fidem praesentes maioris sigilli nostri capitularis subappensione communiri fecimus. Datum Culmseae in capitulo generali feria quarta ante festum s. Catharinae virginis et martiris, anno domini Millesimo sexcentesimo quinto.

*Abschrift im Archive des Culmer Domcapitels.*

## 1126.

***1607. Mai 8—12. Petrikau.*** *Cardinal Bernard Macieiowski, Erzbischof von Gnesen, hält eine Provinzial-Synode seiner Kirchenprovinz ab, auf der u. a. anwesend sind:* Albertus Baranowski Wladislaviensis et Pomeraniae et Laurentius Gembicki Culmensis episcopi; . . . Balthasarus Miaskowski archidiaconus Pomeraniae S. Theol. Doct. . . . . Jacobus Fulgravius, Nicolai Kostka Pelplinensis et Davidis Konarski Olivensis abbatum nuntius. — *Die Beschlüsse wurden vom Papste Paul V. unterm 4. October 1608 bestätigt und, da Macieiowski inzwischen verstorben war, von dessen Nachfolger dem EB. Albert Baranowski publicirt.*

*Concilium provinciale Regni Poloniae, quod . . . Bernardus Macieiowski etc. habuit Petricoviae 1607. Cracoviae 1630. 4.*

## 1127.

***1609. Januar 9. Löbau.*** *Laurentius Gembicki, Bischof von Culm, erneuert die Handfeste des Gutes Naguszewo.*

Laurentius Gembicki, dei gratia episcopus Culmensis et perpetuus episcopatus Pomesanienis administrator, significamus praesentibus literis nostris, quorum interest, universis et singulis, quod cum ab antecessoribus nostris ac nobis ipsis possessores villae nostrae Nagoschewo admoniti essent privilegium, quo ipsis villam praefatam bone memoriae reverendus dominus Johannes a Konopat, episcopus Culmensis, venditionis titulo addixerat, de jure non posse subsistere, ii, qui nunc partim haereditate partim etiam quaesito iure in eam possessionem iuxta portiones suas venerunt, nimirum Jacobus, Matthias, Petrus, Georgius, Valentinus et Johannes duo, demisse nobis supplicaverunt, ut ipsis de iure solido et stabili, quod perpetuum permaneret, provideremus. Nos matura deliberatione praehabita, ex consilio et consensu venerabilis capituli nostri et jurisperitorum nostrorum, considerata potissimum antiqua eaque pacifica ipsorum possessione multis successoribus ad

eos devoluta, in qua multiplicati sunt, perpensa etiam confirmatione iuris antiqui ipsorum, qua reverendus olim Johannes de Curiis Dantiscus emptionem illorum villae praefatae confirmaverat valituramque in perpetuum edixerat, maxime vero id attendentes, quod etiam nunc, quo solidius ius ipsorum firmaretur, in usum ecclesiae ducentas et quinquaginta marcas prutenicales in perpetuum censum ad altare fraternitatis Corporis Christi in ecclesia parochiali Lubaviensi existens realiter et in effectum fundaverunt et enumeraverunt; permittente id nobis indulto sedis apostolicae, quo intercedente etiam antecessores nostri, dum similia bona impenderent, nitebantur, faciendum esse putavimus, ut illis eorumque legitimis possessoribus eandem villam Nagoschewo triginta mansos in se complectentem, cum omnibus ipsius circumferentiis, utilitatibus, fructibus, proventibus, redditibus attinentiisque et pertinentiis universis, nihil ab ea excipiendum, cum libera piscatione in lacu Rumian parvis instrumentis retiariis pro usu mensae suae duntaxat, ita nimirum, quemadmodum eam antecessores ipsorum possidebant ipsique hactenus possident, iure Culmensi perpetuo, quo etiam alii nobiles et feudatarii nostri possessiones suas in episcopatu nostro possident, tenendam, habendam, possidendam, pacificeque et quiete utifruendam authoritate et ex benignitate nostra damus atque conferimus praesentibus literis nostris. In recognitionem vero supremi dominii iidem praefati nobiles Nagoschewzet (!) ac eorum legitimi successores nobis et successoribus nostris pro festo Martini unam libram cerae et quinque denarios consuetos singulis annis persolvere, et quoties opus more aliorum nobilium uno equo inservire et alia munia, quae ceteri nostri nobiles sunt obligati, praestare tenebuntur. Promittimusque pro nobis et successoribus nostris non esse nos dictam villam, quicquam ad eam pertinens, ulla ratione a praefatis nobilibus eorumque successoribus amoturos aut alienaturos, quin eis totum, integrum illaesumque ius feudatorum conservaturos; juribus nostris supremi dominii salvis ibidem manentibus. In cuius rei fidem praesentibus sigillum nostrum et venerabilis capituli nostri est appressum. Datum in arce nostra Lubaviensi, die nona Januarii anno domini M. DC. IX.

*Nach einer Abschrift im Archive des Domcapitels.*

## 1128.

***1609. Juli 24. Culmsee.*** *Das Domcapitel zu Culmsee erklärt von der Aebtissin Sophia Dulska und dem Convente des Nonnenklosters zum hl. Geist bei Thorn in dessen Dorfe Mlyniec auf dem Ufer der Drewenz für 20 Jahre einen Platz eingeräumt erhalten zu haben und verpflichtet sich, wenn nach dieser Zeit keine weitere Einigung vereinbart wird, die etwa aufgeführten Gebäude abtragen zu lassen und den Platz wieder dem Kloster zurückzustellen. Als Entschädigung entsagt es dem Pfluggetreide aus den Rittergütern des Klosters.* Dat. Culmsae in vigilia s. Jacobi apostoli anno domini Millesimo Sexcentesimo Nono. Odinetus Perrenot canonicus et officialis Culmensis nomine totius Capituli.

*Abschrift im Copiar. 4 fol. 161 der Jacobskirche zu Thorn.*

## 1129.

***1610. Februar 25. Löbau.*** *Laurentius Gembicki, Bischof von Culm, gestattet dem Benedictinerkloster in Thorn die Ausleihung von 10 000 Gulden.*

Laurentius Gembicki, dei gratia episcopus Culmensis et episcopatus Pomesaniensis perpetuus administrator, postulatus Vladislaviensis et Pomeraniae ac regni Poloniae supremus cancellarius. Significamus universis, quorum interest, obtinuisse ante aliquot annos verbotenus a nobis venerabilem Sophiam Dulska, abbatissam Thoruniensem, una cum suo toto conventu ad sanctum spiritum extra moenia civitatis Thorunensis, ut ipsi, authoritate nostra ordinaria interveniente integrum esset, pro summa pecuniae decem millium florenorum polonicalium, sui conventus assensu accedente, censum annuum reemptionalem in bonis quibusvis terrestribus, praevia legitima ad acta authentica obligatione, emere. Quem cum iam a generoso d. Paulo Dzialynski, capitaneo Radzynensi, in bonis ipsius haereditariis, medietate videlicet oppidi Wrzesnia, ac villis Psarii, Zawodzie et praedio Szlomowo ac aliis iuxta tenorem obligationis per praedictum generosum d. Dzialynski praefato conventui Thorunensi ad acta authentica castri Bobrownicensis in anno 1606 factae emerit, petiit a nobis, ut praefatam census emptionem literis nostris gratam, ratam et firmam habere vellemus. Nos, quibus curae est pro paterno in praefatum monasterium affectu, ut commoda omnia et proventus ipsius pro sustentatione virginum deodicatarum istic degentium et aedificiorum reparatione augeantur, facile ipsam emptionem confirmandam esse duximus, quemadmodum tenore praesentium confirmamus, amice postulantes a praefato generoso d. Działynski ipsiusque successoribus, ut censum praedictum a praefata summa decem millium florenorum provenientem saepedicto monasterio statis temporibus iuxta obligationem suam sine ulla difficultate et mora repraesentet. In cuius rei fidem praesentibus sigillum nostrum est appositum. Datum in arce Lubaw 25 Februarii 1610.

Laurentius episcopus Culmensis, nominatus Vladislaviensis,
R. P. cancellarius.

*Abschrift im Copiarium nr. 4 der S. Jacobskirche zu Thorn fol. 158.*

## 1130.

***1610. Juni 11. Rom.*** *Papst Paul V. beauftragt den Official von Culm, den von ihm zum Coadiutor des altersschwachen Domherrn Friedrich Zaleski von Culm ernannten Culmer Cleriker Petrus Sokolowski in sein neues Amt einzusetzen.* Datum Romae apud S. Marcum anno incarnationis dominicae Millesimo sexcentesimo decimo Tertio Idus Junii, Pont. nostri Anno Sexto.

*Original auf Pergament mit der Bulle im Culmer DArch.*

## 1131.

***1610. December 7. Culmsee.*** *Statuten für die Vicare, Chorsänger und die anderen Ministri an der Domkirche zu Culmsee.*

Nos Praelati et Canonici totumque Capitulum ecclesiae cathedralis Culmensis, universis et singulis, quorum interest, significamus, quod cum animadverteremus multa in cultu divino cum ratione horarum canonicalium et beatissimae virginis tum aliorum officiorum divinorum, propter temporum iniquitatem esse immutata et magna reformatione indigere: intendentes restaurationi eiusdem cultus divini in praefata ecclesia, tam in horis canonicis et beatissimae virginis, quam in aliis divinis officiis, quae in choro cantari consueverunt, statuta antiqua innovavimus et reformavimus in hunc, qui sequitur, modum. Quae quidem statuta ab omnibus capellanis, tam vicariis quam choralibus nostris, sub poenis in eis expressis, firmiter et inviolabiliter observari volumus.

1. In primis. Ut dicti capellani et chorales huiusmodi divina officia cum debita integritate et reverentia decantent, statuimus et ordinavimus, quod sub horis canonicis et beatae Mariae virginis ac aliis divinis officiis capellani superpellitiis, chorales vero supparis sint induti: quod si quis capellanus sine superpellitio vel choralis sine supparo officiis divinis interfuerit, tanquam absens reputabitur et mulctabitur. Quibus quidem superpellitiis domi sumptis, vicarii, cum pulsus campanae datur, domo egrediantur, ibique vel in ipso aditu ecclesiae ipsis superpelliciis tempestive induantur; chorales vero, qui in parte dextra chori sunt, ex capella s. Crucis; qui vero in parte sinistra, ex capella b. Jotae, simili modo sumptis supparis, accedant chorum: finitis autem horis, in iisdem capellis ea exuant et ibi deponant, sub poena unius solidi, tocies quoties aliquis eorum huic constitutioni contravenerit.

2. Item statuimus, quod rixas, contentiones, risus vel alias gestus indecoros, aut fabulationes clamorosas, quibus alii cantantes perturbari possint, non excitent, nec dum cantare debeant, dominire aut contumaciter silere praesumant; lectiones, collectas, epistolam, evangelium, praefationem ac alia prius perlecta congrue et distincte et cum accentuum observatione, ne ab advenis irrideantur, cantent. In quibus si quispiam per dominos canonicos (quibus debitam reverentiam exhibere tenentur) notatus fuerit, pro qualibet vice uno solido puniatur, aut alias iuxta qualitatem excessus.

3. Item statuimus, quod quilibet capellanus et choralis chorum et locum sibi deputatum observet, nec de uno ad alium, dum manendum fuerit, discurrat: neque dum ad librum conveniendum fuerit, hoc est, cum incoeptum fuerit „Gloria Patri“ in fine psalmi, in eodem loco, etiamsi cantum memoriter teneat, residere praesumat, sed ante librum cantans reverenter stet, confusiones quoque et dissonantias turpes nec ipse faciat nec ab aliis fieri procuret, sub poena unius solidi pro qualibet vice, quoties culpabilis repertus fuerit, persolvendi.

4. Item statuimus, ut absolutis horis, cum discedendum est a choro, praesertim vero finitis horis beatae Virginis post maturum sacrum, et finita Nona post summum sacrum, finitoque Completorio post vesperas, Salve Regina decantetur vel alia antiphona iuxta rubricam Breviarii Romani, sub simili poena unius solidi.

5. Item statuimus, ut in festis solennioribus ad Matutinum media hora ante quartam post mediam noctem primus pulsus detur, media vero hora ante quintam cum omnibus campanis more solito pulsetur, excepta nocte Nativitatis domini, in qua hora duodecima, et Resurrectionis domini, in qua hora secunda pulsabitur, propter solennitatem officiorum, ut hactenus observatum est. Caeteris diebus omnibus hora quinta vel paulo ante, pro ratione officii, primo pulsabitur. Ad summum autem sacrum diebus dominicis et festis celebribus, media hora ante octavam primo, hora vero octava secundo; aliis autem diebus non celebribus hora octava primo, hora vero media ante nonam secundo, exceptis feriis sextis, vigiliis Sanctorum et aliis diebus ieiuniorum, in quibus media ante nonam primo, hora vero nona secundo ad summum sacrum pulsabitur. Ad vesperas autem in hyeme, hoc est, a festo Omnium sanctorum inclusive usque ad dominicam primam Quadragesimae exclusive, media hora ante secundam primo, hora vero secunda secundo; a dominica autem prima Quadragesimae usque ad festum Omnium sanctorum media hora ante tertiam primo, hora vero tertia secundo pulsari debet, nisi fortasse urgente aliqua necessitate tempus immutari oporteat.

6. Item statuimus, ut in solennioribus festis omnes capellani et chorales in Matutinis, Laudibus et Prima, utrisque Vesperis et Completoriis a principio usque ad finem intersint. Quicunque autem cum matutinum inchoatum fuerit ad chorum non venerit, uno solido; qui in primo responsorio non adfuerit, uno quoque solido; qui vero ultimum responsorium neglexerit, similiter uno solido; qui autem primum psalmum in laudibus omiserit, uno etiam solido; et qui in cantico Benedictus absens fuerit, uno quoque solido; qui similiter primum psalmum Primae neglexerit, uno itidem solido puniatur. Et sic qui totum officium nocturnum omiserit, duos grossos poenae loco dabit. Erit tamen liberum ei, qui maturum sacrum celebrabit, cantata lectione sua abire, ut ad missam celebrandam se praeparare possit. Chorales item negligentes in maioribus solennitatibus Tertiae, Sextae, Nonae hymnum, a qualibet hora solidi unius poenam sustinebunt. — In Vesperis vero tam primis quam secundis maiorum solennitatum cappellani et chorales, qui in primo psalmo non adfuerint, unius solidi; qui in cantico Magnificat, unius solidi; in primo etiam psalmo completorii, unius solidi; et in cantico Nunc dimittis, unius solidi poenam luant. Qui autem ex choralibus in summa missa ipsarum maiorum solennitatum Introitum neglexerit, solidum unum; qui Graduale, solidum unum; et qui Sanctus, similiter solidum unum dependat.

7. Item statuimus, ut in aliis festis duplicibus tam celebribus quam non celebribus, semiduplicibus et dominicis diebus, capellani et chorales, qui post inchoatum Matutinum

ad chorum non venerint, tribus denariis; et qui in primo responsorio absentes fuerint, tribus denariis; qui vero in ultimo responsorio, tribus quoque denariis; qui etiam in Laudibus ad primum psalmum non venerint, tribus denariis; et ad Benedictus, tribus denariis puniantur. Qui etiam primum psalmum Primae et Tertiae, quae ante maturum sacrum illis diebus decantantur, neglexerint, pro qualibet hora tribus denariis mulctentur: excepto tamen maturista, qui a toto hoc officio nocturno liber erit. Qui vero in Vesperis utrisque festorum supradictorum, exceptis tantum semiduplicibus, non autem dominicis diebus, tam cappellanus quam choralis in primo psalmo se absentaverit, tres denarios; et qui in cantico Magnificat non interfuerit, tres quoque denarios dependat: choralis autem, qui in Completorio praefatorum dierum primum psalmum neglexerit, tribus denariis, et qui „Nunc dimittis", tribus quoque denariis plectatur. Similiter qui diebus supradictis primo psalmo Sextae et Nonae non interfuerit, pro qualibet hora tribus denariis, et qui in summo sacro Introitum neglexerit, tribus denariis, qui Graduale, tribus denariis, et qui Sanctus, similiter tribus denariis puniatur. Quod sic intelligendum interpretamur, ut si quis in principio Matutini, videlicet dum cantatur „Domine labia mea aperies," et in primo psalmo cuiusvis horae et introitu missae adfuerit, vel si ea neglexerit, postquam ad chorum sub divinis officiis venerit, minime ei a choro abscedere liceat ante absolutum officium, nisi legitima de causa et licentia accepta a seniore, sub poena, quotiescunque id fecerit, duorum grossorum in maioribus solennitatibus, et unius grossi in aliis diebus.

8. Item statuimus, ut in festis trium lectionum et ferialibus diebus, quicunque tam capellanus quam choralis, qui cum „Domine labia mea aperies" inceptum fuerit, in choro non comparuerit, trium denariorum, et qui in ultimo responsorio, trium quoque denariorum, qui etiam ad Benedictus, trium denariorum, et qui in primo psalmo Primae, trium item denariorum poenam ferat. Chorales vero, qui primum psalmum Tertiae, Sextae, Nonae neglexerint, pro qualibet hora duobus denariis puniantur. Qui autem in summa missa dum Introitus cantatur non adfuerint, duobus denariis, dum Graduale, duobus quoque denariis, et dum Sanctus, duobus etiam denariis mulctentur.

9. Item quicunque tam capellanus quam choralis in officio matutino beatae Virginis post inchoatum „Venite" absens fuerit, duobus denariis; et qui tertium responsorium, si cantabitur, vel illius loco „Te deum laudamus", neglexerit, duobus etiam denariis; qui vero in Laudibus, Prima, Tertia, Sexta, Nona, in Vesperis et in Completorio, primum psalmum neglexerit, a qualibet illa hora duobus similiter denariis puniatur. In missa autem de beata Virgine, qui ad Introitum praesens non fuerit, duobus denariis, et qui Sanctus neglexerit, duobus quoque denariis plectatur. Exceptis hebdomadario, qui summum sacrum celebraturus est, et capellanis, qui missam celebrare vel confessiones audire voluerint, vel dominorum suorum, quibus semper ad sacra peragenda, quotiescunque opus fuerit, inservire tenebuntur, altare ornare aut paramenta recipere et sacristiae deferre necesse habuerint. Tales enim liberos esse volumus a poenis superius expressis, dummodo

rationabiliter haec fecerint. A vesperis vero horarum canonicarum illis diebus, quibus officium parvum beatae Virginis decantabitur, capellani liberi sint, excepto hebdomadario, qui licet canonicus praesens fuerit, tenetur tamen interesse tam Vesperis et Completorio, quam omnibus etiam aliis horis canonicis et beatissimae Virginis, a principio usque ad finem, sub poena unius grossi pro qualibet hora, praeter alias poenas supraexpressas. Pro missa autem, si eam neglexerit, sive sit maturista sive hebdomadarius, decem grossos deponat, quos alius accipiet, qui in eius loco celebraverit, vel si nullus paratus fuerit, inter alias mulctas deputabuntur.

10. Item statuimus, ut nemo sub horis et officiis praedictis, quae cantu peraguntur, plus quam una vice chorum exire praesumat, sub poena simili unius solidi, toties quoties exierit.

11. Volumus quoque et prohibemus, ne plures quam unus sive capellanus sive choralis sub officiis divinis praedictis a choro discedat. Quodsi uno absente alter vel plures se subtraxerint, pro inobedientia huiusmodi unum solidum, ultra alias poenas, si quas pro negligentiis suprascriptis incurrerint, quilibet persolvat.

12. Item statuimus, ut maturista intersit Sextae ante summum sacrum et capitulum ac orationem eiusdem sextae decantet per totam illam septimanam, in qua maturum sacrum absolvere tenetur, et absoluto summo sacro Nonam vel tempore Quadragesimae Vesperas incipiat et finiat, ne hebdomadarius eas ex altari indecenter cogatur incipere, sub poena unius solidi, quocies id neglexerit. Quod intelligi debet, cum hebdomadarius sacrum ipsum peragit, alias si non celebraverit, haec ipse hebdomadarius absolvere teneatur.

13. Item statuimus, ut omnes tam capellani quam chorales, sive sint hebdomadarii sive non, tam horas canonicas quam beatae virginis, vel missas et alia officia, ad quae obligantur, per se vel alium idoneum decantent. Nec quemquam prohiberi volumus, quominus loco sui idoneum presbiterum vel scholarem ordinet, qui pro eo totum quale-cunque, nullo excepto, cantet officium, dummodo interim rei ut honestae ita necessariae operam dederit. Si quis enim potui aut ganeo vel hesterna crapula gravatus, aut simulata aegritudine alium loco sui ordinaverit, volumus, ut eidem poenae subjaceat, quasi nullum loco sui ordinasset. — Quod si quis illorum propter praedictas causas ad officia divina non venerit, poena duplici puniatur. Quod etiam in chorali hebdomadario observari volumus, qui singulis officiis divinis per se vel per alium idoneum interesse neglexerit; et in quocunque, qui temulentus aut potu plenus sub divinis officiis in choro comparuerit, licet alium loco sui substituerit.

14. Item statuimus, ut chorales hebdomadarii in maioribus solennitatibus et in duplicibus festis ac dominicis diebus duo, in semiduplicibus autem et festis trium lectionum et feriis atque in horis beatae virginis unus, iuxta ordinem suum intonare sint astricti; libros quoque pulpito imponant, et omnia, quaecunque cantanda sunt, in tempore decenter, non lacerando folia vel cum indignatione vertendo, inveniant; completo officio, libros

claudant et servent, sub poena unius solidi, toties quoties huic statuto contravenerint, persolvendi.

15. Item statuimus, ut si quis tam sacerdos quam choralis in processionibus, diebus dominicis vel festis vel etiam ferialibus specialiter institutis et instituendis, et in Quadragesima, in die sancti Marci, in diebus rogationum et infra octavam Corporis Christi fieri consuetis, a principio usque ad finem non fuerit, uno solido puniatur. Idem quoque in officiis specialibus, quae certis diebus fiunt, ut in benedictione cereorum, palmarum, herbarum et similibus, volumus inconcusse observari.

16. Item statuimus, ut capellani ministrent canonico summum sacrum celebranti, quotiescunque id ei peragere contigerit, videlicet hebdomadarius et maturista, suaque ministeria exequantur secundum praescriptum generalis rubricae missalis Romani; sint quoque in officio diligentes, omnia provide disponentes, quae spectant ad illorum officium, ornando altare in tempore, vinum ut sit mundum et aqua prospiciendo, in maioribus solennitatibus tam in vesperis quam in missa, ut habeatur ignis in turribulo oportune procurando. Et cum officians cantat vel canonem legit, quisque ministrantium ad cornu altaris sibi deputatum reverenter astet, vertendo folia, cum necessitas postulaverit; nec nisi canonico genuflectente genuflectant, vel sedente sedeant, infra missam vel concionem induti dalmaticis non discurrant per ecclesiam sine necessitate, et nusquam nisi circa altare, non procul ab officiante, elevata tamen a tergo dalmatica, ne atteratur vel maculetur, sedere audeant, sub poena unius solidi, toties quoties notati fuerint, contravenisse huic statuto persolvendi.

17. Item statuimus, ut singulis anni quartalibus aut temporibus aliis oportunis capellani cum choralibus, collatis poenis praedictis, eas inter se aequaliter distribuant, vel in quem usum voluerint, de mutuo consensu convertant, dummodo decem grossos poenae eiusmodi non excesserint. Nam qui supra decem grossos mulctatus fuerit, eum a poenarum ipsarum participatione privatum esse volumus. Ita tamen ut illas mulctas mutuo sibi non remittant, sed eas fideliter exigant, sub poena duplici ab eorum singulis per nos exigenda. Nemo quoque audeat conscriptas eiusmodi negligentiarum poenas, quas volumus per hebdomadarium choralem conscribi, delere, mutare vel falsificare, sub poena relegationis perpetuae, et privationis portionis suae ex distributione eum contingente, quae aliis accedat.

18. Volumus etiam, ut pro more hactenus servato omnes tam capellani quam chorales habeant singulis quartalibus anni duos dies, quos sibi quisque elegerit, dummodo non sint ex maioribus festivitatibus, liberos a poenis superius expressis, ita ut etiam nullo, loco sui, illis duobus diebus deputato absque quavis solutione poenae possint ab ecclesia abesse; ordinate tamen, ne duo simul vel plures absint, de scitu senioris vel vicarii hebdomadarii fiat.

Sequuntur officia aliorum ministrorum ecclesiae.

In primis Officium Sacristani. 19. Item statuimus, ut sacristanus post ultimum pulsum datum ad Matutinum sacristiam aperiat, ordinet ea, quae ad celebranda sacra requiruntur, paratus sit, cum quis celebrare voluerit, superpellicioque indutus praesto sit iis, qui ad sacrum celebrandum accedunt, et procuret, ut eis decenter ministretur. Officium quoque illius est, ut omnes cereas oblationes, quae in ecclesia quocunque tempore offeruntur, ad usum ipsius ecclesiae fideliter conservet, curam sacristiae et vestium sacrarum atque suppellectilis, tam aureae quam argenteae, diligentem habeat, utque omnia recto ordine in ea disponantur, vestes et linteamina sacra suo tempore mundentur, ecclesia cum opus fuerit purgetur, sedulo procuret. Cereos praeterea et candelas pro usu et ministerio ecclesiae parare, et hostias seu oblata conficere tenetur. Si vero in aliquibus ipsorum negligens reperiatur, ad arbitrium superiorum puniri debebit.

Officium Organarii. 20. Item statuimus, ut organarius in officio a se suscepto sit diligens et circumspectus, ut cantus lascivos et indecoros in organis non ludat, sed eos tantum, qui ad pietatem et devotionem mentes hominum excitare possunt; non sit quoque morosus in ludendo sed rationem habeat temporis et personarum, praesertim autem eorum, qui officia divina celebrant. Eius autem officium est ludere in organis: in utrisque vesperis, matutino, maturo et summo sacro omnium festivitatum primae classis et in hac ecclesia solennium; item in utrisque vesperis et summo sacro omnium aliorum festorum et officiorum duplicium celebrium et non celebrium; item in summo sacro et in vesperis per totam octavam corporis Christi; item in summo sacro et vesperis dominicarum per annum, exceptis dominicis Adventus et Quadragesimae, iuxta praescriptum Caeremonialis Romani; item in missa Rorate per totum Adventum. Si vero negligenter in officio suo se gesserit, poena itidem arbitraria a superiore irroganda mulctabitur.

Officium Campanatoris. 21. Item statuimus, ut campanator in pulsando campanas ad officia divina iuxta constitutiones ecclesiae sit quoque diligens et assiduus. Cuius officium est, curam horologii habere, candelas in ecclesia accendere et extinguere, sacristanum adiuvare in parandis altaribus et nitide conservandis secundum instructionem sacristani et senioris. Qui si in officio suo segnior erit, ad arbitrium senioris vicarii poenae subiacebit, legitima provocatione salva.

22. Volumus autem, ne quisquam ipsorum ministrorum ab ecclesia discedere praesumat, nisi accepta a seniore facultate et licentia, sub poena arbitrio superiorum irroganda et exigenda.

23. Anniversaria per annum in ecclesia decantanda.

Primum anniversarium in quatuor temporibus Adventus, pro anima episcopi prima collecta, secunda pro benefactoribus ecclesiae, tertia communis: Fidelium Deus omnium.

Secundum anniversarium post festum s. Dorotheae feria aliqua non impedita; prima collecta pro anima sacerdotis, secunda pro benefactoribus ecclesiae, tertia: Fidelium Deus omnium conditor.

Tertium anniversarium in quatuor temporibus Quadragesimae; prima collecta pro anima episcopi, secunda pro benefactoribus ecclesiae, tertia Fidelium Deus omnium.

Quartum anniversarium in quatuor temporibus Penthecostes, hoc est, feria aliqua proxime sequenti; prima collecta pro anima episcopi, secunda pro benefactoribus ecclesiae, tertia Fidelium Deus.

Quintum anniversarium in quatuor temporibus post sancte Crucis; prima collecta pro anima episcopi, secunda pro benefactoribus ecclesiae, tertia Fidelium Deus.

Sextum anniversarium feria aliqua post Octavam dedicationis ecclesiae; prima collecta pro anima sacerdotis, secunda pro benefactoribus ecclesiae, tertia communis: Fidelium Deus omnium conditor.

Pro quolibet anniversario solvi debent duae marcae.

24. Quae a solis choralibus cantari solent.

Item chorales cantare consueverunt „Ave Maria“ singulis diebus in maturo sacro post elevationem, et „Haec est dies“ diebus dominicis et festis solennioribus ante missam, a quo cantu solvuntur ex oppido quatuor marcae.

Item iisdem choralibus pro cantu „Domine Jesu Christe“ singulis diebus in summo sacro post elevationem et singulis sextis feriis „Tenebrae factae sunt“ solvuntur duae marcae a certis civibus eiusdem oppidi.

Quae omnia et singula ab omnibus supramemoratis ecclesiae ministris firmiter observanda statuimus, ordinamus et decernimus, sub poenis in his statutis descriptis et assignatis irremissibiliter a delinquentibus luendis. Actum et datum in capitulo generali die 7. Decembris, Anno domini 1610, sub sigillo capitulari.

*Aus dem Original im Archive des Domcapitels. Das aufgedrückte Siegel ist abgefallen. Gleichzeitige Abschrift im Nachtrage des Cop. Culmense.*

## 1132.

***1612. Februar 27. Löbau.*** „Mathias a Konopat, d. gr. Episcopus Culmensis et Pomesaniae, . . . . qui nuper divina ita clementia disponente et S. Sedis apostolicae authoritate interveniente ad dioecesim Culmensem gubernandam accessimus“, *gestattet der Aebtissin Sophia Dulska des Nonnenklosters bei der Kirche zum hl. Geist ausserhalb Thorns,*

*1) von dem Rector des Thorner Jesuiten-Collegs sich einen Jesuitenpriester als ausserordentlichen Beichtvater zu erbitten, der sie und ihre Schwestern nach Vorschrift des Tridentiner Concils zwei bis dreimal im Jahre in der Fastenzeit und im Advent Beichte hören solle.* Dat. in arce nostra Lubaviensi die 27 Februarii A. D. 1612.

*2) in Begleitung zweier Schwestern oder ehrbarer Frauen zur Inspection der Klostergüter oder Wahrnehmung gerichtlicher Termine das Kloster zu verlassen.* Dat. ut supra.

*3) die Provisoren des Klosters, Bauhandwerker und verwandte Frauen der Nonnen das Kloster betreten sowie Aspirantinnen in demselben wohnen zu lassen.* Dat. ut supra.

*und 4) da sehr viele Jungfrauen dem Klosterleben sich widmen, er selbst aber theils wegen des weiten Weges, theils durch kirchliche Geschäfte am persönlichen Erscheinen gehindert ist, ihren Novizen nach*

*vollendetem Noviziat durch einen geeigneten Priester die Klostergelübde abnehmen zu lassen.* Dat. Culmsae die 18 Juni A. D. 1612.

*Abschrift im Copiar. 2 fol. 60—62 der Jacobskirche in Thorn.*

## 1133.

***1612. Juli 16. Culm.*** *Georg Konopacki, Sohn des verstorbenen Raphael Konopacki, tritt vor dem Schöppengericht zu Culm an den Bruder seines Vaters, den Culmer Bischof Mathias von Konopat, das Dorf Dzwiersno und einen Theil des Waldes Ocien, die eine Hälfte als Geschenk, die andere gegen Zahlung von 25 000 poln. Gulden, ab.* Actum Culmae coram iudicio scabinali civili opportune bannito, die 16 mensis Julii a. d. 1612.

*Abschrift im Cop. 4 fol. 270—271 a. a. O.*

## 1134.

***1613. Februar 21. Löbau.*** *Mathias von Konopat, Bischof von Culm und Pomesanien, im Begriff auf den Reichstag nach Warschau zu reisen, beauftragt den Domherrn und General-Official Odinetus Perrenot, den Pfarrer Sebastian Grzybowski von Neuteich und den Domprediger Philipp Zielenski zu Culmsee, die zwischen den Aebtissinnen von Thorn und Culm und ihren Conventen wegen des von jener an diese gegebenen Darlehns entstandenen Differenzen beizulegen.* Dat. in arce nostra Lubaviensi die 21 Februarii a. d. 1613.

*Abschrift im Copiar. 2 fol. 63 a. a. O.*

## 1135.

***1614. November 8. Löbau.*** „Johannes Kucborski, d. gr. Episcopus Culmensis et Pomesaniae. . . . . qui nuper divina ita clementia disponente et s. Sedis apostolicae authoritate interveniente ad dioecesim Culmensem gubernandam accessimus", *erlaubt der Aebtissin Sophia Dulska im Nonnenkloster zum hl. Geist bei Thorn als ausserordentlichen Beichtvater für sich und ihre Nonnen einen Jesuiten vom Rector des Jesuiten-Collegs daselbst zu erbitten.* Dat. in arce nostra Lubaviensi die 8 Novembris Anno Domini 1614.

*Abschrift im Copiar. 2 fol. 65 der Jacobskirche zu Thorn. Dieselbe Vollmacht wurde den 1. December 1616 prolongirt.*

## 1136.

***1617. October 10. Thorn.*** *Johannes Kucborzki, Bischof von Culm, bestätigt den Vergleich des Benedictiner-Nonnenklosters und Raths in Thorn über verschiedene Streitpunkte.*

Nos Joannes Kucborzki, dei gratia episcopus Culmensis perpetuusque administrator episcopatus Pomesaniensis, notum testatumque faciimus praesentium literarum vigore, quod authoritate nostra episcopali et in praesentia nostra religiosa et deodicata virgo Sophia Dulska abbatissa totusque conventus virginum monasterii ad s. Spiritum Thorunii extra muros civitatis eiusdem siti, pro se et successoribus suis cum spectabili senatu, scabinis,

totaque communitate regiae civitatis Torunensis, occasione quorundam processuum a praedicto conventu religiosarum Virginum civitati Thorunensi intentorum, evitando ulteriores litium ambagas, hanc subsequentem perpetuis temporibus valituram transactionem inierint remque totam ita ut sequitur composuerint. Ac primo quidem praedicta religiosa abbatissa cum dicto conventu virginum Thorunensi totum processum et caussam occasione invasionis et ademtionis pecorum in praedio Brzezinko factae, quam iuramento comprobare vi decreti regii debuerunt, magistratui civitatique Thorunensi intentatum penitus cassant et annihilant. Deinde eadem religiosa abbatissa cum toto conventu praedictarum virginum pro se et successoribus suis perpetuis temporibus abrenunciant omni juri et praetextui juris, quod et quemcunque super molendino Layn alias Pachura dicto eiusque fundo et attinentiis se habere existimant, totumque processum et caussam coram judicio terrestri et tribunalitio eo nomine agitatam et ad juramenti praestationem usque perductam cassant et mortificant, caventes pro se et successoribus suis de ulteriori impetitione praesentium vigore in omne aevum. Porro eadem religiosa abbatissa cum dicto conventu virginum monasterii Thorunensis processum occasione molitricis Pachuranae coram iudicio terrestri et tribunalitio ventilatum et ad juramenti praestationem usque perductum in toto derogant. Ad haec cum praedicta abbatissa conventusque religiosarum virginum Thorunensium commissionem ex Constitutione regni anno millesimo sexcentesimo decimo sexto laudata impetrarint, quam spectabilis senatus communitasque Thorunensis contra jura et privilegia sua obtentam esse allegarunt, ac proinde commissioni se immiscere noluerunt; idcirco ne qua inde amplius supersit ansa contentionum et discordiarum, praedicta religiosa abbatissa totusque conventus virginum praefatarum commissionem hanc cum toto Actu commissoriali decretisque in eo contentis cassant et mortificant et de eisdem quietant perpetuis temporibus. Quod ad jus navigandi ac fluitationem frumentorum ac mercium cuiuscunque generis attinet, eidem ut et juri piscandi in flumine Istula, quod Thorunenses praedicto conventui competere vigore privilegiorum suorum negant, praedicta abbatissa cum toto conventu virginum monasterii in totum abrenunciant, nihil juris sibi ac monasterio praefatis pro se et successoribus suis reservantes in omne aevum. Quod attinet aggerem in fundo et ripa civitatis Thorunensis a praefatis religiosis virginibus a tergo monasterii cum consensu magistratus Thorunensis exaedificatum, eum spectabilis senatus totaque communitas civitatis Thorunensis ibidem subsistere permittet perpetuis temporibus. Si tamen dictus agger reparatione opus habuerit, ne monasterium ab impetu aquarum et glaciei ruinam aliquam patiatur, non impediet spectabilis senatus communitasque Thorunensis, quominus agger in ea latitudine et longitudine, quae nunc existit, resarciatur et in suo vigore conservetur; ita tamen [ut] agger modernam latitudinem et longitudinem non excedat, ne alveus fluminis a civitate avertatur, ni maior necessaria fuerit ad conservationem aedificiorum monasterii; quae (?) tamen longitudo et latitudo aggeris in spatio fundi, qui intra sepes monasterii a tergo eiusdem et lineam

rectam ab angulo aggeris, qui nunc existit, usque ad angulum domus familiae ad monasterium pertinentis directe ductam interjacet et consistit, condita limitataque esse debet praesentium vigore, ita ut ex nunc eundem aggerem intra terminos praedictae lineae rectae et sepes monasterii ad praesens existentes exaedificare, et intra eandem lineam rectam, si quid fundi de praedicto spatio supererit, habitationem ad usus familiae monasterii servientis, non autem tabernam aliquam exstruere liceat; cuius habitationis fines palis aggeribus applicari poterunt, salva juxta fundi modo emensurati spatium adjacente civitatis Thorunensis ripa, in qua tamen nihil exaedificabitur a civitate Thorunensi, quod obstaculum esse possit ad exeundum, ad hauriendam aquam, potandos equos, unaque et alia pro usu monasterii necessaria advehenda, liberumque erit praefato conventui in eadem ripa calcem, ligna et alia necessaria sine ullo impedimente deponere, eo usque donec in monasterii usu deferantur. Cumque religiosa abbatissa conqueratur nautas in navigiis tam civium quam peregrinorum ad aggerem alligatis multos clamores vel . . . . . inhonesta effutire, et alias molestias excitare, quod cum scandalo virginum monasterii conjunctum est, spectabilis senatus vel proconsul civitatis Thorunensis tenebitur, quantum in se erit, authoritatem suam in coercendis eiusmodi inhonestis clamoribus et avertendis aliis molestiis, ad instantiam abbatissae interponere. E diverso spectabilis senatus communitasque Thorunensis respectu huius concordiae et abrenunciationum cessationumque praedictarum caussarum et processuum, praefataeque commissionis Actusque commissorialis et omnium in eis contentorum a praedicta religiosa abbatissa totoque conventu virginum monasterii Thorunensis ad sanctum Spiritum siti pro se et successoribus suis in omne aevum factorum praefatae abbatissae totique conventui virginum redimendo lites in paratis pecuniis dederunt ac tradiderunt Duo Millia florenorum, quemvis pro triginta grossis polonicalibus computando, de quibus sic traditis et a se levatis ac perceptis praedicta abbatissa cum toto conventu suo praefatum spectabilem senatum communitatemque Thorunensem in solenni juris forma quietarunt, praesentiumque vigore quietant ac liberos faciunt, omneque jus suum, si quod habent aut habere existimant, in dictum spectabilem senatum communitatemque Thorunensem in praedictis punctis et articulis omnibus et singulis transfundunt, nihil sibi reservando eviternis temporibus. Hanc transactionem cum utilitate ecclesiae factam nos Joannes Kucborzky episcopus Culmensis authoritate nostra episcopali in omnibus punctis et clausulis confirmamus et approbamus, et prout in hisce literis continetur, ratam habemus, vimque ac robur perpetuae firmitatis obtinere et habere debere decernimus, potestatemque damus venerabili Benedicto Vronecio vel alii, quem praefata abbatissa cum suo conventu ad hanc actum deputarit, ut in judiciis proximis terrestribus Torunensibus prius ac proximius celebrandis praefatos processus coram iudicio palatinali et terrestri Culmensi itemque tribunalitio et coram dominis Commissariis intentatos judicialiter vigore praesentium . . . . . nostro casset, omneque ius, quod praefata abbatissa cum suo conventu in praedictis punctis et articulis habere se existimant,

spectabili senatui communitatique Thorunensi resignet jure perpetuitatis. In quorum omnium fidem et evidentius testimonium sigillum nostrum praesentibus appendi curavimus easdemque manu nostra subscripsimus, et eas itidem praedicta religiosa Abbatissa suo totiusque Conventus Monasterii praedicti nomine manu sua sigilloque conventus munivit, eisdemque spectabilis senatus communitasque Thorunensis sigillum civitatis appendi curavit. Actum et datum Thorunii die decima Octobris anno Millesimo Sexcentesimo Decimo Septimo.

Joannes Kucborsky Epus Culmensis et Pomesaniae manu sua.

Zofya Dulska Xzonie swoiem Conuentu swego Thorueniem.

*Original auf Pergament im Archiv der Jacobskirche in Thorn; daran hängen an roth und weiss geflochtenen Schnüren drei Siegel in Holzkapseln, nämlich 1) das des Bischofs Kucborzki (Wappen Ogonczyk mit Mitra. Umschrift:* + JOANNES. KVCZBORSKI. DEI. GRA. EPISCOPVS. CVLMEN. AC. POMEZANI), *2) des Benedictinerklosters (Mariae Verkündigung. Umschrift:* + S. SANCTIMONIALIVM IN THORVN), *3) der Stadt Thorn.*

## 1137.

***1619. November 21. Culmsee.*** *Das Culmer Domcapitel transsumirt und vidimirt in einer Sitzung auf Bitten des Benedict Wronecki, Kaplans des Nonnenklosters zum hl. Geist in Thorn, die Urkunde des Hochmeisters Werner von Orsela* d. d. 1327 in die S. Francisci Conf. *vgl. oben Nr. 219.* Actum Culmsae die vigesima prima Novembris anno domini MDCX nono. Praesentibus Adm. RR. DD. Stanislao Resskowski canonico et officiali, Valentino Sczawinski archidiacono Unieioviensi, Petro Sokołowski, Andrea Konopacki, Gabriele Władisławski, praeposito Warsaviensi, scholastico Lanciciensi etc. canonicis Culmensibus. — Albertus Kossowski actorum notarius.

*Abschrift im Copiar. 4 fol. 20 der Jacobskirche zu Thorn.*

## 1138.

***1621. April 26. Petrikau.*** *Laurentius Gembicki, Erzbischof von Gnesen, hält eine Provinzial-Synode zu Petrikau den 26. April 1621, auf der u. a. anwesend sind* „Paulus Wolucki Wladislaviensis et Pomeraniae . . . Joannes Kuczborski Culmensis episcopi; . . . Adamus Trebnicz Olivensis, Leonardus Rembowski Pelplinensis abbates.“ *Die Decrete erhalten am 16. Juni 1623 die päpstliche Bestätigung und werden unterm 21. August 1623 publicirt. Nach Cap. IV soll der Bischof von Ermland durch den heiligen Stuhl aufgefordert werden, den Synoden der Gnesener Kirchenprovinz sich anzuschliessen.*

*Synodus prov. Gneznensis provinciae, sub . . . Laurentio Gembicki celebrata. Cracoviae 1624. 4.*

## 1139.

***1622. September 26. Warschau.*** *König Sigismund III. transsumirt und confirmirt die Verschreibung des Königs Sigismund I. für Jacob Rokucz über Dzwierzno u. a.*

Sigismundus Tertius, dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae Livoniaeque, nec non Sueciorum Gotthorum Vandalorumque haereditarius rex. Significamus presentibus literis nostris, quorum interest, universis et

singulis, repertas esse in Actis Cancellariae nostrae maioris literas infrascriptas, supplicatumque nobis est, ut eas ex iisdem actis describi et authentice extradi mandare dignaremur. Quarum literarum tenor sequitur iste estque talis.

*Es folgt die Verschreibung Sigismunds I. über die Dörfer Dzwierzno, Zaionskowo, Ostrow, Oczyn und das halbe Dorf Zeglina für Jacob Rokusz. Vgl. oben S. 703 nr. 836.* Actum in civitate nostra Regia Gedanensi feria quinta proxima post festum S. Antonii anno domini M. D. XX. Regni nostri anno XX.

Cui nos supplicationi uti justae benigne annuentes, literas praeinsertas ex iisdem Actis describi et authentice extradi mandamus. In cuius rei fidem praesentes Sigillo regni nostri muniri jussimus. Datum Varsschouiae die XXVI mensis Septembris anno domini M. DC. XXII. Regnorum nostrorum Poloniae XXXV. Sueciae vero XXIX. — Relatio reverendi in Christo patris domini Andreae de Lipie Lipski Episcopi Luceoriensis, Regni Poloniae supremi Cancellarii.

Andreas Lipski, Epus Luceoriensis,
Regni Cancellarius. Jac. Max. Fredo mpp.

*Original auf Pergament mit dem grossen Reichssiegel in einer Blechkapsel an geflochtener Schnur von gelber und grüner Seide im Archiv der S. Jacobskirche zu Thorn.*

## 1140.

***1624. December 2. Rom.*** *Papst Urban VIII. zeigt dem Clerus der Diöcese Culm die Ernennung des Electen Jacobus Zadzik zum Bischofe an.*

Urbanus episcopus etc. Dilectis filiis, Clero civitatis et diocesis Culmensis, salutem etc. Hodie ecclesiae Culmensis, tunc per obitum bonae memoriae Joannis episcopi Culmensis, extra Romanam curiam defuncti, pastoris solatio destitutae, de persona dilecti filii Jacobi Zadzik, Electi Culmensis, nobis et fratribus nostris ob suorum exigentiam meritorum accepta, de fratrum eorundem consilio apostolica auctoritate providimus, illumque in episcopum praefecimus et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesiae sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde confectis literis plenius continetur. Quocirca discretioni vestrae etc. Datum Romae apud sanctum Petrum anno incarnationis dominicae Millesimo sexcentesimo vigesimo quarto, Quarto Nonas Decembris, pontificatus nostri anno Secundo.

*Original auf Pergament mit der Bleibulle an hanfener Schnur im Archiv des Domcapitels zu Pelplin.*

## 1141.

***1627. Juni 31. Löbau.*** *Jacobus Zadzik, Bischof von Culm und Pomesanien, incorporirt der Propststelle am Georgs-Hospital zu Löbau die Pfarrei Grabow.*

In nomine domini amen. Jacobus Zadzik, dei et apostolicae sedis gratia episcopus Culmensis et Pomesaniae, necnon ecclesiae cathedralis Plocensis praepositus. Ad perpe-

tuam rei memoriam. Cum civitas Lubauiensis praecipua fuerit sitque episcoporum Culmensium residentia, curae fuit divis antecessoribus nostris, ut ecclesias in eadem existentes numero sacerdotum, tam divini cultus peragendi, quam ministeria episcopis pontificalia exercentibus obeundi causa, indigent illustrioresque attributis iisdem proventibus redderent. Cuius rei reverendissimus piae memoriae Petrus Kostka praedecessor noster initium fecit, qui praepositis hospitalis sancti Georgii extra muros eiusdem civitatis proventus quosdam, ad capellam sanctae Barbarae Polonorum vocatam tunc existentem spectantes, una cum decem mansis in villa Rosenthal sitis cum colonis eosdem possidentibus in perpetuum attribuit. Cum vero nos animadverteremus praesenti temporum statu, praetiis rerum omnium auctis, nec eosdem proventus ad decentem et necessariam sustentationem sine maioribus aliquibus adminiculis sufficere posse, dignum nobis esse existimavimus pro divini cultus augmentatione, ecclesiae utilitate nostroque et successorum nostrorum decore, tum ut facilius viri docti ad residentiam hanc allici possint, innixi decreto ss. Concilii Tridentini ratione uniendorum, ubi necessitas postulat, beneficiorum, ut eidem praepositurae parochiam Graboviensem adiungeremus et incorporaremus. Cum vero in eadem villa Grabow per R$^{mum}$ olim dominum Joannem Kuczborski, antecessorem nostrum, decem mansi ex commensuratione totius villae ad dispositionem episcopalem spectantes in privatorum possessione depositi fuerint, ex iisdem decem mansis octo praebendae memoratae, duobus pro communi usu totius villae in recompensationem agrorum per novam commensurationem a colonis cessorum relictis, addendum et adiungendum esse duximus, uti quidem, accedente venerabilis capituli nostri consensu, addimus adiungimusque praesentibus literis nostris. Quo (?) vero ratio et commoditas octo mansos praefatos excolendi ad petitionem venerabilis Alberti Kręczewski moderni praepositi facile in id consentiendum nobis esse duximus, ut colonos nostros in villa Grabow sitos decemque mansos ibidem possidentes eidem attribueremus, illos vero colonos in Rosenthal existentes decem simile mansorum possessores ab eodem moderno praeposito vigore iustae commutationis pro nostro successorumque nostrorum commodiori usu reciperemus, uti quidem eos cum omni jure et dominio recipimus, — vero in villa Grabow sitos cum usufructu — censibus laboribus et servitiis quibusvis, prout nobis dependebant, attribuimus concedimusque praesentibus literis nostris; nihil omnino nobis et successoribus nostris in iisdem mansis retinentes, cum praesertim omne et integrum ius, quodcunque vigore privilegii rev$^{mi}$ olim domini Petri Kostka, antecessoris nostri, praeposito in villa Rosenthal serviebat, nos in nostram possessionem ex vi praesentis permutationis recepissemus; ea tamen lege et conditione, ut conditionibus in privilegio memorati R$^{mi}$ d. Petri Kostka ratione statutarum missarum septimanatim dicendarum, tum ratione personalis residentiae, (ad quam nos quoque obstringi eundem volumus, nisi de nostro successorumque nostrorum consensu legitime abesse cogatur) expressis satisfaciat, ac ecclesia Grabowiensis debitis nulla ratione in cura animarum fraudetur ministeriis. Hanc itaque unionem et incorporationem, dona-

tionem et commutationem per nos factam nos observaturos ipsi praeposito et eius successoribus promittimus, et nos et nostros successores reverendissimos dominos episcopos literis hisce obligamus. Quibus manu nostra subscriptis sigillum nostrum et venerabilis capituli nostri est adimpressum. Datum in arce nostra Lubauiensi die 31 Juny anno domini 1627. Praesentibus reverendiss. dd. Joanne Micolaiczewski canonico et oeconomo episcopatus nostri Culmensis, Luca Zdrozewski custode Lanciciensi et causarum curiae nostrae auditore, nobilibus Stanislao Kawrecki curiae nostrae praefecto, Joanne Spronowski aulico nostro, Erico Torszero actorum nostrorum notario et aliis compluribus fidedignis testibus.

Jacobus Zadzik Epus Culmensis et Pomesaniae ss.

*Das Original auf Pergament, von dem das Siegel abgefallen ist, im Culmer Diöcesan-Archiv hat durch Stock sehr gelitten. Eine lückenhafte Abschrift bei Maurüius nr. 123.*

## 1142.

***1628. Mai 22—26. Petrikau.*** *Provinzial-Synode unter dem Erzbischof Joannes Węzyk von Gnesen, bestätigt von Urban VIII. am 28. August 1629 und publicirt am 11. November 1629. Gegenwärtig waren u. a.* „Andreas a Lipe Lipski Vladislaviensis episcopus; Valentinus Szczawinski, canonicus Culmensis et officialis Culmensis pro Ill$^{mo}$ D. Jacobo Zadzik Culmensi episcopo regnique vicecancellario, et pro capitulo Culmensi. Adamus Trebnicz Olivensis, Leonardus Rębowski Pelplinensis abbates.

*Synodus prov. Gnesnensis provinciae sub . . . d. Joanne Węzyk AEpi Gnesnen. Petricoviae a. 1628 celebrata. Cracoviae 1629. 4. reimpr. Cracoviae 1641. 4.*

## 1143.

***1632. September 25. Rom.*** *Papst Urban VIII. beauftragt den Official von Leslau, der Errichtung eines sechsten Canonicates im Culmer Domcapitel durch den Bischof Jacob Zadzik die päpstliche Bestätigung zu ertheilen.*

Urbanus Episcopus etc. Dilecto filio Officiali venerabilis fratris nostri episcopi Vladislaviensis, salutem etc. In supremae dignitatis culmine licet immeriti divina dispositione constituti, ea quae pro ecclesiarum quarumlibet, praesertim cathedralium, decore et populi salute procuranda cultusque divini et bonorum ecclesiasticorum augmento per Ordinarios locorum rationabiliter et provide gesta statutaque noscuntur, ut perpetuo firma et illibata persistant, libenter approbationis nostrae munimine confovemus, aliisque ministris in ecclesiis iugiter divinas laudes altissimo persolventibus ac curae animarum ipsius populi et verbi dei praedicationum exercitio insistentibus, ut debite manuteneri oneraque eis incumbentia supportari queant, opportune consulimus, ac in his officii nostri pastoralis partes favorabiliter adhibemus, prout conspicimus salubriter in domino expedire. Sane

exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum capituli et canonicorum ecclesiae Culmensis petitio continebat, quod aliter venerabilis frater noster Jacobus, episcopus Culmensis, inter innumeras, in quibus ex incumbente suae pastoralis solicitudinis officio detinebatur, curas illam, per quam divini cultus incrementum ac orthodoxae fidei cultus in partibus illis calliditate antiqui serpentis, humani generis hostis, quasi depressus promoveretur, primum fore ratus, statim atque ecclesiae ipsius sponsae suae regimina suscepit, pia meditatione considerans, dioecesim Culmensem suae curae concreditam satis amplam numerosoque populo, magna tamen ex parte haeretica labe imbuto, refertam, ac ipsam ecclesiam annosae quidem vetustatis celebrem altitudinemque et amplitudinem magnificam esse, paucos vero in ea adesse ministros, qui vineam dextera dei plantatam excolerent, lepra pessimi de religione orthodoxa sensus percussum gregrem levarent, et oves ad aulam Christi, unde aberraverant, reducerent, bon. mem. Petri olim episcopi Culmensis, eius praedecessoris, qui animadvertens in eadem ecclesia quatuor duntaxat ex pluribus aliis antiquitus in ea fundatis remansisse canonicatus et praebendas, unum aliumque quintum olim canonicatum et unam aliam quintam praebendam in ipsa ecclesia sua ordinaria auctoritate perpetuo erexit et instituit, eosque sic erectos et institutos apostolica auctoritate etiam perpetuo confirmari et etiam de novo erigi procuravit, inhaerens vestigiis mandatisque nostris sibi de incumbenda ratione augendi huiusmodi canonicatuum et praebendarum numeris iniunctis obtemperans, unum alium sextum videlicet canonicatum et unam aliam etiam sextam praebendam in dicta ecclesia pro uno presbytero futuro eiusdem ecclesiae canonico, qui qualificatus est, videlicet S. Theologiae aut utriusque iuris exactam notitiam habens, re ipsa nomen Doctoris profiteri et apud ipsam ecclesiam semper residere necnon capellanum et choralem ad instar aliorum dictae ecclesiae canonicorum inibi residentium manutenere et sustentare, aliaque omnia munia et officia ac onera, ad quae alii canonici residentes tenentur, sufferre et adimplere, necnon clericos promovendos ad s. ordines et beneficia curata et sacramentales confessiones audiendas examinare, omnibusque praerogativis, quibus caeteri dictae ecclesiae canonici gaudebant, etiam gaudere, ac de omnibus et singulis fructibus, redditibus et proventibus ac distributionibus quotidianis, aliisque quibusvis pecuniis et rebus quibuscunque ex bonis capitularibus dictae ecclesiae provenientibus, villis duntaxat praestimonialibus et domibus, quae per senium vel antiquitatem ab aliis canonicis huiusmodi eo iure optari solent, exceptis, participare, necnon ad eius libitum in eadem ecclesia in Nativitate domini, Resurrectionis et Ascensionis domini ac Pentecostes aliisque anni solennioribus festis suggestum dictae ecclesiae conscendere, ac clerum et populum verbi dei praedicationibus recreare posset et respective deberet et teneretur, sub nostro et sedis apostolicae beneplacito, de consensu, consilio et assensu capituli et canonicorum ipsius ecclesiae, sua ordinaria authoritate etiam perpetuo erexit et instituit. Et quoniam divisionem villarum praestimonialium Witkow et Morczyny, morte quondam Joannis Mikołayczewski, ipsius ecclesiae quinti canonici et dum viveret,

erectione eius quinti canonicatus et quintae praebendae huiusmodi ultimi illorum possessoris vacantium, pro duobus canonicis de consensu capituli praefatorum fecerat, unamque ex illis dicto quinto canonico pro praestimonio et pro fundo sive praebenda triginta marcas ad instar antiquae fundationis canonicorum ex bonis Cavernicensibus percipiendas assignaverat: Ideo hunc sextum canonicatum in locum quinti quoad aliam villam divisam huiusmodi succedere voluit, ac ipsi fundum et praebendam et praestimonium quinto antea canonico assignata, quorum iam ipse quintus canonicus stante divisione praefata desierat esse possessor, ut videlicet ratione praebendae ex bonis mensae episcopalis, ex censu videlicet ipsius mensae, quem Hollandi de villa Kokocko ad arcem Starogrodensem solvunt, ducentos et quinquaginta florenos polonicales percipiat, ratione vero praestimonii duodecim mansos agri cuiusdam partis ecclesiae Culmsensis, civitatis et dioecesis mensae capitulari Culmensis perpetuo canonice unitae, cum omnibus illorum fructibus et proventibus, necnon cum onere curam animarum eidem parochiali ecclesiae subiectarum gerendi, omnemque administrationem illius sustinendi, prout antea quintus canonicus praefatus percipiebat seu habebat, obtineret, et sextum canonicatum et sextam praebendam innoviter erectos pro tempore quomodolibet obtinens onus curam animarum dilectorum filiorum dictae parochialis ecclesiae parochianorum gereret omnemque illius administrationem sustineret, adscripsit. Et insuper ad hoc, ut sextum canonicatum et sextam praebendam huiusmodi etiam pro tempore obtinens commodius sustentari valeret, praedictis ducentis quinquaginta florenis ex eisdem bonis villae Kokocko, ad dictam mensam episcopalem spectantibus, ipsius Jacobi episcopi cura et solicitudine a devastatione militum tunc proxime praeterito bello Prussico defensis et conservatis, alios centum quinquaginta florenos polonicales dictae monetae sibi statuto tempore persolvendos, praevia illorum dismembratione ab ultimo dictis bonis, perpetuo adiunxit et assignavit; huiusmodi absque iure aliorum canonicorum et praebendarum optandi contentum esse, electionemque ad sextum canonicatum et sextam praebendam huiusmodi promovendi et de illis providendi, quotiescunque illos quovismodo, praeterquam illa prima vice, a primaeva illorum erectione vacare contingeret, ab eisdem capitulo et canonicis ex presbyteris dioecesis Culmensis, qui ad hoc idonei reperti dictoque Jacobo episcopo eiusque successoribus Culmensibus episcopis propositi forent, et in eorum defectu alterius dioecesis, fieri voluit, necnon capitulo et canonicis praefatis opportunam ad id facultatem etiam perpetuo concessit, prout in patentibus dicti Jacobi episcopi aliisque scripturis desuper forsan confectis plenius dicitur contineri. Quare pro parte dictorum capituli et canonicorum asserentium, fundationem, erectionem, institutionem huiusmodi aliaque praemissa ad divini cultus et orthodoxae fidei, huiusmodi ministrorum ecclesiasticorum in primodicta ecclesia iuxta intentionem nostram faciendum incrementum et animarum cessisse et cedere, nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus fundationem, erectionem, institutionem aliaque praemissa huiusmodi approbare et confirmare atque in praemissis opportune providere de benignitate

apostolica dignaremur: Nos igitur, qui divini cultus incrementum et beneficiorum ecclesiasticorum propagationem nostris potissimum temporibus sinceris exoptamus affectibus, capituli et canonicorum huiusmodi singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine quavis occasione et causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore consentes, necnon literarum patentium aliarumque scripturarum huiusmodi tenore praemissis (!) et non contrarias in praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuae, [cum] sicut capitulum et canonici praefati asserunt, venerabilis frater noster episcopus Vladislaviensis civitati Culmensi Ordinarius vicinior, qui nunc vivat, existat, per apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, fundationem, erectionem, institutionem, adscriptionem, adiunctionem, assignationem, voluntatem et concessionem ab eodem Jacobo episcopo factam, prout illas concernunt literas patentes aliasque scripturas huiusmodi cum omnibus et singulis inde secutis et sequendis quibuscunque, auctoritate nostra approbes et confirmes, illisque perpetue inviolabilis et irrefragabilis et inconcussae apostolicae firmitatis robur adiicias, ad quas ac omnes et singulas tam iuris quam facti et solennitatum quarumvis substantialium de iure, usu, consuetudine, statuto, privilegio aut alias quomodolibet necessariorum defectus, si qui principali vel accessorie aut aliter quomodolibet intervenerint, in eisdem suppleas, et nihilominus in eadem ecclesia Culmensi unum canonicatum et unam praebendam ultra alios canonicatus et praebendas inibi iam antea erectos et institutos, sextum et sextam respective nuncupandos, de quibus, quotiescunque et quandocunque illos pro tempore quomodolibet vacare contigerit, ad electionem capituli et canonicorum huiusmodi iuxta formam eius, ut praefertur, praescriptam faciens, cessantibus tum reservationibus et affectionibus apostolicis, provideri debeas, pro uno futuro inibi canonico, qui, ut etiam praefertur, qualificatus est, et apud eandem ecclesiam Culmensem perenniter residere, necnon capellanum more aliorum canonicorum residentium huiusmodi tenere et sustentare, aliaque primodictae ecclesiae munia et officia ad instar aliorum canonicorum sufferre, ac promovendos huiusmodi diligenter examinare, necnon stallum in choro et locum et, si vel postquam sacris initiatus fuerit, vocem tam activam quam passivam in capitulo, processionibus et aliis actibus capitularibus dictae ecclesiae Culmensis habere, habitumque et insignia canonicalia ab aliis canonicis huiusmodi deferri solita similiter deferre, illis quoque uti, necnon de fructibus et proventibus ac de distributionibus huiusmodi participare, et in eisdem festivitatibus verbum dei inibi praedicare, omnibusque et singulis privilegiis, immunitatibus, libertatibus, favoribus, gratiis, facultatibus, indulgentiis et indultis, quibus alii dictae ecclesiae Culmensis canonici de iure, usu, consuetudine, statuto, privilegio aut aliter quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, similiter et pariformiter et aeque princi-

paliter absque ulla prorsus differentia, non tamen quoad aliorum canonicorum huiusmodi praestimoniorum et domorum optionem, quatenus tamen sint in usu et non revocata nec sub aliqua revocatione comprehensa sacrisque canonibus et Concilii Tridentini decretis aliisque apostolicis constitutionibus non repugnent, uti, frui, potiri et gaudere, et interim earundem animarum parochialis ecclesiae parochianorum curam ac ipsius parochialis ecclesiae administrationem loco quintum canonicatum et quintam praebendam huiusmodi pro tempore obtinentis, cui illa antea incumbebat, gerere, ac onera parochialia per se vel vicarium idoneum, per eum ad id continuo manutenendum et ab Ordinario loci approbandum, exercere et obire libere et licite possit ac valeat ac etiam respective debeat et teneatur, auctoritate nostra praesentia (!) etiam perpetuo sine alicuius praeiudicio erigas et instituas; ac ab aliis dictae mensae episcopalis bonis et redditibus dictos centum et quinquaginta florenos annuos, sic pro commodiori dictos canonicatum et praebendam per praesentes erigendum pro tempore obtinentis sustentatione ab eodem Jacobo Episcopo assignatos, eadem authoritate nostra itidem perpetuo dismembres et separes; necnon canonicatui et praebendae per praesentes erigendis praedictis ducentos quinquaginta florenos pro illorum dote seu praebenda, ac duodecim mansos agri cum omnibus eorum fructibus, qui triginta ducatos auri de camera, ut capitulum et canonici praefati pariter asserunt, annuatim constituunt, quinto canonico et quintae praebendae huiusmodi antea adscriptos, et per divisionem supradictam et postea subtractos pro praestimonio illosque pro tempore obtinentis sustentatione ac onerum illis incumbentium supportatione, necnon dictos centum quinquaginta florenos annuos pro commodioris sustentationis auxilio assignatos et ab eadem mensa episcopali per easdem praesentes dismembrandos et separandos praefatos, ita quod liceat illos pro tempore obtinenti illorum omnium et singulorum realem, corporalem, actualem possessionem per se vel alium seu alios, eius ac eorundem canonicatus et praebendae praefatorum erigendorum nominibus, propria authoritate apprehendere et apprehensam perpetuo retinere, fructus quoque, redditus, proventus et emolumenta universa ex eis provenientia levare, recipere et recuperare, illaque locare et arendare, ac in suos usus et utilitatem ad suorumque capellani et choralistae ac vicarii manutentionem convertere, dioecesani loci vel cuiusvis alterius [licentia] minime requisita, eadem auctoritate nostra perpetuis quoque concedas et assignes, ac etiam applices, appropries, Praesentes quoque literas sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus aut aliis contrariis dispositionibus, seu regulis Cancellariae apostolicae vel constitutionibus etiam revocatoriis unionum, annexionum et incorporationum effectum nondum sortitarum, etiam per quoscunque Romanos pontifices, successores nostros, etiam in crastinum assumptionis cuiusdam illorum ad summi apostolatus apicem fieri solitis, minime comprehendi, sed semper et perpetuo ab eis exceptas, et quoties illa emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum etiam sub posteriore dandas per capitulum et canonicos praefatos quandocunque eligenda festivitas repositas et plenarie

reintegratas ac de novo concessas semperque validas et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, sicque per quosvis iudices ordinarios et delegatos, etiam causam Palatii apostolici Auditores et S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, Vicelegatos aut Nuntios apostolicos iudicari et definiri debere; ac quicquid secus super hiis a quocunque, quavis authoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane dicta authoritate nostra decernens. Non obstantibus praemissis ac nostris de exprimendo vero valore, necnon Lateranensis Concilii novissime celebrati uniones annexiones et incorporationes perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri prohibentis, aliisque quibusvis quorumcunque Romanorum pontificum praedecessorum et successorum nostrorum constitutionibus et ordinationibus apostolicis, dictaeque ecclesiae Culmensis etiam confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus contrariis quibuscunque. Datum Romae apud S. Mariam maiorem anno incarnationis dominicae Millesimo Sexcentesimo Trigesimo Secundo, Septimo Calendas Octobris, Pontificatus nostri anno decimo.

*Nach der Abschrift eines Transsumptes vom 23. Juni 1634 im Archiv des Domcapitels zu Pelplin, in Sedlags Manuscript p. 368—371.*

## 1144.

***1632. November 8. Tykocin.*** *Jacob Zadzik, Bischof von Culm, errichtet ein sechstes Canonicat in seinem Domcapitel.*

Jacobus Zadzik, dei et apostolicae sedis gratia episcopus Culmensis et Pomesaniae, ecclesiae cathedralis Plocensis praepositus. Postquam divina voluntate ad gerendum munus in ecclesia nostra Culmensi accessimus, in eam statim pro debito officii nostri curam et cogitationem incumbimus, ut de numine supremo sponsaque nostra quam optime mereremur, quod non aliter fieri posse arbitrati sumus, quam cum divinae gloriae incrementis promovendis ecclesiaeque ornamentis adiiciendis pro eo, ac par est, studeremus. Iam vero dioecesim satis amplam nacti sumus, populum pastorali curae subiectum numerosum, illum tamen magna ex parte haeretica pravitate imbutum, cathedramque ipsam annosae vetustatis gloria celebrem, desiderari tamen perplura vidimus, paucos esse, qui vineam domino excolerent, lepra pessimi de religione orthodoxa sensus percussum gregem sanarent, et ad ovile Christi, unde aberrarunt, reducerent. Ecclesia ipsa cathedralis Culmensis, etsi altitudinem amplitudinemque sui magnificam prae se ferat, eam tamen ministrorum copiam non habet, quam dignitas episcopalis necessitasque ecclesiae poscit compendioso satis instructa collegio. Animadverterunt id ipsum piae memoriae antecessores nostri, et quantum illis fuit, propagando cultui divino insudarunt, hoc ipsum collegium canonicorum ampliare cupientes. Inter quos fuit Tilicius, episcopus tum Culmensis, qui quatuor canonicis antiquitus fundatis quintum adiecit. Animadvertit id quoque sanctis-

simus dominus Urbanus Octavus, modernus pontifex, et perpenso ecclesiae nostrae statu, cuius relationem Suae Sanctitati pro debito officii nostri fecimus, nobis iniungere dignatus est, ut rationes de augendo numero canonicorum iniremus. Cuius supremam voluntatem ad effectum deducentes, ad cultum divinum, tum ad tollendas haereses commodiusque saluti animarum inserviendum esse animadvertentes, sextum numero canonicatum fundandum, ordinandum et instituendum in praefata ecclesia Culmensi duximus, uti quidem praesentibus literis nostris, accedente desuper ss$^{mi}$ domini voluntate, tum et venerabilis capituli eiusce, cuius etiam requisivimus consilium, consensu, fundamus, ordinamus et instituimus. Volentes, ut is, qui hunc sextum canonicatum habere voluerit, sit persona qualificata, sive S. Theologiae sive Juris utriusque tam canonici quam civilis exactam notitiam habens, reque ipsa nomen Doctoris profiteatur, ac in eadem ecclesia semper resideat. Et quoniam divisionem villarum praestimonialium Witkowo et Morczyny, morte olim R$^{ndi}$ Joannis Mikołayczewski ultimi illarum possessoris vacantium, pro duobus canonicis de consensu capituli fecimus, unamque ex illis quinto canonico pro praestimonio et pro fundo sive praebenda triginta marcas ad instar quatuor antiquae fundationis canonicorum ex bonis Cavernicensibus percipiendas assignavimus. Ideo hunc sextum canonicum in locum quinti succedere volumus, ac ipsi fundum et praebendam tum et praestimonium quinto antea canonico assignata, quorum iam desiit esse possessor, adscribimus, ut videlicet ratione praebendae ex bonis mensae episcopalis ex censu, quem Hollandi de villa nostra Kokocko ad arcem nostram Starogrodensem dependunt, ducentos et quinquaginta florenos polonicales percipiat; ratione vero praestimonii ecclesiam parochialem Culmsensem cum duodecim mansis agri, omnibusque aliis fructibus et proventibus ad eam pertinentibus, necnon cum onere curam animarum eiusdem ecclesiae subiectarum gerendi, omnemque administrationem illius sustinendi obtineat. Volentes autem commodiori et meliori sustentationi eiusdem sexti canonici providere, ad supranominatos ducentos et quinquaginta florenos polonicales ex eisdem bonis villae Kokocko, quae auxiliante deo cura et solicitudine nostra proxime praeterito Prussico bello a devastatione militum defendimus et in statu suo conservavimus, alios centum quinquaginta florenos eidem canonico simul cum aliis ducentis quinquaginta antea assignatis stato tempore persolvendos adiungimus et adiicimus. Damus praeterea sexto Canonico nostro ius plenum iis omnibus, quibus caeteri gaudent, praerogativis utendi, de omnibus fructibus participandi, distributiones quotidianas et alias quasvis tam pecuniarias quam aliarum quarumcunque rerum ex bonis capitularibus quibusvis provenientium percipiendi, villis praestimonialibus et domibus tantummodo exceptis, quae per senium optandi huic sexto canonico facultatem denegamus, sed iam sibi assignatis praebenda et praestimonio vita sua durante contentus esse debebit, successoresque ipsius sexti canonicatus possessores contenti esse debebunt. Tenebitur etiam sextus canonicus capellanum et choralem more aliorum canonicorum residentium tenere et sustentare, aliaque munera et officia ac onera sufferre, quae caeteri canonici residentes

peragunt et sufferunt. Ad officium quoque huius sexti canonici Doctoris pertinere volumus promovendos ad ordines sacros, beneficia curata, confessiones excipiendas examinare; licebit etiam eidem canonico diebus festis solemnibus, videlicet Natalis domini, Resurrectionis, Ascensionis et Pentecostes aliisque celebrioribus in cathedrali ecclesia sugestum ascendere, verbique divini praedicatione clerum et populum recreare. Ad quod praedicationis onus ipsum minime obligamus, sed id voluntati eius permittimus. Cuius canonici doctoris electionem praeter hunc, quem ad praesens nos ipsi eligimus et instituimus, a capitulo ex presbyteris dioecesis eiusdem, qui idonei reperti nobisque et successoribus nostris propositi fuerint, et in defectu alterius etiam dioecesis, in posterum fieri volumus eamque ipsis facultatem perpetuo concedimus. In cuius fidem praesentes etc. Datum Tykocini die 8 Novembris 1632.

*Abschrift im Archiv des Domcapitels zu Pelplin.*

## 1145.

***1633. Mai 29. Grodno.*** *Wladislaw IV., König von Polen, bittet den Papst Urban VIII., den Reichskanzler und Culmer Bischof Jacob Zadzik, zu seinen übrigen Beneficien noch die Propstei des Klosters Miechow zu übertragen.* „[Pater meus] tulit laudem in Reverendo in Christo patre domino Jacobo Zadzik, episcopo Culmensi et Pomesaniae, regni cancellario: huic enim ob praeclaras ipsius virtutes et merita raramque in expediendis publicis negotiis cum facilitate et felici successu dexteritatem ad episcopatum Culmensem, quem nuperrimo bello Pruthenico hostilis pervasit furor militarisque pessundavit licentia, minora duo beneficia, praeposituram videlicet Plocensem et scholasteriam Lenciciensem, quo attritis rationibus eiusdem consuleret, adiungenda putavit, idque a S. V. sua intercessione pro illo interposita obtinuit. Iam vero idem rev. d. Episcopus ea sorte et beneficio S. V. contentus esset, nisi graviores in dies regni mei curae ipsi maiores in dies sumptus impendendos necessitatem imponerent. Lectus est is proxime praeteritis Regni Comitiis legatus magnus meo nomine in Germaniam, ad componendam inter ser^mum Romanorum imperatorem et principes eiusdem Imperii confoederatos pacem: cui in subsidium communi assensu Ordines Regni praeposituram Miechoviensem destinarunt. Etsi vero ea legatio suum non sit sortitura exitum, quod se alienas a tractatibus pacis partes utraeque praebuerint, cum tamen aliud iter paribus, imo maioribus impensis conficiendum susceperit, meque in Moschoviam usque comitetur, necessarium iudico ea praepositurae Miechoviensis ad alia beneficia adiunctione rationibus eiusdem consuli. Quare obnixe a S. V. peto, ut habito benigno respectu tanti viri, qui non sua sed reipublicae causa pluribus opus habet subsidiorum, quo e dignitate mea ac regni utilitate suam functionem sustineat, accessionibus in relaxandis sacris canonibus pluralitatem beneficiorum prohibentibus paterna indulgentia uti, novoque ipsum beneficentiae suae auctuario attributa eidem hac ipsa praepositura Miechoviensi, quem etiam religiosi loci illius votis suis deposcunt, quoad Cancellariatus munere fungeretur, cumulare dignetur. — — — Dat. Grodnae die XXIX. mensis Maii anno domini MDCXXXIII.

*Aus den Litt. Princip. Vol. 30 f. 30 im Vatican bei Theiner, Mon.-Pol. III 403 nr. 342.*

## 1146.

***1634. November 13—15. Warschau.*** *Provinzial-Synode des Erzbischofs Johannes Wężyk von Gnesen, gehalten in der Collegiatkirche des hl. Johannes des Täufers, auf der u. a. anwesend sind:*

„Mathias Lubienski Vladislaviensis et Pomeraniae episcopus, Georgius Alexander Dorpowski, I. U. D. canonicus Culmensis, pro Illmo D. Episcopo Jacobo Zadzik regni cancellario et suo venerabili capitulo . . . Joannes Grabinski Olivensis, Leonardus Rębowski Pelplinensis . . . abbates. *Die Decrete wurden von Urban VIII. am 20. September 1635 bestätigt und darauf am 26. März 1636 publicirt.*

*Synodus provincialis sub Illmo . . . . D. Joanne Węzyk AEpo Gnesnensi . . . Warsaviae a. d. MDCXXXIV. celebrata. Cracoviae 1636. 4.*

## 1147.

***1635. März 1. Warschau.*** *Wladislaw IV., König von Polen, garantirt der Stadt Thorn die Ausübung der Religion nach der Augsburgischen Confession.*

Vladislaus IV, dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lithvaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae, Livoniae, Smolensciae etc. necnon Suecorum, Gottorum, Wandalorum haereditarius. Significamus tenore praesentium, quibus expedit, universis et singulis, praesentibus et futuris, harum notitiam habituris, quod cum petitum a nobis esset nomine civitatis nostrae Thorunensis, ut ipsam in usu atque exercitio consueto religionis Augustanae Confessionis liberam atque securam conservaremus, literisque nostris id ei firmum ac inviolabile esse debere caveremus: Nos, qui iam ante in praeterito felicis coronationis nostrae conventu iuramentum de religione inter dissidentes tuenda praestitimus, facile consensimus et iterata promissione ita petenti civitati nostrae explorata fidei constantia, egregiis erga nos et rempublicam meritis, nobis quam commendatissimae, denuo concessimus, prout hisce consensimus et concedimus, ut religionis Augustanae Confessionis tam in civitate Thorunensi quam extra muros per suburbia et villas in eius districtu et iurisdictione, templis, monasteriis, xenodochiis, in quorum usu et possessione hactenus civitas fuit, pacifice et quiete libera professio fiat, sacrorumque administratio consueta permaneat, neve cuiquam religionis ergo molestia vel negotium exhibeatur, aut ullum impedimentum afferatur, authoritate nostra regia prospicere omnesque in libertate religionis Augustanae Confessionis plene ac integre conservare, manutenere ac tueri neque in possessione illius civitatis Thorunensis turbare, aut a quopiam turbari permittere temporibus quibuslibet futuris pro nobis et successoribus nostris regibus Poloniae recipimus ac spondemus, nec volumus, ut in templis ritus ceremoniarum ullo modo immutentur. In quorum fidem hasce manu nostra subscriptas sigillo regni nostri communiri iussimus. Datum Warsaviae in conventu regni generali die prima Martii anno MDCXXXV. Regnorum nostrorum Poloniae I. et Sueciae I.

Vladislaus Rex. (L. S.)

*Thornische Denkwürdigkeiten p. 108f und deutsch p. 20.*

## 1148.

***1635. Mai 14. Warschau.*** *Wladislaus IV., König von Polen, zeigt dem Culmer Domcapitel die Nomination des Reichs-Referendarius Johannes Lipski zum Bischof von Culm an.*

Venerabiles Domini nobis dilecti. Non potuimus post optimum antistitem vestrum meliorem eligere ad episcopatum Culmensem et Pomesaniae successorem, quam quem ipse eo loco dignum paremque iudicavit et nobis commendavit. Nam postquam R$^{\text{ndum}}$ in Christo patrem dominum Jacobum Zadzik, supremum regni cancellarium, ex eo episcopatu ad Cracoviensem provehendum duximus suscepimusque, eiusdem iudicio standum nobis censuimus, cui sedem provectione eius vacantem deferre deberemus. Cum vero ille longo in aula convictu et familiari domesticaque consuetudine dotes ac virtutes R$^{\text{ndi}}$ Joannis Lipski, referendarii regni, introspectas haberet, ut qui Cancellariam utramque Regni sub auspiciis ipsius compluribus annis cum laude rexisset easdemque nobis de meliori nota commendasset, Nos et tanti viri iudicio et ipsiusmet meritis, quae duodeviginti annorum spatio magna et praeclara in nos et rempublicam paravit, bonorumque omnium votis obsecundando facile animum nostrum pridem in eum pronum propensumque fleximus, ut ipsi episcopatum Culmensem et Pomesaniae deferremus. Ad quem hisce nominamus eum, devotionibus vestris benigne postulantes, ut ipsum de more ac instituto iurium ecclesiasticorum in episcopum suum eligant, caeteraque eo servientia rite ac legitime peragant. Quod dev. vestras eo studiosius facturas confidimus, quo luculentius re ipsa experientur, eas post longe optimum praesulem meliorem digniorem que nancisci haud potuisse, vel huius ipsius iudicio, qui alio commigrans sperat, se vobis optime valedicturum et paterne consulturum, dum in locum sui hunc praelatum substituit, qui aemulatione virtutum ipsius et taedium amissi Dev. V$^{\text{ris}}$ egregie levare posset et vos ecclesiamque vestram pari affectu et caritate complecti vellet. Caeterea uberius nomine nostro d. v. generosus Jacobus Maximilianus Fredro, succamerarius Praemisliensis, secretarius et nuntius noster, exponet. Cui et d. v. fidem habeant et studia suffragiaque sua voluntati nostrae accommodent, benigne postulamus easdemque bene et feliciter valere cupimus. Datum Varsaviae die XIV. mensis Maii MDCXXXV.

*Nach der Abschrift im bischöflichen Archiv zu Pelplin in Sedlags Manuscr. p. 383.*

## 1149.

***1635. Juni 27. Culmsee.*** *Das Domcapitel von Culm zeigt dem Reichsreferendarius Johannes Lipski an, dass es der königlichen Nomination beistimme und ihn einstimmig zum Bischof von Culm gewählt habe.*

Ill$^{\text{me}}$ et R$^{\text{me}}$ domine, domine colendissime. Quod ab omnibus nobis summo animi ardore expetitum est, et in quo salus non modo nostra sed totius reipublicae versatur, id eadem Deo Optimo negotium hoc promovente obtinuimus, ut Ill$^{\text{mae}}$ d. v$^{\text{mae}}$ multis antea

magnisque rebus S. R. M. probatae episcopatus Culmensis deferretur. Quam tantam honoris et dignitatis accessionem Ill^mae d. v^rae gratulamur, imprimis vero hoc S. R. M. iudicium, hanc de ipsa Ill^mi Antecessoris spem et expectationem, quam nos etiam adaequaturam Ill^mam d. v. confidimus, si huc virtutis ingenii atque industriae suae nervos intenderit. In eius enim virtute, gravitate, prudentia, singulari divinae gloriae religionisque catholicae propagandae studio, certam spem non solum conservandarum sed etiam augendarum huius ecclesiae rationum collocata habemus. Ex eadem porro spei nostrae certitudine hoc promanat, quod iudicio S. R. M. sententias nostras libentissime accommodemus, Ill^mam d. v^ram in episcopum et pastorem nostrum communibus votis et concordibus suffragiis, cum per literas praesentes, tum per nuntios nostros, quod ad Ill^mam d. v^ram mittimus, eligamus et deposcamus, salva iurisdictione Ill^mi Antecessoris, obnixe ab ea petentes, ut hoc animi nostri erga se propensi studium boni consulat, et tanquam singularis nostri affectus testem benigno suscipiat animo. Quod superest, Deo Opt. Max. assiduis precibus oramus, ut Ill^mam d. v^ram incolumem omnique felicitate florentem quam diutissime conservare dignetur. Culmsae XXVII. Junii M. DC. XXXV.

*Nach der Abschrift im bischöfl. Archiv zu Pelplin in Sedlags Manusc. p. 384.*

## 1150.

***1635. September 20. Löbau.*** *Jacobus Zadzik, Bischof von Culm, stiftet zum Andenken des Friedensschlusses mit den Schweden eine Dankmesse in seiner Domkirche.*

Jacobus Zadzik, dei et apostolicae sedis gratia episcopus Culmensis et Pomesaniae, nominatus Cracoviensis, supremus regni Poloniae cancellarius. Significamus praesentibus literis nostris, quorum interest, universis et singulis. Exigit a nobis magnitudo beneficiorum a Divina Maiestate ut universae reipublicae ita praecipue terris Prussiae in sopito hic sine caede ac sanguine gravi diuturnoque cum Suecis bello collatorum, ut eadem gratissima memoria cum humillima gratiarum actione prosequamur, divinamque misericordiam perpetuo cultu celebremus. Cuius rei ut in ecclesia nostra cathedrali Culmensi aliquod monumentum debitae gratitudinis erga hunc, qui conterit bella auctorque et dator pacis est, qui nostram infirmitatem in promovendis tractatuum negotiis adiuvit, firmemus, munimentum assignandum esse duximus, assignamusque praesentibus literis nostris ex peculio nostro summam sexcentorum florenorum Polonicalium in bonis omnibus tam mobilibus quam immobilibus Hollandorum nostrorum in villis Kokocko, Roznowo et Bialobloty ad arcem nostram Starogrodensem spectantibus, praesentibus inscriptam et assecuratam. Cuius authenticum instrumentum venerabili Capitulo reddi mandavimus pro censu annuo sex florenos a centum, qui efficiet summam triginta sex florenorum. Quos quidem triginta sex florenos collegium vicariorum ecclesiae nostrae Culmenzensis percipiet per ratas de manibus venerabilis Capituli, primo quoque trimestri in principio mensis

inchoando a prima Decembris anni praesentis ad primam Martii subsequentis, et sic consequenter. Ratione cuius census praedictum vicariorum collegium missam de SS. Trinitate quolibet mense duodecima die (vel si aliquod impedimentum obstiterit sequenti) in memoriam restitutae duodecima mensis Septembris terris Prussiae pacis ad altare B. Mariae Virginis cantare cum collecta gratiarum actionis, ac post fata nostra adiuncta collecta pro anima nostra, in mense vero Septembri adiuncto „Te Deum laudamus" finita missa, tenebitur et erit obstrictum, quod curae erit successorum nostrorum ac venerabilis capituli, cuius conscientiam ea in re oneramus. In quorum fidem praesentibus manu nostra subscriptis sigillum nostrum est appressum. Datum in arce nostra Lubauiensi die XX mensis Septembris anno domini MDCXXXV. Praesentibus Admodum Rndis DD. Joanne Romiszewski praeposito Lascensi, Georgio Alexandro Dorpowski canonico et officiali nostro Culmensi, Alberto Wegurski episcopatus nostri oeconomo, generosis Olbrachto Grzycki dapifero Vielunensi, Stanislao Kawiecky, Alberto Mikolaiewski, Andrea Kowalewski, aulicis et domesticis nostris.

Jac. Zadzik, Episcopus Culmensis et Pomesaniae, Nominatus Cracoviensis, Regius Cancellarius.

*Original auf Pergament mit Siegel im Culmer Diöc.-Archiv. Abschrift bei Mauritius nr. 152.*

## 1151.

***1635. October 1. Rom.*** *Papst Urban VIII. bestätigt den Elect Johannes Lipski als Bischof von Culm.*

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Joanni Lipski, Electo Culmensi, salutem etc. Romani pontificis, quem etc. Dudum siquidem provisiones ecclesiarum omnium apud sedem apostolicam tunc vacantium et inposterum vacaturarum collationi et dispositioni nostrae reservavimus, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super his a quocunque quavis authoritate scienter vel ignoranter contingeret; Postmodum vero ecclesia Culmensi ex eo, quod nuper venerabilem fratrem nostrum Jacobum Zadzik, Cracoviensem, nuper Culmensem episcopum a vinculo, quo ecclesiae Culmensi, cui tunc praeerat, tenebatur, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio et apostolicae potestatis plenitudine absolventes, illum ad ecclesiam Cracoviensem certo tunc expresso modo vacantem de simili consilio apostolica auctoritate transtulimus, praeficiendo ipsum illi in episcopum et pastorem, per translationem huiusmodi apud sedem eandem pastoris solatio destituta: Nos ad provisionem eiusdem ecclesiae Culmensis celeriter et fideliter, in quam nullus praeter nos hac vice intromittere potuit sive potest, reservatione et decreto obsistentibus sumptis, ne ipsa ecclesia Culmensis longae vacationis exponatur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de praeficiendo eidem ecclesiae Culmensi personam utilem ac fructuosam cum eisdem fratribus habuimus dili-

gentem, demum ad te, clericum Culmensis seu alterius civitatis vel dioecesis, ex legitimo matrimonio procreatum, fidemque catholicam iuxta articulos pridem a sede apostolica propositos expresse professum, et cui apud nos de literarum scientia, vitae ac morum honestate, spiritualium providentia et temporalium circumspectione, aliisque multiplicum virtutum donis fidedigna testimonia perhibentur, direximus oculos nostrae mentis. Quibus omnibus debita meditatione pensatis, te a quibusvis excommunicationis aliisque ecclesiasticis poenis, si quibus quomodolibet innodatus existas, ad effectum praesentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, de persona tua nobis et eisdem fratribus ob tuorum exigentiam meritorum accepta de fratrum eorundem consilio dicta apostolica auctoritate providemus, teque illi in episcopum praeficimus et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesiae Culmensis tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo; in illo, qui dat gratias et largitur praemia, confidentes, quod, ipso dirigente domino actus tuos, ecclesia Culmensis praefata per tuae circumspectionis industriam et studium fructuosum regetur utiliter et prosperabitur, dirigetur ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Jugum igitur domini tuis impositum humeris prompta devotione suscipiens, curam et administrationem praefatas sic exercere studeas sollicite fideliter et prudenter, quod ecclesia Culmensis gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque praeter aeternae retributionis praemium nostram et dictae sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis. Quocirca dilectis filiis capitulo et vasallis dictae ecclesiae Culmensis ac clero populoque civitatis vel dioecesis Culmensis per apostolica scripta mandamus, quatenus capitulum, tibi tanquam patri et pastori animarum suarum humiliter intendentes, exhibeant tibi obedientiam et reverentiam congruentes, ac clerus te pro nostra et dictae sedis reverentia benigne recipientes et honorifice pertractantes, tua salubria monita et mandata suscipiant humiliter et efficaciter adimplere procurent; populus vero te tamquam patrem et pastorem animarum suarum devote suscipientes, ac debita honorificentia prosequentes, tuis monitis et mandatis salubribus humiliter intendant, ita quod tu in eos devotionis filios et ipsi in te per consequens patrem benevolum invenisse gaudeatis; vasalli autem praefati te debito honore prosequentes, tibi fidelitatem solitam ac consueta servitia et iura tibi ab eis debita integre exhibere studeant; alioquin sententiam sive poenam, quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus et faciemus, auctore domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Rogamus quoque et hortamur attente charissimum in Christo filium nostrum Vladislaum, Poloniae et Sueciae regem, ac venerabilem fratrem nostrum archiepiscopum Rigensem (!) ipsi archiepiscopo per eadem scripta mandantes, quatenus te et praefatam ecclesiam Culmensem ipsius archiepiscopi suffraganeam habentes pro nostra et dictae sedis reverentia propensius commendatos, in ampliandis et conservandis iuribus vestris sic vos benigni favoris auxilio prosequantur, quod tu eorum fultus praesidio in commisso tibi curae pastoralis officio possis, deo propitio, prosperari, ac eidem Vladislao regi a deo

perennis vitae praemium et a nobis condigna proveniat actio gratiarum, ipseque archiepiscopus proinde divinam misericordiam ac nostram et dictae sedis benedictionem et gratiam valeat exinde uberius promereri. Ceterum spectantes, quod tu licet Magister in Theologia aut in utroque vel altero Iurium Doctor vel alias graduatus non sis, nihilominus quia prudentia et sufficienti doctrina praeditus, et alios docendum atque ad ecclesiam Culmensem huiusmodi regendam et gubernandam habilis et idoneus esse dignosceris, ut eidem ecclesiae Culmensi in episcopum praefici illique praeesse licite et libere valeas. defectu gradus huiusmodi ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, atque praefatae ecclesiae Culmensis et iuramento, confirmatione apostolica vel quavis alia firmitate roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis nequaquam obsistentibus, apostolica auctoritate et tenore praemissis de specialis dono gratiae dispensamus. Praeterea ad ea, quae in tuae commoditatis augmentum cedere valeant, favorabiliter intendentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tibi, ut a quocunque malueris catholico antistite, gratiam et communionem dictae sedis habente, accitis et in hoc sibi assistentibus duobus vel tribus aliis catholicis episcopis similem gratiam et communionem habentibus, munus consecrationis recipere libere valeas, eisdem auctoritate et tenore de speciali gratia indulgemus, atque eidem antistiti, ut, recepto prius a te nostro et Romanae ecclesiae nomine fidelitatis debitae solito iuramento iuxta formam praesentibus annotatam, munus ipsum tibi impendere licite possit, facultatem concedimus per praesentes. Volumus autem et dicta auctoritate statuimus et decernimus, quod, nisi recepto a te per ipsum antistitem praefato iuramento dictus antistes munus praefatum tibi impendere et tu illud recipere praesumpseritis, idem antistes a pontificalis officii exercitio, et tam ipse quam tu ab administratione tam spiritualium quam temporalium ecclesiarum vestrarum suspensi sitis de ipso, quodque per hoc praefato archiepiscopo, cui dicta ecclesia Culmensis metropolitico iure subesse dignoscitur, nullum imposterum praeiudicium generetur. Insuper volumus, quod tu Prebendam theologalem et poenitentiariam necnon Seminarium ad praescriptum sacri Concilii Tridentini quamprimum erigas, super quo conscientiam tuam oneramus. Forma autem iuramenti, de qua super fit mentio, talis est, videlicet: Ego Joannes Lipski, Electus ecclesie Culmensis, ab hac hora inantea fidelis et obediens ero beato Petro sanctaeque apostolicae Romanae Ecclesiae, et Domino nostro, Domino Urbano Papae VIII suisque successoribus canonice intrantibus etc. etc. prout in Pontificali — ac Constitutionem super prohibitione investiturarum bonorum iurisdictionalium de Anno domini Millesimo Sexcentesimo vigesimo quinto editam servabo. Sic me Deus etc. Datum Romae apud S. Mariam maiorem anno incarnationis dominicae Millesimo Sexcentesimo trigesimo quinto, Kal. Octobris, Pontificatus nostri Anno Tertio decimo.

*Original auf Pergament mit der Bleibulle Urbans VIII. an hanfener Schnur im Culmer Diöc.-Archiv.*

## 1152.

***1635. October 1. Rom.*** *Papst Urban VIII. erlaubt dem Electen Johannes Lipski von Culm die Dompropstei von Plock auch als Bischof beizubehalten.*

Urbanus Episcopus etc. Dilecto filio Joanni Lipski, Electo Culmensi, salutem etc. Personam tuam nobis et apostolicae sedi devotam tuis exigentibus meritis paterna benevolentia prosequentes, illa tibi favorabiliter concedimus, quae tuis commoditatibus fore conspicimus opportuna. Cum itaque Nos ecclesiae Culmensi, cui nuper venerabilis frater noster Jacobus Zadzik, Cracoviensis, nuper Culmensis episcopus, praesidebat, eo quod nos illum a vinculo, quo ecclesiae Culmensi praefatae, cui tunc praeerat, tenebatur, absolventes ad praefatam ecclesiam Cracoviensem certo tunc et expresso modo vacantem de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio et apostolicae potestatis plenitudine [— transtulimus, — per translationem — huiusmodi pastoris] solatio destitutae, de persona tua nobis et eisdem fratribus ob tuorum exigentiam meritorum accepta de fratrum eorundem consilio apostolica auctoritate provideremus, praeficiendo te illi in episcopum et pastorem, prout in nostris inde confectis literis plenius continetur. Et sicut accepimus, te tempore provisionis et praefectionis praefatarum praeposituram ecclesiae Plocensis, quae inibi dignitas forsan post pontificalem maior existit, ac cuius fructus redditus et proventus viginti quatuor ducatorum auri de camera secundum communem aestimationem valorem annuum, ut etiam accepimus, non excedunt, obtineres, prout obtines de praesenti: Nos, ut statum tuum iuxta pontificalis dignitatis exigentiam decentius tenere valeas, de alicuius subventionis auxilio providere ac praemissorum meritorum tuorum intuitu specialem gratiam facere volentes, teque a quibusvis excommunicationis aliisque ecclesiasticis poenis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum praesentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, motu proprio, non ad tuam vel alterius pro te nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex nostra mera liberalitate, tecum, pro quo charissimus in Christo filius noster Vladislaus, Poloniae rex illustris, stante detentione reddituum mensae episcopalis Culmensis propter bella, quae in illis partibus viguerunt, nobis desuper per suas literas supplicavit, et ut, postquam in vim provisionis et praefectionis huiusmodi pacificam possessionem seu quasi regiminis et administrationis praefatae ecclesiae Culmensis ac illius bonorum seu maioris partis assecutus fueris, et munus consecrationis susceperis, praeposituram praefatam, cui cura non imminet animarum, ut prius, quoad vixeris et una cum ecclesia Culmensi, quamdiu illi praefueris, retinere libere et licite valeas, auctoritate apostolica tenore praesentium de specialis gratiae dono dispensamus. Non obstantibus generalis Concilii ac felicium recordationum Julii Papae II. ac Leonis X. ac aliorum Romanorum Pontificum etc. Nos enim Praeposituram praefatam non vacare, et si secus a quocunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus. Volumus autem, quod praepositura praefata debitis interim non fraudetur, sed eius congrue supportentur onera

consueta. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, dispensationis, decreti et voluntatis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Romae apud S. Mariam maiorem anno incarnationis dominicae Millesimo Sexcentesimo trigesimo quinto, Kal. Octobris, Pontificatus nostri Anno Decimotercio.

*Nach einer Abschrift im bischöfl. Archiv zu Pelplin, in Sedlags Manuscript p. 388.*

## 1153.

***1639. Februar 2. Rom.*** *Papst Urban VIII. providirt den Elect Caspar Dzialynski mit dem Bisthum Culm.*

Urbanus Episcopus etc. Dilecto filio Casparo Dzialinski, Electo Culmensi, salutem etc. Apostolatus officium meritis etc. Dudum siquidem provisiones ecclesiarum omnium apud sedem apostolicam tunc vacantium et in antea vacaturarum ordinationi et dispositioni nostrae reservavimus, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super eis per quoscunque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contingeret attentari. Postmodum vero ecclesia Culmensi tunc ex eo, quod nos nuper venerabilem fratrem nostrum Joannem archiepiscopum Gnesnensem, olim episcopum Culmensem, a vinculo, quo ecclesiae praefatae, cui tunc praeerat, tenebatur, de fratrum nostrorum consilio et apostolicae potestatis plenitudine absolventes, illum ad ecclesiam Gnesnensem certo tunc expresso modo vacantem de simili consilio apostolica auctoritate transtulimus, praeficiendo ipsum illi in archiepiscopum et pastorem, apud sedem praefatam pastoris solatio destituta; Nos ad provisionem eiusdem ecclesiae Culmensis celerem et felicem, ne illa longae vacationis exponatur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de praeficiendo eidem ecclesiae Culmensi personam utilem et etiam fructuosam cum eisdem fratribus habuimus diligentem: demum ad te, presbyterum Culmensis dioecesis, de legitimo matrimonio ac nobilibus et catholicis parentibus natum, in quadragesimo circiter tuae etatis anno constitutum, ac summa doctrina, quae requiritur in episcopo, decoratum, pro quo charissimus in Christo filius noster Vladislaus, Poloniae et Suetiae rex illustris, nobis super hoc per suas literas supplicavit, et de cuius vitae munditia, morum honestate, spiritualium providentia et temporalium circumspectione aliisque multiplicum virtutum donis apud nos fidedigna testimonia perhibentur, direximus oculos nostrae mentis. Quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua nobis et eisdem fratribus ob tuorum exigentiam meritorum accepta praefate ecclesiae Culmensi de eorundem fratrum consilio auctoritate praedicta providimus, teque illi in episcopum praeficimus et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesiae Culmensis tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo; in illo, qui dat gratiam etc. Volumus autem, ut Theologalem et Poenitentiariam prebendas necnon Seminarium ad praescriptum Concilii Tridentini quamprimum

erigas, et Montem Pietatis fieri cures, conscientiam tuam in hoc onerantes. Datum Romae apud sanctum Petrum anno incarnationis dominicae Millesimo sexcentesimo trigesimo octavo. Quarto Non. Februarii, Pontificatus nostri Anno Sextodecimo.

*Original auf Pergament mit der Bleibulle an hanfener Schnur im Archiv des Domcapitels zu Pelplin I 20. Urban rechnete wie sein Vorgänger Gregor XV. den Jahresanfang in seinen Bullen vom 25. März, in seinen Breven vom 1. Januar an; der 2. Februar 1638 entspricht demnach dem 2. Februar 1639 unserer Zählung.*

*Von den Provisionsbullen des Caspar Dzialynski, die sämmtlich das gleiche Datum wie oben tragen und nach den bekannten Formularen ausgefertigt sind, liegen noch vor: 1) An das Domcapitel und 2) an den Clerus der Diöcese Culm, beide im Original im domcapit. Archiv zu Pelplin. 3) An das Volk und 4) an die Vasallen der Culmer Kirche, beide in Abschrift im bischöfl. Archiv daselbst. 5) Die Empfehlungsbulle an den König von Polen in Abschrift ebendaselbst. 6) An den Erzbischof von Gnesen im Original im Culmer Diöc.-Archiv. 7) Die Absolutionsbulle von allen Censuren und 8) die Erlaubnissbulle, sich von jedem beliebigen katholischen Bischofe weihen zu lassen, unbeschadet der Rechte des Gnesner Erzbischofs, beide in Abschrift im bischöfl. Archiv daselbst.*

## 1154.

***1639. Februar 11. Rom.*** *Urban VIII. gestattet dem zum Bischof von Culm bestätigten Caspar Dzialynski von dem Bisthum sofort und noch vor Expedirung der Bullen Besitz zu ergreifen.*

Dilecte fili, salutem etc. Cum nos nuper ecclesiae Culmensi certo tunc expresso modo pastoris solatio destitutae de persona tua nobis et venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus ob tuorum exigentiam meritorum accepta de ipsorum fratrum consilio apostolica auctoritate provideremus, teque illi in episcopum praefecerimus et pastorem, curam regimen et administrationem eiusdem ecclesiae tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in nostris sub plumbo propediem desuper expediendis literis latius exhibetur: Quocirca nos, ne interim dicta ecclesia aliqua in eisdem spiritualibus et temporalibus detrimenta patiatur, providere simulque commoditati tuae consulere volentes, tibi, ut vigore praesentium per te vel procuratorem tuum possessionem seu quasi regiminis et administrationis dictae ecclesiae et illius mensae episcopalis bonorum apprehendere et retinere, illius fructus et reditus et proventus percipere, exigere et levare, ac in tuos usus et utilitatem convertere, nec non ea, que iurisdictionis, non tamen ordinis, sunt, facere et exercere libère et licite valeas, perinde acsi literae praeexpeditae essent, dicta auctoritate tenore praesentium de speciali gratia indulgemus; Mandantes dilectis filiis de capitulo et vasallis dictae ecclesiae necnon clero et populo civitatis et dioecesis Culmensis, ut tibi tanquam patri et pastori animarum suarum devote intendentes, tua salubria monita et mandata humiliter suscipiant et efficaciter adimplere procurent, ipsique vasalli consueta servitia et iura tibi debita integre persolvant et exhibeant; alioquin sententiam sive poenam, quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus et faciemus auctore domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari; non obstante fel. rec. Bonifacii Papae VIII. praedecessoris nostri, quae incipit „Iniunctae“, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac dictae ecclesiae, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis alia firmitate roboratis statutis et

consuetudinibus caeterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, quod infra sex menses proximos, a data praesentium computando, literas praescriptas sub plumbo expedire ac iura camerae apostolicae et aliis propterea debita persolvere omnino tenearis, alioquin dictis sex mensibus elapsis dicta ecclesia vacet et vacare censeatur eo ipso. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die XI. Februarii MDCXXXIX. Pontificatus nostri Anno Decimo sexto.

A tergo: Dilecto filio Caspari Electo Culmensi.

*Nach der Abschrift im bischöfl. Archiv zu Pelplin in Sedlags Manuscr. p. 417—18.*

## 1155.

***1639. Februar 12. Löbau.*** *Johannes Lipski, Bischof von Culm, bestätigt die Abtretung gewisser kirchlichen Gefälle und Ackerstücke durch den Erzpriester von Neumark an das Reformaten-Kloster zu Mariae Lonk.*

Joannes de Lipie Lipski etc. Significamus praesentibus literis, quorum interest, universis et singulis, quod coram Actis Cancellariae nostrae personaliter comparens R^dus Martinus Przeborewski, archipresbyter et parochus Neoforensis, mente et corpore sanus, palam, libere et per expressum recognovit, quia ipse inhaerendo contractui inter se recognoscentem et illustres et magnificos Paulum Działynski, palatinum Pomeraniae, terrarum Prussiae thesaurarium, Scarsowiensem Bratianensem Zarnoviecensemque etc. capitaneum, et Hedwigim a Czarnkow-Działynska, palatinam Pomeraniae, coniuges inito, de toto et integro proventu ex ecclesia B. Virginis Mariae Łąkowska dicta proveniente, necnon de certa particula agri, in qua per memoratos illustres et magnificos coniuges monasterium patrum ordinis S. Francisci strictioris observantiae ad prata Mariana extructum est, una cum horto, sepibus circumdato, facta pro praemissis ab eisdem coniugibus sufficienti per separatum contractum in usum et commodum ecclesiae suae parochialis Neoforensis recompensatione per Nos approbatum, religiosis patribus ordinis minorum S. Francisci strictioris observantiae ad prata Mariana cedit et condescendit ac resignat perpetuis temporibus, nihil iuris et dominii ad praefatam ecclesiam et particulam agri sibi et successoribus reservando. Circa hanc tamen resignationem memoratus recognoscens declaravit, se nec velle nec posse quicquam privilegiis, libertatibus, consuetudinibus et iuribus ecclesiae parochialis Neoforensis ac aliis omnibus, quibus ecclesiae parochiales gaudent, derogare, ita quod memorati religiosi in ecclesia sibi resignata ea tantum obibunt munia, quae religiosos ex vi et instituto regularis suae observantiae concernunt, in ea vero, quae sunt ecclesiae parochialis, absque speciali consensu parochi Neoforensis non ingerent, neque fines claustri dilatabunt, sed parochus super residuum agri extra sepes modernos, circumquaque existentes, atque pratum plenum ius habebit. Qua recognitione modo praemisso peracta, supplicatum est nobis, ut eandem authoritate nostra ordinaria approbaremus et

confirmaremus. Nos itaque intentioni piae memoratorum Illustrium et magnificorum coniugum faventes, praeinsertam resignationem approbandam et confirmandam esse duximus, prout praesentibus approbamus et confirmamus, decernentes eandem robur perpetuae firmitatis habere debere. In cuius rei fidem praesentibus sigillum nostrum est appensum. Actum et datum in arce nostra Lubaviensi die duodecimo mensis Februarii anno domini Millesimo Sexcentesimo Trigesimo Nono.

*Nach einer Abschrift im bischöfl. Archiv zu Pelplin in Sedlags Manuscr. p. 402—403.*

## 1156.

***1639. Februar 16. Löbau.*** *Johannes Lipski, Bischof von Culm, bestätigt die Fundation des Reformaten-Klosters zu Mariae Lonk.*

Joannes de Lipie Lipski etc. Notum praesentibus literis testatumque facimus, eam potissimum sacrorum praesidibus incumbere curam, quae ad propagationem pietatis verae atque religionis pertinet. Quae cum multiplex esse possit, tum ea apprime proficua et salutaris, per quam religiosorum coenobia seu uberrima pietatis seminaria instituuntur. Hic enim austeriori et quasi angelica inter mortales vita, continua rerum divinarum contemplatione, piis et sanctis exercitiis, non solum divinum numen placant propitiantque iis, quos mundanae curae absorbent, verum etiam verbo et exemplo dei cultum, aeternitatis amorem, caducarum rerum contemptum, religionis pietatisque studium in animis eorum radicant. Hinc nobis, qui licet immeriti arduum hoc episcopalis functionis munus sustinemus, eo uberius solatium attulit insignis et hoc corruptiore saeculo rara pietas et religio illustrissimi domini Pauli de Działyn, palatini Pomeraniae, Bratianensis Scarseviensis Zarnoviecensisque praefecti, ac pientissimae ac omni virtute ornatissimae eius consortis Ill$^{mae}$ dominae Edwigis de Czarnkow, Ill$^{mi}$ d. Adami Sandivogii Czarnkowski palatini Lanciciensis et generalis maioris Poloniae filiae, quam in aedificando ornandoque ac pia liberalitate sustentando fratrum minorum s. Francisci strictioris observantiae inter arcem Bratianensem civitatemque Neoforiensem coenobio declararunt ac declarare non cessant. Eo inquam nobis uberius solatium attulit, quo maiori ecclesiae religionisque commodo sub oppido haeresi referto in magna et saecularium et religiosorum sacerdotum penuria haec fundatio stetit. Proinde non possumus ipsi nisi impense favere et sanctissimum hunc memoratorum fundatorum zelum propensiori affectu prosequi. Non enim sufficiebat hisce illustrissimis personis, in quibus summa generis claritudo cum pietate certat, in vita et moribus raram retinere sanctimoniam ac religionis cultum, nisi eam alter quidem virili et heroico pectore in publicis conventibus et comitiis propugnet, haereses earumque praecones insectetur et e suis praefecturis abigat, publico earum exercitio obsistat, ecclesiarum personarum et iurium defensioni incumbat, ac invictum ubique pectus nullisque aut favoribus obnoxium aut invidia metuque concussum pro ecclesia et religione ita

opponat, ut ipsi acceptum ferat, quod nondum tota e Prussia exulet, et quod in civitate Neoforiensi et Scarseviensi vigeat, in quibus ne vestigium fortassis eius pridem restasset, si alium capitaneum habuissent. Altera vero maritalis zeli aemula tota domi et foris pietati dedita non cessat sanctis operibus insudare, ecclesiasticam suppellectilem munifice augere, sacerdotes ac religiosos viros omni humanitate percolere ac omnium virtutum exemplis praelucere. Quae quidem nobis memorare libet in magnae felicitatis loco manentibus, habere sub pastorali cura tantum par, cuius claritas et religio eximio nobis existit in asserenda religione et profliganda haeresi subsidio. Flagitant ergo et iure suo a nobis poscunt tam praeclara harum sublimium personarum in ecclesiam dei et religionem catholicam merita, flagitat et summa opportunitas atque utilitas praelibatae fundationis, ut ei authoritate episcopali faveamus, ac ea, quae ad commoditatem dictorum fratrum coenobiique ipsorum spectant, libenter ac prompte indulgeamus. Proinde non tantum ratam gratamque habemus hanc recensitorum religiosorum fratrum S. Francisci Minoritarum strictioris observantiae, vulgo Reformati dictorum, ex qua tam uberes proveniunt ecclesiae et religioni pietatique catholicae fructus, fundationem de consensu et auctoritate Illmi et Rmi Praedecessoris nostri factam, eamque nos etiam omni meliori forma et stylo, matura adhibita deliberatione, omnibusque rei circumstantiis probe expensis, petentibus praememoratis Illmis fundatoribus, quibus ob recensita in ecclesiam dei et religionem merita et tot insignia pietatis monumenta nihil negare nedum tam sanctum et praeclarum opus possumus, approbamus, confirmamus, ratificamus, ita ut ecclesia et coenobio cum omnibus ad illud pertinentibus aedificiis et fundis iuxta religiosi instituti sui observantiam utantur, utifruantur, illoque possideant, teneant, habeant ac in illis religiosae suae observantiae instituta libere et licite exerceant perpetuo et in aevum. Verum insuper ad firmandum praedictum coenobium, ecclesiam, aedificia fundosque, ius, concordiam et contractum a praefatis Illmis fundatoribus cum venerabili Martino Przeborewski, parocho et archipresbytero Neoforiensi, initum die 13 mensis Februarii anni praesentis manibusque eorum subscriptum et sigillis communitum, quo quidem contractu praefatus venerabilis parochus Neoforiensis, inhaerendo concessioni antecessorum suorum, submittet se omni iure suo, quod sibi ad ecclesiam B. M. V. patribus Reformatis auctoritate Illmi et Rmi Praedecessoris nostri applicatam, tum ad fundum, in quo coenobium eorundem aedificatum est, et hortum competit, ad Acta nostra Consistorialia cedere et concedere, illudque in praefatos patres Reformatos pleno iure transferre ac transfundere, prout iam ea cessio et iuris transfusio per illum facta est et per nos recepta et approbata. Vicissim vero memorati Illmi fundatores obligant se ratione quidem proventuum ex dicta ecclesia parochis Neoforensibus et fundo provenientium, inscripturos se in Actis terrestribus vel castrensibus quibuscunque, quam primum Illma dna palatina ex puerperio convaluerit, summam trium millium et trecentorum trium florenorum polonicalium et grossorum decem in bonis suis haereditariis Bielice et Grzyzlinskie nuncupatis, in terra Culmensi sitis, ecclesiae

et parochis Neoforensibus pro tempore existentibus in vim reemptionis, alias na Wyderkoff, ab eaque summa censum annuum ducentorum florenorum moderno parocho et aliis pro tempore existentibus pro festo S. Martini confessoris pontificis soluturos, quoad eadem summa non fuerit restituta et a parocho pro tempore existente cum scitu et consensu nostro successorumque nostrorum levata vel in alia bona translata; ratione vero agri seu fundi, in quo monasterium cum horto situm est, recipit idem Ill$^{mus}$ dominus palatinus se apud S. Regiam Maiestatem procuraturum donationem certae particulae agri ad limites Neoforienses siti ecclesiae et parochis Neoforiensibus temporibus perpetuis, prout ea omnia latius in commemorato contractu continentur, ad quod praesens diploma nostrum, tum et ad praetactam cessionem ad acta nostra consistorialia per praedictum parochum Neoforiensem factam, referri volumus, authoritate nostra ordinaria confirmamus, approbamus, ratificamus et robur debitae firmitatis obtinere volumus, ita ut, postquam ab utraque partium ista concordia et contractus omniaque in illo contenta impleta fuerint, prout iam ex parte venerabilis parochi Neoforiensis illis satisfactum est, et ab Ill$^{mis}$ dominis fundatoribus satisfactum iri minime ambigimus, extunc prout praemissum est, reverendi fratres Reformati memorata ecclesia sibi iam applicata ac fundo, in quo monasterium cum horto situm est, pleno iure gaudebunt, neque amplius ad ea regressum ullo colore aut praetextu modernus parochus Neoforiensis et alii pro tempore existentes parochi habere poterunt. Caeterum pro eo nostro erga se favore dicti patres Reformati S. Francisci divinum numen in s. sacrificiis aliisque suis religiosis exercitiis pro nobis et successoribus nostris exorabunt. Harum serie literarum, quas in fidem manu nostra subscriptas sigillo quoque nostro consignari iussimus. Datum in arce nostra Lubaviensi die 16 mensis Februarii anno domini 1639. Praesentibus Illustribus et Admodum Reverendis Dominis Philippo de Lipie Lipski, cantore Plocensi et Sendomiriensi Lanciciensique canonico, S. Regiae Maiestatis secretario, Alexandro Nieborowski praeposito Graudentinensi, S. R. M. secretario, Bartholomaeo Duczyminski canonico Posnaniensi, Nicolao Borkowski praeposito Siradiensi, Alberto Rhegiman archipresbytero Brodnicensi, oeconomo nostro, Stanislaus Dembowicz actorum curiae nostrae notario, aliisque aulicis et familiaribus nostris.

*Nach der Abschrift im bischöflichen Archiv zu Pelplin in Sedlags Manuscr. p. 403—405.*

## 1157.

***1639. März 26. Briesen.*** *Johannes Lipski, Bischof von Culm und Pomesanien, nominirter Erzbischof von Gnesen, urkundet für seine Nachfolger über das, was während seines dreijährigen Pontificats in der Diöcese Culm theils geschehen ist, theils beabsichtigt wurde.*

Joannes de Lipie Lipski, dei et apostolicae sedis gratia episcopus Culmensis et Pomesaniae, praepositus ecclesiae cathedralis Plocensis, nominatus archiepiscopus Gnesnensis, legatus natus, Regni Poloniae primas et primus princeps. Notum facimus prae-

sentibus literis nostris, quorum interest, universis et singulis, et praesertim Illmo ac Rmo in episcopatum Successori nostro ac venerabili Capitulo ecclesiae cathedralis Culmensis, quod, ubiprimum licet indigni et immeriti episcopale munus capessivimus, statim eo omnes cogitationes et conatus nostros intendere coepimus, ut visitata personaliter universa hac dioecesi nostra synodum a multis annis intermissam convocaremus, et per proxime elapsi temporis iniurias bellorumque calamitates ac hominum iniquitatem conculcatae religioni, profanatis et devastatis ecclesiis, bonis ecclesiasticis pessundatis, sacerdotum moribus laxatis, quantum fieri posset, in domino moderemur, ac in eadem synodo de revocandis sacerdotibus metu belli profugis, de augendo et reformando clero, de beneficiorum curatorum pluralitate, quam necessitas et sacerdotum paucitas induxit, aliisque abusibus tollendis, seminario fundando, novis sectis et praecipue Arianismo extirpando, proventibus ecclesiasticis et praesertim aratralibus vindicandis, ecclesiis et bonis ecclesiasticis de manibus haereticorum eliberandis, synagogis haereticorum noviter exstructis tollendis, ministris pellendis, aliisque incommodis, et usum ecclesiae religionis personarumque ecclesiasticarum servientibus rebus, consilia cum venerabili capitulo ecclesiae nostrae cathedralis aliisque sacerdotibus nostris agitaremus.

Verum has et salutares cogitationes et coepta nostra plurimae inturbarunt difficultates. Nam pro officio senatorio publicis quoque curis, quas recens bellum auxit, incumbendum erat, conventus generales Prussiae et comitia Regni frequentanda, legatio ad Imperatorem Romanum magna et sumptuosa obeunda, residentia ad aulam ex lege publica per semestre expedienda, commissio Varsaviensis Consistorio Comitiali laudata, et alia munia publica obeunda, quae quidem maiorem eius biennii et aliquot mensium partem nobis extraxerunt, quo hanc ecclesiam ab ingressu nostro ad cathedralem reximus. Reliquum vero valetudo mala extraxit, quae saepius et diu graviter conflictabamur, ut vix aliquot mensium tempus ad curas ecclesiasticas vacuum habuerimus. Quod tamen excusationi non obtendimus, cum magnos defectus et negligentias coram deo et hominibus fateamur, et exiguum id temporis melius nos collocare potuisse, non eamus inficias. Itaque etsi generalem universae dioecesis nostrae per nos ipsos visitationem indixeramus, ob praefatam tamen legationem Vienensem pro desponsanda et traducenda in regnum regina eo sanctius et lubentius a nobis susceptam, quod aliae sponsae haereticae regi ab hominibus catholicae religioni infestis obtruderentur, coacti fuimus tantisper ab inchoanda ea visitatione supersedere. Ubi tamen rediimus, serio nos eidem visitationi peragendae accinximus, ac illam in cathedrali nostra Culmensi auspicati sumus et per dies complures magno labore (cum nullius visitationis praeteritae nota extaret, cuius ductum sequeremur, ex Actisque et Archivo Capitulari, uti vetustate obsoleto et incondite inordinateque diu iacente parum luminis habere potuimus,) continuavimus et tandem licet ob supravenientem valetudinem, cui medendum erat, festinacius peregimus. Hinc gravi et ancipiti correpti morbo, Thorunium ad medicum profecti, confirmata utcunque valetudine, visitationem

ecclesiae S. Joannis ibidem ac aliarum ecclesiarum catholicarum, monasteriique sanctimonialium expedivimus, de gravaminibus civium Thorunensium, quae ecclesiis et personis iuribusque ecclesiasticis inferunt, cognovimus, quae postea scripto comprehensa magistratui transmisimus, amice requirendo, ut se indemnes eo nomine praestarent, quod cum negligeret, solennem de iisdem gravaminibus protestationem in actis castrensibus Kowaliensibus fecimus. Verum dum aliarum ecclesiarum dioecesis nostrae visitationem prosequimur, recidivo morbo correpti, desistere coacti sumus et mutandi soli et aurae curandaeque valetudini Cracoviam versus iter mutare. In quo itinere non modo non abientibus nobis sed quantum licuit renitentibus primatialis dignitas delata reliquum curarum circa hanc ecclesiam susceptarum novis curis obruit et absorpsit, ut neque visitationem incoeptam continuare, neque synodum indicere, neque augendo praelatorum numero, suffraganeo et seminario fundando aliisque destinatis nostris manum admovere, iam nobis vacuum et integrum fuerit, ut tamen memoratorum destinatorum nostrorum Illmo et Rmo Successori nostro et Adm. R. Praelatis et Canonicis ecclesiae nostrae cathedralis, qui eorundem conscii et administri et cooperatores fuerant, atque posteritati monumentum extaret, paucis deliberanda hic censuimus, etsi magis pia et salutaria dominus deus Illmo et Rmo domino successori nostro inspirare poterit.

In primis in praememorata visitatione ecclesiae cathedralis (quam authenticam reliquimus) valde consultum et opportunum et prope necessarium nobis et venerabili capitulo visum, ut suffraganeus more aliarum ecclesiarum fundaretur. Nam si alii episcopatus in regno, paucis demptis, suffraganeos habent, et hic in Prussia Varmiensis, ubi triplo minor ecclesiarum numerus et angustior dioecesis, multo magis hic suffraganeo opus, ubi vastae dioeceses, frequentes ecclesiae, insignes aliquot urbes, et ubi ob remotam et dissitam residentiam episcopalem Luboviensem gravi cum difficultate commeare potest episcopus ad cathedralem ecclesiam ob peragenda pontificalia, apud quam etiam ob defectum domicilii aliarumque rerum commorandi diutius facultate destituitur. Deinde cum saepius acciderit et accidere possit, ut episcopus Culmensis ad munus cancellariae regni provehatur, eo casu quantam iacturam pati cogatur haec dioecesis ob defectum functionum pontificalium, satis superque superiori tempore patuit. Proinde his aliisque de causis inter nos capitulariter in eadem visitatione constitutum erat, ut fundationem suffraganei maturaremus, ita ut pro ea incorporatio parochiae Thorunensis a S. R. M. et republica cum consensu Patrum Soc. Jesu, qui privilegiis regum et episcoporum nituntur, impetraretur, quae cum canonicatu ecclesiae cathedralis coniuncta, adiecto etiam aliquo alio vel beneficio vel subsidio, posset cum decore et dignitate ecclesiae sustinere hanc functionem, etiam cum non mediocri religionis catholicae et ecclesiarum in illa urbe adiumento et praesidio, si Infulatus et Episcopus curam in ea animarum in ea administraret et episcopales functiones saepius obiret.

Visum quoque nobis ad gloriam dei et decorem atque dignitatem cathedralis ecclesiae pertinere et quemadmodum praedecessores nostri recentiores numerum canonicorum in ea

auxerunt, ut, cum quatuor tantum non ita pridem essent, modo sex reperiantur, sic nos quoque duos adiiceremus praelatos, decanum et archidiaconum (ne oculo episcopus Culmensis careat,) ita ut tres sint praelati, praepositus, (quod nomen modo senior canonicus obtinet,) decanus, archidiaconus et quinque canonici, e quibus vel etiam e praelatis suffraganeus legeretur. Magnum enim est tam nobilis ecclesiae probrum, quae et dioecesim habet amplam et civitates oppidaque illustria et reditus non exiguos, ad quamque viri publicis dignitatibus et meritis clari atque ex illa ad magnas cathedras, ut modo etiam ad Cracoviensem et Gnesnensem provehebantur, sex solummodo canonicos habere, cum multae collegiatae plures habeant. Deinde maiestas ecclesiae maxime inter haereticos difficilius a pauco praelatorum ecclesiae cathedralis numero conservari potest, et munia ecclesiastica et politica obire in synodis, tribunalibus, comitiis regni, conventibus, iudiciis aliisque privatis et publicis actibus, in quibus comparere cum episcopo et per se ipsos capitularibus opus est, quod praestari in tam exiguo ipsorum numero commode non potest. Ipsius enim episcopi interest, habere plures laborum et functionum episcopalium adiutores, quorum consilio et vicaria ope utatur, et e quibus officiales, vicarios, commissarios, visitatores legat. Fundari vero hi tres praelati non incommode possent in nonnullis nobiliorum oppidorum episcopalium parochiis, sicut nuper canonicatus in parochia Culmensi vel Lubaviensi et praepositura ibidem S. Spiritus, salvis modernis possessoribus. Quin et praepositura arcensis Brodnicensis eo servire posset, facileque id obtentu foret a S. R. M. et una cum villa Staw dicta, quam modo Adm. R. D. Praepositus Culmensis obtinet Venerabili Capitulo, pro augendae mensae capitularis proventu, qui accessu trium praelatorum divideretur in plures, ac propterea dispendium veteres canonici in distributionibus paterentur, quod incommodum per memoratam praeposituram, cuius officia per vicarium absolvi possent, et villam sarciretur, cum etiam per censum novo privilegio apud Hollandos in Kokoczko eo potissimum fine auctum, cum itidem non ita pridem alter canonicus Culmensis in parte veteris census ab illis provenientis sit fundatus. Insuper vero aliquod praediolum vicinum attribui posset venerabili Capitulo subsidium mensae capitularis pro his duobus praelatis noviter constituendis, quam nos ipsi iacturam libenter tulissemus, et idem facturum Illmum et Rmum Successorum haud ambigimus. Ob tam exiguum quoque capitularium numerum visum nobis duos praepositos ob obeunda munia tribunalitia capitularibus adiungere, Graudentensem et Brodnicensem arcensem. Nam cum mutari oporteat ex lege publica iudices deputatos nec is, qui hoc anno hoc munus gessit, nisi elapso biennio possit illud resumere, ea de causa haud facile hactenus fuit legere tam paucis capitularibus iudices deputatos, cum aliquos eorum accidat esse vel senio confectos, vel aegros, vel absentes vel plebeios aut alias minus idoneos. Maior ergo necessitas suasit hic adiungere memoratos praepositos ad obeundum munus tribunalitium, quam alibi abbates et praepositos regulares, ubi numerosa sunt capitula, quod in regno usu venit.

Demum dum ss. canonum et praesertim s. Conc. Tridentini decretis seminariorum fundatio, ubi desunt, episcopis maxime commendetur ac iniungatur, ut apprime ad propagandam religionem, divinum cultum, fideliumque salutem necessaria, cumque idem Constitutionibus synodorum provincialium praecipiatur, uti in dioecesanis quoque synodis huius nostrae dioecesis saepius rationes fundandi seminarii ab Illmis et Rmis Dnis Praecessoribus nostris inibantur, eamque in rem contributiones universi cleri erant decretae, non tamen res tam utilis et salutaris ad effectum deducta. Cum denique luce meridiana clarius sit, istas nostras dioeceses ob paucitatem cleri et frequentiam haereticorum, quibus maiori ex parte et praesertim nobilioribus in locis scatent, seminarii fundatione maxime indigere, ex quo et cathedrali ecclesiae in tanta cleri paucitate decor cum divini cultus incremento accidere, et ad obeundam animarum curam idonei pastores ad parochiam submitti queant. Ea de causa de praelibati seminarii fundatione, erectione et dotatione sedulo et serio consilia cum V. Capitulo nostro in eadem visitatione nostra et generalibus capitulis communicavimus, tantam eius rei, uti praemissum est, necessitatem animadvertentes, ac s. Canonibus imprimisque S. Conc. Tridentini decretis, tum etiam mandato s. sedis apostolicae in bullis et literis sacris super episcopatum e cancellaria romana expeditis expresso exequi cupientes. Quam in rem sine graviori dispendio mensae episcopalis et capitularis perficiendam, parcendo quoque reliquo huius dioecesis clero, cui antea contributiones pro seminario fundando imperabantur, per commodum nobis visum pecuniam ex legatis piorum restantem ad tam pium et salutare opus destinare, cuius summa notabilis est apud Illmum D. Paulum Działynski, palatinum Pomeraniae, Bratianensem Scarseviensem Zarnoviecensem capitaneum, in bonis eiusdem haereditariis sub annuo censu inscripta, et pars quoque in aerario V. Capituli Culmensis et apud quosdam praelatos. Huc quoque convertimus summam pecuniarum ab Illmo ac Rmo olim D. Joanne Kuczborski episcopo Culmensi, praecessore nostro, pro organo novo ad ecclesiam cathedralem fabricando legatam, tum quod pars istius summae iam per immediatum Illmum ac Rmum praecessorem nostrum in fabricationem eius organi impensa sit, fabricatum vero ex parte maiori istud organum partim fortuito incendio absumptum est partim per iniuriam corruptum, ita ut restante summa nequaquam perfici possit, tum quod satis commodum sit, vetus in eadem ecclesia organum modo reparetur et exornetur. Huc praeterea serviet summa ab Illmo et Rmo praememorato Joanne Kuczborski apud religiosam olim Morteska abbatissam monasterii Culmensis monialium deposita, et altera ab eodem in hospitale sacerdotum senio confectorum destinata, quam monialibus Sierpscensis monasterii mutuo datam ab abbatissa proxime defuncta asserunt et vindicari debent. De quibus quidem omnibus summis constant rationes venerabili Capitulo, ad quas praesens decretum nostrum capitulariter latum referimus.

Demum licet praedictae summae in censum annuum collocatae possint sufficere sex ad minimum seminaristis alendis et vestiendis, tamen ut eo amplior ea sit fundatio, et

propter crescentia rerum in dies pretia securior augerique possit seminaristarum numerus, adiunximus quoque ad idem seminarium fundandum villam Czartowiec, magna cum invidia et molestia de manibus laicorum vindicatam. Qua etsi nobilem dominum Szarszewski possessorem obligatorium ex rationibus in decreto nostro expressis (quod in actis extat) privavimus, neque generosus dominus Zaleski, ensifer terrarum Prussiae, nititur iure legitimo ad eadem bona, et si quod habuisset, per abusum et obligationem eorundem sine consensu directi et supremi dominii factam illud amisit, tamen ne querendi occasionem habeant, decrevimus cum V. Capitulo, ut nobili Szarszewski duo millia, generoso vero domino ensifero tria millia ex praetactis summis numerentur. Caeterum eius villae Czartowiec talis per nos ordinatio fieri debuit, ut ea in possessione Illmorum et Rmorum Successorum nostrorum maneat. Ipsi vero censum annuum pro seminario quotannis persolvant, ita ut primis tribus annis sexcenti duntaxat floreni ex hac villa seminario ab ipsis pendantur, elapso vero triennio, quando haec bona resarcientur et in pristinum statum reducentur, mille ducenti floreni. Quod neque nobis grave fuisset, nec Illmis ac Rmis Successoribus nostris fore putamus, cum ea villa valde oportuno commodo et amoeno loco sita sit, ita ut propter privatum et salubrem secessum magnam commoditatem residentiae episcopali etiam Lubaviensi adferre possit, et non exiguum commodum aerario. Nam eo transferri potest braseum, quod in arce magna cum difficultate et incommodo hactenus stetit cum ob sylvarum, unde ligna cum magno dispendio subditorum ad braseum et culinam focumque petuntur, tum ob villarum, in quarum tabernas cerevisia ex braseo arcensi devehitur, longinquitatem. Haec vero villa in ipsis prope sylvis sita est, et in medio villarum, ad quas cerevisia propinanda distribuitur, et supra lacum in viciniaque aliarum lacuum, ex quibus ad arcem pisces suppeditari solent, ut plurimum ob distantiam loci corrupti. Sed praeterea non exigui proventus haberi possunt ex ipso praedio villaque, cum fundos habeat longe lateque patentes et circumiacentes alias villas episcopales, per quas fundi deserti excoli et villa ipsa refici possit, ita ut triplo et amplius maiorem fructum et reditum haec villa adferre possit episcopo ea summa, quam seminario pendet, ultra commoditatem secessus et residentiae, ob quam praecessores nostri summo studio desiderabant eandem villam. Caeterum ex censu a praememoratis summis ex hac villa proventuro destinaveramus primum domum pro seminaristis commodam ad cathedralem ecclesiam extruere, quod non tantopere factu difficile foret, cum semiruta ibi extent aedificia, quae haud ita magno sumptu refici possent, coctis circa vicinas sylvas episcopales vel capitulares lateribus vel ex ruinis arcis Papoviensis petitis. Extructa vero domo, tot e dioecesanis iuvenibus legere seminaristas et in ea alere, quod alendis census sufficeret. Seminarii vero curam gereret concionator pro tempore extans, sub cuius disciplina et magisterio statis horis studiis et literis statui eorum convenientibus, certis autem horis officiis divinis vacarent in ecclesia et choro. Nam etsi non eamus inficias, talia seminaria cum maiori alumnorum in pietate et literis profectu circa Collegia

Patrum Soc. Jesu fundari, sed cum ista ecclesia destituta sit clero, et perpauci in tam nobili et ampla ecclesia habeantur clerici et sacerdotes, decori dignitati et splendori chori, processionum et aliorum divinorum officiorum consultum volentes, potius circa ecclesiam cathedralem istud seminarium fundare decreveramus, habentes nihilominus propositum, si facultas suppetiisset, aliquot praeterea seminaristas circa Collegium Thorunense Patrum Soc. Jesu alere, qui solidius pietati et studiis vacare possent. Quod ad effectum deducturum Illmum et Rmum Successorem nostrum confidimus, cui et zelus promovendi cultus divini et facultas aliunde suppetit.

Demum id quoque hic memoriae causa adnotandum censuimus, subverentes ne ex memoria hominum et actis, in quae secretarii civitatum maiorum Prussiae decreta Conventuum generalium referunt, id odio religionis catholicae excidat. In Conventu generali terrarum Prussiae anno domini MDCXXXVI. Graudenti magna contentione nos evicisse, ut articulus de proscribendis ex Prussia Arianis, quibus nulla iura et pacta, uti non Christianis, suffragantur, aliis comitialibus articulis insereretur, diu reluctantibus haereticis et civitatibus. Qui quidem articulus fuisset lege publica in Comitiis approbatus, si ea exitum sortita fuissent; sed quia ob discordiam dissoluta sunt, hic quoque articulus ita mansit, sed in sequenti conventu et comitiis reassumi potest. Evicimus quoque, ut articulus seu postulatum insereretur de iudicanda per S. R. M. causa vindicationis ecclesiae magnae Matris dei Thorunii, tum de proventibus ecclesiarum in insula et oeconomia Marieburgensi restituendis. In quo egregie adiutus cum singulari zelo et auctoritate Illustrium et magnificorum dominorum Pauli Działynski, palatini Pomeraniae, et Joannis Działynski, Pucensis, Pokrzywnicensis, Rogozinensis capitanei et nunc equestris ordinis marschalci, aliorumque huius Illmae et religiosissimae familiae procerum, quorum praecipue ope religio catholica et res ecclesiastica in hac provincia nititur. Quae quidem destinata et decreta nostra hinc abeuntes hoc diplomate nostro adnotare voluimus, ut executioni ab Illmo et Rmo Dno Successore et V. Capitulo ea, qua capitulariter sancivimus, demandentur, ea vero, quae tantummodo destinata erant, si libuerit, et expedire in domino videbitur, ad effectum deducantur, cum nihil nostrum hac in parte quaeramus, sed Eius solius gloriam, qui me indignissimum huic ecclesiae praefecerat. Ad extremum non possumus nisi eodem hoc in vim memorialis relicto Illmis et Rmis Successoribus nostris monumento sancte testari, nos in hac ardua episcopali functione praeclare a Patribus Soc. Jesu adiutos, quorum Thorunii, Mariaeburgi, Graudenti, continue pro religione catholica et residuis oviculis Christi in medio luporum aegre subsistentibus esset. Per hos religio verbo et exemplo propagatur, haereses et vitia extirpantur, obsoleta sanctorum Patronorum Prussiae veneratio restituitur, verbi divini praedicatio, sacramentorum administratio, hospitalium carcerumque salutaris visitatio ac caetera pia et sancta officia peraguntur. Hos ergo sicut nos ipsi non potuimus nec debuimus, nisi singulari favore, privatim et publice prosequi, cupientes et propositum habentes tam collegium

Thorunense quam residentiam Graudentensem et Mariaeburgensem novis subsidiis augere, (quemadmodum literis quoque ad Summum Pontificem iam datis Collegium Thorunense stabilire in tam eiusdem religionis et ecclesiae bonum contendimus,) ita Illmis quoque successoribus eosdem patres commendamus, ut, si rem catholicam in hac dioecesi perditam nolent, uti potius conservatam et propagatam volent, memoratum Patrum Soc. Jesu collegium et residentias ornent et angustas eorum rationes iuvent et augeant, eam vero in curam praecipue invigilent, ne ab haereticis et praesertim Thorunensibus opprimantur. Nam quantum ipsi principi tenebrarum praedae salutaribus monitis, exemplis, laboribus eripiunt, tantum ille toto eos oppugnat inferno et per errorum filios insectatur, ut eos hospites et peregrinos in urbe Thorunensi passim vocitent et procul dubio vi illata execrent, nisi legem publicam regis et regni ac loci ordinarii auctoritatem vererentur. Id unicum duntaxat in his patribus culpandum reperimus, quod summam ab Illmo et Rmo Dno Joanne Kuczborski pro residentia Mariaeburgensi legatam prope amiserint, ea mutua data magnifico olim dno Kostka capitaneo Mariaeburgensi absque legitimae inscriptionis cautione, quamquam ipsi sperant, se hanc summam a derelicta consorte eius recuperaturos, quam in rem intentum esse oportet Illmum et Rmum successorem nostrum, ne tam utilis et necessaria residentia, deperdita fundationis summa, amittatur.

Caetera ex actis tam nostris episcopalibus quam capitularibus Illmo et Rmo Successori nostro patebunt, haec modo paucis deliberare et innuere ipsi voluimus, ut cum infinitarum negligentiarum et imperfectionum in hac episcopali functione nostra nobis conscii simus, ac eas coram divina Maiestate fateamur et accusemus, saltem per optimum et pientissimum successorem defectus nostros sarciamus, tam in his, quae ipsi hisce suggerere et innuere voluimus, quam aliis, quae ipse et sanctus illi, uti praelato pientissimo, dictabit. Ad extremum ut constet, nunquam nos marsupio alieno et privatis commodis inhiasse, quin potius mihi aequo iure debita ultro saepius posthabuisse et nunc posthabere, idcirco de anno gratiae, cuius beneficio quarta pars fructuum praesentis anni ex isto episcopatu mihi optimo iure debetur, nolo exactam rationem et calculum cum Illmo et Rmo domino successore meo inire, contentus quarta eius parte, ut, cum decem millia florenorum excedat, quarta pars proventuum istius episcopatus, quae mihi vigore anni gratiae servit, tria duntaxat ab eo repeto, eaque non in privatos usus meos sed huius ecclesiae et dioecesis, nempe mille florenos pro augmento census ad decantandum quotidie officium B. V. Mariae in cathedrali ecclesia, quingentos florenos pro Reliquiis argentiis thecis includendis, quae in maiori altari exponi solent et ligneis modo includuntur, quingentos florenos pro transferendo venerabilis Sacramenti tabernaculo ad capellam Crucis iuxta decretum a visitatione capitulariter latum et decenter exornandam, quingentos florenos pro fabrica ecclesiae parochialis Mariaeburgensis, quingentos florenos pro renovando cultu B. Juttae in ecclesia cathedrali ad manus et liberam dispositionem R. P. Friderici Szembek Soc. Jesu tradendos. Reliquum eiusdem anni gratiae Illmo et Rmo Dno Suc-

cessori remittimus cum testandi fraterni amoris ergo tum supplendo, si quid me inscio per meos factores in damnum eiusdem successoris actum est, de quo mihi in praesentia non constat, sicut nec de iniuria et damno subditorum, quos gravari semper vetui, quantum in me erat, qui non adeo oecumenicae et rei familiari attendere soleo, rati maiora episcopis incumbere officia. Quam quidem de anno gratiae dispositionem meam Illmus et Rmus successor quin gratam habiturus sit, uti maiori suo emolumento quam dispendio factam, haud ambigimus, a V. vero Capitulo fraterne postulamus, ut eam executioni demandet, et ea curae habeat, in quae has summas destinamus, obligantes tam successoris quam ipsius Capituli hac in parte conscientiam. In cuius rei fidem praesentes manu nostra subscriptas sigillo nostro communiri iussimus. Datum Fredeci die XXVI. mensis Martii Anno domini MDCXXXIX.

*Nach einer Abschrift im bischöfl. Archiv zu Pelplin in Sedlags Manuscr. p. 406—411.*

## 1158.

***1640. Juli 11. Althausen.*** *Caspar Dzialynski, Bischof von Culm, hebt wegen geringer Dotation an seiner Kathedralkirche ein Canonicat auf und bestimmt die Zahl der Domherren auf fünf.*

Casparus a. Działyn Działynski, dei et apostolicae sedis gratia episcopus Culmensis et Pomesaniensis. Universis et singulis praesentes literas nostras inspecturis, visuris, lecturis pariter et audituris, aut illarum tenore quomodolibet requirentibus, seu quos negotium praesens infrascriptum aliquatenus tangit vel tangere poterit in futurum, salutem in domino sempiternam. Quod cum pro munere nostro episcopali post expeditum ad nostram ecclesiam cathedralem Culmensem felicem ingressum eiusdem ecclesiae canonicatuum seu praebendarum praestimoniorum et quotidianarum distributionum substantiam et qualitatem diligentius consideraverimus, in eademque canonicatum quartum antiquissimae fundationis cum suo praestimonio in duos canonicatus et praestimonia, cum notabili tam praestimoniorum quam distributionum quotidianarum in maiori alias quantitate ad huius ecclesiae canonicos venientium diminutione, ab Ill$^{mo}$ et R$^{mo}$ D. Jacobo Zadzik, antecessore nostro, divisum comperimus; Scientes autem divisionem hanc unius praestimonii pro duobus canonicis decenter sustentandis, sicut praefertur, factam nequaquam sufficere, neque alios canonicatus in tanta praestimoniorum tenuitate, per devastationem ab exercitu Suetico et Polonico imo per ipsam sedem belli Prussici inducta, cum hac distributionum diminutione sustinendo decenti canonicorum gradui pro loci et personarum qualitate subsistere, nec per valorem beneficiorum simplicium, quorum in hac dioecesi est magna inopia, huiusmodi tenuitati provideri posse: Faciendum nobis existimavimus, ut SS. Conc. Trid. Sess. XXIV. cap. XV. praescripto et communi doctorum sententiae inhaerentes, hunc numerum senarium canonicorum nostrorum ad Quinarium antiquum reduceremus, et praestimonio quarti canonicatus, quod in duo divisum est, coadunato eidemque duntaxat

quarto applicato, quintum canonicatum ab illustrissimo memorato ex quarto diviso procreatum supprimeremus et extingueremus, atque ita ministros ecclesiae ad servitium dei animantes et competentioribus provisionibus ad labores in ecclesia dei et pro ipsius integritate sustinendos allicientes, opportuno remedio ipsis provideremus. Prout quidem dictum numerum senarium ad supplicationen venerabilis Capituli nostri ex rationibus supradictis ad Quinarium antiquum reducimus, praestimonium quarti canonicatus in duo divisum in unum redigimus, illud quarto canonicatui praedicto tanquam suum proprium restituimus et applicamus, ac tandem quintum canonicatum ex quarto, uti praemissum est, exortum primo loco per cessum vel decessum aut alio quovis modo vacantem extinguimus et supprimimus, tam s. concilii Tridentini quam nostra ordinaria authoritate, ac alias omni meliori modo, praesentibus literis nostris; declarantes huiusmodi reductionem, coadunationem, applicationem et suppressionem, sicuti praemissum est, factam ex quibuscunque provisionibus, etiam vigore resignationis, aut quibusvis aliis derogationibus vel suspensionibus tolli seu impediri non posse, sed robur perpetuae firmitatis obtinere debere. In quorum omnium et singulorum praemissorum fidem praesentes manu nostra subscriptas munitione sigilli nostri fecimus roborari. In castro nostro Starogrodensi die Mercurii mensis Julii undecima, anno Millesimo Sexcentesimo Quadragesimo.

Gasparus Działyński Episcopus Culmensis et Pomesaniae.

*Nach einer Abschrift im bischöfl. Archiv zu Pelplin in Sedlags Manuscr. p. 420—421.*

## 1159.

***1641. April 12. Löbau.*** *Caspar Dzialynski, Bischof von Culm, errichtet das Amt eines Weihbischofs für Culm.*

Gasparus a Działyn Działyński, dei et apostolicae sedis gratia episcopus Culmensis et Pomesaniensis, universis et singulis, praesentes literas nostras inspecturis, lecturis pariter et audituris, vel earum notitiam habituris, praesentibus et futuris, salutem in eo, qui est omnium vera salus. Cum circa ecclesiarum et locorum statum salubriter dirigendum et iuxta pastoralis officii nostri debitum in his eis libenter assistimus, per quae animarum occurritur periculis et personarum providetur commoditatibus, quemadmodum ecclesiarum ipsarum necessitas exigit, causae suadent rationabiles, catholici populi incrementum exposcit, quatenus earundem ecclesiarum status immutetur seu in melius reformetur, prout rerum temporum et locorum pensatis circumstantiis id cognoscimus in domino salubriter expedire. Hinc profecto non absque gravi cordis nostri amaritudine illud intuemur, quod in dioecesi nostra Culmensi et illi annexa Pomesaniae, pravitate haeretica et aliorum sectariorum dogmata perversitatis in universa provincia Prussiae publice et impune seminando venenis infecta, sit messis copiosa operarii vero pauci, tum propter tenuitatem beneficiorum per devastationem Prussiae a Suetico et Poloniae milite,

sede belli ibidem constituta, inductam, tum propter non residentiam R^morum episcoporum Culmensium, antecessorum nostrorum, ex antiquo regni cancellariatus functione et aliis reipublicae gravibus negotiis onerari solitorum, sed vel maxime ob defectum Suffraganei et pontificalium a multo tempore in dioecesi hac et annexa Pomesaniae non administratorum reperiantur, neque ob rationes praedictas potissime vero ultimam defectum Suffraganei continentem eo usque poterant nec potuerunt nostrae valetudinis imbecillitate notabili (quod absit,) diutius existente conquiri seu alias augmentari numerosiores. Quia vero nos vineam dominicam non otiosam sed operosam, non incultam aut desertam existere, sed iuxta intentionem salvatoris nostri et pro debito excoli, et quasi vitem fructiferam foecundare Christi fideles in ecclesia sua incrementari, scabiem haereticam et sequacium obstinaciam eradicari studiosissime desideramus, nullumque alium modum ad succurrendum praemissis praeterquam Suffraganeatus institutionem invenimus, operae pretium nobis faciendae existimavimus, ut communicato consilio cum venerabili capitulo ecclesiae nostrae cathedralis Culmensis eiusdemque consensu accedente ad laudem S. Trinitatis dictae ecclesiae tutelaris virginisque deiparae et sanctorum honorem, ecclesiae dei ornamentum et incrementum fidei, propugnaculum populi universi nostrae episcopali sollicitudini subiecti, et animarum in purgatorio existentium fructum salutiferum et uberiorem consolationem, ac insuper cleri in his partibus pernecessarii, cui negotio virium nostrarum infirmitate impediti aliter posse provideri non existimamus, numerum ampliorem, dictum Suffraganeum, fundaremus, ordinaremus ac erigeremus, ipsique suffraganeo, quem honorifica decet sustentatio, provisionem competentem ad ipsum annuatim venientem in beneficiis infrascriptis assignaremus et constitueremus. Quemadmodum quidem invocato ad hoc D. N. Jesu Christi nomine, Virginis beatissimae, ss. Regni nostri ac dioecesium patronorum auxilio per tenorem praesentium praefatum Suffraganeatum in canonicatu et praebenda Culmensi cathedrali cum fundo et obventionibus et attinentiis, in ecclesiis Thorunensi S. Joannis Baptistae dioecesis Culmensis, Fischoviensi eiusdem invocationis seu tituli dioecesis Pomesaniensis partibus ac earum proventibus attinentiis pertinentiis et quibusvis emolumentis trecentorum aureorum reditum annuatim constituendis, et habita eo nomine Regiae Maiestatis, tanquam pro fide Christi zelosi patroni et protectoris animarum necessitatibus providentis, insertarum ecclesiarum ad suffraganeatum Culmensem memoratum iuris patronatus et collationis cum administratione spiritualium et regimine temporalium rerum incorporatione, nobis ad actum praesentem clementer et devote impertita, fundamus, ordinamus, erigimus et constituimus, atque suprascriptum canonicatum seu praebendam cum fundo ad illum ab antiquo spectante, ecclesias praedictas Thorunensem et Fischoviensem cum suis omnium praemissorum beneficiorum seu titulorum annexis, connexis, obventionibus, proventibus, attinentiis, pertinentiis ac omnibus in universum emolumentis, ad memoratum Suffraganeatum ac pro ipso deputamus, constituimus et ordinamus, atque huiusmodi Suffraganeum nostrum Culmensem nonnisi de medio capitularium

nostrorum eligi, assumi et fieri debere, dictumque suffraganeatum, sicuti praemissum est, in canonicatu Culmensi, Thorunensi et Fischoviensi parochiis ipsorumque attinentiis et consequentibus emolumentis universis erectum ad eundem suffraganeum pertinere decernimus. Quae omnia et singula praemissa nos Gasparus a Działyn episcopus memoratus ex rationibus suprascriptis certa scientia defect .... authoritate nostra ordinaria omnibus melioribus modo via iure forma et stylo nobis de iure praemissis fundata, ordinata ac erecta, temporibus perpetuis valitura et ab omnibus, quorum interest vel intererit, quosque praesens tangit negotium seu tangere poterit quomodolibet in futurum, ita haberi, conservari et observari volumus et praecipimus. In quorum fidem ac evidentius testimonium hasce fundationis et erectionis nostrae literas manu propria subscriptas sigillo nostro consignari mandavimus. Actum et datum in arce nostra Lubaviensi, die Veneris mensis Aprilis duodecima, anno a Christo nato Millesimo Sexcentesimo quadragesimo primo. Praesentibus Adm. R. D. Alexandro Georgio Dorpowski, canonico, vicario in spiritualibus et officiali nostro generali Culmensi, Thorunensi archipresbytero, Joanne Schmak I. U. D. canonico et archipresbytero Culmensi, curiae causarum auditore, et Rndis Henrico Chełkowski praeposito Graudentensi S. R. M., Valeriano Radzinski apostolico eiusdem curiae causarum notario, Joanne Potrykowski, Stanislao Gizycki, Carolo Bakowski, et generosis Paulo Charbicki stabulo, Thoma Pluswic cubili praefectis, praelatis nostris domesticis familiaribus aulicis et aliis plurimis fidedignis. Quam quidem suprascriptam fundationem seu erectionem suffraganeatus Culmensis censurae Suae Sanctatis domini nostri, domini clementis, cum omnibus clausulis et conditionibus subjicimus, de eademque paterne ecclesia dei huic dioecesi et nobis provideri humillime supplicamus.

Gasparus a Działyn Działynski, Episcopus Culmensis.

*Nach der Abschrift im bischöfl. Archiv zu Pelplin in Sedlags Manuscr. p. 421—423.*

## 1160.

***1641. Juni 12—13. Löbau.*** *Caspar Dzialynski, Bischof von Culm, hält in der Pfarrkirche zu Löbau eine Diöcesan-Synode.*

*Die Statuten sind unter dem Titel gedruckt:* Synodus dioecesana Culmensis et Pomesaniensis. Ab Illmo et Rmo Dno. D. Gasparo a Działyn Działynski — — celebrata. (s. l.) 4°. *und bei Hartzheim, Conc. Germ. IX 602 ff. — Eine Uebersicht bei Jacobson a. a. O. 190 nr. 57.*

## 1161.

***1641.*** *Verzeichniss der Archipresbyterate der Diöcesen Culm und Pomesanien mit den dazu gehörigen Kirchen.*

Connotatio Ecclesiarum in Culmensi et Pomesaniensi dioecesi ex synodo Działyniana Anno 1641 celebrata.

Volumus et ordinamus, ut in Culmensi et Pomesaniensi dioecesibus infrascriptas ecclesias Archipresbyteri sub cura sua temporibus perpetuis habeant:

In dioecesi Culmensi.

I. Archipresbyter Culmsehensis: 1. parochialem Culmsehensem. 2. Papowo (Bischöflich Papau). 3. Trzebcz (*). 4. Unislaw. 5. Grzybno. 6. Nawra. 7. Kielbasin. 8. Dzwierzchno. 9. Biskupice. 10. Grzywna. 11. Gostkowo (*). 12. Gronowo. 13. Łąka (Wielkałąka). 14. Rychnowo (Richnau †). 15. Zajączkowo (†). 16. Srebrniki (Silbersdorf *).

II. Archipresbyter Culmensis: 1. Chelmno (Culm). 2. Ibidem S. Spiritus et S. Gregorii Patroni (†), S. Martini Confessoris ac S. Agnetis Virg. et Mart. (†). 3. Starogrod (Althausen). 4. Kijewo. 5. Czyste. 6. Wapcz. 7. Lissewo. 8. Sarnowo. 9. Szynych (Schoeneich).

III. Archipresbyter Thorunensis: 1. Thorun ibidem S. Laurentii Mart. 2. Swierczyny (Swierczynki). 3. Przeczno (*). 4. Bierzglowo (Birglau). 5. Lążyn. 6. Ciarnowo (Czarnowo). 7. Ostromeck (Ostrometzko). 8. Boliminko (Klein Bolimin *). 9. Czarz (Czarze). 10. Papowo (Thornisch Papau). 11. Grębocin (†). 12. Lubicz (†). 13. Rogowo (†).

IV. Archipresbyter Graudentinensis: 1. Grudziąd (Graudenz). 2. Tarpno (Gr. Tarpen †). 3. Mokre (Mockrau). 4. Wełcz (Gr. Wolz *). 5. Wiewiorki (Wewiorken †). 6. Błędowo.

V. Archipresbyter Lubaviensis: 1. Lubawa (Loebau), in qua capella B. M. V. 2. Sąmplawa. 3. Byszwald (Bischwald *). 4. Kazanice (Kazanitz). 5. Rozental (Rosenthal). 6. Grabowo (Grabau). 7. Prątnica (Pronikau). 8. Swiniarz. 9. Rumian. 10. Grodziczno. 11. Turowo (Thurau). (12. Zlotowo[1]).

VI. Archipresbyter Neoforensis: 1. Nowe miasto (Neumark). 2. Kurzętnik (Kauernik). 3. Mikołaiki (Nicolaiken *). 4. Skarlin. 5. Łąkorz (Lonkors *). 6. Lipinki (Lipinken). 7. Szwarcynowo (Schwarzenau). 8. Radomno. 9. Chrosłe (†). 10. Tylice (Tyllitz). 11. Gwirdziny (Gwizdzin †). 12. Brzozie (Deutsch Brzozie).

VII. Archipresbyteratus Brodnicensis: 1. Brodnica (Strasburg), in qua S. Spiritus et S. Valentini Mart. 2. Mszano. 3. Zmijewo (*). 4. Wrocki (Wrock). 5. Nieżywięc. 6. Bobrowo. 7. Kruszin. 8. Lembark (Lemberg). 9. Pokrzydowo. 10. Brudzawy (Gr. Brudzau *).

VIII. Archipresbyteratus Golubensis: 1. Golub. 2. Ostrowite (*). 3. Lipnica (†). 4. Pluskowęzy (Pluskowenz). 5. Zelen (Zieleń *). 6. Radowiska (Radowisk.). 7. Kurkocin (*). 8. Lobdowo.

IX. Archipresbyteratus Lautembergensis: 1. Lidzbark (Lautenburg), in qua B. M. V. 2. Wlewsk (†). 3. Radoszki. 4. Brozie (Polnisch-Brzozie). 5. Mroczno. 6. Bolesino (Boleszin). 7. Kielpiny (Kielpin *). 8. Lenck (Gross. Lenck). 9. Przelęk (*).

---

[1]) *Zusatz aus Hartzheim, Conc. Germaniae IX p. 609.*

X. Archipresbyteratus Fredecensis: 1. Wąbrzezno (Briesen). 2. Osieczek (*). 3. Dębowałąka (Dembowalonka *). 4. Niedzwiedz (Bahrendorff). 5. Chełmonie. 6. Kowalewo (Schönsee). 7. Orzechowo. 8. Nowawies (Neudorf). 9. Lopatki (Polnisch Lopatken *). 10. Rynsk. 11. Płożnica (Płużnitz).

XI. Archipresbyteratus Radzinensis: 1. Radzyn (Rehden), in qua S. Georgii Mart. 2. Okunin. 3. Gruta. 4. Linowo. 5. Plowąz (Plowenz). 6. Ostrowite. 7. Jablonowo. 8. Bursztinowo (†). 9. Rywald (Rehwalde).

XII. Archipresbyteratus Lasinensis: 1. Łasin (Lessen), in qua S. Mariae Magdalenae. 2. Szczepanki (Szczepanken *). 3. Szynwald (Gr. Schönwalde). 4. Szembark (Schönbrück). 5. Rogosno (Roggenhausen). 6. Swięte (Schwenten). 7. Lisnowo (Gr. Leistenau †). 8. Blumowo (Blunowo, Blumenau †). 9. Gubino (Gubin *). 10. Jankowice (Jankowitz, Hansdorf †). 11. Dąbrowka desolata (Dombrowken*). 12. Czarlin (?†). 13. Trumica in manibus haereticorum (†).

In dioecesi Pomesaniae.

I. Archipresbyter Mariaeburgensis: 1. Malbork (Marienburg) ibidem Ecclesia S. Spiritus et S. Laurentii, capellae 2. B. Mariae Virginis. 2. Kozliczki (†). 3. Milenc (Milenz). 4. Gnojewo (Gnojau). 5. Mistembark (Alt-Münsterberg *). 6. Pogorzała wieś (Wernersdorf ?). 7. Montowy (Montau). 8. Szonowo (Schönau †). 9. Beysterfeld (Biesterfelde †).

II. Archipresbyter Neutychensis: 1. Nytych (Neuteich) ibidem ecclesia S. Spiritus. 2. Lichnowy (Gross-Lichtenau). 3. Nowa Cierkiew (Neukirch). 4. Boręnty (Barendt). 5. Prągowo capella desolata (Prangenau †). Palszewo capella (Palschau †). 6. Lezwice (Gr.-Lesewitz). 7. Koncendorf (Kunzendorf). 8. Szadwald (Schadewald †). 9. Lissewo (Liessau *).

III. Archipresbyter Sztumensis: 1. Sztum (Stuhm). 2. Kalwa. 3. Sztumska wieś (Stuhmsdorf *). 4. Peterwald (Peterswalde *). 5. Dąbrowka (Deutsch-Damerau). 6. Posztolin (Pestlin). 7. Kizling (?†). 8. Nowa wieś (Neudorf †). 9. Brunswald exusta (Braunswalde †). 10. Straszewo (*). 11. Koniecwald (?†). 12. Tychnowy (Tiefenau). 13. Scropy (Schroop *).

IV. Archipresbyter Christburgensis: 1. Kiszpork (Christburg). 2. Königsdorf. 3. Bauhngard (*). 4. Possolia (Posilge). 5. Tyrgard (Thiergart). 6. Stary Targ (Altmark). 7. Rosengarth (†). 8. Nowy Targ (Neumark *). 9. Fiszewo (Fischau). 10. Mikolaiki (Nikolaiken †). 11. Nocendorff. 12. Szenweza (Schönwiese).

V. Archipresbyter Fürstenwerdensis: 1. Fürstenwerder. 2. Szenhorst (?†). 3. Berwald (*). 4. Ladekop. 5. Tygenhagen. Orłow capella. Petershagen capella desolata. 6. Marynowy (Marienau). 7. Szensa (Schönsee *). 8. Tyga (*). 9. Szemberg (Schöneberg). 10. Tamza (Tannsee). 11. Lignowy (Lindenau †).

*Nach der Abschrift in einem Folianten des Pelpliner bischöfl. Archiv p. 555 in Sedlags Manuscr. p. 568. In Klammern sind die jetzigen Namen beigesetzt. Die Orte ohne jede weitere Bezeichnung haben jetzt noch Kirchen mit eigenen Pfarrern; jetzige Filialen sind mit * bezeichnet, wie durch ein † die untergegangenen Kirchen. Abgedruckt bei Hartzheim, Conc. Germ. IX 608.*

## 1162.

***1643. Juli 24. Thorn.*** *Caspar Dzialynski, Bischof von Culm, und der Rath von Thorn vereinbaren die Art und Weise, wie die Frohnleichnams-Procession in Thorn stattfinden solle.*

In nomine domini Amen. Ad perpetuam rei memoriam. Universis et singulis, quorum hoc scire interest, notum testatumque facimus. Posteaquam inter Ill$^{mum}$ et R$^{mum}$ d. Gasparum a Działyn Działynski, episcopum Culmensem et Pomesaniae, ab una et nobiles et spectabiles proconsules, consules, advocatos, scabinos totamque communitatem civitatis nostrae Thorunensis ab altera partibus, occasione processionis per forum et plateas publicas a praefato quidem Ill$^{mo}$ ac R$^{mo}$ D. Episcopo anno 1639 pro festo Corporis Christi affectatae, ob rationes vero gravissimas ab omnibus huius civitatis ordinibus eidem tum impeditae, variae lites et controversiae cumprimis in iudiciis S. R. M$^{tis}$, domini nostri clementis, hactenus intercessissent, atque adeo vehementer ab utrinque essent agitatae, ut post peractam inquisitionem ad ultimum tandem processus terminum, ad expediendam scilicet super decreto S. R. M$^{tis}$ ea in causa ultimario ac definitivo deliberationem, devolverentur: Interea vero temporis S. R. M$^{tis}$, domini nostri clementis, ex mera ac regia sua voluntate ac benignitate pacis totius mutuae inter utrasque partes conciliandae ac stabiliendae, quae maturandi dubii ac periculosi litis eventus studio mota, cum antea frustraneo licet conatu, tum imprimis iam ad praevium statuum et ordinum harum terrarum unanimem consensum, certos ad id mediatores, illustres videlicet magnificos dominos Nicolaum comitem a Weyher palatinum Culmensem, Gerhardum comitem a Dönhoff et Michaelem a Cinden Trcinski iudicem terrestrem Culmensem, deputare clementissime dignata sit, factum esset, ut, re partim cum ordinibus civitatis huius mature communicata penitiusque subinde inspecta et ad trutinam seriae deliberationis revocata, partim cum ipsismet praefatis dominis mediatoribus, utriusque mediationis suae officio rite et dextre perfungentibus, debita excussa et pertractata, post multiplices ultro citroque habitos tractatus amicabilis eo nomine compositio in eum, qui sequitur, modum conclusa determinataque fuerit. Quod videlicet Ill$^{mus}$ et R$^{mus}$ D$^{nus}$ Episcopus Culmensis eiusdemque successores processionem memoratam in hac civitate Thorunensi non in alia nisi infrascripta via per plateam Kurna seu Kokosza Ulica dictam ad forum publicum recta linea in longitudinem ad plateam usque sutoriam ducentem, postmodum vero ad dextram deflectendo per plateam eandem sutoriam, ac vicissim emensa hac, turrim Schwibogen nuncupatam transeundo per pontem, ut vulgo appellant Paulinum alias die Pauler-Brücke, per proximas cemeterii a sinistro latere constitutas fores ad templum divi Nicolai patrum Dominicanorum, ibidem peracta solita devotione eadem plane via, qua eo deventum est, vicissim revertendo in sinistram per plateam hordeaceam et scholasticam, vulgo die Gersten- und Schüler-Gassen, ad proximum usque cemeterii praedicti angulum, atque ita in ipsum cemeterium et templum S. Johannis; idque non alio die nisi ipso festo Corporis Christi, in diem videlicet Jovis seu feriam quintam, sive coelum serenum sive pluviosum fuerit, id quod processionem

illam nulla penitus ratione morari aut in aliud tempus differre debet, post Dominicam S. Trinitatis proxime incidentem, cum solennitatibus quidem ac caeremoniis iuxta catholicae Romanae ecclesiae morem observari solitis, sine tamen omni altarium erectione, evangeliorum in foro ac plateis publicis lectione, tympanorum tubarumque bellicarum clangore ac bombardarum gestatione ac explosione, ex nunc et in perpetuum celebrare ac expedire, nec ultra praedefinitas hoc in instrumento plateas et terminos extendere debeant. Pro qua quidem decenter ac secure remotisque omnibus obstaculis et impedimentis, ac demissis velamentis mercatoriis horis antemeridianis ad duodecimum usque expedienduin, omnem curam spectabilis senatus non intermittet, eamque, quae magistratui competit, securitatem praestabit, ac in processionem impedientes vel quoque modo delinquentes indilatam iustitiam, prout ex inquisitione patebit, administrabit; eo insuper praecaute, quodsi praeter omnem spem ac culpam magistratus ab inquietis hominibus adversi aliquid, quod deus benigne avertat, accidere posset, magistratum totamque communitatem nulla ad alienam culpam ratione sed tantum ad administrationem iustitiae teneri posse ac debere. Non minus vero ex parte quoque domini episcopi omnibus processionem illam celebraturis incumbet, ne ullam litium ferendarum adeoque turbandae publicae securitatis ansam seu ipsi praebeant, seu ullo aliquo modo et ratione praeberi ab aliis faciant. Post illud festum vero tam subsequentibus diebus, quam ipsa octava die processio illa nullibi alibi, nisi in circumferentia ipsius cemeterii supranominati pacifice et solito modo temporibus perpetuis celebrari debeat. Juxta haec promittit R$^{mus}$ D. Episcopus nobili ac episcopali suo verbo tenoreque praesentium, se omnes omnino processus in quocunque iuris gradu in iudiciis praesertim S. R. M$^{tis}$ dependentes, omnes protestationes, manifestationes, literas desuper scriptas, partium controversias, mandata ac decreta regia et alios quoscunque actus, una cum universis et singulis eorundem contentis eo nomine factos ac interpositos, atque adeo omnes et singulas actiones quoquomodo ultro citroque super ea re hactenus motas et agitatas, omnesque praetensiones, nulla penitus excepta, omni meliori modo ac forma iudicialiter intra semestre anni spatium cassaturum, annihilaturum atque mortificaturum, prout et praesentibus totaliter cassat, annihilat et mortificat, nihil penitus iuris ac praetensionis ex iisdem sibi et successoribus suis hoc nomine reservando temporibus aeviternis. Ad haec Illmus et Rmus D. Episcopus Culmensis pro firma maiori mutua animorum coniunctione et concordia omnibus quocumque modo et nomine appellatis et appellandis, quaeve tam occasione processionis quam aliarum causarum spiritualium hactenus motarum moveri tentarive possent ad res turbandas, validis novitatibus plenarie ac in totum renunciat, quin potius transactioni huic nec per se nec per alios vel in minimo eius puncto contraventurum se firmiter spondet et pollicetur temporibus perpetuis; In casu vero contraventionis alterutrius partis poenam sexcentorum ungaricalium pars contraveniens succumbet. Quae quidem omnia sicut vim perpetuitatis habere et obtinere, nec ulla aliqua ratione seu ex quacumque causa et occasione mutari in posterum debeant,

ita tanto maius robur et firmitudinem obtineant, non solum publico statuum et ordinum terrarum Prussiae laudo, ac venerabili dioecesis huius Culmensis capitulo, sed et S. R. M$^{te}$ domino nostro clemente, ipso confirmari et approbari debent. Ex nunc vero statim tam ab illustribus et magnificis dominis mediatoribus, quam praefatis partibus ipsis propria manuum subscriptione sigillisque pensilibus confirmantur et roborantur. Datum et actum Thorunii in vigilia S. Jacobi Apostoli Anno 1643.

Casparus a Dzialyn Dzialynski
Episcopus Culmensis.
Nicolaus Weiher Palatinus Culmensis.
Gerhardus Dönhoff Palat. Pomeran.
Michael Trcinski Judex Terr. Culmen.

Henricus Stroband Pro-Cons.
Fridr. Lichtfus Cons.
Johannes Kisling Cons.
Johannes Ecken Cons.
Simon Behm Scabinus
Reliqui ex 3 Ordine.

*Zernecke, Thorn. Chronik p. 306—9, vgl. auch p. 298 und Wernicke, Geschichte Thorns II 197 ff.*

## 1163.

***1643. November 8—12. Warschau.*** *Provinzial-Synode des Erzbischofs Matthias Łubienski von Gnesen, auf der u. a. gegenwärtig waren:* Nicolaus Albertus ab Olexow Gniewosz Vladislaviensis et Pomeraniae episcopus, . . . nomine Gaspari Działynski Culmensis et Pomezaniae Episcopi, Georgius Alexander Dorpowski, canonicus et officialis generalis Culmensis, et pro capitulo Culmensi, . . . Carolus Czarlinski conventus Pelplinensis professus nomine Leonardi Rembowski Pelplinensis Abbatis, Fabianus Thiel supprior nomine Alexandri Kesowski Olivensis Abbatis. *Unter den Decreten p. 36 findet sich folgender Beschluss:* Supplicat praesens synodus Sanctitati suae, ut erectione et expeditione suffraganeatuum Culmensis et Praemisliensis ecclesiarum ob amplitudinem earum dioecesium non difficilem se praebeat. *Papst Innocenz X. bestätigte die Beschlüsse am 18. December 1645, worauf sie am 12. August 1646 publicirt wurden.*

*Synodus provincialis Gnesnensis provinciae sub Illmo D. Matthia Łubienski Archiep. Gnesnen. Varsaviae a. d. 1643 die 8. Novbr. celebrata. Varsaviae 1646 4°.*

## 1164.

***1645. Juni 18. Culmsee.*** *Notariatsinstrument über die erfolgte Nomination und Introduction des Culmer Domherrn und Weihbischofs Peter Sokolowski zum Pfarrer von S. Johann in Thorn.*

In dei nomine Amen. Praesenti publico instrumento cunctis pateat evidenter et sit notum, quod anno a nativitate domini nostri Jesu Christi Millesimo sexcentesimo quadragesimo quinto, indictione decima tertia, die vero decima octava mensis Junii, quae fuit dominica infra Octavam Corporis Christi, pontificatus sanctissimi in Christo patris domini nostri domini Innocentii, eius nominis div. prov. papae Decimi anno eius primo, in officio mei notarii publici comparuit perillustris et Adm. R$^{dus}$ dominus Petrus Sokołowski, nominatus episcopus Hortosiensis, suffraganeus et praepositus cathedralis Culmensis, archipresbyter et parochus Thorunensis, S. R. M. secretarius, exhibuitque et obtulit mihi literas

binas papyreas, primas quidem regiae ad ecclesiam parochialem Thorunensem post obitum R^di olim Georgii Alexandri Dorpowski, canonici Culmensis, dictae ecclesiae ultimi et immediati possessoris vacantem, praesentationis, manu regia subscriptas, sigillo regni munitas, alteras vero institutionis ad eandem ecclesiam parochialem vigore dictae praesentationis per Ill^mum et R^mnm dominum episcopum Culmensem infrascriptum factae. Tenor autem literarum praesentationis regiae fuit eiusmodi:

Vladislaus IV. dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lithvaniae etc. R^do in Christo patri domino Gasparo Działynski, episcopo Culmensi et Pomesaniae, sincere nobis dilecto, aut suae Perillustritatis in spiritualibus vicario, aut cuipiam alteri, ad instituendum facultatem habenti, gratiam nostram regiam. R^de in Christo pater, sincere nobis dilecte! Vacat ad praesens ecclesia parochialis in civitate nostra Thorunensi jurispatronatus et collationis nostrae regiae post mortem venerabilis olim Georgii Dorpowski, ultimi illius et immediati possessoris. Ad eam itaque parochialem ecclesiam nos pro iure patronatus nostri, quod nobis desuper competit, venerabilem Petrum Sokolowski, canonicum Culmensem, sinceritati vestrae praesentandum duximus praesentamusque praesentibus literis nostris. Hortamurque sinceritatem vestram, ut hunc, et non alium, praesentatum nostrum in praedictam parochialem ecclesiam civitatis nostrae Thorunensis instituat et investiat, curam animarum, administrationem spiritualium et regimen temporalium rerum eidem committendo, prout id ad officium sinceritatis vestrae pastorale pertinere dignoscitur. In cuius rei fidem praesentes manu nostra subscriptas sigillo regni communiri iussimus. Datum Cracoviae die secunda mensis Augusti anno domini Millesimo Sexcentesimo Quadragesimo Quarto, regnorum nostrorum Poloniae et Sveciae XII anno

Vladislaus Rex. Jac. Max. Fredro, regni Cancellarius.

A tergo autem scriptum erat: Oblatae coram Ill^ma et R^ma nostra Celsitudine anno, quo supra, die vero mensis Augusti XIV literae necessariae desuper, si et in quantum decernuntur.

V. Valerianus Radzynski, praepositus Działynensis, apostolicus causarum curiae eiusdem Celsitudinis actuarius.

Institutionis vero literarum tenor is erat, qui sequitur videlicet: Gasparus a Działyn etc.

A tergo autem scripta fuit executio introductionis per Adm. R^dum dominum Joannem Schmack etc. modernum officialem Culmensem Thorunii factae.

De et super quibus quidem retro scriptis praesentationis et institutionis literis mihi exhibitis omnibusque aliis in eisdem contentis rogatus sum ego notarius infrascriptus, nomine quo supra, quatenus infra transsumpti de iisdem unum vel plura, publicum seu publica instrumentum vel instrumenta conficerem atque traderem, prout opus fuerit et requisitus ero. Acta sunt haec in residentia episcopali cathedralis Culmensis, anno, mense, die subscriptis, praesentibus ibidem audientibus et intelligentibus Adm. R^do D.

Alexandro Radoszkowski, archipresbytero et concionatore cathedrali Culmsensi, et ven. Andrea Lurzkowski minoris ordinis clerico, testibus ad praemissa omnia et singula vocatis, adhibitis specialiter et rogatis.

*Nach einer Abschrift des bischöflichen Archivs zu Pelplin in Sedlags Manuscr. p. 440.*

## 1165.

***1645. August 1. Althausen.*** *Caspar Działynski, Bischof von Culm, schreibt bei Gelegenheit des Religionsgesprächs zu Thorn die Abhaltung von Gebeten aus.*

Gasparus a Działyn Działynski, dei et apostolicae sedis gratia Episcopus Culmensis et Pomesaniae, Adm. Rn̄dis venerabilibus et honorandis dominis Praelatis et canonicis nostrae cathedralis, parochialium conventualiumque ecclesiarum rectoribus et illorum vicegerentibus, totique clero et fideli Christi populo per et intra nostras Culmensem et Pomesaniensem dioeceses ubilibet consistentibus, salutem ab eo, qui est vera omnium salus. Militantis ecclesiae regimini in Culmensi Pomesaniensique episcopatibus superna ordinatione praepositi sollicito vigilare consuevimus affectu, elaborantes pro humilitate nostra, ut semper quidem, maxime vero hisce procellosis terrarum tempestatibus, gregem dominicum, in praefatis episcopatibus curae nostrae concreditum, non solum ab apertis mordentium insultibus verum etiam a blandis pervertentium insidiis, divina suffragante clementia, praeservari studeamus omnesque nocendi eidem occasiones auferri contendamus. Quare licet pro eiusdem officii pastoralis debito concilii provincialis Gnesnensis Varsaviae nuper celebrati provisum sit, ut status ecclesiae dei personarumque ad finem aeternae gloriae ordinatarum omni salubritate dirigatur animarumque salvatoris nostri sanguine pretioso redemptarum, deindeque pestifera haeresum ac errorum contagione infectarum extremo periculo provideatur, modusque cum dissidentibus ab ecclesia dei fideque orthodoxa longe aberrantibus procedendi, unam fidem, unum baptisma unamque ecclesiam catholicam Romanam, magistram fidei, columnam veritatis sponsamque Christi demonstrandi, ac eosdem sic aberrantes communioni fidelium reinstituendi dudum sit ordinatus, iamque ad hunc effectum eadem authoritate concilii Colloquium charitativum de fide et religione die XXVIII mensis Augusti proxime ventura Thorunii cum dissentibus celebrandum in foribus plane constitutum sit. Quia tamen opus huiusmodi non est virium nostrarum, certe scimus, proinde id nobis faciendum erit, quo male valentibus mederi possit, ad eum confugiendum, qui est princeps pacis, ut nostras componat differentias, eius auxilium implorandum, qui est dives in omnes et dat omnibus affluentibus voces et corda nostra attollendo: Exurge, domine, et discerne causam tuam, memor esto improperiorum tuorum et eorum, quae ab insipientibus fiunt, tota die inclina aurem tuam ad preces nostras, quoniam insurrexerunt contra ecclesiam tuam testes iniqui et viri loquentes perversa. Illumina oculos eorum, ne forte obdormiant, aperi corda eorum, ut videant, in quem

transfixerunt et convertantur ad te dominum deum ipsorum. — Ut autem facilius divinam audientiam nobis praeparare valeamus, modum supplicandi eiusdem Maiestati anni proxime praeteriti reassumamus, et ad intentionem feliciter inchoandi terminandique Colloquii praefati consequendam preces nostras ipsius protectioni offeramus, ploremus coram domino, qui fecit nos, et non vult mortem peccatorum. Quae quidem devotio ordine sequenti expedietur. Inprimis in ecclesiis nostris, tam cathedrali Culmensi quam parochialibus, in cura et regimine archipresbyterorum totius dioecesis nostrae immediate consistentibus, die vigesima septima eiusdem mensis preces horarum quadraginta cum expositione s. Eucharistiae sacramenti in tabernaculo reconditi instituentur, et per diem festum s. Augustini episcopi et confessoris continuabuntur, quas devote ad deum promoventibus et pro huiusmodi colloquio feliciter inchoando et continuando offerentibus quadraginta dierum indulgentiam misericorditer in domino concedimus et relaxamus. Eodem quoque die, qui est dominica XI. post Pentecosten, missam de S. Trinitate ad implorandum auxilium per easdem et reliquas omnes dioecesium nostrarum ecclesias, ubi commodius est, cantari; ubi vero cleri et scholarium defectus reperitur, a presbyteris vacare, volumus iisdem per duas integras septimanas missas die Lunae de s. Spiritu, die Martis de ss. Regni patronis, die Mercurii de ss. Angelis, die Jovis de s. Eucharistiae sacramento cum eiusdem per totam missam expositione, die Veneris de Passione domini, die Sabbati de B. V. Maria cantandas vel iuxta praemissa recitandas assignantur. In quem finem omni meliori modo terminandum concionatores populum tempestive disponent jejunia quarta et sexta feria utriusque septimanae servanda, cum processionibus indicent devotionem horarum quadraginta, aliis quoque diebus dominicis praefatarum septimanarum cum expositione s. Sacramenti et simili quadraginta dierum indulgentia celebranda publicabunt, omnes Christifideles tanquam in communi necessitate excitantes. Quibus ita in domino expeditis, literas processus praesentis per regiones quidem archipresbyterales solita cursoria, ad ipsos vero archipresbyteros secundum ordinem infra adnotandum sine omni mora et procrastinatione, relictis ad valvas ecclesiarum suarum copiis praesentium legibili caractere descriptis, transferant vel transmitti curent et faciant, ultimus de more ad cancellariam nostram transmissurus; negligens vero ex quacunque dioecesium nostrarum repertus poena marcarum polonicalium decem irremissibili corrigendus erit. Accingamur ergo, fratres charissimi, operi destinato, oramus deum patrem omnipotentem, ut purgatis ovium suarum erroribus, eliminatis haeresum foetoribus universis, ecclesiae suae sanctae pacem utramque et unitatem mentibus alienatis conferre, nos omnes adunatos in ea conservare dignetur, actus et intentiones nostras ad gloriam ipsius consequendam ordinatas prosperando. In quorum omnium fidem praesentes sigillo nostro communitas subscriptione causarum curiae nostrae notarii mandavimus roborari. In castro nostro Starogrodensi die prima Augusti anno Millesimo Sexcentesimo quadragesimo quinto.

*Nach einer Abschrift im bischöfl. Archiv zu Pelplin in Sedlags Manuscr. p. 433.*

## 1166.

***1646. Mai 4. Warschau.*** *Wladislaw IV., König von Polen und Schweden, empfiehlt dem Papste Innocenz X. den zum Bischof von Culm nominirten Andreas Leszczynski, Bischof von Kaminiec und Vicereichskanzler.*

S$^{mo}$ et R$^{mo}$ — — D. D. Innocentio div. prov. PP. X. SS. Romanae ac universalis Ecclesiae Pont. Max.

S$^{me}$ et R$^{me}$ in Christo Pater etc. Post oscula pedum beatorum Sanctitatis Vestrae, mei regnorumque ac dominiorum meorum humillimam commendationem. Multum faveo virtuti ac praestantibus meritis Reverendi in Christo patris domini Andreae de Leszno Leszczynski, episcopi Camenecensis, Regni mei Procancellarii ac recenter Culmensis episcopatus nominati, in cuius ad altiorem hunc functionis ecclesiasticae gradum promotione humana cum divinis concurrere suffragia. Favit hactenus praeclaris eius gestis coelum ipsum, cum eum regio meo iudicio magnis in republica senatoriis fungi volui muneribus. Crevit ille meritis et gloria in utraque humanarum ac divinarum scientiarum expectatione semper celebris, dum ingenio ac literis excultus parem cuivis magistratui animum praestaret, et dignum se ostenderet, qui non tam dignitatibus ornaretur quam ipsas ornaret dignitates, aemulatus imitatusque nempe Ill$^{mi}$ olim Venceslai comitis a Leszno, supremi regni Poloniae cancellarii, parentis sui, heroicas virtutes ac merita, in aulae meae officiis ac obsequiis illibate integreque versatus, omnem rerum conciliorum institutorumque publicorum rationem ita percalluit, ut ad Cancellariatus serenissimae olim Caeciliae Renatae consortis meae, mox Episcopatus Camenecensis, demum Procancellariatus regni munus e re ecclesiae dignitateque publica obeundum paria honori onerique praesidia afferret eaque probaret virtutis ac prudentiae exempla, ut et publicae responderet expectationi et meam propensionem mereretur. Cum vero Episcopatus Culmensis post defuncti Reverendi in Christo patris Gaspari Dzialynski exitum virum pastoralis officii senatorii muneris gnarum posceret, eum potissimum ad illam sedem legi et nominavi, qui post optimum antistitem praestantibus in ecclesia dei et republica meritis ac vitae morumque integritate esset spectatissimus. Verum dum has Reverendi domini nominati Culmensis laudes expono, eo maioribus a S. V. precibus postulo, ut, considerata anteactis bellis Episcopatus Culmensis vastitate continuaque ad aulam meam magnis impensis illius mansione, ac commoratione in sacrorum diplomatum expeditione, faciliorem ac solutiorem viam et in eorum aestimatione coniunctam pietati ac antiquae inclinationi in regni mei incolas S. V. benignitatem agnoscere possit, paternumque in retinendis binis sacerdotiis, nempe Praepositura ecclesiae cathedralis Plocensis et itidem Praepositura tit. S. Michaelis in arce Cracoviensi, referat favorem. Quidquid vero S. V. in benemeritum hunc de ecclesia dei Antistitem et publicis curis utilissimum Procancellarium benevolentiae effuderit, id cum ille perpetua cultus et devotionis veneratione tum ego filiali obsequio S. V. adnitar demereri; deum exorans, ut excubantes S. V. pro publica salute curas pastorales coelesti confirmet prae-

sidio et diutina incolumitate reddat affluentes. Commendo de reliquo me regnaque mea gratiae et S. V. apostolicae benedictioni. Datum Varsaviae die IV. mensis Maii Anno Domini MDCXLVI.

Eiusdem Sanctitatis Vestrae obsequentissimus filius

Vladislaus, rex Poloniae et Sueciae.

*Aus den Litt. Princip. Vol. 61 fol. 13 im Vatican bei Theiner III 438 nr. 402.*

## 1167.

***1647. Mai 21. Warschau.*** *Die Erzbischöfe Matthias von Gnesen und Nicolaus von Lemberg, nebst fünf andern Bischöfen Polens (unter ihnen auch „Andreas Episcopus Culmensis et Pomesaniae Vicecancellarius Regni mpp.), verwenden sich bei dem Papste Innocenz X. für die in Polen neulich eingerichtete, regulirte Congregatio piarum scholarum (Piaristen).* Dat. Varsaviae die XXI. Mai Anno Domini MDCXLVII.

*Aus den Litt. Princip. Vol. 70 fol. 42 bei Theiner, Mon.-Pol. III 445 nr. 415.*

## 1168.

***1647. August 3. Warschau.*** *Andreas, Bischof von Culm und Pomesanien, Reichs-Vicekanzler, bittet den Papst, im polnischen Reiche die Franziskaner von der Observanz bei ihrer früheren Einrichtung zu belassen und nicht zu gestatten, dass sie von der Provinz Gross-Polens getrennt würden.* Dat. Varsaviae die III mensis Augusti Anno Domini MDCXLVII.

*Aus den Litt. Princip. Vol. 70 fol. 48 bei Theiner, Mon.-Pol. III 447 nr. 416.*

***1647. September 28. Thorn.*** *Andreas Graf von Leszno, Bischof von Culm und Pomesanien und Reichs-Vicekanzler, verspricht den Ständen der Lande Preussens, welche durch seine Ernennung zum Bischof sich in ihren Rechten beeinträchtigt glauben, dass er diese Rechte nicht nur selbst achten, sondern auch beim Könige eine Cautionserklärung wegen des Indigenatsrechts beantragen wolle.* Datum Thorunii die 28 m. Septembris a. 1647.

*Lengnich, Gesch. Preuss. VI. Docum. 55 S. 154.*

## 1169.

***1649. Januar 30. Krakau.*** *Johannes Kazimir, König von Polen, bestätigt der Stadt Thorn die Ausübung der Religion nach der Augsburgischen Confession.*

Johannes Casimirus, dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lithvaniae etc. Significamus praesentibus literis nostris, quorum interest, universis et singulis, quod cum petitum a nobis esset nomine civitatis nostrae Thorunensis, ut ipsam in usu atque exercitio consueto religionis Augustanae Confessionis liberam atque securam conservaremus, literisque nostris id ei firmum ac inviolabile esse caveremus: Nos, qui iam in praesenti felicis coronationis nostrae conventu iuramentum de religione inter dissidentes tuenda praestitimus, facile consensimus et iterata promissione ita petenti civitati nostrae explorata fidei

constantia egregiisque erga nos et rempublicam meritis nobis quam commendatissimae, denuo concessimus, prout hisce consensimus et concedimus, ut religionis Augustanae Confessionis tam in civitate Thorunensi quam extra muros per suburbia et villas in eius districtu et iurisdictione templis, monasteriis, xenodochiis, in quorum usu et possessione hactenus civitas fuit pacifice et quiete, libera professio fiat, sacrorumque administratio consueta maneat, neve cuiquam religionis ergo molestia vel negotium exhibeatur, aut ullum impedimentum afferatur, authoritate nostra regia prospicere omnesque in libertate religionis Augustanae Confessionis plene et integre conservare, manutenere et tueri, neque in possessione illius civitatem Thorunensem turbare aut a quoquam turbari permittere temporibus quibuslibet futuris pro nobis et successoribus nostris regibus Poloniae recipimus ac spondemus, nec volumus, ut in templis ritus ceremoniarum ullo modo immutentur sed omnia vigore regiae cautionis nostrae tam in ipso religionis exercitio quam in ritibus aliisque ad id pertinentibus peragantur et expediantur. In quorum fidem praesentes manu nostra subscriptas sigillo regni communiri iussimus. Datum Cracoviae in conventu generali felicis coronationis nostrae die trigesima Januarii, Anno MDCXLIX. Regnorum nostrorum Poloniae et Sueciae Anno I.

Johannes Casimirus Rex.

*Thornische Denkwürdigkeiten p. 108 f. Deutsch p. 22.*

## 1170.

***1650. September 1. Warschau.*** *Andreas Leszczynski, Bischof von Culm, errichtet an seiner Domkirche die Prälatur des Archidiacons.*

Andreas de Leszno Leszczynski, dei et apostolicae sedis gratia Episcopus Culmensis et Pomesaniae, Praepositus Plocensis, Vicecancellarius Regni. Universis et singulis has praesentes lecturis inspecturis literas, pariter et audituris illarumque tenore quomodolibet requirendis, praesentibus et futuris, notum facimus et attestamur: Quod cum illustris et admodum reverendus dominus Albertus Krzęciewski, canonicus noster cathedralis Culmensis, Lubovienis praepositus, pie intendendo et magnopere desiderando aeternorum intuitu ea meritoriis operibus seminare in terris, quae reddente domino cum fructu multiplici colligere valeat in coelis, provida meditatione et salubri deliberatione, ad laudem et gloriam sacratissimae et individuae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti, b. virginis Mariae honorem, ecclesiae nostrae cathedralis Culmensis ornamentum, pro salute animae suae suorumque, divina suadente inspiratione, Archidiaconatum in praelibata ecclesia nostra cathedrali Culmensi in primam eiusdem praelaturam ac dignitatem fundandam et erigendam constituerit, iamque eo nomine census, a summis certis pecuniariis provenientes, sibi inscriptos, in ecclesiam praefatam cathedralem et huiusmodi primam dignitatem erigendam transfuderit, atque nobis, ut eiusdem fundatione accepta dictum

archidiaconatum erigere, creare, constituere et ordinare dignaremur, humillime supplicare fecerit. Proinde Nos attendentes petitionem eiusmodi fore iustam et rationi consonam, piumque desiderium ipsius et sanctum opus, quantum possumus, in domino authoritate nostra ordinaria promovere cupientes, et ante omnia antiquitatis dignitatis praeeminentiarum et quarumvis praerogativarum ecclesiae nostrae memoratae cathedralis Culmensis rationem habentes, illamque non modo hac nova et prima dignitate ecclesiastica archidiaconali, verum etiam aliis eandem concernentibus exornare, aliisque ecclesiis cathedralibus in regno Poloniae ac ipsius dominiis existentibus adaequare volentes, faciendum nobis esse duximus, ut eiusdem domini canonici nostri petitioni pro debito officii pastoralis respondeamus, ad erectionemque dictae archidiaconalis dignitatis et primae in ecclesia nostra praelaturae descendamus. Prout quidem visis et bene perpensis praedicti domini fundatoris inscriptionibus ac transfusionibus in ecclesiam suprascriptam ad effectum erigendi archidiaconatus praefati factis, eundemque in summa mille trecentorum florenorum polonicalium censuque annuo septuaginta octo florenorum persolutorum, per generosum olim Felicem Wiewierski, Brodnicensem Golubensemque capitaneum, in bonis villae Radowiska minori in palatinatu et districtu Culmensi existentibus coram Actis castren. Kowalewien. Sabbatho in crastino festi Praesentationis B. M. V. anno domini Millesimo sexcentesimo trigesimo primo inscriptorum et recognitorum, per fundatorem vero modernum in ecclesia praefata, uti praemissum est, in eodem castro Kowalewiensi et judiciis causarum officii castrensis palatinatus Culmensis die prima Julii anno domini Millesimo sexcentesimo quinquagesimo transfusis, et in alia summa quingentorum florenorum polonicalium et censu annuo florenorum triginta polonicalium de eadem summa venientium in bonis famatorum Christophori Sztrzyzewicz consulis et honoratae Luciae coniugum, civium Culmzensium, coram iudicio sculteti et scabinorum Culmzensium die septima mensis Julii Millesimo sexcentesimo quinquagesimo anno locatorum et inscriptorum, erigimus, constituimus, creamus et ordinamus, ipsumque sic erectum, creatum, constitutum et ordinatum eidem illustri et adm. Rndo domino canonico tanquam fundatori conferimus. Primum praelatum et primam dignitatem eundem faciendo, damus et concedimus eidem domino archidiacono nunc et pro tempore existenti, quem a gradu doctorali et onere iurisdictionis liberum esse volumus, primum locum in stallo et vocem in capitulo, primum praelatum et capituli praesidentem concernentes. Damus quoque praecedentiam in processionibus, distributionibus, obventionibus aliisque primae dignitati praerogativis temporibus perpetuis habendi, tenendi et possidendi. Ad quam quidem archidiaconalem primamque in ecclesia nostra cathedrali dignitatem, post fata domini archidiaconi moderni vacantem, Capitulum nostrum Culmense duos e medio sui praelatos seu canonicos, viros idoneos et competentis doctrinae, eligere, illosque sic electos nobis et nostris successoribus ad instituendum ac de eadem dignitate providendum praesentare tenebitur. Quapropter in virtute sanctae obedientiae et sub censuris poenisque ecclesiasticis praecipimus illustribus adm. Rndis et

universis dominis praelatis et canonicis ecclesiae nostrae cathedralis, archipresbyteris, praepositis, parochis, commendariis, vicariis totique clero et populo Culmensis Pomesaniaeque dioecesium nostrarum, ut eundem dominum archidiaconum in sua prima dignitate et praecedentia constitutum agnoscant, locum primum in stallo, primum in capitulo cum authoritate praesidentiali eidem concedant, neque ipsum nunc et pro tempore existentem in perceptione distributionum, optionum, obventionum eundem primarie concernentium, quocunque modo colore seu ingenio praepedire audeant, omnesque, ad quos de iure pertinet, de omnibus requisitis eidem respondeant seu respondere faciant. In quorum omnium fidem ac evidentius testimonium praesentes manu propria subscripsimus et sigillo nostro communiri fecimus. In residentia nostra Varsaviensi die prima Septembris Millesimo Sexcentesimo Quinquagesimo Anno. Praesentibus perillustri illustrissimis et adm. reverendis dominis Remigiano Piasecki cantore Przemysliensi et minoris cancellariae regni regente, Felice Rzeszowski canonico Culmensi archipresbytero Thorunensi, S. R. M. secretariis; Adamo Zielechinski officiali nostro generali Pomesaniensi, Valeriano Radzynski J. U. D. Prothonotario apostolico curiaeque nostrae causarum secretario aliisque plurimis fidedignis.

Andreas de Leszno Leszczynski, episcopus Culmensis et Pomesaniae,
Vice-Cancellarius Regni.

*Original auf Pergament mit dem Siegel in einer Blechkapsel im Archive des Domcapitels zu Pelplin. Die Schrift ist durch Feuchtigkeit bis auf wenige Worte zerstört und unleserlich, weshalb eine Copie bei Sedlag p. 441 zu unserm Abdrucke benutzt werden musste.*

## 1171.

***1651. Januar 28. Warschau.*** *Der päpstliche Nuntius in Polen, Erzbischof Johannes von Adrianopel, berichtet an den hl. Stuhl über das Bündniss zwischen Polen und der Republik Venedig gegen die Türken und schickt den Entwurf desselben in Abschrift ein. Als Bevollmächtigte von Seiten Polens fungirten dabei:* Andreas de Leszno Leszczynsky episcopus Culmensis et Pomesaniae, supremus regni Poloniae cancellarius, Georgius Lubomirski supremus regni marschalcus, Hieronymus de Radzieiowice eiusdem regni procancellarius, Boguslaus comes in Leszno Leszczynski supremus regni thesaurarius et Lucas de Benin curiae regni marschalcus. Dat. Varsaviae 28 Januarii 1651.

*Aus der Nuntiat. Polon. Vol. 57 bei Theiner III 469 nr. 451.*

## 1172.

***1651. Juli 10. Rom.*** *Innocenz X. beauftragt den General-Official von Plock, dem Felix a Rzeszow Rzeszowski,* „asserens se episcopatus Culmensis et Pomesaniensis administratorem et vicarium generalem existere“, *Canonicus von Culm und Inhaber der Pfarreien Thorn und Tygenhagen in Pomesanien, das durch freiwillige Resignation erledigte Rogotworskische Canonicat an der Kirche in Plock zu übertragen und denselben zu installiren.* Datum Romae apud sanctam Mariam maiorem anno incarn. dom. Millesimo sexcentesimo quinquagesimo primo, Sexto Id. Julii, pontificatus nostri Anno Septimo.

*Original auf Pergament mit der Bleibulle an hanfener Schnur im Archiv des Domcapitels in Pelplin.*

## 1173.

***1651. September 13. Culm.*** *Andreas Graf von Leszno-Leszczynski, Bischof von Culm und Pomesanien, gründet das Priesterseminar in Culm.*

Andreas Comes de Leszno, dei gratia episcopus Culmensis et Pomesaniae, praepositus Plocensis, supremus regni cancellarius. In nomine sanctissimae trinitatis, patris et filii et spiritus sancti Amen. Solicitudini nostrae pastorali convenit, ut dum numerosas ecclesiarum plantationes cum ubere animarum sanguine Christi redemptarum fructum excolere et integre conservare studemus, quam plures in partem curae et laboris nostri cooperatores assumamus, quibus auxiliatoribus tenera consolidare, inutilia resecare et novellas, suffragante ad id caelestis illius patrisfamilias gratia, plantare valeamus. Hinc est, quod Culmensis et Pomesaniensis episcopatus nostri, a retroactis temporibus tam densis haereticae pravitatis vepribus infecti, ad hoc usque tempus licet magno praedecessorum nostrorum contentione excoli non possunt, quod sufficientis cleri eiusque in institutis et doctrina sanctae Romanae ecclesiae versati et exercitati penuria laborare cogantur. Proinde nos de opportuno remedio episcopatibus praedictis providere volentes, praehabito maturo desuper cum venerabili Capitulo ecclesiae nostrae cathedralis Culmensis consilio et assensu, seminarium clericorum in dioecesi nostra et civitate Culmensi, ad laudem dei omnipotentis, sanctae ecclesiae incrementum, episcopatuum predictorum ornamentum, instituendum et erigendum duximus, prout de facto erigimus, fundamus et instituimus praesentibus. Cui quidem seminario pro habitatione clericorum lapideam acialem in platea Thorunensi a spectabili Paulo Pilchowicz, eiusdem civitatis nostrae Culmensis consule, eiusque uxore legitima, coram Actis civilibus Culmensibus ad eum usum resignatam, quam a civili iurisdictione et a quibusvis oneribus liberam et immunem habere volumus, damus et ordinamus. Pro dote eiusdem seminarii summam capitalem Triginta Sex Millium florenorum polonicalium in diversis bonis, videlicet summam Quindecim Millium florenorum polonicalium in bonis nostris Łatchorzow in ducatu Masoviae districtu Varsaviensi venerabili capitulo nostro inscriptam, necnon aliam summam Quatuor Millium florenorum polonicalium praedicto seminario per nos assecurandam, necnon et aliam summam Trium Millium florenorum polonicalium in bonis nostris haereditariis illustri olim et admodum reverendo domino Alberto Krzęciewski, archidiacono Culmensi assecuratam ac tandem per eundem illustrem et admodum reverendum Krzęciewski testamentaria dispositione ad adauctionem dicti seminarii assignatam, summam Decem Millium in bonis successorum magnifici olim Pauli Dzialynski, palatini Pomeraniae capitanei Bratianensi, summam Duorum Millium in bonis villa Czartowiec episcopatus nostri, summam aliorum Duorum Millium in bonis Dobiesławice per generosum Bartholomaeum Kaczkowski, seorsivis inscriptionibus coram diversis Actis inscriptam et assecuratam, (cuius inscriptiones in archivo venerabilis capituli asservantur), eandem summam Triginta Sex Millium florenorum modo praemisso assecuratam de consensu praedicti venerabilis Capituli nostri incorporamus et pro dote assig-

namus, a qua quidem summa censum annuum iuxta tenorem inscriptionis provenientem provisores dicti seminarii percipient et levabunt. Cum vero iuxta praescriptum sacri concilii Tridentini de bonis mensae nostrae episcopalis portionem certam proventuum ad sufficientiorem dictorum clericorum sustentationem conferre teneamur: proinde villam Dziemiany cum omnibus fructibus utilitatibus necnon incisione lignorum pro necessitate dicti praedii in sylva nostra Grzegorz, salvo nihilominus iure nobilis Andreae Dulski moderni possessoris, necnon insulam Niedzwiedz cum traiectu ac omnibus itidem utilitatibus et proventibus, reservata nobis iurisdictione nostra, eidem seminario ex nunc damus, donamus et in perpetuum usum concedimus. Censum itidem ex reditibus scholae Culmensi provenientem, qui ultra competentem dictae scholae magistrorum et cantorum provisionem aliarumque necessitatum expeditionem superflui fuerint, eidem seminario concedimus et attribuimus. — Insuper ecclesiam parochialem Fiphouiensem (!)[1]) dioecesis Pomesaniensis cum omnibus reditibus et proventibus, relictis sufficientibus alimentis et salario vicario pro tempore existenti, salvo tamen iure moderni possessoris, necnon praevio consensu serenissimi Regis uti dictae ecclesiae patroni et collatoris, eidem seminario incorporamus. — Caeterum ut eiusdem seminarii bono, tam in his, quae ad seminaristarum institutionem et disciplinam, quam quoad victum vestitum aliaque huiusmodi necessaria pertinent, opportune consulatur, Illustres et Admodum Reverendos dominos Matthiam Bystram Archidiaconum Officialem nostrum generalem et Joannem Schmak I. U. D. Decanum ecclesiae nostrae cathedralis Culmensis, quorum fides, diligencia, integritas, dexteritas nobis est satis perspecta, eiusdem seminarii provisores eligimus et constituimus, illisque pro salubri seminarii conservatione praefectos, procuratores, aliosque officiarios et servitores necessarios in eo deputandi et amovendi ac alios in eorum locum substituendi, statuta et ordinationes disciplinam domesticam et studia seminaristarum concernentes (aequa tamen et honesta sacris canonibus et concilii Tridentini decretis non repugnantia) faciendi et condendi, quae, postquam facta et condita fuerint, perinde observentur, acsi authoritate nostra approbata et confirmata essent, prout illa ab omnibus seminaristis ita haberi et inviolabiliter observari mandamus, plenam et liberam facultatem impertimur. — Quod autem ad dictum seminarium admissionis modum et formam deinceps habendum attinet, provisores nonnisi eos recipient, qui ad minimum sexdecem annos expleverint et ex legitimo thoro nati sint, ac legere et scribere competenter noverint, et quorum indoles et voluntas spem afferat eos ecclesiasticis ministeriis perpetuo servituros, super quo ad iuramentum praestandum iuxta formulam infrascriptum eosdem obligamus: „Ego N. iuro reverentiam et obedientiam Illustrissimo et Reverendissimo Domino Episcopo Culmensi feliciter moderno et eius successoribus dominis episcopis; itemque provisoribus et praefecto clericatus Culmensis, quod

[1]) *Lies Fischoniensem.*

clericatum deserturus non sum sine permissu et licentia reverendissimi domini episcopi vel provisorum, et quod in dioecesi Culmensi deo serviam in ministerio ecclesiastico, ad quod promotus fuero, dummodo tamen beneficium seu provisio idonea et tollerabilis oblata mihi fuerit, et nisi ex certis ac legitimis causis mecum dispensaverit, aut aliter disposuerit reverendissimus dominus episcopus vel provisores pro tempore existentes, aut saltem expensas in me factas ante migrationem ex clericatu vel dioecesi, haec ad manus dominorum provisorum restituero. Sic me deus adiuvet et haec sancta dei evangelia." Denique iidem provisores librum habebunt, in quo percepti et expensi rationes diligentissime descriptae sint, illaeque singuliś annis in capitulo generali sancti Joannis Baptistae reddantur, et in archivo eiusdem capituli relinquatur folium, in quo provisio seminarii et alia, quae ipsius seminarii ratione acceptaverint, et ea, quae illo anno pro fabrica seminarii et seminaristarum sustentatione impenderint, notata existant. Ut vero praedicti seminaristae post longos studiorum labores, expeditiores ad succurendum dioecesis necessitatibus reddantur, eisdem seminaristis, ut cum solis literis testimonialibus dicti seminarii praefecti pro tempore existentis admodum reverendo domino Officiali generali Culmensi offerendis ab eoque subscribendis ac eius sigillo munitis in nostra et successorum nostrorum a dioecesi absentia intra annum, non servatis ad id a concilio Tridentino designatis interstitiis, dummodo ad id alias idonei reperiantur, (ordines)[1]) suscipere, et iis susceptis in ministerio, ad quod promoti fuerint, licite servire valeant, indulgemus. In quorum fidem praesentes manu propria subscriptas nostro et venerabilis Capituli nostri sigillis fecimus consignari. Datum Culmae die decima tertia mensis Septembris anno domini Millesimo Sexcentesimo Quinquagesimo Primo.

Andreas de Leszno Episcopus Culmensis et Cancellarius Regni.

*Original auf vier Pergament-Folio-Blättern im Archiv des Frauenburger Domcapitels. An der aus grüner Seide und Silberfäden geflochtenen Schnur hängen die beiden Siegel des Bischofs und Domcapitels in Blechkapseln. Das erste enthält unter dem geistlichen Hut das bekannte Wappen der Familie Leszczynski (Stierkopf mit dem Nasenring) und die Umschrift:* „AN . . . . S DE LESNO DEI GRATIA EPISCOPVS CVLMEN ET POMES SVPREMVS REGNI CANCEL." *Das zweite ist ein Abdruck des von dem Culmer Domcapitel in der Ordenszeit benutzten Stempels, aber so schlecht abgedruckt, dass nur die äussern Conturen zu erkennen sind.*

## 1174.

***1652. Juli 1. Rom.*** *Innocenz X. ernennt und bestätigt nach dem Tode des Culmer Weihbischofs Petrus Sokolowski, Bischofs von Orchosia (Orthosiensis) in Syrien, den bisherigen Dompropst von Culm Johannes Rakowski zum Bischof von Tortosa und Weihbischof von Culm.* Datum Rome apud s. Mariam maiorem, anno incarnationis dominicae M. DC. quinquagesimo secundo. Kal. Julii. Pont. n. Anno Octavo.

*Original auf Pergament ohne Bulle im Culmer Diöc.-Archiv.*

---

1) *Fehlt im Original.*

## 1175.

***1652. September 11. Warschau.*** *Johann Kazimir, König von Polen und Schweden, zeigt dem Papst Innocenz X. die Nomination des Culmer Bischofs Andreas Leszczynski zum Erzbischof von Gnesen an und bittet um seine Bestätigung.*

S$^{mo}$ et B$^{mo}$ in Christo Patri D. D. Innocentio div. prov. Papae X. etc.

Sanctissime etc. Tandem aevi nostri Nestor Matthias Lubienski Archiepiscopus Gnesnensis vivere desiit, beatius ille quidem aeternumque victurus, quod ipsum leniendo iusto dolori meo sufficeret, nisi eum summa illius erga me domumque meam regiam tot annorum serie approbata merita cierent sui recordatione facerentque, ut cum meae propriae tum universi regni huius iacturae intimiore sensu apud S. V. indoleam, quam scio a nullo alio posse resarciri, nisi a vicaria S. V. Dei in terris potestate. Quam supplex veneratus nominationi meae factae in personam Reverendi in Christo patris domini Andreae comitis de Leszno, episcopi Culmensis et Pomesaniae, supremi regni mei cancellarii, ad hoc primitiale antistitium propitiam imploro. Obsecutum me in ea fateor non tam propriae affectioni, qua virum et avitis domus pervetustae splendoribus et officio praecipuum complector, quam potius summis eius in ecclesiam dei et patriam meritis, ita ad omnem exactae virtutis debitique pastoralis et senatorii calculum, laudabili duorum episcopatuum Kamenecensis et Culmensis regimine, nec dissimili totidem summorum magistratuum nimirum Vicecancellariatus et supremi Cancellariatus Regni perfunctione, (quorum primo a desideratissimo fratre et antecessore meo, hoc altero a me ipso magno utriusque nostrum nec minore publico bono auctus exornatusque fuerat) approbatis. Quae par erat angustis diutius unius dioecesis non circumscribi cancellis, sed ut in publicum tot provinciarum redundarent commodum, in hoc primatialis dignitatis ad summam a maioribus meis provectae amplitudinem sublimare fastigium. Habet igitur S. V. genuinam rationem propositi mei in promovendo hocce viro asserendoque primatiali huic thyarae, tantoque pronius assensu et beneplacito apostolico nominationem hanc meam ratam firmamque habituram, quanto illa digniorem per haec testimonia, quae eximiae eius virtuti, singulari probitati, sublimi in divinis humanisque literis scientiae, exercitae per summa munia Regni huius prudentiae libens attribuo, habilioremque expenderit. Favebit praeterea pro innata sua beneficentia S. V. atque ut favere velit, unice deprecor, attenuatis fortunis Praelati huius, cum per continua in tam pleno sumptibus ac dispendiis officio obsequia plurimum exhausti, tum potissimum praesenti temporum calamitate bellique immensis sumptibus attriti, quo non solum personam propriam periculis una nobiscum intrepide obiecerat, sed et rerum privatarum non mediocrem fecit iacturam (auctoratis aere proprio aliquot equitatus selecti peditatusque cohortibus), sublevando eum sumptibus, quibus ordinarie sacrarum litterarum expeditio constare consuevit, nec sinendo novo hoc impedimento attenuatas rationes eius nimium praegravari. Quod S. V. beneficium alacriorem ad quaevis pro ecclesia dei subeunda dispendia eum redditurum est, meque

ipsum novo obligationis genere summe devincturum. Cuius ad praesens paternam benedictionem mihi cum dominiis meis sacris iterato advolutus pedibus humiliter imploro. Datum Varsaviae die II. Mensis Septembris Anno Domini MDCLII. Regnorum meorum Poloniae IV. Sueciae vero V. Anno.

Eiusdem Sanctitatis Vestrae

obsequentissimus filius
Joannes Casimirus Rex Poloniae et Sueciae.

*Aus den Litt. Princip. Vol. 67 fol. 49 bei Theiner, Mon.-Pol. III 477 nr. 467.*

## 1176.

***1652. September 20. Warschau.*** *Johannes Gembicki, Reichs-Secretär, zum Bischof von Culm nominirt, bittet den Papst Innocenz X. um seine Bestätigung.*

Sanctissime etc. Cum me Sacra Regia Maiestas, declarato ad archiepiscopatum Gnesnensem Ill^mo^ D. Regni Cancellario et episcopo moderno Culmensi et Pomesaniae, ad hunc episcopatum Culmensem et Pomesaniae imparem licet et indignum nominasset, e vestigio id Sanctitati Vestrae, domino meo clementissimo, supremo rerum divinarum humanarumque in terris arbitro et domino, significandum duxi, humillime ante pedes S. V. prostratus, ut, si me tanto muneri censuerit esse idoneum tantaeque molis capacem, benigne iudicium regium prosequi, ac de me ex beneplacito suo disponere, in primis vero rationem expensarum mearum pro sacris literis ob exhaustos per militares rapinas episcopatus istius proventus habere, tum circa retentionem duorum beneficiorum decanatus Cracoviensis et custodiae Gnesnensis in casum belli Suetici, cui episcopatus hic totus erit obnoxius, ad certos annos mecum dispensare dignetur. Vixi et consenui, beatissime pater, in aulis trium magnorum regum semper negotiosus, nunquam otiosus, officiis publicis et functionibus diversis perfunctus, quibus memorandis nolo esse nimius, sed saltem S. V. uti summi et benignissimi parentis ex dissitis hisce locis gratiam imploro. Quicquid de me statuerit et decreverit, divini oraculi loco habeo. Certe in id toto animo ac pectore incumbam, ut S. V. et res catholica magnum ex me, inutili licet servo, obsequium quoad vita suppetet, referat et agnoscat. Deus vero omnipotens maximus S. V. ecclesiae suae diu feliciter praeesse velit, atque hoc intimo voto supplicem hanc epistolam concludo, ac beatos illius pedes mente devota exosculor. Varsaviae die XX. Septembris 1652.

Sanctitatis Vestrae, Domini Dn̄i. mei clementissimi

Minimus et indignus servus
Joannes Gembicki S. R. Poloniae Maior.

*Aus der Nuntiat. Polon. Vol. 58, bei Theiner, Mon.-Pol. III 479 nr. 469.*

## 1177.

***1653. April 25. Rom.*** *Innocenz X. erlaubt dem zum Bischof von Culm ernannten Johannes Gembicki von dem Bisthum Besitz zu nehmen, obwohl die Provisionsbullen noch nicht ausgefertigt sind.*

Innocentius PP. X. Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. Cum nos nuper ecclesiae Culmensi, certo tunc expresso modo pastoris solatio destitutae, de persona tua, nobis et venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus ob tuorum exigentiam meritorum accepta de eorundem Cardinalium consilio apostolica auctoritate providerimus, teque illi in episcopum praefecerimus et pastorem, curam, regimen et administrationem ipsius ecclesiae Culmensis tibi in spiritualibus et temporalibus committendo, prout in nostris sub plumbo propediem expediendis desuper literis latius explicabitur: Nos, ne interim, dum literae praefatae expediuntur, dicta ecclesia Culmensis aliqua in eisdem spiritualibus et temporalibus detrimenta patiatur, providere simulque commoditati consulere volentes, tibi in vigore presentium per te vel procuratorem tuum possessionem seu quasi regiminis et administrationis ipsius ecclesiae Culmensis ac bonorum ipsius mensae episcopalis apprehendere et retinere, fructus quoque, redditus et proventus percipere exigere et levare, ac in tuos usus et utilitatem convertere, necnon ea, quae iurisdictionis sunt, non tamen ordinis, exercere libere et licite valeas perinde, acsi literae praefatae sub plumbo expeditae essent, dicta auctoritate tenore praesentium de speciali gratia indulgemus. Mandantes propterea dilectis filiis capitulo et vasallis dictae ecclesiae necnon clero et populo civitatis et dioecesis Culmensis, ut tibi tanquam patri et pastori animarum suarum devote intendentes etc. Volumus autem, quod infra sex menses proximos a data praesentium computandos literas praefatas sub plumbo expedire, et iura camerae et alia propterea debita persolvere omnino tenearis, alioquin dictis sex mensibus elapsis dicta ecclesia Culmensis vacet et vacare censeatur eo ipso. Datum Romae apud S. Mariam maiorem sub annulo piscatoris, die XXV Aprilis anno domini Millesimo Sexcentesimo quinquagesimo tertio, Pontificatus nostri anno nono.

*Abschrift im bischöflichen Archiv zu Pelplin.*

## 1178.

***1654. December 17. Löbau.*** *Johannes Gembicki, Bischof von Culm, erigirt an seiner Domkirche die Präbende des Theologen.*

Ad perpetuam rei memoriam. Salvator generis humani Jesus Christus, posteaquam vineam suam electam inestimabili sanguinis pretio comparasset, non destitit neque desistit ad eam varios conducere operarios, qui eam ad dignum tanti pretii fructum omni momento proferendum indefesso labore excolerent. Hinc etiam nos, licet immeriti in sortem eius ministerii vocati, pro officii nostri munere in id plerumque intendimus,

quatenus eam spiritualibus in dies adultiorem fructibus reddere valeamus. Sane Adm. Rndus Alexander Radoszkowski, Concionator Cathedrae Culmensis et Archipresbyter Culmsensis, cupiens deum ex sua substantia honorare et fragilibus fidelium animis amorem Christi eximium felicius implantare, constituit in animo suo, canonicatum sive praebendam theologalem fundare, in eumque finem summam Trium millium florenorum ad manus venerabilis Capituli nostri Culmensis deposuit et eam summam in bonis capitularibus Gutowo super censu reemptionali per sex a centum, mediante eiusdem Capituli inscriptione coram Actis consistorialibus Culmensibus die duo decima mensis Decembris anni praesentis facta, collocavit, simulque nobis supplicavit, quatenus ipsius fundationem eiusmodi auctoritate ordinaria confirmare et in beneficium ecclesiasticum instituere atque erigere dignaremur. Cuius nos pium hocce desiderium singulari affectu amplectentes, et quantum in domino possumus, promovere cupientes, maturo desuper venerabilis Capituli nostri habito consilio pariter et assensu, eiusmodi fundationem ratam et gratam habendam et in praebendam ac canonicatum theologalem seu beneficium ecclesiasticum erigendam et instituendam duximus, prout quidem in contumaciam omnium et singulorum ius aut interesse sua ex adverso quovis modo habere putantium, litteris cridae citatorum et non comparentium, erigimus ac instituimus in dei nomine per praesentes. Et insuper quo magis hanc ipsam fundationem et erectionem reddamus stabiliorem, ad augendos ipsius fructus ex nostro proprio peculio summam florenorum mille quingentorum polonicalium super simili censu arbitrio Capituli praedicti in bonis liberis et stabilibus collocandam, necnon censum a summa mille florenorum in bonis praetorii Culmensis collocata usui concionatoris destinatum, sublato exinde imposito onere decreto nostro mediante, attendentesque id muneris illustrissimis dominis episcopis Culmensibus pertinere, ut concionator habilis ad cathedram impensis eorundem habeatur, in eum finem summam florenorum ducentorum ex proventibus arcis Starogrodensis concionatori annue solvi consuetorum, et quatuor mansos inter fundos civitatis Culmsensis, Romanowskie dictos, antiquitus concionatoris usui applicatos, ad praedictam fundationem incorporavimus. Uti quidem una cum mansione seu domo eiusdem concionatoris aliisque obventionibus necnon etiam ecclesia parochiali in villa Lezwice dioecesis Pomesaniensis, quam idem concionator ac fundator in praesens possidet, mediante consensu Sacrae Regiae Maiestatis uti eiusdem ecclesiae patroni unici et collatoris, incorporamus et invisceramus perpetuo et in aevum. Ea videlicet conditione, quatenus dictus et pro tempore existens praebendarius sive canonicus Theologus, quamvis non fuerit promotus, dummodo ad satisfaciendum officio suo sit habilis et idoneus, continuo ad ecclesiam nostram cathedralem residere, divina officia in eadem ecclesia iuxta ordinem receptionis suae hebdomadatim more aliorum canonicorum peragere, verbum dei praedicare, choralemque tantum propriis impensis fovere, atque quolibet mense missam Requiem lectam unam pro anima fundatoris absolvere teneatur. Et praerogativa quidem senii inter alios canonicos aeque ut alii gaudebit, ad optiones

vero atque distributiones quotidianas ex bonis Capituli communibus non pertinebit. Ceterum in casu vacationis ad dictum canonicatum seu beneficium ex cognatis dicti fundatoris, si reperiatur habilis, prae aliis praefici, alias eo deficiente ex tribus externis per venerabile Capitulum nobis praesentandis pro arbitrio nostro unus institui debebit. Quam quidem fundationem erectionemque, institutionem et ordinationem nostrum robur perpetuum habere debere volumus et declaramus praesentibus litteris nostris, quas in fidem praemissorum manu nostra subscriptas sigillo nostro communiri fecimus. Datum in arce nostra Lubaviensi die decima septima mensis Decembris, Anno Domini Millesimo Sexcentesimo quinquagesimo quarto.

Joannes Gembicki Epp̄us Culmen. et Pomesaniae.

*Original auf Pergament mit dem Siegel des Bischofs Johannes Gembicki in einer Holzkapsel an blauer Schnur und dem Siegel des Domcapitels in einer Blechkapsel an rother Schnur, im Archive des Domcapitels zu Pelplin. Die Schrift ist bereits sehr verbleicht.*

## 1179.

***1659. Januar 16. Thorn.*** *Kōnig Johannes Kazimir von Polen bestätigt der Stadt Thorn alle vor dem Kriege gehabten Rechte und Freiheiten.*

Johannes Casimirus, dei gratia rex Poloniae etc. Significamus praesentibus literis nostris, quorum interest, universis et singulis. Quod cum nihil magis deceat magnos christianorum principes, quam erga subsitos, qui humillime exposcunt clementiam regiam, exercere benignitatem: Ideo nos, civitate Thorunensi in potestatem nostram redacta, eiusdem magistratui, communitati et omnibus civitatis civibus ac incolis, tota hac bellica tempestate anteactorum ex clementia nostra regia impertimur amnestiam. Insuper quod ad omnium deducendum notitiam, eandem civitatem, magistratum et communitatem, ut et universos cives et incolas, cum bonis et possessionibus eorundem, in et extra civitatem sitis, tam terrestribus quam civilibus et ex liberalitate regia acquisitis, ad civitatem, cives et incolas eiusdem pertinentibus, in fidem et clientelam nostram, tanquam iuramento recenter praestito obligatos, recipimus, atque circa privilegia, immunitates, tum in spiritualibus tum in civilibus a serenissimis antecessoribus nostris et a nobis concessas, iurisdictiones et consuetudines, uti et circa liberum exercitium religionis Augustanae in et extra civitatem, templorum et xenodochiorum reparandorum facultatem, prout illam in privilegiis antiquis habuerunt, consiliariatum et consuetum in terris Prussiae sessionis locum, ut et scabinatum in palatinatu Culmensi, salvos et integros, non obstantibus omnibus iis, quaecunque in civitatis, civium et incolarum, durante hoc bello, ad sinistram informationem praeiudicium ac detrimentum obtenta sub rescriptis et diplomatibus, nos conservaturos, prout ante hoc bellum in earum omnium rerum fuerunt possessione, promittimus ac conservamus. Acta quoque, iudicata et decreta cuiuscunque instantiae et

iudicii, et quaecunque hoc tempore iudicialiter et extraiudicialiter gesta sunt, modo decretis nostris ante bellum latis, iurique publico non contraria, firma facimus. Deposita nobilium et aliarum quarumcunque personarum, durante hostilitate, iure belli magistratui vel privatis adempta, nulli ius dabimus repetendi, eorum tamen, quae ablata non docebuntur, salva repetitione. Aedium tam sacrarum quam profanarum aliorumque damnorum necessitate et iniuria belli illatorum restaurationem et reaedificationem civitas non praestabit, neque ob religionis Romano-catholicae in templo parochiali a Sueco demandatam cessationem compellabitur. Census a summis capitalibus, a quibuscunque personis concreditis, obsidionis anno integro, condonantur, nihilominus census biennium residui solventur a civitate creditoribus, ita tamen, ut singulis annis, concurrente censu praeteriti biennii, census medietas persolvatur, donec expleatur integra biennii census solutio. Contributiones, accisas et agrarias iuxta lauda et consuetudines terrarum Prussiae, quarum membrum civitas haec est, exsolvet. Demum civitas et cives circa tormenta et munitiones quoque suas proprias conservabuntur, nec campanarum et horologiorum ratione a magistratu et civibus illi, qui rei tormentariae curam gerunt, vel alii quicquam exposcent. Cum etiam plurimi tam equestris quam civilis conditionis in regno Poloniae et Magno ducatu Lithuaniae et aliis regno nostro incorporatis provinciis existentes, civibus et incolis aere alieno obstricti sint, nemo eorundem a debitorum horum omnium contractorum solutione facienda libertatem sibi fieri praetendat, quin immo ad requisitionem dictorum civium quivis debita sua exsolvere tenebitur. In cuius rei maiorem fidem et evidentius testimonium diploma praesens manu nostra subscriptum sigillo regni communiri mandavimus. Datum Thorunii die decimasexta Januarii anno restauratae humanae salutis MDCLIX. praesentibus reverendissimis magnificis et venerabilibus generosisque Adamo Kosz Culmensi et Pomesaniensi, Georgio Bialosor Smolescensi episcopis; Joanne comite de Leszno Posnaniensi, Andrea a Gnidno Grudezinski Calisiensi palatinis; Christophoro Grodczicky Caminecensi et Attoleriae generali regni praefecto collonelloque nostro, Petro Dzialinsky Dobrinensi castellanis; Georgio comite in Wisnicz et Jaroslaw Lubomirsky mareschallo et campiductore regni; Nicolao a Praszonow Praszmowsky, nominato episcopo Luceoriensi, abbatiae Zacechowiensis perpetuo administratore, supremo regni cancellario; Boguslao comite in Leszno procancellario regni, maioris Poloniae generali capitaneo, Gothardo Buttler subcamerario regni, Theodoro Dönhoff curiae M. D. L. thesaurario, Andrea Morstein referendario regni, Vladislao Rey vexillifero Cracoviensi S. R. M. cancellario, capitaneo Libuliensi, Joanne Ignatio Bonkowsky subcamerario Culmensi; Michael Dzialinsky capitaneo Kyszewiensi; Joanne Evaristo Belszecky aulico nostro; Joanne Sobiesky vexillifero regni, capitaneo Javoloniensi; Andrea Miakowsky abbatiae Praemetensis perpetuo administratore, cancellariae regni regente; Vladislao Szmeling curiae regni vexillifero, Stephano Bolus curiae regni venatore; Andrea Scipione Dicampio vexillifero Vendensi, Joanne Koss cubiculi nostri familiari, Stanislao Obaczinsky cancellariae nostrae

et huius diplomatis notario, aliisque plurimis nobilibus et incolis Regni et M. D. L. pro tunc lateri nostro adhaerentibus.

Johannes Casimirus Rex.

Joannes Ignatius Bonkowsky,
succamerarius Culmensis, capitaneus Rogozinensis, Secretarius S. R. M.

*Thornische Denkwürdigkeiten S. 111 ff, deutsch S. 23.*

## 1180.

***1659. März 29. Thorn.*** *Adam Kos, Bischof von Culm und Pomesanien, verspricht, dass, nachdem im Kriege die Kirche zum hl. Geist nebst dem Kloster der Benedictiner-Nonnen zu Thorn ausserhalb der Stadtmauer an der Weichsel gelegen, von den Schweden niedergerissen sei und der Rath der Stadt den obdachlosen Jungfern durch Vermittelung des Königs von Polen drei Steinhäuser in der Segler-Gasse frei zur Wohnung angewiesen habe, dieses ohne Präjudiz gegen die Rechte und Freiheiten der Stadt geschehen sei und die Häuser mit dem Inventarium wieder zurückgegeben werden sollen, sobald für die Nonnen eine andere Wohnung beschafft oder das Kloster auf der alten Stelle aufgebaut ist.* Dat. Thorn den 29. März 1659.

*Deutsche Uebersetzung in Thornische Denkwürdigkeiten S. 27 f.*

## 1181.

***1659. April 13. Thorn.*** *Nicolaus Prazmowski, Kron-Gross-Kanzler, verspricht im Namen des Königs von Polen, dass die den Benedictiner-Nonnen in Thorn von dem Rathe eingeräumten Häuser unbeschadet den Rechten der Stadt wieder zurückgegeben werden sollen, sobald ihnen eine bequeme Wohnung beschafft oder ihr Kloster wieder aufgebaut sei.*

Wir Nicolaus in Prazmo Prazmowski, Cron-Grosz-Cantzler, denominirter Bischoff zu Lucerien etc., von I. K. M. und der Republic deputirter Commissarius zum Frieden mit der Crone Schweden, thun kund und zu wissen allen und jeden, denen daran gelegen, Nachdem durch das allgemeine Kriegs-Unglück unter andern der Stadt Thorn public und privat-Gebäude in und auszerhalb der Stadt, auch das Closter der gottgeheiligten Jungfern S. Benedictiner-Ordens zugleich mit ihrer Kirche von den Schweden zu ihrer besseren Defension bisz auf den Grund niedergerissen worden, und diesemnach gedachte Jungfern drey Jahre lang ohne ihre Devotion und Stande gemäszigen Auffenthalt leben müssen, bisz endlich auf I. K. Maiest. interposition der Stadt Thorn edler Rath, welcher die Zeit dieses verderblichen Krieges über diesen religieusen Convent alle aufrichtige Freundschaft zu bezeugen nicht unterlassen hat, ihnen drey steinerne Häuser (davon das eine dem Rath, die andern zwey aber gewissen Bürgern eigenthümlich zukommen, und zwar in der Segler-Gasse, dergestalt, dasz das erste bei dem Thor und Mauer zur rechten Hand nebst dem andern dichte daran stossenden Hause, das dritte aber gerade gegen über zur lincken Hand) vor gedachten Jungfern und ihren Beicht-Vater ohne alle Beschwerungen der

Republic und Stadt frey und umsonst Jahr aus und Jahr ein zur Bezeugung ihres unterthänigsten Respects gegen I. K. M. zu besitzen eingeräumet und übergeben haben; als assecuriren und versprechen Wir im Nahmen I. K. Maiest. auf gerechtes Verlangen gedachten Edlen Raths durch diese Reversalien aus Krafft und Macht unsers Cron-Cantzler-Ambts, dasz durch diesen concedirten Besitz der erwehnten Häuser an die gottgeheiligten Jungfern kein praejuditz oder Eingriff in die geistliche und weltliche Rechte und Jmmunitäten, sowohl geistlichen als weltlichen, gedachter Stadt zuwachsen solle, sondern viel mehr, sobald man offt gedachte Jungfern mit einer andern Wohnung und Auffenthalt jedoch ohne Schaden gedachter Stadt und Bürger-Rechte und Gerechtigkeiten wird versorget haben, oder durch göttliche Hülffe ein neues Closter nebst der Kirchen auszer der Stadt doch ohne praejuditz der Jurisdiction und Sicherheit möchte erbauet seyn, sodann gedachte Stein-Häuser mit allem Rechte nach Inhalt des Inventarii nebst dem freyen Durchgange zwischen den Häusern und Mauren gedachter Strasse, vorgedachten Edlen Rath und Bürgern sollen wieder gegeben werden. Zu dessen grössern Versicherung haben Wir dieses eigenhändig unterschrieben und besigelt. Gegeben zu Thorn den 3 April. Im Jahr 1659.

Nicolaus Praszmowsky, Cron-Grosz-Cantzler.

*Deutsche Uebersetzung in Thornische Denkwürdigkeiten S. 28 ff.*

## 1182.

***1659. September 22. Rom.*** *Alexander VII. ernennt den Priester Mathias Bystram zum Bischof von Argos (Argivensis) und Weihbischof von Culm.* Dat. Romae apud s. Mariam maiorem Anno incarnat. dominicae M° DC° quinquagesimo nono, Decimo Kal. Octobris. Pont. n. Anno Quinto.

*Original auf Pergament ohne Bulle im Culmer Diöc.-Archiv.*

## 1183.

***1661. Juni 24. Culmsee.*** *Das Domcapitel von Culm verschreibt an Johannes Sowicki den Ankauf der Mühle Konczewice nebst zwei Hufen.*

Praelati, Canonici totumque Capitulum ecclesiae cathedralis Culmensis, significamus praesentibus literis nostris, quorum interest, universis et singulis, quod cum honestus Adrianus Zurowic molitor molendinum nostrum in fundo villae Konczewice situm, ad se possessionemque suam post honestum olim Bartholomaeum Malina iure successionis naturalis devolutum, belli proxime praeteriti calamitatibus desolatum ob inopiam restaurare nobisque exinde pensionem debitam persolvere non posset, ac proinde illud idem molendinum vendere et in personam honesti Joannis Sowicki resignare constituisset: Supplicatum est nobis, quatenus super praedictam venditionem consensum nostrum dare et

privilegium novum in locum tempore belli deperditi benigne concedere dignaremur. Nos igitur supplicationi huiusmodi iustae annuere bonaque nostra ad meliorem frugem reducere cupientes, faciendum nobis duximus, ut super praedictam venditionem molendini nostri praefati consensum legitimum daremus privilegiumque desuper renovaremus, prout quidem damus et renovamus praesentibus, ita ut praedictus Joannes Sowicki molitor cessione sibi et inscriptione coram quibusvis actis authenticis facta illud idem molendinum, una cum uxore successoribusque suis legitimis, cum duobus mansis aliisque pertinentiis, pratis, pascuis, campis, aedificiis necnon libera in adiacenti lacu parvis retibus pro sua duntaxat mensa piscatione teneat, habeat, possideat et in suos quosvis usus beneplacitos convertat, prout illud antecessores ipsius ab antiquo possidebant iure Culmensi perpetuo cum facultate dandi, donandi, vendendi, permutandi, nostro tamen speciali consensu accedente. Si vero, quod absit, aggerem aliqua ex causa rumpi contigerit, tum praedictus molitor suis cura et impensis restaurare tenebitur toties, quoties opus fuerit. Ratione vero praefati molendini is idem molitor cum suis successoribus mediam lastam farinae siliginis quolibet quartuali nobis solvere et Culmzam devehere, nec non braseos nostros ad usum DD. Canonicorum tantum domesticum et ospam (!) quoties ipsam devecturi sumus, sine quavis mensura et solutione molere tenebitur et erit adstrictus. Iuribus nostris ecclesiae et reipublicae salvis manentibus. In cuius rei fidem praesentes sigillo nostro maiori communiri fecimus. Datum Culmsheae in capitulo generali sancti Joannis Baptistae anno Millesimo Sexcentesimo Sexagesimo Primo. Praesentibus Perillustribus et Admodum Reverendis DD. Matthia Bystram suffraganeo, Alberto Krzyiskowski praeposito, Bernhardo Salsin custode, Stanislao Trebnic, Adamo Culinski praelatis et canonicis Culmensibus.

*Original auf Pergament mit dem an grüner Schnur in einer Blechkapsel hängenden Siegel des Domcapitels im Culmer Diöc.-Archiv.*

## 1184.

***1665. Januar 14. Warschau.*** *Johannes Kazimir, König von Polen, verurtheilt die Stadt Thorn zur Herausgabe der S. Jacobskirche an die Benedictiner-Nonnen daselbst.*

Ioannes Casimirus, dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lithuanie, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae, Livoniae, Smolensciae, Czerniechoviaeque, nec non Suecorum, Gottorum Vandalorumque haereditarius rex. Significamus praesentibus literis nostris, quorum interest, universis et singulis: Intercessisse antea decretum in Judiciis relationum nostrarum propriarum ex scriptis partium controversiis Varsaviae feria quarta ante festum Ascensionis Dn̄i nostri Jesu Christi proxima anno Millesimo Sexcentesimo sexagesimo secundo latum et promulgatum, inter generosum instigatorem regni eiusque delatrices, religiosas et deodicatas virgines, Dorotheam de Karnkow Jankowska, abbatissam ac totum

conventum Thorunensem monialium ordinis S. Benedicti de Cassino, actrices ab una, atque nobiles et spectabiles burgrabium, proconsulem, consules, advocatum, scabinos totumque magistratum ac communitatem civitatis nostrae Thorunensis, citatos parte ab altera, pro causa: Quia ipsi non veriti rigorem poenarum, legibus regni in convulsores earundem, tum jurium et privilegiorum praefatis religiosis actricibus super infrascriptis servientium, necnon reservationum nostrarum regiarum in contraventores severe cautarum et sancitarum, imo in maiorem contemptum et levipendium earundem, nescitur quo ducti spiritu et odio, contra modernas religiosas ac deodicatas virgines actrices ausi sunt et praesumpserunt, juribus et privilegiis antiquissimis eisdem religiosis actricibus super ecclesiam S. Jacobi in civitate Thorunensi sitam gratiose concessis et per serenissimos olim antecessores nostros approbatis, ac demum constitutione regni novella anni proximo praeteriti poenis decem millium aureorum Ungaricalium in casu contraventionis vallatis, contravenire, nec templum supradictum dictis religiosis actricibus iuxta sonum et mentem eorundem jurium, privilegiorum originalium per serenissimos antecessores nostros approbatorum, constitutionisque regni novellae ac reservationum nostrarum eo nomine et praetextu ad ipsos extraditarum, restituere, facientes praemissa in praeiudicium jurium et damnum religiosarum actricum, in termino liquidandum convulsionem suprascriptorum privilegiorum et legum pro quarum contraventione, ad sumendas de et ex ipsis poenas constitutione regni praeallegata decretas, videlicet decem millium aureorum Ungaricalium, tum et alias necnon ad videndum et audiendum ecclesiam praeallegatam S. Jacobi actricibus iisdem restitui et deoccupari, possessionique earundem iuxta resonantiam jurium ipsis servientium tradi, necnon in damnis et litis expensis condemnari, et caetera prout de jure venerint, statui et decerni, propositione originali de praemissis latiore. Quo quidem praeallegato decreto nostro, primo parti citatae in causa praesenti procedere mandavimus; in procedendo autem actrices religiosae et deodicatae moniales S. Benedicti jura et privilegia sua producerent, et imprimis privilegium originale Ludolphi Koning, magistri terrarum Prussiae, donationem eiusdem ecclesiae cum dote adiacente de data et actu Mariaeburgi anno domini Millesimo trecentesimo quadragesimo quinto in Epiphania domini, idque inhaerens privilegium Theoderici de Aldemburg, generalis magistri eiusdem Prussiae, antecessoris sui, qui hanc ecclesiam prius religiosis Virginibus sanctimonialibus donaverat, exhiberent. In quo privilegio donatio praetacta descripta est hisce formalibus: Quod „a suis angustiis, defectibus et penuriis, quibus gravatae fatiscebant, relevare cupientes, de nostris parochialibus ecclesiis, quas apostolicae sedis benignitas sibi immediate subiecit, exemptionis titulo speciali, propter labores, sumptus et onera, quae pro plantatae fidei defensione contra paganos perfidos sufferimus incessanter, praedictis devotis virginibus, dominae abbatissae et santimonialibus ibidem, ecclesiam nostram parochialem, cum dote adiacente, in nova civitate nostra Thorunensi per reverendum virum fratrem Theodericum de Aldeburg, praedecessorem nostrum recolendae memoriae, ipsis donatam, porrectam, traditam et

assignatam ad certos usus, ut infra dicitur, de nostrorum compraeceptorum et fratrum omnium consensu et consilio firmamus, approbamus, conferimus et donamus, pure liberaliter et in totum, cum omnibus iuribus, fructibus, obventionibus, proventibus et pertinentiis universis, praesentibus et futuris; Volentes quod homines foris novam civitatem versus Vislam morantes ad eandem parochiam peramplius et in antea pertineant, ab ea sacramenta ecclesiastica recepturi; Transferentes quoque in eas authoritate et serie praesentium ius patronatus, dominium et usumfructum omnemque libertatem et immunitatem, quae nobis generaliter vel specialiter, proprietate vel ex exemptione apostolica nobis et ordini nostro in praefata ecclesia competere videbantur." Item quod fuerint in possessione, producerent eaedem religiosae Virgines testamentum virginis Elizabethae Krowicka senioris, de anno Millesimo Quingentesimo Octuagesimo secundo die 14 mensis Maii coram publico notario apostolico et regali ac iudice ordinario nobili Alberto Sperlingo a Reychnaw factum, quo verbis expressis recognovit „Vineam quandam ad Traposz molendinum sitam ad monasterium divi Jacobi in nova civitate Thorunensi olim[1]) pertinuisse, quam nunc quidam civis Thorunensis dictus Sebastianus Tenche tenet." Item iuramentum alterius abbatissae Zophiae Dulska ex decreto regio infrascripto, in quo eandem vineam circa iuramentum praestitum desiderari sibi specificatur. Item apparere allegarent ex fabrica aedificiorum monasterii, quae nunc in granarium conversa est, magis monasterium quam granarium redolens; Tum et alia documenta et privilegia a magistris terrarum Prussiae intuitu monasterii S. Spiritus Xenodochii ibidem dictis virginibus servientia. Ad extremum reliqua privilegia et iura ad ecclesiam bona et possessiones quasvis, assererent recepta fuisse sibi per magistratum et cives Thorunenses, vigore mandatorum serenissimi olim divae memoriae Sigismundi Augusti regis binorum, ex instantia sui ad deodicatas virgines pro extraditione ad conservandum in praetorium suum civitatis Thorunensis eorundem iurium, dispositionum et privilegiorum omnium dictis virginibus super ecclesias bona et quasvis possessiones servientium; Unius quidem prioris de data Lublini in conventione regni generali die 29 Marcii anno domini Millesimo Quingentesimo quinquagesimo quarto; Alterius posterioris, cum extraditionem denegassent, de data Petricoviae die decima secunda mensis Junii anni Millesimi quingentesimi quinquagesimi quinti datorum producerent; insuper reversales literas a civibus quatuor nomine totius magistratus et communitatis Thorunensis de receptione suprascriptorum omnium a deodicata virgine memorata Elizabetha seniore in cista occlusa cum duobus clavibus obsigillatis in papiro. Denique cum magistratus et cives accepta privilegia iura et dispositiones restituere noluissent, et deodicatae virgines agere debuissent, prout egerunt, decreta bina serenissimi olim divae memoriae Sigismundi III., parentis nostri desideratissimi; Unum de data Varsaviae Sabbatho ante dominicam Laetare proximo anno Millesimo quingentesimo nonagesimo nono,

[1] *Im Original ist hier eine ganze Zeile, die Worte olim bis Thorunensis durch ein Versehen des Schreibers ausgelassen und am Ende der Seite als letzte Zeile nachgetragen.*

quo extraditio privilegiorum coram commissariis iniunctum fuit; Secundum de data Cracoviae feria tertia post dominicam Iudica proxima anno Millesimo sexcentesimo tertio, quo, quod cives iisdem religiosis Virginibus praeter quatuor privilegia reliqua iura privilegia et dispositiones ad ecclesias bona et possessiones quasvis non extradidissent, iuramentum per easdem virgines coram commissariis praestandum iniunctum fuit, et solutio taxae litis expensarum decem millium florenorum polonicalium per cives eosdem Torunenses religiosis Virginibus decreta, nec non salvae actiones, qualescunque eis competierint, contra quosvis bonorum possessores eisdem reservatae, amissione privilegiorum et solutione taxae praefatae non obstante; Tum et iuramentum eiusdem memoratae Zophiae Dulska abbatissae cum caeteris virginibus circa ad impletionem istius iuramenti specificatum, de actu Thorunii in templo s. Spiritus die vigesima nona Aprilis anno Millesimo sexcentesimo tertio super privilegia, quae desiderantur, ubi meminit supraallegatae vineae ad Traposch, necnon testamentum supra de actu descriptum virginis Elizabeth, in quo testatur, recepta sibi cum scrinio et clavibus obsigillatis duobus per Thorunenses fuisse privilegia, nec restituta, atque post praestitum idem iuramentum quietationes de soluta eadem taxa decreto regio adiudicata, in quibus tamen salvae actiones, ut supra reservatae sunt. Insuper confirmationem supratactae donationis ecclesiae s. Jacobi dictis virginibus per serenissimum divae memoriae Sigismundum III., parentem nostrum, de anno Millesimo sexcentesimo septimo in pargameno scriptam, necnon confirmationes iurium generales circa coronationes serenissimorum olim regum Stephani, Sigismundi III. parentis nostri, tum novellam constitutionem nostram anni Millesimi sexcentesimi sexagesimi primi approbatoriam eiusdem privilegii Koning magistri reproducerent. Quibus sic reproductis iuribus privilegiis decretis et constitutionibus, cum affectaret suprascripta pars actorea, videlicet generosus Instigator regni cum religiosis actricibus, poenam in constitutionibus praedictis expressam ob contraventionem iisdem, tum et Rescriptis binis ad eosdem cives vigore constitutionum dictorum extraditis solutionem in instanti praestandum, una cum deoccupatione toties memoratae ecclesiae et bonorum atque aliarum pertinentiarum ad eam spectantium decerni et sententiari. In opposito citata pars, quod privilegium originale, in quo ius actoriae partis fundatur, nempe Theoderici de Aldemburg, non produceretur, Ludolphi von Koning privilegium donationis templi S. Jacobi nullum et inane sit, ex quo mentis impos fuerit, replicaret, dilationemque pro parte sua ad producenda specificata munimenta, nempe privilegium Ludolphi Koning super tabernas civitati Thorunensi datum, item documenta ex Archivo Pruthenico assumenda, quonam tempore ab officio Ludolphus depositus sit, decretum serenissimi Sigismundi III. ratione templorum, tum privilegia serenissimorum regum Poloniae super templa, fundationem originalem et translationem monialium ad s. Spiritum, et alia ad causam hanc necessaria humilime sibi concedi postularet: Nos cum Senatoriis et Consiliariis nostris, pro tunc lateri nostro assidentibus, auditis partium ambarum controversiis allegationibus et defensionibus de iuribus partis actoreae reproductis,

visis lectis et mature consideratis tum attenta partis citatae legitima ac de iure concessibili affectatione, dilationem ad producenda eadem superius specificata munimenta ad spatium trium septimanarum benigne concesseramus et decreveramus, quatenus citati, nempe magistratus Thorunensis, privilegia et jura omnia suprascripta coram commissariis nostris, nempe reverendo in Christo patre domino Ioanne Gembicki episcopo Plocensi, tum magnificis et generosis Ioanne Kos palatino Culmensi, Stanislao Kobierzycki palatino Pomeraniae, Stanislao Działinski palatino Mariaeburgensi, Sigismundo Guldenstern castelano Gedanensi, Ioanne Ignatio Bakowski succamerario Culmensi, Ioanne Gninski succamerario Pomeraniae, Michaele Działynski capitaneo Kiszouiensi, Hyeronimo Dunin tribuno Czerniechouiensi, quos ad id negotium praesens addideramus et deputaveramus, exhiberent et reproducerent. Praefatis autem commissariis nostris mandaveramus, quatenus pro feria sexta in crastino festi sacratissimi Corporis Christi proxime ventura Torunium convenirent ac in praetorium civitatis descenderent, ibidemque vocatis ad se per ministerialem quemvis partibus ambabus, iura privilegia et alia documenta ad hanc causam necessaria, per partem citatam reproducenda, reviderent, perlegerent et cognoscerent, iisdemque revisis et mature consideratis necnon cum iuribus partis actoreae coram nobis reproductis collatis, quaenam potiora sint, distinguerent, sensum suum nobis aperirent, et causam hanc deciderent, appellatione ad nos salva manente, absentia quoque unius duorum plurium ex praefatis commissariis nostris non obstante, decreveramus et sententiaveramus. Quam in rem partibus praefatis terminum iterum coram nobis iudicioque nostro in spatio quatuor septimanarum post expeditam eam commissionem, vel non, praefixeramus assignaveramus et conservaveramus peremptorie. Vigore cuiusquidem decreti nostri supranominati commissarii post fundatam iurisdictionem suam commissorialem, visis lectis collatis et mature discussis tam civitatis Thorunensis (quae se producere submiserat), quam deodicatarum virginum monialium Thorunensium iuribus et privilegiis aliisque omnibus inductionibus et probationibus, eoque attento, quod parochia S. Jacobi in civitate nova Thorunensi, cum templo, dote eiusdem ac iure patronatus deodicatis virginibus monialibus Torunensibus, quo extreme egentium ac in carcere Christi positarum sublevaretur alimentatio, per Ludolphum Koning magistrum cruciferorum de data Mariaeburgi in Epiphania domini anno Millesimo trecentesimo quadragesimo quinto, quo privilegium anterius Theoderici de Aldeburg, magistri itidem crucigerorum, antecessoris sui, super eandem parochiam iisdem monialibus collatam et ab iisdem a longo tempore, ut tenor privilegii obloquitur, obsessam confirmabat, speciali et praeinserto privilegio pure et absolute donata sit, quodve in possessione eiusdem templi ac parochiae eaedem moniales extiterint, ut ex fundatione a binis fratribus, videlicet Joanne Aldewise Stara Łąka, et Joanne Jungwise Nova Łąka super binas tabernas, vulgo Buden, cum censu annuo decem marcarum ad altare eiusdem ecclesiae parochialis monialium S. Jacobi in novo civitate Thorunensi pro sacrificio quolibet die celebrando cum consensu Margarethae Gierengawna abbatissae et Nicolai Lebesie

praepositi post nativitatem Christi domini anno Millesimo trecentesimo quinquagesimo nono Thorunii facta et recognita, veteri sigillo civitatis munita, iureque patronatus ad hoc altare magistratui civitatis novae Thorunensis applicato, manifeste liqueret; tum quod confirmationem privilegii praenominati Ludolphi Koning a serenissimo olim Sigismundo III. de data Varsaviae tertia mensis Martii anno Millesimo sexcentesimo primo praetactae virgines supra eandem ecclesiam S. Jacobi obtinuerint, altiores vero confirmationes omittere fuerint coactae, tum quod ingenti peste grassante ad unam usque in eo loco extinctae fuissent, tum quod extraditionem privilegiorum fundationis monasterii Elizabeth Krowicka octuagenaria, ut eius testamentum anno Millesimo quingentesimo octuagesimo secundo factum fusius obloquitur, mandatis olim serenissimi Sigismundi Augusti adacta quasi ad meliorem asservationem cum cista et duobus clavibus monasterii in manibus magistratus Thorunensis fecisset, quod tamen eorum restitutionem moniales urserint, postque quatuor ex commissione serenissimi olim Sigismundi III. in crastino S. Marci anno Millesimo quingentesimo nonagesimo nono minus necessarie extradita, cetera invalescente haeresi negata, per religiosam Dulska abbatissam cum altera ex monialibus, medio corporali iuramento. Cives vero Thorunenses nihil aeque speciale in contrarium opponerent, praeter privilegium fratris Verneri de Orsela, magistri crucigerorum, in festo S. Francisci anno Millesimo trecentesimo vigesimo septimo latum, quo mediante moniales a S. Spiritu ad S. Laurentium, ut crescente earum numero commodius habitarent a tumultuque Vistulano segregatae deo religiosius vacare possent, transferuntur, quo simul evincitur, in tantum numerum earum excrevisse, ut iuste a praenominato Ludolpho Konig, Verneri successore, paulo post parochiale templum et xenodochium S. Jacobi ipsis applicari debuerit; praeter privilegium dimensionis areae ad S. Laurentium post festum S. Catherinae virginis et martyris anno Millesimo trecentesimo octuagesimo quarto factae, per quam itidem commoditatibus tam numerosi coetus subventum et provisum est; tum praeter privilegium Thosmer, magistri crucigerorum, desuper extruenda porta ad S. Spiritum xenodochii eiusdem anno Millesimo trecentesimo quadragesimo sexto concessa; tum praeter privilegium, quo Kuchmeyster, crucigerorum magister, anno Millesimo quadringentesimo decimo quinto hospitale sive xenodochium monasterium ad S. Spiritum adiunxit; tum praeter transactionem quandam, quam in die Conversionis S. Pauli anno Millesimo quadringentesimo vigesimo quinto Vrsula Suderwikina abbatissa, Gertrudis Gierkowina coenobiaca, Catharina Rubichina vicecoenobiaca, cum civitate Thorunensi inierant de fundo monasterii sui ad S. Laurentium, ex quo ad S. Spiritum ob ingentem divi Vladislai regis et Vitoldi principis exercitus metum translati eodem post accepta centum et quinquaginta millium laterum et totidem caementi in commutationem pro sinu Vistulano civitati cesserunt, quae omnia demonstrant, praetactas deodicatas virgines, semel quidem a S. Spiritu ad S. Laurentium, post a S. Laurentio ad S. Spiritum translatas, semper tamen in dictis locis nempe et ad S. Jacobum ob numerum virginum maiorem

locatas fuisse, non tamen parochiam exinde deletam, cum sub onere alendi parochi ac scholae fovendae parochia ipsis cum dote applicata fuerit. Tum praeter privilegia serenissimorum olim regum Sigismundi Augusti, quod nonnisi temporaneum, nempe ad futura Regni Comitia vel ad celebrationem Concilii generalis .....[1]) dato et sigillo annulari tantum, tantumque ad instantiam quorundam consiliariorum pro exercitio Augustanae Confessionis et sumptione coenae dominicae sub utraque specie, non autem pro firmanda usurpatorum templorum possessione, datum et munitum; Stephani, ubi liberum tantum Augustanae Confessionis exercitium, idque citra omne praeiudicium cultus divini more s. Romanae ecclesiae in templis usitati confirmatur; Sigismundi III., Vladislai IV. ac et nostras binas, quibus nonnisi liberum quoque Confessionis Augustanae exercitium ipsis conceditur, nihil vero in praeiudicium ac derogationem iurium monasterii ad S. Jacobum, cum ecclesia nunquam praescribat, latum est. Tum praeter Pacta Olivensia, quae ut civitatibus regalis Prussiae exercitium catholicae et evangelicae religionis, uti ante hoc bellum viguit, servatum volunt, sic pari securitate omnes incolas muniunt, neminemque ab asserendis iuribus et privilegiis suis arcent, et praeter exceptionem contra privilegium Ludolphi Koning illud nimirum vitiosum esse, quod apud illud, ut et confirmatio serenissimi Sigismundi III. recentiori illo saeculo, nempe Millesimo sexcentesimo primo data fatetur, sigillum sit abscissum, cum tamen privilegium eiusdem Konig super tabernas, vulgo Buden, ut se in decreto regis submiserant, de anno Millesimo trecentesimo quadragesimo tertio produxissent, hoc idem privilegium monialium de anno Millesimo trecentesimo quadragesimo quinto charactere, stylo, vetustate, pergameneo, funiculis sericeis varii coloris, quibus sigillum illud super thabernas appensum, huiusce abscissis funiculis simillimum apparuit. Tum insuper nihil validius opponerent, praeter in anno Millesimo trecentesimo octuagesimo primo feria tertia ante festum S. Dyonisii per Elizabetham abbatissam et Elizabetham priorissam consensum Winrici de Kniperode, magistri ordinis, et Joannis, vicarii in spiritualibus et temporalibus, areae cuiusdam sive fundi iacentis coenobialis sive monasterii a longo tempore possessi, prout praetactum privilegium a citata parte productum evidenter testaretur, et realitatem iurium a magistris crucigerorum ad eandem parochialem ecclesiam monialibus datorum et a citata parte negatorum luculenter comprobaret, venditionem civitati ab iisdem monialibus pro mille marcis Culmensibus, quae per quatuor annos monasterio solvi et numerari, et in aliam aream sive censum redimibilem et resolubilem ad commodum monasterii et meliorandam conditionem illius locari, eaque locatis a civibus bona fide et sine dolo permitti, ut tenor transactionis praeinsertae obloquitur, debuerat; horum autem nihil praestitum deduceretur, nam neque quietationes de solutis bona fide sine dolo totaliter et indebite, ut polliciti sunt, mille marcis productae, neque area sive census emptus vel provisus, neque monialibus sine consensu sedis

[1]) *Im Original ist hier eine Lücke für etwa ein Wort.*

apostolicae alienare ab ecclesia fundos licebat, cum acquirere licuisset, neque easdem moniales possessione illius areae seu fundi cessisse constat. Exinde Judicium praetactum commissoriale contractum illum irritum et venditionem nullam fuisse declaravit et sententiavit, deoccupationemque, cum malae fidei possessor nunquam praescribat, eorum fundorum vigore praesentis commissionis et authoritate regia civitati iniunxit. Quantum vero attineret ipsum templum S. Jacobi, dotem eius, ius patronatus et parochiam, quae in praescripto civitatis cum Elisabetha abbatissa clarissime exceptatur, neque vendi ullatenus potuit aut contractui subiacere, in quo circumferentia altitudo latitudo et longitudo descripta, ut ex praeinserto liquebat instrumento, partem fundi certam, non templum vel dotem, non monasterium vel ius patronatus nec parochiam fuisse demonstrat; ideo illud et illam in dubitate et sine omni exceptione deodicatis virginibus deberi. Idem Iudicium commissoriale ex rationibus supranominatis invenit ac decrevit: Quatenus magistratus utriusque tam veteris quam novae civitatis Thorunensis templum parochiale S. Jacobi in nova civitate cum dote, iure patronatus, parochia ac suppellectili, deodicatis virginibus monialibus Thorunensibus regulae S. Benedicti, ut veris et legitimis patronis, realiter et in effectu restituat infra spatium sex septimanarum, restitutumque una cum area seu areis, fundo, aedificiis et monasterio in actualem tradat possessionem, decreto suo ad praemissa mediante, atque appellationem parti citatae, nempe nobili et spectabili magistratui Thorunensi, ab hoc suo decreto ad Nos iudiciumque nostrum provocare admisit. Quo in termino ex eadem appellatione proveniente, cum partes suprascriptae, actorea per religiosam Dorotheam de Karnkow Iankowska abbatissam, citata vero per spectabilem Antonium Denoppel burgrabium, Georgium Cymerman proconsulem, Petrum Edling veteris, Jacobum Giring novae civitatis Thorunensis scabinos, Ioannem Wedemaier et Ioannem Fachleben deputatos ex communitate, coram Nobis et Iudiciis relationum nostrarum propriarum Varsaviae feria quinta ante festum S. Mariae Magdalenae anno Millesimo sexcentesimo sexagesimo secundo comparerent. Nos cum consiliariis lateri nostro pro tunc assidentibus post partium controversias primo ea in causa ad spatium octo septimanarum deliberaveramus et terminum praefixeramus peremptorium; alias prout anterius decretum nostrum, tum et actus commissionis fusius de praemissis omnibus in se disponunt et distinguuntur. In termino itaque hodierno, tam ex eadem appellatione a sententia commissariorum nostrorum per citatos interposita atque admissa, quam conservatione termini legitime proveniente et continuata, partibus supranominatis, actorea per religiosas et deodicatas Dorotheam de Karnkow Iankowska abbatissam, Catherinam Iwanska secretariam conventus, Helenam Lassocka eiusdem conventus professam, in assistentia generosi instigatoris regni, et per generosum Joannem Zembrzycki, instigatorem M. D. Lithuaniae, citata vero per nobiles et spectabiles Georgium Cymerman proconsulem, Thomam Behr consulem, Joannem Augustin, Andream Meysner ex scabinatu atque famatos Joannem Czernik, Albertum Kindler ex communitate, coram Nobis et Judiciis

relationum nostrarum propriarum comparentibus, atque controversias suas superius insertas iterum reassumentibus et regerentibus, necnon de validitate et legalitate sententiae commissorialis iure mediante inter se descendentibus: Nos[1]) cum Senatoribus Regni et Consiliariis lateri nostro assidentibus, auditis reassumptis partium ambarum controversiis, allegationibus et defensis, visis quoque iuribus et privilegiis ab utrinque productis, expediendo deliberationem nostram praehabitam, sententiam suprascriptam commissariorum nostrorum uti iuri et aequitati conformem in toto approbandam et confirmandam esse duximus, uti quidem approbamus et confirmamus; Et quatenus citati magistratus et communitas civitatis nostrae Thorunensis templum praefatum parochiale Sancti Jacobi, de quo res est, una cum aedificiis, structuris, fundis, necnon dote, bonis, argento, altaribus, campanis et tota ecclesiastica supellectili ac ornamentis antiquitus eo spectantibus, religiosis actricibus in spatio sex septimanarum ab actu praesentis decreti nostri computando proximarum peremptorie in praesentia commissariorum nostrorum, quos ad id specialiter addimus et deputamus, nempe venerabilis Nicolai[2]) Lezynski canonici Cracoviensis et secretarii nostri, et generosi Michaelis Działynski capitanei Kiszouiensis, intimi camerae nostrae cubicularii, deoccupent, atque in realem ipsarum possessionem tradant ac dimittant, decernimus et statuimus. Quae praemissa omnia facturi sunt citati sub[3]) poena perpetuae banitionis et succubitione vadii Decem Millium aureorum Vngaricalium in casu non dimissionis templi, bonorumque eo pertinentium non restitutionis, succumbendo et parti actoreae reponendo. Quam quidem poenam banitionis perpetuae iam ex nunc super ipsis decernimus et ministerialem quemvis regni generalem ad publicandam addimus, atque pro publicanda terminum coram Nobis et Judicio nostro assessoriali in quatuor septimanis, a die contraventionis computando, proximis assignamus et conservamus peremptorium. Ad extremum quantum attinet vadium constitutione anni Millesimi sexcentesimi sexagesimi primi vallatum et interpositum, atque per citatos succubitum, a solutione ipsius liberos citatos ex mera clementia et benignitate nostra regia facimus ac pronunciamus, praesentis decreti nostri vigore.

Pro cuius executione, nempe deoccupatione et dimissione bonorum per citatam partem praestanda, partes ad Officium castrense Kovaleviense palatinatus Culmensis in termino ex praevia partium legitima obdestinatione peremptorie remittimus: eo nihilominus praecustodito, quod nostra decreta hac in causa a nobis lata iuribus et immunitatibus, indultis privilegiisque, civitati praefatae nostrae a serenissimis Poloniae regibus et a nobis concessis et approbatis minime praeiudicare et derogare debent. In cuius rei fidem praesentibus sigillum regni est appressum. Actum Varsauiae feria quarta ante festum S. Prischae Virginis et Martyris proxima, die decima quarta mensis Januarii, anno

---

[1]) *Vgl. Hartknoch, Kirchengeschichte p. 966.*

[2]) *Nicolai ist von demselben Schreiber mit anderer Dinte im Original nachgetragen.*

[3]) *Im Original unterstrichen.*

Millesimo sexcentesimo sexagesimo quinto, Regnorum nostrorum Poloniae et Sueciae XVII anno. — Nicolaus Prazmowski, Episcopus Luceoriensis, Cancellarius regni supremus. — Relatio illustrissimi et reverendissimi in Christo patris domini Nicolai in Prazmow Prazmowski episcopi Luceoriensis et Brestensis abbatis, Sieciech perpetui administratoris, supremi regni cancellarius. — Stanislaus Zurowski, decretorum curiae regiae notarius, scripsit. — Correxit Nicolaus Szulc.

*Aus dem Original im Kirchenarchiv zu S. Jacob in Thorn. Es besteht aus 10 Pergamentblättern, die in einen Umschlag von blauem Zeuge eingeheftet sind. Daran hängt an einer rothen seidenen Schnur, der schwarze Fäden eingeflochten sind, das grosse, bereits stark beschädigte Reichssiegel. Das erste Blatt und die letzte Seite sind leer gelassen. Die Schrift ist, theils der vielen Abbreviaturen, theils der fast ganz verblichenen Dinte wegen, nur mit grosser Mühe zu lesen. Gedruckt in Altpreuss. Monatsschrift XVII 634 ff. Beil. VIII.*

## 1185.

***1665. April 17. Culmsee.*** *Andreas Olszowski, Bischof von Culm und Pomesanien, errichtet an seiner Domkirche die Präbende des Pönitentiarius.*

Andreas Olszowski, dei et apostolicae sedis gratia Episcopus Culmensis et Pomesaniae, decanus Cracoviensis, significamus praesentibus literis nostris, quorum interest, universis et singulis. In ambiguis rerum humanarum vicissitudinibus, si quando prosperiora contingat evenire, eam animi nostri aestimavimus consolationem aliis potiorem, cum a Deo Optimo Maximo concedatur spectare ecclesiam cathedralem Culmensem, sponsam nostram lectissimam, in moderna praesertim temporum difficultate reddi ampliorem augerique maioribns ad dei gloriam incrementis. Speciali vero quodam affectu sumus excitati, cum ad nostram deductum sit certam et indubitatam notitiam, qualiter recenti exemplo et rara virtute suffragioque animae suae ad salutem aeternam Adm. R̄ndus Matthaeus Arnolphus Wieczffinski, Praepositus Srenensis, erga dictam cathedralem Culmensem libera spontaneaque ductus inclinatione super bonis et sortibus suis haereditariis et patrimonialibus Poenitentiariam in supermemorata ecclesia nostra cathedrali Culmensi instituere, fundare et dotare aggressus est, prout instituit, fundavit et dotavit, et in eum finem censum annuum Trecentorum sexaginta florenorum polonicalium provenientem in et super bonis villarum Wieczffnia et Bąki, in palatinatu Plocensi et districtu Mławensi consistentium, coram actis capitanealibus castrensibus Ciechanovien. feria secunda post Dominicam Sexagesimae proxima anno praesenti Millesimo Sexcentesimo Sexagesimo Quinto inscripsit, census supradicti usumfructum sibimet ad extrema vitae suae tempora conservando et applicando, inscriptione tenoris talis:

Actum in Arce Ciechanoviensi in terminis Quaerelarum causarumque officii feria secunda post dominicam Sexagesimae proxima anno domini Millesimo Sexcentesimo Sexagesimo Quinto coram officio actisque, praesentibus Capitaneatibus castrensibus Ciechanovien., personaliter comparens Illustris et Adm. R̄ndus Matthaeus Arnolphus Wieczffinski, Praepositus Srenensis, in bonis villarum Wieczffnia et Bąki palatinatus Plo-

censis et districtus Mławensis haeres, sanus mente et corpore existens animoque bene deliberato, iurisdictione sua quavis propria et competenti pro hac vice omissa, iurisdictioni vero praesenti capitaneati castren. Ciechanovien., quoad actum presentem tantum attinet, incorporatione facta, palam libere ac per expressum recognovit. Quia ipse totalia et integra bona sua propria et haereditaria munda, libera, et nullis aliis debitis et obligationibus onerata, videlicet totas et integras sortes suas haereditarias in bonis villarum praefatarum Wieczffnia et Bąki palatinatus Plocensis et districtus Mławensis consistentes, cum eorum praediis omnique eorundem bonorum et sortium iure, dominio, proprietate et haereditate, omnibusque structuris, aedificiis, agris, pratis, sylvis, nemoribus, lacubus, piscinis, fluviis, aquarum decursibus, subditis, utilitatibus, proventibus attinentiisque et pertinentiis universis, nullis penitus exceptis, pro censu annuo Trecentorum sexaginta florenorum polonicalium a summa sex millium florenorum polonicalium, per se recognoscentem venerabili Capitulo Culmensi pro fundatione in ecclesia cathedrali Culmensi novi canonici simulque Poenitentiarii data et donata, rursusque ab eodem venerabili Capitulo ad se recepta et in bona sua praefata villarum Wieczffnia et Bąki importata proveniendo, eidem venerabili Capitulo Culmensi perpetuo et in aevum, in vim tamen reemptionis alias na Wiederkauff, dedit, donavit, inscripsit et resignavit, prout dat, donat, inscribit et resignat per praesentes. Quem quidem censum trecentorum sexaginta florenorum debebit is idem recognoscens Illris et Adm. Rndus Matthaeus Arnolphus Wieczfinski, Praepositus Srenensis, suosque successores et quosvis bonorum praefatorum possessores obligat et adstringit, quotannis pro quolibet festo Nativitatis s. Joannis Baptistae Culmsam per suum proprium nuntium suoque proprio sumptu et periculo mittere, ad eundem censum integre simul et indivisim eidem venerabili Capitulo Culmensi ad quietationem ipsius manualem pendere et persolvere. In quae quidem bona praefatus Illustris et Adm. Rndus Praepositus Srenensis in facie praesentis Officii dedit ad admisit, datque et admittit praefato venerabili Capitulo Culmensi realem et actualem intromissionem et pacificam possessionem, et in loco bonorum, dum et quando officiose ministerialem quemcunque Regni generalem et duos nobiles quoscunque ad id duxerit eligendos, iam ex nunc ipsi ab Officio praesenti ad id addictos et deputatos affectabitur, daturum et admissurum se submittit, et suos successores ad id complendum teneri obligat, per praefatum venerabile Capitulum Culmense bona eadem tenenda, habenda, possidenda pacifice et quiete utifruenda temporibus perpetuis. Debebitque et tenebitur is idem Illris et Adm. Rndus Praepositus Srenensis, prout se suosque successores et quosvis bonorum praefatorum possessores inscribit et obligat praesentibus, praefatum venerabile Capitulum in pacifica bonorum praedictorum possessione conservare, ipsumque venerabile Capitulum ab omni impetitione iuridica quarumcunque personarum per omnes praescriptiones terrestres, prout ad quamlibet personam terrestris pertinet praescriptio, in omni Judicio et omni Officio Regni et terrarum Prussiae tueri, defendere, evincere et eliberare,

indemnemque reddere et efficere, necnon bona suprascripta ab omnibus debitis, oneribus et inscriptionibus quibusvis prioribus et posterioribus, necnon ab inscriptionibus dotum, dotalitiorum, advitalitatum, censuum quorumvis, tum a quibusvis citationibus in eadem bona importatis et importandis, lucris denique ac perlucris et processibus quibusvis iuris in quocunque puncto et gradu iuris dependentibus emundare et eliberare, mundaque et libera semper facere, ita ut eadem bona memoratum venerabile Capitulum Culmense pacifice et quiete tenere queat temporibus perpetuis. Praemissa omnia facturus est is idem recognoscens Illris et Adm. Rndus Matthaeus Arnolphus Wieczffinski, Praepositus Srenensis, sub vadio sex millium florenorum polonicalium per eundem recognoscentem eiusque successores et quosvis alios bonorum praefatorum possessores memorato venerabili Capitulo Culmensi ob non completionem praemissorum omnium et singulorum, tam in toto, quam in parte, toties quoties opus fuerit ad solvendum succumbendos. Pro quo quidem taliter ad solvendum succubito ac pro re aliqua ex praemissis non completa citatus existens memoratus recognoscens Illris et Adm. Rndus Matthaeus Arnolphus Wieczffinski, Praepositus Srenensis, eiusque successores et quivis bonorum praefatorum possessores citati ad quodvis Judicium seu Officium castrense Regni seu Vicepalatinale in terris et partibus terrarum Prussiae existens ex tunc recessu quo supra mediante, se vero cum successoribus ac bonis suis omnibus iurisdictioni Judicii seu Officii illius ad quodcunque ex praemissis totaliter plenarie incorporandis in primo citationis termino stare, parere, respondere, pro vadioque praefato ac re aliqua ex praemissis non completa satisfacere, suis cum successoribus bonorumque praefatorum quibusvis successoribus, debebit et tenebitur, eundem primum peremptorium terminum et alios subsequentes causae eiusdem terminos semper peremptorios, vera infirmitate, successorum minorennitate, legatione, intra vel extra regnum servitio militari ac aliis quibusvis iuris remediis ac diffugiis non subterfugiendo, nullasque appellationes earumque prosecutiones faciendo, ac praemissa omnia poenis simplicibus vel triplicatis evasionibus fataliis iuris non evadendo, praesenti sua recognitione in praemissis mediante. Alexander Komorowski iudex castrensis Ciechanoviensis mppr. Locus Sigilli. Ex actis castren. Ciechonovien. Repertum correctum cum Actis. Mierzynski.

Cuius suae fundationis ultra lucrum animarum Christi sanguine redemptarum eum etiamnum finem et scopum respexit, ut hoc salutari et meritorio facinore animae suae provideret et fructum sui operis consequeretur eiusmodi, ut nimirum ipsemet eiusque succedanei poenitentiarii pro tempore existentes stallum in choro eiusdem cathedralis et vocem in capitulo inter canonicos Culmenses cum titulo canonici fundi Wieczffnia nanciscantur et obtineant, censum provisionis annuae florenorum trecentorum congruae sustentationi destinatum percipiant, reliquis sexaginta florenis pro vindicandis iuribus, si quando opus fuerit, conservationeque sartorum tectorum residentiae suae habitationis poenitentialis, necnon pro necessitatibus ecclesiae, cera videlicet et vino, aliisque eo pertinentibus cum

scitu venerabilis Capituli relictis et consignatis. Intuitu vero provisionis huiusmodi idem canonicus poenitentiarius tenebitur et erit adstrictus (non tamen ipse modernus fundator), confessiones utriusque sexus in eadem ecclesia cathedrali Culmensi iuxta mentem s. Concilii Tridentini audire quolibet die, vel dum et quando opus fuerit pro poenitentium accedentium ratione et commoditate. Deinde unam missam lectam de B. M. Virgine votivam cum collecta pro defunctis, altera pro remissione peccatorum, ipse superstes fundator, quod vixerit, in eadem ecclesia semel in septimana die, qua placuerit, succedaneus vero canonicus pro tempore existens missam de requiem pro defuncto sacerdote celebrare, et continuo circa ecclesiam cathedralem Culmensem residere, vel in casu urgentis et legitimae, non tamen diuturnae, absentiae, de idoneo providere substituto obligatur, alias poenis in iure expressis districte subiiciatur. Totum et integrum iuspatronatus dictae Poenitentiariae idem fundator post fata sua venerabili Capitulo Culmensi dat donatque temporibus aeviternis, et in eventu vacationis ipsius omnimodam administrationem circa idem venerabile Capitulum relinquit, et dispositionem attendentiamque convenientem tradit et concedit, ne iura, census, proventus et obligationes quoquomodo minui aut vacillare patiantur. Quibus omnibus nos consideratis et perpensis pro munere episcopali officioque nostro pastorali, quo fungimur, communicato consilio cum venerabili Capitulo nostro, eo praecipue attento, dictam fundationem s. Canonibus et Decretis S. Conc. Trid. esse conformem, ecclesiae vero nostrae cathedrali apprime utilem et necessariam, eam servatis de iure servandis, in contumaciam omnium et singulorum ad praemissa ius aut interesse habere putantium, literis cridae citatorum et non comparentium, in omnibus articulis, punctis, clausulis, iam alias expressis, roboramus, confirmamus et ratificamus auctoritate nostra ordinaria, inscriptionemque et censum supramemoratum in castro Ciechanoviensi inscriptum approbamus, ac immunitati, sorti, proprietati et conditioni ecclesiasticae adscribimus, assumimus et aggregamus, Poenitentiariamque, sicut praemittitur, fundatam in ecclesia nostra cathedrali Culmensi constituimus, erigimus et fundamus perpetuo et in aevum. Nec non moderno fundatori Adm. Rndo Matthaeo Arnolpho Wieczffinski eiusque legitimis succedaneis canonicis poenitentiariis pro tempore existentibus pro ratione senii locum in stallo et vocem in Capitulo nostro Culmensi concedimus et assignamus, eumque cum legitimis suis succedaneis poenitentiariis canonicis pro tempore existentibus in gremium capitularium personarum admittimus et inserimus, ita tamen ut modernus fundator eiusque succedanei ad consuetas capitulares optiones, distributiones, praestimonia, residentias, aliosque communes proventus eorumque participationem minime pertineant, sed suae fundationis provisione sint contenti. Ulteriores insuper emptiones, inscriptiones, contractus, donationes, fundationes, de iure et consuetudine licitas, si quas in posterum in auctionem et pinguiorem dotationem eiusdem Poenitentiariae fundator addicere voluerit, ratas et firmas habere tenereque promittimus pro nobis et successoribus nostris. In quorum fidem praesentes manu nostra subscriptas sigillo communiri iussimus. Datum

Culmsae ad cathedralem ecclesiam nostram die decima septima mensis Aprilis Anno Domini M. DC. LXV. Praesentibus Perillustribus Reverendissimo et Admodum Reverendis Matthia Bystram, Episcopo Argivensi, Suffraganeo, Archidiacono et Officiali nostro generali, Bernardo Sasin Decano, Joanne Potrykowski Praeposito, Adamo Sulinski Custode, Joanne Wołowski Canonico Culmensibus. Stanislao Kostecki, Praebendario cathedrali, publico apostolico et consistorii necnon venerabilis Capituli Culmensis Notario, Michaele Sempołowski ecclesiae parochialis Culmsensis Commendario perpetuo.

Andreas Olszowski Episcopus Culmensis et Pomesaniae.

*Original auf Pergament mit dem Siegel des Bischofs an rother Seide in einer Holzkapsel im Archiv des Domcapitels in Pelplin.*

## 1186.

***1668. Mai 26. Culmsee.*** *Andreas Olszowski, Bischof von Culm und Pomesanien, errichtet in Folge einer letztwilligen Bestimmung des Domherrn Valerianus Radzynski den Altar zur Verklärung Christi in der Culmseeer Domkirche.*

Andreas Olszowski, dei et apostolicae sedis gratia Episcopus Culmensis et Pomesaniae, Regni Poloniae Vicecancellarius. Universis et singulis, quorum interest, praesentes literas nostras inspecturis, pariter et lecturis, tam praesentibus quam futuris, salutem in domino. Cum inter caetera muneris ac sollicitudinis nostrae pastoralis officia non postremum esse intelligamus, ut divinae laudis propagatio in ecclesiis curae nostrae subiectis non modo in suo vigore conservetur, verum etiam in dies magis pro viribus augeatur, incumbendum nobis in id duximus, ut, quae piorum hominum liberalitate ad eiusdem cultus divini incrementum ex portione substantiae eorum pro animarum salute ecclesiis et ministris dei relinquuntur, debitum effectum et executionem sortiantur. Cum itaque, prout ex informatione venerabilis Capituli nostri Culmensis, fratrum nostrorum charissimorum, accepimus, Admodum Reverendus olim Valerianus Radzynski, I. V. D. Prothonotarius apostolicus, Archipresbiter et parochus Golubensis, pro fundando Archidiaconatu Pomesaniensi in ecclesia nostra cathedrali Culmensi ad laudem et gloriam dei et animarum refrigerium Quinque Millia florenorum polonicalium ad manus eiusdem venerabilis Capituli consignasset, eamque summam illud idem venerabile Capitulum Culmense in supplementum exemptionis villae Gutowo de manibus antiquorum vasallorum conversam cum censu annuo reemptionali Trecentorum florenorum polonicalium in bonis suis capitularibus districtus Cauernicensis coram Officio consistoriali Culmensi die prima mensis Julii anno domini Millesimo Sexcentesimo Quinquagesimo Quarto inscripsisset; postmodum, dicta archidiaconi erectione effectum non sortita, is idem fundator eandem summam cum censu pro dotando altari seu praebenda in eadem ecclesia nostra cathedrali testamentaria dispositione convertendam voluit, cum ea declaratione, quod praebendarius

seu altarista ad eam fundationem ad praesentationem venerabilis Capituli Culmensis (cui directe iuspatronatus dicti beneficii seu altaris eodem testamento inscripsit et destinavit), instituendus ad infrascriptas obligationes omnino teneatur. Proinde nos pro debito nostro piam eiusmodi intentionem amplectendo dictam fundationem, instante etiam suppliciter venerabili Capitulo nostro uti testamenti memorati executoribus, Christi nomine invocato in praebendam et perpetuum beneficium ecclesiasticum omnibus melioribus modo, via, iure et iurisforma, intervenientibus quibuscunque solemnitatibus de iure et consuetudine necessariis, authoritate nostra ordinaria erigimus et constituimus, illudque altari Transfigurationis Domini in praefata ecclesia nostra cathedrali in choro maiori in parte australi ad mediam columnam sito (ante quod dicti fundatoris corpus humatum quiescit), nullam hactenus, de qua certo constet, fundationem habenti, perpetuo applicamus et adscribimus, eique loco dotis censum Trecentorum florenorum polonicalium, qui singulis annis a summa praefata quinque millium florenorum provenit, adiungimus et incorporamus; ita videlicet ut altarista pro tempore existens singulis annis pro festo Nativitatis sancti Joannis Baptistae iuxta nexum inscriptionis venerabilis Capituli ex censu praedicto pro sua sustentatione ducentos quadraginta florenos et pro conservatione sarti tectique aedificii seu habitationis suae viginti florenos percipiat, reliquum vero, nempe quadraginta floreni pro usibus et necessitatibus dicti altaris arbitrio eiusdem venerabilis Capituli convertantur. Ratione vero provisionis suae dictus altarista iuxta voluntatem et dispositionem fundatoris ad tres missas singulis septimanis, unam videlicet pro anima fundatoris, alteram pro Martino et Anna eius parentibus, tertiam pro fratribus, sororibus, propinquis et benefactoribus, cum oratione „Deus, veniae largitor etc.," diebus vero festo aliquo celebri impeditis de eodem festo ad praemissam (et non alias) intentionem legendas sit obligatus, necnon in processionibus et aliis devotionibus in festis et dominicis aeque cum aliis vicariis et sacerdotibus cathedralibus superpelliceatus adesse teneatur, quem etiam nos ad praemissa in conscientia obligatum esse volumus et decernimus. Insimul donationem et inscriptionem iurispatronatus venerabili Capitulo nostro Culmensi super praebenda seu altare eiusmodi per fundatorem factam eadem authoritate approbamus et confirmamus, ita ut quotiescunque illud vacare contigerit, sacerdotem idoneum nobis intra tempus a iure praescriptum praesentandi habeant potestatem; Juribus nostris episcopalibus salvis. In quorum fidem praesentes manu nostra subscriptas sigillo nostro consignari fecimus. Datum Culmsae die XXVI. mensis Maii Anno domini Millesimo Sexcentesimo Sexagimo Octavo.

And. Olszowski Epus Culmensis et Pomesaniae, Vicecancellarius Regni Poloniae.

*Original auf Pergament mit dem Siegel des Bischofs an grüner seidener Schnur im Culmer Diöc.-Archiv. Abschrift bei Mauritius nr. 134.*

## 1187.

***1670. Juli 5. Warschau.*** *Michael, König von Polen, erneuert dem Kurfürsten Friedrich Wilhelm von Brandenburg das Lehnsrecht über Lauenburg und Bütow.* Datum per manus reverendi in Christo patris domini Andreae Olszowski, Episcopi Culmensis et Pomesaniae, Vicecancellarii Regni. Varsaviae die quinta mensis Julii a. d. MDCLXX. Regni vero nostri Anno I. praesentibus . . . Andrea Olszowski Culmensi et Pomesaniae episcopo, Vicecancellario Regni . . . . Joanne Gninski Culmensi palatino . . . . Joanne Wolowski Varmiensi et Culmensi Canonico Secretario.

*Dogiel, Cod. dipl. Polon. IV 504 nr. 341.*

## 1188.

***1673. December 13. Warschau.*** *Andreas Olszowski, Episcopus Culmensis, Procancellarius, empfiehlt dem Cardinal Altieri den von dem verstorbenen Könige und dem Senat Polens zu den Verhandlungen mit den Neapolitanern beauftragten römischen Prälaten Jacobus Lombardus.* Varsaviae 13 Decembris 1673.

*Aus den Litt. Episcoporum Vol. 56 fol. 259 bei Theiner III 623 nr. 635.*

## 1189.

***1674. Juni 20. Warschau.*** *Johannes III., König von Polen, zeigt dem Papste Clemens X. die Nomination des Culmer Bischofs Andreas Olszowski zum Erzbischof von Gnesen an und bittet um dessen Bestätigung.*

S^mo^ et B^mo^ in Christo Patri D. D. Clementi div. prov. Papae X. etc.

Sanctissime etc. Inter primas regni curas haec me potissimum incessit, ut, dum metropolitanam et primitialem Gnesnensem Cathedram orbatam archipraesule invenio, in sortem tanti ministerii parem muneri et tantae molis capacem sufficiam antistitem. Anxiam hanc deliberationem meam facile absolvit eximia et praestans virtus spectataque per omnem vitae cursum innocentia et integritas Rndi in Christo patris domini Andreae Olszowski episcopi Culmensis et Pomesaniae, Procancellarii Poloniae, quem in statera regni iudicii expendens dignum existimo, ut eminentiorem ecclesiae et reipublicae occupet locum utque vita functo Reverendissimo olim in Christo patre Casimiro Czartoryski archiepiscopo Gnesnensi eundem designem successorem. Non orbi duntaxat Polono sed toti Christiano merita praelati omni commendatione maioris innotuere. A tribus prope lustris praedecessor meus divae memoriae Joannes Casimirus illum ad Culmensem episcopatum nominatione sua provexerat, quem furore Suetico vastum et in solitudinem redactum sumptuose restauravit, altaria et ecclesias profanatas cultui ac nitori pristino restituit, omninoque illius industria omnium iudicio temporis illius acerbitati medelam providit ac solatium. Sigillum regni, amplissimum magistratum, a divo praedecessore meo consignatum, integro iam octennio, moribus integer, modestia compositus, ingenio florentissimus, ita gerit tractatque, ut in praeteritum nihil habeat excusandum, omnia

summe collaudanda. Haeresim, quae episcopatus illius praecipuam civitatem Torunium pridem infecit, adeo perdomuit, ut Basilicam S. Jacobi illius loci praecipuam et fama claram singulari cura industria magnanimitate sua catholicis assereret, processionis in festo S^mi Corporis Christi solemnem pompam, per civitatis Lutheranismo imbutae circulos terrore prohibitam, ipsemet ingenti animo praesens introduxit, ecclesiam insignem Lichtofeldensem, centum ultra et viginti annos potentia praevalidae illis oris haereticae nobilitatis insessam, romanis sacris vindicavit, Torunii, Graudenti, Mariaeburgi totaque provincia seu dioecesi Pomesaniensi audaciam et insolentiam pravorum ministrorum compescuit, periclitanti reipublicae, quoties maximo zelo, quam prudenti et maturo consilio cum summa animi moderatione prospexerit, quanta dignitate et commodo publicas legationes obierit, prolixum esset memorare. Neque vero haec promerita S. V. censeo ignota, cum quidquid in orbe Christiano agitetur, ad S. V. tanquam ad suum collimet centrum. Humillime proinde a S. V. postulo, nominationem meam, quam Ordinum Regni consensus, etiam priusquam regalis corona caput meum exornet, approbavit, ratam gratamque habere velit, ac praelatum de ecclesia et republica optime meritum ad hoc primarium provehere dignetur fastigium. Cum vero ecclesiae Gnesnensis patrimonium, nimium quam sit pessundatum, seu temporum iniquitate seu militari insolentia reditusque decreverint, maiorem in modo rogo S. V., ut ad mediocrem sacra diplomata taxam reduci clementer imperet. Porro gratiae et benignitati S. V. accedat auctuarium, si expeditio maturabitur, et quam primum nominato meo transmittetur: hoc enim tempus vel maxime desiderat, primatialem dignitatem in tam ancipiti et periculoso regni statu non diu orbam relinqui. Nec dubito mea postulata paterna excepturam facilitate Sanctitatem V. Agnoscat S. V. meum nominatum pro tanta beneficentia aeternum obnoxium, verum et ego pectori meo inscribam testatam S. V. erga me benignitatem. Coeterum longaevum ac felicissimum rei Christianae augurando S. V. imperium apostolicum, eiusdem benedictionem mihi populisque meis de genu imploro. Datum Varsaviae die 20 mensis Junii Anno Domini 1674.

Eiusdem Sanctitatis Vestrae Obedientissimus filius
Joannes Rex Poloniae.

*Aus den Litt. Princip. Vol. 104 fol. 106 bei Theiner, Mon.-Pol. III 629 nr. 644.*

## 1190.

***1676. Januar 24. Culmsee.*** *Die in dem Collegium zur Verbreitung des Glaubens in Rom gebildeten Weltgeistlichen in Preussen beabsichtigen die Gründung eines Missionshauses für Preussen.*

Matthias Bystram, dei gratia episcopus Argivensis etc. Administrator. Universis et singulis, quorum interest, notum testatumque facimus, comparuisse coram nobis officioque nostro administratoriali personaliter Adm. Rndum Andream Więckowic, archipresbyterum et praepositum Graudentinum, alumnum Collegii Urbani de propaganda fide, et infra-

scriptum instrumentum coniunctionis inter alumnos S. Sedis apostolicae, sacerdotes saeculares pruthenos, pro fide sancta catholica, cum inscriptione duorum millium florenorum polonicalium ad effectum missionis in hac provincia per alumnos s. Sedis perficiendae in parata copia obtulisse, petiitque, ut illud ad Acta Officii nostri pro futura rei memoria suscipi sibique in forma solita authentica extradi mandaremus. Cuius quidem instrumenti talis, qui sequitur, tenor:

Agnoscimus, qualiter per dei omnipotentis gratiam ad vineam Christi sanguine fundatam vocati, eam excolere ad maiorem redemptoris nostri gloriam, ecclesiae militantis decorem atque orthodoxae fidei catholicae Romanae dilationem, iuxta brevia et rescripta apostolica conservandam et propagandam simus obstricti. Haec nos pro voto et professione nostra humillime amplectendo, ne videamur gratiarum et sumptuum s. sedis apostolicae immemores, quibus non solum nos educatos sed etiam in hunc finem liberaliter institutos esse non diffitemur, necessum est, ut non superficietenus institutis et votis nostris, verum realiter et sincere iuxta praescriptum sedis apostolicae in missionibus satisfaciamus et iuramenta nostra adimpleamus. Cum autem ecclesiasticis negotiis curisque animarum, assumptis parochiis, implicemur, quae sunt vocationis et instituti nostri, utiliter agere, et prout par est, exequi non valeamus, idcirco nos omnes in universum Alumni s. sedis apostolicae, sacerdotes saeculares tam in regali quam in ducali Prussia existentes, declaramus et obligamus, quotannis, quousque vixerimus, de facultatibus nostris, quas ope divina possidemus, pro Missionariis de gremio alumnorum tantum sedis apostolicae per s. Congregationem de propaganda fide institutis in partibus nostris utriusque Prussiae aliisque dominiis et regnis septentrionalibus, pro viribus nostris certam pensionem collaturos, de bonis vero possessis et possidendis, tam mobilibus quam immobilibus, omnique supellectili domestica et rebus morte derelictis quartam partem bonorum pro necessitate eorundem Alumnorum Missionariorum iuxta dispositionem S. Congregationis de propaganda fide ad manus reverendissimi praefecti nostri consignaturos. Si quidem ordinamur ad salutem animarum in haereticis procurandam, conversationem nostram et vitam ad praescriptum ss. canonum dirigere petimus, ad quem eundem finem, invocato Numine divino et implorato S. Adalberti missionarii et patroni Prussiae patrocinio, Collegium sub titulo eiusdem S. Adalberti Episcopi et Martyris in hac eadem provincia inter Alumnos S. Sedis apostolicae sacerdotes tantum saeculares per S. Congregationem de propaganda fide erigi, illudque constitutionibus sanctis statui nostro competentibus muniri et fulciri, Illustrissimum ac Reverendissimum Dominum Episcopum Culmensem pro tempore existentem vel eius Vicarium eidem Collegio Missionariis et Alumnis in utraque Prussia et aliis regnis septentrionalibus praefici humillime supplicamus. Quam declarationem et obligationem nostram, approbante et ratificante s. sede apostolica et acceptante eam S. Congregatione de propagenda fide, in divina benedictione adimpleturos nos pollicemur. Ad quod quidem Collegium inter alumnos erigendum atque missionem

in utraque Prussia per alumnos s. sedis exequendam dictus comparens Adm. Rndus Andreas Więchowic, debita reverentia erga s. Congregationem de propaganda fide in vim recepti in alma Urbe beneficii motus, singularique zelo propagandae fidei orthodoxae et salutis animarum in haereticis procurandae accensus, in bonis paternis summam duorum millium florenorum polonicalium Collegio S. Adalberti inter Alumnos instituendo inscribit, in personam Perillustris et Reverendissimi Domini, domini Matthiae Bystram, dei et s. sedis apostolicae gratia Episcopi Argivensis, sede vacante episcopatus Culmensis administratoris moderni, resignat, in maiorem assecurationem summae inscriptae domum paternam lapideam cum pratis et suis attinentiis in civitate Graudentinensi dioecesis Culmensis eidem Collegio per modum hypothecae obligat. Insuper idem Comparens ulteriori devotione in Alumnos ductus, Collegio praefato S. Adalberti supellectilem propriam, tam sacram, quam domesticam, libros omniaque habita et habenda, possessa et possidenda, acquisita et in posterum acquirenda, mobilia et immobilia applicat, dat et irrevocabiliter donat hac sua personali comparitione et propriae manus subscriptione cum appensitione sigilli.

Quia igitur suprascripta coniunctio inter Alumnos s. sedis apostolicae pro orthodoxa fide catholica Romana, pro salute animarum in obsequium provinciae et afflictae christianitatis inter haereticos degentis, atque etiam pro gloria et maiori merito Alumnorum cedere debet, nec repugnat ss. Canonibus s. matris ecclesiae: Proinde ad instantiam praedicti Adm. R. Andreae Więckowic, archipresbyteri et praepositi Graudentini illam ipsam Actis Officii nostri inductam, in forma hac authentica extradi sigilloque nostro communiri mandavimus. Culmsae, solito nostrae circa ecclesiam cathedralem residentiae loco die XXIV mensis Januarii Anno Domini MDCLXXVI.

Loc. Sig. Officii. Loc. Sig. Adm. Rndi. Praepositi. Loc. subscriptionis manus.

*Abschrift im bischöflichen Archiv zu Pelplin, im Foliant: Acta administratorialia Illmi. Matthiae Bystram ab anno 1664 ad 1677.*

## 1191.

***1676. April 10. Krakau.*** *Johannes III., König von Polen, erlaubt den Benedictiner-Nonnen in Thorn für ihren und ihres Klosters Bedarf Bier zu brauen.*

Joannes Tertius, dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae, Kiioviae, Volhyniae, Podoliae, Podlachiae, Divoniae, Smolensciae, Severiae, Czerniechoviaeque, significamus praesentibus literis nostris, quorum interest universis et singulis. Inter ceteras regii pectoris nostri praecipuas curas principalem eum esse ac potissimum zelum et conatum nostrum, ex innata erga cultum divinum pietate nostra ducimus, ut incrementis bonorum ecclesiasticorum omni ratione patrocinari studeamus. Quare et ad praesens ad humillimam petitionem per certos consiliarios nostros lateri nostro assidentes, religiosarum ac deodicatarum Abbatissiae et totius conventus Thorunensis

ordinis sancti Benedicti ad ecclesiam sancti Jacobi virginum monialium, ut eisdem braxationem cerevisiae concederemus, apud nos nomine factam, facile in id animum nostrum inclinavimus, braxationem et propinationem cerevisiae concedendum esse eisdem duximus, prout insistendo juribus, privilegiis ac decretis eorum eo nomine intercessis et habitis, tum usui et consuetudini antiquae earum in hucusque observatae, necnon constitutioni anni 1669 respectu bonorum ecclesiasticorum sancitae concedimus, jure irrevocabili tituloque largimur et donamus. Ita ut praefatam cerevisiam in suis, videlicet Wimnica Złotagora tum sancti Spiritus sic dictis, et aliis fundis tam intra quam extra civitatem Thorunensem existentibus pro sua suique conventus et incolarum suorum in praefatis fundis manentium, tum debiliuin ac imbecillium personarum in coenobio existentium necessitate braxent, in usum et potationem dictorum tantummodo sub jurisdictione earum, non aliis quibusvis existentibus incolarum suorum in quovis civitatis Thorunensis praeiudicio distribuant et vendant, frumentorum in domibus suis seu brasiatoriis officinis braseationem pro necessitate sui conventus et dictorum incolarum faciant et peragant citra compromissum jurisdictionum aliarum praepeditionem. In cuius rei fidem praesentes manu nostra subscriptas sigillo regni nostri communiri iussimus. Datum Cracoviae die X^ma^ mensis Aprilis Anno Domini MDCLXXVI, regni nostri II^do^ Anno.

Joannes Rex.

*Original auf Pergament mit dem grossen königlichen Siegel in einer Blechkapsel an blauem seidenen Bande im Archive der S. Jacobskirche zu Thorn.*

## 1192.

***1677. Januar 1. Marienburg.*** *Johannes Malachowski, Bischof von Culm und Pomesanien, vergleicht sich mit den Bewohnern der beiden Marienburger Werder über die den Geistlichen zu entrichtenden Abgaben.*

Bernardus Sasin, decanus cathedralis Culmensis, archipresbyter Firstenverdensis, Joannes Wołowski canonicus Varmiensis, praepositus Brodnicensis, S. R. M^tis^ secretarius, ab Ill^mo^ et R^mo^ domino, domino Joanne Małachowski, dei et apostolicae sedis gratia Episcopo Culmensi et Pomesaniae, Abbatiae Mogilnensis administratore perpetuo, ad infrascripta peragenda commissarii deputati. Posteaquam commissionis literas ad instantiam et supplicationem incolarum utriusque Insulae Mariaeburgensis et iurisdictionem pro tunc arcis Mariaeburgensis immediate spectantium a praelibato Ill^mo^ et R^mo^ domino, domino Episcopo Culmensi et Pomesaniae ex occasione certarum differentiarum inter eosdem incolas et clerum utriusque insulae praedictae Mariaeburgensis intercedentium obtentas accepimus: praemissis secundum tenorem eiusdem commissionis innotescentiarum literis, ad intelligendas examinandasque partium praetensiones in termino ad hodiernum diem praefixo et incidente descendimus, atque in praesentia magnificorum dominorum Henrici

de Bolieu, colonelli S. R. M$^{tis}$ et Oeconomiae Mariaeburgensis administratoris, et Adriani Kitnowski viceoeconomi, partibus, nempe insulanis per iuratos et clero, coram nobis comparentibus inhaerendoque tenori praelibatae commissionis, iurisdictionem nostram commissorialem fundavimus eamque per ministerialem Regni generalem, providum Georgium Lisowski, publicandam demandavimus. Qua publicata suam fecit relationem. Qua iurisdictione fundata, pars agens, nimirum insulani, per iuratos seu vulgo Teichgraefios, vitricos ecclesiarum aliosque villanorum deputatos suos ratione decimarum, sacramentalium, baptismalium, funebralium, calendarum nec non aliarum obventionum seu accidentium parochialium et ludirectorum aggravationes scripto exposuerunt, seque nimirum ultra antiquam consuetudinem et usum per clerum in praemissis gravari conquesti sunt. Quibus in specie in cleri praesentia enumeratis, clerus itidem ex tota fere insula congregatus per Illustrem et Adm. Rndum dominum Joannem Niczkowski, archipresbyterum Mariaeburgensem, officialem Pomesaniae, ad puncta aggravationum praetensarum scripto et verbo replicans, multis circa talia ultro citroque hinc inde habitis collationibus, disceptationibus rationumque reciprocationibus, tandem in consensum amicabilemque concordiam, partibus inductis desuperque annuentibus, literis commissionis praelibatae inhaerendo, in eum, qui sequitur, modum praeteractas differentias complanavimus.

Atque in primis. Ratione decimarum nullum sit dubium, nec ipsi insulani ullo contradictionis modo, quominus illas extrudant, detrectare possint, cum expressa eorum privilegia doceant. Ideo sine ulla contradictione, immo benevole et spontanee easdem dare, prout hactenus fecerunt, sese submittunt. Ita tamen, ut secundum decretum Oeconomicum anni 1609 Sabbatho ante dominicam secundam post Epiphaniam latum parocho debitae decimae ad cuiusque villae scultetum a parochianis colonis villae intra duas septimanas a festo S. Martini devehantur, eademque in qualitate bona et pura, prout benedictio divina concesserit, quantitate vero iuxta mensuram Mariaeburgensem, parocho loci coniunctim devectae per scultetum aut vitricos extradantur.

2. Quod attinet matrimoniales copulationes, pro iisdem copulandi coloni omnes eorumque proles cognati, fundos seu mansos emethonales possidentes, etiam loco carnis et cerevisiae ex antiquo parocho dari solitae, solvere tenebuntur, obtenta nihilominus prius schedula iuris parochialis persoluti a parocho seu eius vicario, florenos polonicales duos monetae in insula currentis; pauperes vero grossos viginti.[1])

3. A baptismi administratione coloni, prout supra, omnes, obtenta itidem soliti iuris parochialis schedula, solvent parocho florenum unum et grossos quindecim, (pauperes vero grossos XV).[2]) Viceversa domini parochi tales schedulas per se seu aliquam honestam personam requirentibus ad primam instantiam sine ulla tergiversatione et mora, non obstantibus aliquibus simulationibus inimicitiisque inter parochum et requirentem, sese

---

[1]) *Hartwich:* 15 Groschen. [2]) *Zusatz bei Hartwich.*

daturos promittunt. In absentia vero parochi seu ipsius vicarii sufficiet, si requirens vitricum ecclesiae adeat, ipsique iura parochialia reddat.

4. Si funus efferatur ubique locorum tumulandum, praevia concione per lutheranum praedicantem, percipiet parochus incluso tumulationis loco florenos duos; si vero sine concione, florenum unum. Conservantur autem circa consuetudinem, ut possit ludirector lutheranus ingredi cum schola coemeterium, modo praedicans non ingrediatur. Vitricis vero ecclesiae solis gratuita sine pretio sepultura conceditur. A singulis vero pulsibus campanarum solventur grossi decem, per vitricos ad necessitates ecclesiarum in carbona ecclesiae conservandi.

5. Calendas ad Natalia Domini statuto tempore quovis anno secundum antiquas consuetudines submittunt se insulani in qualitate bona et quantitate daturos, nempe parocho medium[1]) caput porci saginati, farcimen unum, pedem suinum, patinam pisorum, unam halbam salis, panem domesticum, quindecim candelas; ludirectori vero medium caput, farcimen, pisa, mediam halbam salis et octo candelas. Pro Paschate vulgo Witteltag parocho ova quindecim et panem domesticum; ludirectori vero octo ova et panem unum.

6. Insuper pro sustentatione ludirectorum submittunt se tam maiores quam minores insulani quolibet anno circa extraditionem decimarum a qualibet domo colonali quartam partem modii siliginis alias Wiertel siliginis, necnon quolibet quartali anni a singulis colonalibus domibus grossos duos, ab hortulanis singulis hortulanias haereditarias habentibus grossos tres[2]), ab hortulanis conductiliis grossum unum et medium[3]), ab inquilinis grossum unum, ad manus vitricorum conferre per eosdem vitricos ludirectoribus solvendos, qui ludirectores iuxta suum officium diligentiores erunt ad signum campanae dandum mane meridie vespere pro solitis orationibus.

7. Reliquis antiquis iuribus et consuetudinibus tam ratione aedificiorum ecclesiae, sepimentorum coemeterii quam aedificiorum parochialium, scholae et aliorum ad parochiam pertinentium manutentionis, et in casu necessitatis aedificationis aliorumque quorumvis usuum et observationum, prout hactenus servatum fuit, salvis et integris manentibus.

Quam conventionem seu transactionem ex mutuo partium consensu factam et unitam subscriptionibusque manuum tam nostrarum quam supramemoratorum magnificorum Administratoris et Viceoeconomi necnon iuratorum insulanorum firmatam, ut perpetuum robur obtineat, pro confirmatione et ratihabitione ad Illustrissimum et R̄mum dominum dominum Episcopum Culmensem et Pomesaniae praelibatum remittendam esse duximus, prout quidem debita cum observantia remittimus. Actum et datum in arce regia Mariaeburgensi Anno Domini MDCLXXVII. die prima mensis Januarii.

*Nach einer Abschrift im bischöflichen Archiv zu Pelplin in Sedlags Manuscr. p. 487. Eine deutsche Ausfertigung bei Abr. Hartwich, Geographisch-Historische Landes-Beschreibung derer dreyen im Pohlnischen Preussen liegenden Werdern. Kgsbg. 1722. 4. S. 91 und daraus in E. A. Dormann, Geschichte des Kreises Marienburg. Danzig 1862. 8. S. 104. — B. Malachowski bestätigte den Vergleich am 7. Januar 1677.*

---

1) *Hartwich:* einen truckenen Schweins-Kopff. 2) *H.:* 1½ Groschen. 3) *H.:* 1 Groschen. ab inquil. gr. unum *fehlt bei H.*

## 1193.

***1680. April 15. Löbau.*** *Johannes Malachowski, Bischof von Culm, übergiebt die Leitung des zu Culm errichteten Priesterseminars den Priestern der Congregation der Missionäre.*

In nomine domini Amen. Ad perpetuam rei memoriam. Joannes de Małachowice Małachowski, dei et apostolicae sedis gratia Episcopus Culmensis et Pomesaniae, Abbas Mogilnensis, universis et singulis, quorum interest, tenore praesentium significamus: Quod cum Sacra et Serenissima Reginalis Maiestas, domina domina clementissima Ludovica Maria, dei gratia regina Poloniae et Sveciae, gloriae summi dei propagandae avida, ac christianam zelans perfectionem, commoditati ecclesiarum et saluti fidelium pro innato pietatis ardore prospiciens, ut, quibus in terris regalis praeeminentia sceptro et fulgore praeesset et praeluceret, eosdem ad sedes supernas coelitum de deserto et solitudine properantes vacuos non dimitteret, sed cura et sollicitudine materna in longinquas regiones et patriam designatam itinerantes viatico sufficienti et opportuno bene instrueret: Reverendos sacerdotes Congregationis Missionariorum ex christianissimis Galliarum partibus in amplissimum regnum nostrum Poloniae orbemque Sarmaticum ac primum in civitatem Varshaviensem, uti residentiae regiae primarium pro tunc domicilium procerumque et nobilitatis regni ac variarum nationum ac populi declinatorium, cura, sumptibus et munificentia sua regia transtulit. Ut cum eorum officii et instituti sit, plebem christianis doctrinis imbuere, in villarum oppidorumque humiliorum orchestris sacras conciones facere, confessiones generales totius anteactae vitae suadere et excipere, in omni pietate cultu ac veneratione divina instruere, ad sacram synaxim inducere, lites et iurgia componere, ad opera christiana et charitatis in pauperum levamen attrahere, sacris ordinibus initiandos disponere, dubia et casus poenitentium resolvere, aliaque omnia in bonum animarum conscientia et spiritu recollectionum suaviter exercere, in eo maxime loco operam, sedulitatem, diligentiam officiumque ac munus suum exercent, ut in vinea Christi proficuos operarios exhiberent; uti iam multos per annos in praefato loco et dioecesi cum summo ecclesiae dei commodo, cleri exemplo et instructione, animarum salute et ope exhibent, speique serenissimae fundatoris suae continuis iisque exactissimis laborum suorum correspondent effectibus, digni profecto, quos regis ad exemplum sese componens orbis Polonus ad maiorem cultus divini propagationem in multis aliis per regnum locis plantet ac foveat. Quare et nos ipsi laudabile hoc Serenissimae Reginalis Maiestatis exemplum secuti, immo SS. Concilii decretis necnon bullis s. sedis apostolicae nobis specialiter super eo inscriptis permoti et inhaerentes, inter multiplices officii pastoralis curas illam potissimum amplexi sumus, per quam prospero et salubri ecclesiarum nostrarum statui opportune consulamus, ut felicioribus tam spiritualium quam temporalium rerum successibus congruum in domino suscipiant incrementum. Dum igitur domum domini, non solum corruptis huius saeculi moribus, verum etiam a saevis haereseos turbinibus impetitam, omni pietate ac eruditione instructorum sacerdotum et pastorum opera reficere et firmitate sua restituere procuramus:

Seminarium clericorum in dioecesi et civitate nostra Culmensi, olim ab Ill^mo et R^mo domino Andrea comite de Leszno, Episcopo Culmensi et Pomesaniae erectum, ad maiorem dei omnipotentis gloriam, s. Romanae ecclesiae decorem et incrementum, Christi vero fidelium curae nostrae demandatorum salutem, primaevo decori restituimus, eiusque fundationem et dotationem a praefato Ill^mo et R^mo comite de Leszno praedecessore nostro factam in omnibus eius punctis et cum amplectionibus et clausulis infraexpressis authoritate nostra approbavimus, roboravimus atque confirmavimus.

Quia vero munus clericos seu Christi ministros in seminario instituendi maximi ponderis atque momenti est, quod ipsi sint spes gregis nostri et populi salus ab eorum recta institutione maxime pendeat; nos vero ob graves et multiplices etiam pro salute populi nobis commissi occupationes id munus per nos ipsos praestare non possumus: Ideo nihil nobis debet esse aequius, quam viros doctrina praestantes, pietate conspicuos et zelo gloriae dei ac salutis animarum incensos delegisse, quibus laboriosam hanc provinciam demandavimus, ut iidem Admodum Reverendi Sacerdotes Congregationis Missionis, qui se huic muneri obeundo aptos atque idoneos in permultis Galliarum et Italiae civitatibus, praecipue vero Luteciae Parisiorum, tum in urbe Roma, immo in Polonia nostra, Varsaviae, tum etiam hic Culmae, comprobarunt, clericos doctrina et virtutibus ecclesiasticis diligentissime imbuendi, verbi divini praedicandi, doctrinam christianam docendi, sacramenta ministrandi, Dei laudes decantandi, s. caeremonias in officiis divinis observandi, modum atque methodum tradendi, ad omnes denique functiones ecclesiasticas instruendi, non sine magno ecclesiae commodo, quae innumeros prope sacerdotes pios, vigilantes parochos, praelatos doctrina et omni genere virtutum insignes, eorum disciplina formatos accepit. Praetereaque dicti sacerdotes Congregationis Missionis ex peculiari instituto pagos et oppida Christi domini et apostolorum more circumeunt, ibidemque aliquamdiu consistentes evangelizant pauperibus, oves errantes et ab omnibus derelictas quaerunt, verbum dei non in persuasilibus humanae sapientiae verbis sed in ostensione spiritus et virtutis praedicant, ad peccatorum omnium superioris vitae generalem confessionem faciendam studiose cohortantur, assidue confessiones audiunt, dispositiones ad dignam Eucharistiae susceptionem requisitas docent, eiusque frequentem usum commendant, rudiores homines et pueros doctrina christiana instituunt, pravos populi mores et abusus e medio tollunt, confraternitatem seu sodalitatem charitatis ad pauperum et egenorum inopiam sublevandam in iis, ubi opus est, locis authoritate nostra erigunt, disponunt populum, ut cum fructu a nobis visitetur, collationes pias de virtutibus et theologicas de conscientiae casibus et rebus ad regimen animarum spectantibus cum viris ecclesiasticis nostra authoritate congregatis habent et dirigunt, ad exercitia spiritualia octo vel decem dierum ecclesiasticos et laicos in aedes suas admittunt, aliaque huiusmodi munia obeunt, unde fructus uberrimi in ecclesiam derivantur. Nos huiusmodi operarios in vineam, quam Christus dominus miseratione sua nostrae solicitudini commisit, mittere cupientes, praedictos venerabiles

Sacerdotes Congregationis Missionis vocavimus, accersivimus, celebratoque super eo Culmzae anno domini Millesimo Sexcentesimo Septuagesimo Sexto die decima septima mensis Novembris in loco consueto ecclesiae cathedralis cum venerabili Capitulo praehabitoque eiusdem consensu, praefatos venerabiles Sacerdotes Congregationis Missionis in perpetuos dicti nostri Seminarii in urbe nostra Culmen erecti directores, tam in spiritualibus quam in temporalibus, in domino elegimus et constituimus. Qui quidem tribus sacerdotibus vel duobus et uno clerico cum fratribus pariter duobus non esse pauciores tenentur.

Praeterea eisdem capellam seu ecclesiam in dicto seminario erigendi ibidemque divina officia publice celebrandi, missiones quoque per utramque nostram dioecesim Culmensem et Pomesaniae tempore et loco, quibus eas expedire nobis visum fuerit, aliaque munia sui instituti obeundi, iuxta privilegia a s. sede apostolica Congregationi Missionis concessa, facultatem et potestatem concessimus et impertiti sumus; ita tamen ut in dicta seminarii directione omnibusque functionibus ad proximi salutem procurandam spectantibus nobis successoribusque nostris episcopis subiiciantur, solique nostrae iurisdictioni reserventur. In caeteris vero omnibus a superioribus suis, maxime vero a Superiore generali pro tempore existente, iuxta dictae Congregationis regulas et constitutiones dependeant. Cum autem aequum sit et rectae rationi consentaneum, ut necessaria omnia ad habitationem, victum et vestitum Christi operariis provideantur, necnon ad expensas, quae in substituendis novis missionariis in locum demortuorum fiunt: Nos domum lapideam haeredum spectabilium Valterow dictam, a nobis emptam, areasque adiacentes etiam a nobis emptas, et antiquam seminarii domum lapideam, a spectabili Paulo Pilchowicz, olim eiusdem civitatis nostrae Culmen consule, eiusque legitima uxore coram Actis civilibus Culmen pro seminario instituendo cum adiacente area datam, dictis Sacerdotibus Congregationis Missionis cum omni proprietate iure et dominio ad eorum necnon alumnorum seminarii perpetuam habitationem concessimus atque applicavimus, praedictasque domos cum areis suis a civili iurisdictione et quibusvis oneribus liberas, exemptas et immunes esse volumus et in perpetuum statuimus. Ad congruam vero dictorum seminarii nostri directorum sustentationem villam Dziemiany dictam cum omnibus fructibus, utilitatibus, proventibus et cum incisione lignorum praedictae villae et seminarii necessitate in sylva nostra Grzegorz, necnon insulam Niedźwiedź cum traiectu et omnibus ibidem utilitatibus fructibus et proventibus ad mensam episcopalem olim pertinentes, et ab Ill$^{mo}$ domino Andrea comite de Leszno, praedecessore nostro, seminario datas atque unitas, iisdem seminarii directoribus utendas et cum omni iure dominio et proprietate fruendas dedimus, donavimus et concessimus. Insuper ecclesiae seu praepositurae Fiphoviensis alias Fischoviensis in dioecesi nostra Pomesaniensi sitae olimque eidem seminario unitae, necnon praepositurae B. Mariae Virginis dolorosae, Culmae intra ecclesiam archipresbyteralem sitae et a nobis dicto seminario unitae atque annexae, redditus, proventus atque obventiones omnes, relictis sufficientibus alimentis salarioque sacerdoti ecclesiam Fiphoviensem alias Fischo-

viensem pro tempore curanti, et ea obligatione ac conditione, ut obligationibus in actu unionis dictae praeposituraе B. Mariae V. dolorosae expressis satisfaciant, praefatis directoribus seminarii applicavimus, dedimus et attribuimus. Quia vero in dicto seminario theologia docenda erit ecclesiasticos in eo commorantes, nos mediam partem census et reddituum omnium ad scholam Culmensem provenientium iisdem seminarii directoribus attribuimus atque in aeternum applicavimus et concessimus, ita ut media altera pars magistris et cantoribus visa nobis ad hoc sufficiens distribuatur. Ad alumnorum autem dicti seminarii nutritionem atque sustentationem summam capitalem Triginta sex Millium florenorum in originali fundatione Illustrissimi Andreae comitis de Leszno piae memoriae specificatam obstrinximus nos in possessionem et usumfructum dicti seminarii directoribus traditurос, instrumentis authenticis de his omnibus in rem praedicti seminarii transactionibus latioribus existentibus. Nunc tandem quoniam crebrae per utramque nostram dioecesim Culmensem et Pomesaniae missiones, sine speciali ad hoc fundatione a praefatis Admodum Reverendis dominis Congregationis Missionis sacerdotibus gratis absolvi solitae, maiores exigunt expensas; insuper tam spiritualium quam saecularium personarum in exercitiis spiritualibus per octo (ut iam supra dictum est) dies sustentatio, clericorumque continuo in doctrina et assuetudine circa S. Ordines congrue debiteque suscipiendos, casusque poenitentium resolvendos et administranda sacramenta aliaque munia sacerdotalia rite obeunda in eodem seminario degentium provisio et educatio (ex qua cum magno ecclesiarum commodo ecclesiis regendis adeo apta et prompta deputantur subjecta, ut gloriari in domino liceat, multas in brevi hoc tempore ecclesias bonis pastoribus in sacra illa seminarii palaestra exercitatis provisas et cumulatas esse) multis indigeat sumptibus: Ad augendos igitur praedicti seminarii directorumque eius proventus ecclesiam archipresbyteralem Culmensem seu praeposituram cum omnibus ad eam pertinentibus, uti domo praepositali, agris, pratis, pomariis, hortis et reliquis omnibus redditibus, proventibus, obventionibus et emolumentis, censibus quoque et campis, eidem seminario Culmensi et praefatis eiusdem reverendis directoribus Congregationis Missionis sacerdotibus, cum consensu venerabilis Capituli Culmensis cridaeque literis praemissis et exaratis, post liberam resignationem Adm. Reverendi domini Gorquin, eiusdem Congregationis Missionis sacerdotis, pro tunc directoris eiusdem seminarii Culmensis, de actu et data in eodem seorsive expressa et specificata, nunc et in perpetuum unimus, incorporamus et invisceramus praesentibus literis nostris; quo facto et clerici in seminario degentes caeremoniarum sacrarum exercitium commodius in eadem ecclesia peragere, et confluentes undique populi ad miraculosam B. Mariae V. dolorosae imaginem suam in devotionibus et omnibus spiritualibus desideriis satisfactionem habere possint, et praefata ecclesia inter principes dioecesis nostrae ecclesias numeranda proborum et diligentium decorem dei domus sacerdotum praefatorum cura et assistencia suum sortiatur splendorem. Maxime vero ut iidem Admodum Reverendi Congregationis Missionis Sacerdotes, uti viri pacifici, ab omni

discordiarum et litium (quae forte gubernante alio praefatam ecclesiam extraneo subiecto oriri inter se possent), semine et occasione eximantur et liberentur. Insuper iuspatronatus praesentandi praepositum et pastorem praefatae ecclesiae, occurrente vacatione, Reverendissimo patri Edmundo Jolli, praedictae Congregationis Missionis superiori generali, aliquem ex reverendis dominis eiusdem seminarii directoribus, decreto firmitatis perpetuae interposito, a generoso Paulo Wilzynski capitaneo Starogrodensi cedi et transfundi authoritate nostra ordinaria concessimus et permisimus, ac literas approbationis et confirmationis necessarias confici et extradi, aliaque, quae iuris sunt, fieri, statui et decerni iussimus. Quae omnia suprascripta venerabiles et Adm. Rev. sacerdotes Congregationis Missionis acceptarunt, eaque omnia, quae muneris bonorum pastorum sunt, circa praefatam ecclesiam praestare atque adimplere debebunt et tenebuntur. In quorum fidem praesentes manu propria subscriptas nostro et venerabilis Capituli Culmensis sigillo fecimus communiri. Datum Lubaviae die XV Aprilis Anno Domini Millesimo Sexcentesimo Octuagesimo.

Joannes Małachowski, Episcopus Culmen. et Pom. Vicecancellarius Regni mp.

*Original im bischöflichen Archiv zu Pelplin. Auf der Rückseite steht der Vermerk:* „Intracontentum Privilegium coram Judicio civili scabinali Culmensi die decima octava mensis Decembris anno domini Millesimo Sexcentesimo Nonagesimo Primo reproductum Actisque ejusdem Judicii debite insertum et ingrossatum esse testor. Joannes Georgius Weber, notarius iuratus et scabinus civilis civitatis Culmensis mppr.“

## 1194.

***1681. November 18. Rom.*** *Papst Innocenz XI. zeigt dem Erzbischof von Gnesen die Provision des Bischofs Johannes Kazimir Opalinski für das Bisthum Culm an.*

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri Archiepiscopo Gnesnensi, salutem etc. Ad cumulum etc. Hodie siquidem venerabilem fratrem nostrum Joannem Casimirum episcopum Culmensem, nuper Diocletian. a vinculo, quo ecclesiae Diocletian., cui tunc praeerat, tenebatur, de fratrum nostrorum consilio et apostolicae potestatis plenitudine absolventes, illum ad ecclesiam Culmensem tunc ex eo, quod nos nuper venerabilem fratrem nostrum Joannem Malakowski episcopum Cracoviensem, nuper Culmensem, a vinculo, quo dictae ecclesiae Culmensi, cui nuper praeerat, tenebatur, de consilio et potestatis plenitudine similibus absolventes, illum ad ecclesiam Cracoviensem pro tunc expresso modo vacantem, apostolica auctoritate transtuleramus, praeficiendo ipsum illi in episcopum et pastorem, per translationem huiusmodi pastoris solatio destitutam, de consilio et potestatis plenitudine paribus ad ecclesiam Culmensem apostolica auctoritate transtulimus, ipsumque illi in episcopum praefecimus et pastorem etc. Dat. Romae apud sanctam Mariam maiorem anno incarnationis dominicae Millesimo sexcentesimo octuagesimo primo, Decimo quarto Kal. Decembris, pontificatus nostri anno Sexto.

*Original auf Pergament mit der Bleibulle im Archiv des Domcapitels zu Pelplin. Daselbst auch die Bulle* „ad Populum civitatis et diocesis Culmensis“ *von demselben Datum. Das Juramentum im Original o. D. mit Bulle im Culmer Diöc.-Archiv. — A. a. O. findet sich auch die Originalbulle Innocenz XI an die Diöcese Posen über die Ernennung des Casimir Joannes zum Bischof von Diocletia und Coadjutor perpetuus et irrevocabilis des Bischofs Stephan von Posen.* Datum Rome apud sanctum Petrum anno inc. dom. MDC. septuagesimo nono Sexto Idus Januarii. Pont. n. Anno Quarto. *(1679 Januar 8). — Im Culmer Diöc.-Archiv finden sich im Original noch folgende Bullen des Papstes Innocenz XI. 1) Die Provisionsbulle für Casimir Johannes Opalinski vom Cistercienser-Orden, geboren von adeligen Eltern in der Diöcese Posen, 40 Jahre alt, seit 10 Jahren Priester, Professor der Theologie, zum Bischof von Diocletia. 2) Die über die Absolution von allen Censuren behufs Erlangung der Bischofswürde. 3) An den Erzbischof von Gnesen über die Ernennung des Electen Casimir Johannes von Diocletia zum Coadiutor des Bischofs Stephan von Posen mit dem Rechte der Nachfolge. 4) An den Erzbischof von Corinth und Bischof von Chelm, enthaltend den Auftrag, dem Electen Casimir Johannes von Diocletia das Juramentum abzunehmen. Alle diese Bullen tragen das Datum wie die erstgenannte, nämlich* Rome ap. S. Petrum An. MDCLXXIX. VI Idus Januarii. Pont. n. Anno IV.

## 1195.

***1682. März 13. Löbau.*** *Bischof Opalinski von Culm verleiht an seinen Zinseinnehmer Stanislaus Oczkowski sechs Hufen im Dorfe Omule (bei Prontnica) auf 40 Jahre.*

Casimirus Joannes de Bnin Opalenski, dei et apostolicae sedis gratia Episcopus Culmensis et Pomesaniae. Significamus praesentibus literis nostris universis et singulis, quorum interest, quia nos nobilis Stanislai Oczkowski, arcis nostrae Lubauiensis proventuum notarii, obsequiorum fidelium, quae Ill$^{mo}$ et R$^{mo}$ antecessori nostro per annos aliquot praestitit, nobisque hucusque indefesso studio exhibere et praestare non desistit, benignam habentes rationem faciendum nobis esse duximus, ut eidem ipsiusque consorti legitimae honoratae Dorotheae Thauszownie illorumque legitimis haeredibus et successoribus sex mansos agri in villa nostra Omule territorii Lubaviensis sitos, duos scilicet Bramowskie, alios duos Paszorowskie, quintum et sextum Mikolaykowskie nuncupatos, generoso quondam Alberto Kotecki ab Ill$^{mo}$ et R$^{mo}$ olim Jacobo Zadzik Episcopo Culmensi, praedecessore nostro, ad certos annos nunc iam elapsos et concessos conferremus et concederemus, prout quidem praesentibus nostris, accedente ad id venerabilis Capituli nostri Culmensis, fratrum nostrorum charissimorum, consensu, ad decursum Quadraginta annorum sese immediate subsequentium damus, conferimus atque concedimus, ita ut eosdem sex mansos cum omnibus et singulis usibus, fructibus, proventibus, redditibus, commodis, emolumentis attinentiisque et pertinentiis generaliter universis ab antiquo ad eosdem spectantibus, nullis penitus exceptis, teneant, habeant, possideant, iisque pleno et integro iure uti fruantur, etiam cum facultate alienandi aut vendendi, consensu nostro ad id expresso accedente. Ratione cuius gratiae a nobis taliter concessae memorati coniuges Oczkowscii eorumque legitimi haeredes et successores ad arcem nostram Lubaviensem singulis annis pro festo sancti Martini Episcopi census nomine quatuor florenos polonicales, quemlibet triginta grossis computando, sine ullo alio onere et obligatione pendere tenebuntur. Promittimus autem pro nobis et illustrissimis et reverendissimis successoribus nostris, non esse nos neque reverendissimos successores nostros dictos coniuges eorumque haeredes

et successores a possessione dictorum mansorum amoturos neminique potestatem amovendi daturos, sed eosdem in pacifica possessione ad decursum supramemoratorum quadraginta annorum plene et integre conservaturos. Juribus nostris ecclesiaeque nostrae salvis ibidem manentibus. In cuius rei fidem praesentibus manu nostra subscriptis sigillum nostrum et venerabilis Capituli nostri est subappensum. Datum in arce nostra Lubaviensi die decima tertia mensis Martii anno Millesimo Sexcentesimo Octuagesimo Secundo.

Episcopus Culmensis et Pomesaniae mpp.

*Original auf Pergament mit den Einschnitten für zwei Siegel, die fehlen, im Archiv des Domcapitels zu Pelplin.*

## 1196.

***1685. September 5. Culmsee.*** *Johannes Nyczkowski, Domherr von Culm und Bevollmächtigter des Culmer Bischofs C. J. von Bnin Opalinski, bestätigt die Ueberlassung der Kapelle zum hl. Geiste in Christburg an die Reformatenpatres vom Franciscanerorden.*

Coram Perillustri et Adm. Reverendo Domino, Domino Joanne Nyczkowski, canonico et surrogato officiali generali Culmensi, praeposito Mariaeburgensi, ad causam infrascriptam iudice specialiter delegato, cum assessoribus infrascriptis, die quinta mensis Septembris, anno domini Millesimo Sexcentesimo Octuagesimo Quinto. In causa et actione occasione fundationis religiosorum patrum Ordinis S. Francisci reformatorum circa capellam desolatam s. Spiritus olim in oppido Christburgum dicto dioecesis Pomesaniensis anno domini 1678 die 10 mensis Junii ex promotione Ill$^{mi}$ olim Ignatii Bąkowski, palatini Mariaeburgensis, Christburgensis capitanei, mediante instantia Adm. Rndi. olim Alberti Karwowski, decani protunc et praepositi Christburgensis, facultate et consensu Ill$^{mi}$ et R$^{mi}$ non ita pridem Joannis Małachowski, episcopi Culmensis et Pomesaniae, in congregatione capitulari conventus Dantiscani Stolcebergensis acceptatae, post revisionem loci et circumstantiarum per religiosos supradicti ordinis et Adm. R$^{ndos}$ patrem protunc provincialem Adm. R. Cyprianum Zebrouium, provinciae patrem et definitorem Adm. R. P. Marcellinum Bedleuinum, Coelestinum Zdroieuscium, Valentinum Krzepicium, provinciae itidem patres et definitores in termino et literis cridae ultra tempus debitum longe diutius publicatis, in diem hodiernam incidente, exspectatis ultra horam audientiae citatis, qui ius suum et interesse ad premissam fundationem impediendum, vel causas rationabiles et legitimas in contra allegandum et probandum se habere praetendunt, et neque per se nec suum quemvis plenipotentem comparentibus in contumaciam omnium et singulorum.

Perillustris et Adm. R. D. Iudex delegatus, qui supra, cum suis assessoribus, considerata religiosorum et AA. RR. patrum ordinis supradicti Reformatorum prioritate, Ill$^{mi}$ R$^{mi}$ D. Lociordinarii protunc, ex instantia Adm. R. in oppido Christburgensi praepositi et parochi facultate et consensu dictae fundationis loci et circumstantiarum, illius revisione

et acceptatione, accedente de post facto Adm. R. Michaelis Slomski, decani et parochi loci illius, tam personaliter quam et literali iterum iterumque dictorum religiosorum invitacione, et pro illis admittendis et ibidem collocandis supplici instantia, eoque attento, quod Ill$^{mus}$ R$^{mus}$ dominus D. Casimirus Joannes de Bnin Opałenski lociordinarius tam Culmensis quam et Pomesaniensis dioecesis modernus in visitatione sua personali generali in dioecesi Pomesaniensi laudabiliter et exemplariter peracta, considerando, quod praedictum oppidum Christburg in confinio et meditullio haereticorum situm ex ducali quoque Prussia plurimorum catholicorum longe lateque circumcirca dispersorum ad ecclesiam parochialem Christburgensem pro pabulo et refectione sacramentali confluentium, visa operariorum in vinea Christi circumcirca paucitate et per loca invia et paludosa difficili subsidio et cooperatione, parochi quoque loci illius proventu haereticorum malitia adeo extenuato, ut unum vicarium et paucos ecclesiae ministros aegre sustentare possit, necessarium esse loco illi subsidium, uti maxime proficuum, et quaerendis animarum perplurimis lucris accomodum censuit et declaravit, praehabita ad praemissa plurimorum tam ex clero dioecesis illius quam et personis illustribus et nobilibus tum et multorum minoris conditionis Christi fidelium affectatione, desideriis et instantiis, ut praedicti religiosi et Adm. RR. patres reformati, prout iam genio et gratiosa praxi inter Lutheranos quoque Gedanenses, Thorunenses, Waierovienses et alibi passim in Prussia indomesticati, pie et blande ac exemplariter studia et animos incolarum post se trahentes, ad fundationem supradictam admittantur et collocentur, publico quamvis minus pertinenter ex Comitiis generalibus Grodnensibus obtento assensu, ex constitutione aliisque de causis et rationibus animum judicii praesentis moventibus, religiosos et Adm. RR. patres reformatos supradictos, his conditionibus et obligatione mediante, ut parochialem ecclesiam tanquam matricem et baptismalem in primario respectu habeant, concione polonica et germanica singulis dominicis et ad populum festivis diebus dictam ecclesiam iuvent. Devotiones solemnes et conciones in suo templo nonnisi in festis sui ordinis idque sine praeiudicio parochialis ecclesiae instituant. Ad oblationes, census, proventus, fundationes et fundos tam antiquos quam et praesentes ecclesiarum ibidem tam parochialis quam et adiunctarum non se ingerant. Administrationem sacramentorum legibus id expresse vetantibus, praesertim confessiones paschales (praeter casus necessitatis, ad quos se leges non extendunt) sine scitu et facultate venerabilis parochi, nunc et pro tempore existentis, in suo templo non praesumant, salva sibi pro supradicto in divinis succursu et obsequio a venerabili ibidem parocho et suis successoribus, quam alias vicario residenti pro victu et amictu per annum dare debuerat, portione, et gratitudine a praesenti sponte oblata et a successoribus, si et in quantum destinanda, ad fundationem supradictam potiores esse adiuvent, censuit, declaravit et pronunciavit. Commissione sibi et facultate modo suprascripto ad praemissa delegata, quam suam declarationem et pronuntiationem ad Ill$^{mam}$ suam Celsitudinem Dnum. d. lociordinarium supradictum, dominum colendissimum debita cum veneratione

authoritate sua ordinaria et a sede apostolica ex S. Concilio Tridentino delegata omnibus melioribus modo via iure causa et forma de jure permissis admittendam et approbandam, patres RR. et Adm. RR. Reformatos sepedictos ad capellam desolatam S. Spiritus olimque Christburgensem admittendos, introducendos et collocandos mediante suo assensu et facultate remisit remittitque authoritate ad supradicta sibi delegata. Actum Culmsae die mense anno, quibus supra; assessoribus Perillustri et Adm. R. D. Thoma Prątnicki praeposito cathedrali Culmensi, Elbingensi et Lubaviensi, Adm. RR. et VV. Michaeli Zilikowski Praebendario cathedrali V. Capituli Culmensis Secretario, Joanne Casimiro Siemiętkowski, seniore RR. Vicariorum cathedralium.

Joannes Nyczkowski, canonicus Culmensis et praepositus Mariaeburgensis etc.

*Nach einer von dem Notar Stanislaus Kostecki beglaubigten Abschrift im Pfarrarchiv zu Christburg.*

## 1197.

***1687.*** *Johannes Kazimir Opalinski, Bischof von Culm, berichtet dem Papste über den Zustand seiner Diöcese.*

Relatio concernens statum ecclesiae Culmensis ab Episcopo Casimiro Opalinski Anno 1687 facta.

Cum Sanctissimo Domino, nostro domino, ob summam potestatem a Christo domino sibi traditam omnium ecclesiarum incumbat sollicitudo, iure merito statutum est, ut cuncti christiani orbis antistites praefinito quodam tempore ad S. Sedem Apostolicam accederent, regiminis sui rationem reddituri et monita ac praecepta salutaria inde recepturi. Quum ex munere meo episcopali filialem eidem s. sedi obligationem hoc tempore ipse in persona mea praestare omnino constitueram, ut tam sanctae peregrinationis uberes fructus non animo solum sed etiam oculis et auribus haurirem summaeque ducerem felicitati, si illud supremum apostolicae dignitatis augustale obedientiali aeque ac humili veneratione eorum prosequerer: Ast gravia et multiplicis generis impedimenta, praecipue vero calamitosus reipublicae nostrae bellicis intentae molestiis status, in qua uti curules senatorias ita curas publici boni cum saecularibus proceribus spirituales dividimus cogimurque ad hoc saevum Othomanici furoris bellum non modo consiliis verum etiam facultatibus nostris necnon copiis militaribus praesto adesse, vetant, ut domesticis intenti periculis optabili sacrorum liminum visitandorum privemur felicitate. Est, quod adiiciam, dioeceses meas Culmensem et Pomesaniae, tam ab extra haereticis vicinas quam ab intra necdum excultas esse, quibus centoculus livoris dissidentium a fide catholica inhiat Argus; ita vigili semperque intento eget oculo, quo immunitati ecclesiasticae securitas, populo fidelium tutamen, conversis ad fidem orthodoxam continuae excubiae, ne in pristinum relabantur errorem, provideantur. Hinc est, pro quo humiles et immortales Sanctitati suae referam gratias, quae mihi gratiosissime indulgere dignata est, ut ad peragendam huiuscemodi

sacrorum liminum visitationem nuntium seu procuratorem destinare facultas mihi esset. Delegi propterea ad hoc munus obeundum virum huic negotio idoneum D. Joannem Lowys, J. U. D. procuratorem meum, qui hac in parte meam vicem gerat, ac de universo statu dioecesium mearum Culmensis et Pomesaniae Amplitudines vestras Eminentissimas reddere possit certiores. Et ne in re tam gravi a veritate vel minimum aberrare possit, omniaque in reali et personali visitatione utrarumque dioecesium ex re oculis subiecta vidi, notavi, scituque et notitia Amplitudinum vestrarum Eminentissimarum digna censui praesenti scripto exarata, eidem procuratori meo referenda tradidi.

In Prussia, regni Poloniae insigni provincia, post Varmiensem et Sambiensem Episcopatum Culmensis et Pomesaniae Episcopatus exstat, ad quos dei et apostolicae s. sedis gratia non ullo meo merito sed divina miseratione promotus sum, uti occasionibus de deo sanctaque eius ecclesia merendi, ita ecclesiarum numero non sunt deteriores. Et primo quidem Episcopatus Culmensis prima et titularis civitas, inter alias Prussiae civitates primo condita primaque et praecipua habita, Culma dicta, quae a novemplici montium, quos super extructa, culmine nomen suum derivavit. Crucigerorum olim metropolis ac sedes singularis, jurium Prussiae originalium officina, a qua titulus Episcopatus Culmensis quaesitus est. Haec civitas immediatae episcoporum iurisdictioni subest, fidemque catholicam una cum superstitiosis protunc Borussis praedicatione et martyrio S. Adalberti Archiepiscopi Gnesnensis evangelizatam ad hoc usque tempus profitetur. Continet intra moenia sua parochialem ecclesiam, miraculosa imagine B. V. M. dolorosae claram, quae a Superiore Seminarii Clericorum iuxta leges S. Congregationis Missionis sacerdote actu presbytero et parocho legitime instituto regitur; habens in circulo civitatis ecclesias filiales duas, nimirum Hospitalis S. Spiritus et S. Martini Episcopi et Confessoris, quarum ecclesiarum dotales mansi hostilitatis sueticae calamitate densis arboribus obsoleti, verum interna et externa structura vastam spirabant ruinam; mea tamen cura et impensis, tum et civium eleemosinis iuxta exiguas facultates suas sensim restaurantur. In eadem civitate exstat templum et monasterium Ordinis Praedicatorum, a S. olim Hyacintho Odrowanz Polono fundatum, aliud coenobium et templum fratrum Minorum Conventualium Ordinis S. Francisci, utrumque familia regulari ad obsequia ecclesiastica et propagandam in cordibus fidelium devotionem obsequens et opportunum. Ibidem monasterium deodicatarum monialium Ordinis S. Benedicti conventus, ad extremitatem moeniorum civitatis in sublimiori colle assurgens, structura et fundatione vetus, a quo claustro per totum Poloniae regnum tanquam ab originali suo omnes deodicatarum monialium Ordinis S. Benedicti conventus suas fundationes et congrua observantiae monasticae subiecta desumpserunt, etiam nunc pietate et disciplina monastica numeroque virginum conspicuum, proventibus tamen per hosticae persecutionis iniuriam maiori ex parte destitutum, meae episcopali curae et iurisdictioni subiectum. Ecclesia Culmensis, quae nunc parochialis, cathedralis fuisse fertur, sed a multis retro temporibus in oppidum

Culmsam translata, etiam nunc Culmsae persistit, quae olim sueticis incursionibus vastata rediit, favente numine, ad pristinum internum externumque decorem. Titulus eiusdem ecclesiae est sanctae et individuae Trinitatis, cuius imago in publico Cancellariae capitulario sigillo impressa cernitur. Residentia episcopalis ibidem nulla, exstabat olim non inelegans et ampla, sed furore hostium radicitus demolita, nec suppetit modus, quo ex ruderibus denuo assurgat; me tamen penes eandem ecclesiam residentem commode recipit aedes canonicalis. Non desunt quippe aliis in locis episcopatus mei congrua receptacula, utpote arx Starogrodensis in clyvo Vandali prope Culmam civitatem sita, Crucigerorum fortalitium et reclinatorium, amoenitate et capacitate praecipuis non impar residentiis, sed communi bellorum tempestate suas contracta in ruinas, modo primum post ascensum meum ad episcopatum propriis illisque ex patrimonio meo acquisitis numerosis sumptibus radicitus reaedificata. Restauratum in eadem templum arcense, a fratribus ordinis Theutonici promendis deo laudibus accommodatum, honori S. Barbarae V. et Mart. dicatum, illudque sumptibus meis non modo in interiori et exteriori structura venustatum, verum etiam altaribus, apparamentis, argento et clenodiis adornatum, nec non perpetua Venerabilis Sacramenti in ciborio repositione cum continuo ardentis lampadis lumine cohonestatum, circa quam ecclesiam, ut et devotio magis promoveri possit, et familia curiae incolaeque subarcenses commoditatem sacrorum sacrificiorum habere queant, duos sacerdotes perpetuo circa eandem residere laudesque divinas de die in diem absolvi curavimus, provisis ad victum et amictum eisdem sacerdotibus rebus necessariis et in vim salarii pensione pecuniaria. In eandem ecclesiam insignem Reliquiam S. Laurentii Mart. argento et auro ac gemmis intertextum devote populorum fidelium venerationi exposuimus, impetratis et a s. sede apostolica indulgentiis, quarum consequendarum studio fideles aliquot iam ab annis pro festo S. Laurentii supra numerum sex millium frequentes concurrunt ad eandem ecclesiam, ibique maxima cum aedificatione et spiritualium subsidiorum commoditate Deum optimum maximumque orant et adorant.

Sunt etiam aliae episcopales residentiae, sed nondum respiratis sumptibus usque adhuc restauratae adeoque inhabitabiles. Proventus mensae episcopalis vix sufficiunt impendendis sumptibus tam pro publicis Regni quam privatis Prussiae conventibus, quibus inclyta consuetudine diu destinari ob respectum tuendae immunitatis ecclesiasticae saepius cogimur. Accedit, quod proventum extenuet notabilis bonorum episcopatus desolatio mihi ad restaurandum relicta, quae vendicat ingentes sumptus, quos amore patrimonii Christi largius de patrimonio meo erogavi. In hac tamen expensarum angustia quolibet anno ex Capitulo meo pro more gentis Canonicum iudicem deputatum, electum ad tribunal generale regni, pro tuendis dioecesanorum causis notabili proprii aeris subsidio sustineo. Patronis quoque et procuratoribus causarum in variis regni subselliis, iniuriam ecclesiarum personarumque spiritualium dioecesium mearum vindicantibus, annuam exsolvo pensionem. Nec non pro convertendis ad fidem orthodoxam haereticis, passim annuente divina gratia

ad verae fidei lumen redeuntibus, etiam ipsis dogmatum perversorum seminatoribus tam Lutheranis quam Calvinianis ministris palam errorem suum profitentibus, sumptum seorsivum impendo. In his tamen et aliis pro fidei dilatatione expensis, deo optimo melius notis, sorte propria contentus sum, sufficientia non abundantia convincens necessitatem.

In eadem ecclesia cathedrali decor domus dei laudumque eius rite celebrantur officia, in apparatu quoque ecclesiae, non modo antiquorum conservatio sed et recentium acquisitio sedulo procurantur. Reliquiae insignes sanctorum, argenteis inclusae thecis, nitide et reverenter habentur festisque solemnioribus exponuntur. In eadem ecclesia recenter fundata est Confraternitas bonae mortis, quae non modo cum concursu eximio verum etiam spirituali profectu fidelium viget. Exstant in eadem ecclesia cathedrali dignitates et praelaturae quatuor, nimirum Archidiaconatus, quae primum locum obtinet post pontificalem, Archipresbyteratus, Praepositura et Custodia, nullos proventus annexos habentes; Scholasteria demum, olim fundata, sed fundatore defuncto eius fundatis iuridicis difficultatibus et terminis involuta, hucusque ad effectum non est deducta. Canonicatus sunt quinque, sua habentes praestimonia, quos nobilibus tantum conferri praxis obtinuit; tres demum canonicatus pro Iuris utriusque Doctore, Concionatore et Poenitentiario fundati, primi duo Canonici habent incorporatas parochiales ecclesias cum consensu apostolicae sedis, tertius habet praestimonium praedictis quinque simile. Exstant praeterea Vicarii seu Capellani sex et Choralistae totidem, qui divinis vacant laudibus et ecclesiae perpetuo deserviunt. Non deest competens numerus sacerdotum, quorum aliqui titulares Capellani, aliqui ad nutum amovibiles, aliqui praebendarii; qui statis diebus S. Missae sacrificium celebrant, choro quoque et aliis s. ceremoniis adsistunt. Omnes praedicti sacerdotes seorsim antea mensam sibi procurabant; a tempore vero visitationis meae ad communem mensam decreto ordinationis reducti, quibus et praefectum mensae communis assignavi, propter evitanda cum saecularibus personis crebra et inutilia commercia; mercedem deservitum eisdem sacerdotibus nervumque pro victualibus coëmendis procurant canonici, quantum satis est ad congruam sustentationem. Suffraganeum quoque, qui et canonicus de gremio Capituli, annuente benignissimo s. sedis apostolicae consensu in adiutorium onerum episcopalium nuper assumpsi, qui praeter canonicatum et praebendam in vim pensionis suffraganealis certam villam assignatam ab antiquo habet; continuo quoque penes cathedram residet. Consistorium et iudicia spiritualia penes eandem ecclesiam cathedralem, Acta quoque et decreta eiusdem ab immemorabili tempore exstant, quae in Archivo Capituli asservantur, ad quod consistorium in causis fori ecclesiastici, etiam matrimonii, tam catholici quam et haeretici, mea (quantum exilis conatus permittit) resolutione adacti, concurrunt et iudicata patiuntur.

Praeter cathedralem, de qua diximus, ecclesiam exstant parochiales per duodecim decanatus divisae, numero centum viginti octo, inter quas praecipue in civitatibus regiis Thorunii, Graudenti, Golubii, Neofori, Strasburgi, Radzyni, Kowaleviis; omnes dotatae

et a suis parochis continuo personaliter residentibus gubernantur; nulla inter eas invenitur collegiata, sed omnes parochiali iure gaudent. Illarum reparatio externa more antiquo Prussiae spectat ad magistratum cuiusvis civitatis, qui, quantumvis dissidentium a catholica fide personis constat, nihilominus de reparatione ecclesiarum et hospitalium studiose provident; de medio etiam sui provisores seu vitricos ecclesiarum et xenodochiorum deputant, quibus una cum parochis diversas ad carbonam claves habentibus adiunguntur duo alii catholici pro meliori rerum et supellectilis ecclesiasticae superintendentia. In praedictis civitatibus praecipuis praecipui cives sunt acatholici, qui per Statuta Regni et pacta conventa regum prohdolor! tolerantur, habentque oratoria, ex catholicis quondam ecclesiis bellorum turbine ad se devolutis suis dogmatibus accommodata; habent etiam penes eadem oratoria suos ministros, qui libere exercent dogmatum suorum munia; quondam falsa libertate luxuriantes, etiam rituum sacrorum, sanctorum et dei cultum blasphemare audebant, nunc vero resolutione mea et publica adinventione circumscripti nec dicere quidem contra fidem praesumunt, territi exemplo recentiore unius ex se ministri, bene ob eundem ausum me adlaborante castigati. Caetera in praedictis civitatibus plebs et deterioris classis incolae familiaque civitatensis utriusque sexus omnes catholici, uti numero frequentiores, ita zelo, pietate et devotione fervidiores, in medio nationis pravae habitant et meliora aemulantur charismata, in ecclesiis frequentes, devoti eleemosinarii, hoc tantummodo dolentes, quod regimini et iudicio magistratus acatholicorum subiaceant. Fuit olim tanta illorum oppressio, ut ad contributiones constitutas plus aequo misere cogerentur, et duplici quodam modo gravabantur onere, me tamen cum divino adiutorio in eorum crudelitatem severius animadvertente, sublatum hocce contributionis inaequalis et graminosae iugum, immo per certam mecum (mediantibus ex mente Sacrae Maiestatis praecipuis senatoribus) adinventionem adstricti sunt seseque submiserunt, catholicos aeque et acatholicos pariter constitutis innodare contributionibus, necnon eosdem a quavis vicinorum suorum alterius fidei impetitione tueri et vindicare, insuper tam ad contubernia quam ad opificia, immo ad ipsam magistratus dignitatem et officia civitatis admittere. Pauperes quoque et egenos catholicos ad hospitalia per medium cum Lutheranis eadem adinventione obligati sunt admittere, cui adinventioni iam per tres annos plenarie satisfactum esse comperio.

Ecclesiae quoque catholicae in villis haereticorum sitae, funditus bellorum iniuria demolitae, ab intra et extra restauratae per dissidentes a fide catholica conspiciuntur. Silendo praeterire non possum solemnem pro festo S. Corporis Christi in civitate haeretica Thorunensi processionem, olim a Reverendissimo Gasparo Działynski Episcopo Culmensi, praedecessore meo, conatu et resolutione laudabili ac summis difficultatibus introductam, per aliquot autem curricula annorum remissive cum summo haereticorum plausu, catholicorum vero dolore practicatam, quam ego statim in praeliminariis ingressus, cum summo tumultu ante haeresi (!), vitae meae periculo, etiam adscitis pro tutamine et securitate

catholicorum militis gregarii copiis, dei adiutus auxilio resuscitavi, eandemque publice per plateas civitatis eiusdem quotannis in persona mea, plus quam decem millibus hominum catholicorum status, sexus et conditionis variae adstipatus, sedulo absolvere consuevi, haereticis sub tempus processionis aut in occlusis lapideis delitescentibus, aut si quem videndi cupido ex latebris provocaverit, modeste sese aeque ac reverenter gerentibus; qua processione decentius absolvenda convocatur ex universa dioecesi clerus, relictis in loco suo ecclesiarum vicariis seu commendariis, administrationi sacramentorum in absentia ipsorum sedulo intentis.

Reliquae in minoribus civitatibus, pagis et villis parochiales ecclesiae, prout priores aliae, omnes solido muro exstructae et lateritia testudine coopertae, a Crucigeris olim fundatae dignoscuntur. Inter quas nonnullae desolatae suisque orbatae proventibus per modum filiarum aliis parochialibus annexae, et tantum quae in proxima contiguitate sunt, parochorum curae commendatae sunt, in quibus per vices alternas dominis et festis diebus s. missae sacrificia celebrantur verbique divini praedicatio fit, populis ad praefatas ecclesias desolatas iure parochiali pertinentibus ab eisdem parochis sacramenta commode administrantur; quantum tamen exigua ope mea possum, sedulo incumbo, quatenus praedictae demolitae ecclesiae ex ruderibus suis quamprimum assurgant. Clerus huic dioecesi est sufficiens, disciplinatus atque ex benignitate honestae vitae prae se ferens odorem, alimentisque vitae congruis provisus; ex eo doctrina plurimi excellunt, gradibus quoque doctoratus insigniti reperiuntur; reliqui licet mediocri cognitione pollent, in his tamen, quae ad sua munia spectant, abunde versati sunt, idque ex duplici causa: primo, quod ad suos ordines nonnisi praevio debito examine et diligenti adhibito debito scrutinio promoveantur; secundo, quod nemo illorum ordinatur, nisi prius duos annos ad minimum aut plures annos in seminario meo Culmensi circa studia sacrarum ceremoniarum et theologiae moralis casuumque conscientiae transigant et incumbant. Pro cuius cleri continuo supplemento subiecta ad statum sacerdotalem adspirantia in praedicto seminario, dapsilibus episcoporum, tum incorporatione ecclesiae parochialis Fischaviensis cum s. sedis apostolicae consensu aucto et proviso, in sacris ritibus digneque obeunda status sacerdotalis vocatione, tum et sacramentorum administrationis praxi, per sacerdotes Congregationis Missionis, quibus cura et directio eiusdem seminarii, per octiduum spiritualibus exercitiis piae recollectioni vacant, decretis reformationis et visitationis nuperrime adstricti.

Pro senio vero confectis, emeritis de dioecesi sacerdotibus circa ecclesiam et residentiam episcopalem Starogrodiensem hospitale de novo radicitus, auxilio maximi optimique dei adiutus, iam ex parte maiori erexi, cui sufficientem dotem et fundationem ad victum et amictum usque ad vitae tempora congruentem, inscriptione summarum meis necessitatibus sumpturum, brevi me provisurum spero.

Quia vero et quotidiano cum haereticis, alternatim et mixtim cum catholicis degentibus, commercio timetur in populis fidelium haereticae pravitatis dogmatumque perver-

sorum contrahenda contagio, operae pretium duxi, obligare et adstringere conscientiam parochorum ad catecheses, doctrinamque christianam dominicis et festis diebus rudiori vulgo, et cui lacte opus est, non solito cibo, saepius inculcandam et intimandam, eoque nomine sacerdotes Congregationis Missionis episcopali meae iurisdictioni subiecti, in seminario Culmensi manentes, missiones per oppida et pagos cum praedicatione verbi dei et doctrinae christianae, quam et ego ipse pro viribus meis tenuibus, dum et quando possum, exerceo, proficiscuntur.

Anno quoque praeterito ecclesiam parochialem Turoviensem in partibus haereticis, videlicet in ducali Prussia Electori Domus Brandenburgicae, per pacta Olivensia iurisdictioni episcopali relictam et exemptam, penitus et radicitus collapsam, noviter exstruxi, amore animarum fidelium procul ab ecclesiis catholicis distantium, eandemque supellectili sacra, prout domini domum decet, auxi, proque continua parochi residentia et debita congrua sustentatione certam villae praefatae sortem pro primis summis persolvi, solo hoc motivo permotus, ne catholici, quorum conspicuus inter haereticos numerus, sine solatio sacramentorum et pastoris gemant extorres, petantque parvuli panem et non sit, qui frangat eis.

Dioecesim hanc Culmensem, non amplam quidem et vix duodecim magnis milliaribus in latum et longum protensam, ecclesiis tamen ut supra 128 et populis fidelium frequentem necnon continui propter deum et animas eius laboris fertilem esse, nullamque aliam in toto regno Poloniae universo reperi, quae uti vicinia et commercio haereticorum repletior. Cuius dioecesis visitationi quotannis incumbitur, eamque egomet ipse, quantumvis indignus, adhibitis doctis et probatae virtutis viris, facere consuevi, praeter substitutos decanos foraneos, qui sunt numero duodecim, visitationes decanales quolibet anni quartali peragentes, et ut meae ordinationi visitationis generalis satisfiat, in charitate et lenitate spiritus perurgentes. Conventus etiam menstrui sacerdotum ab iisdem practicantur, in quibus de sacramentis et variis conscientiae casibus in charitate disputatur. Forum seu Consistorium episcopale, quod superius memini, ita se in administranda iustitia et correctione delinquentium gerit, ut absit et a Vicario generali et ab omnibus ministris quaecunque sordida suspicio; iustitia autem recte quidem et pro modo culpae administratur, ita tamen, ut omnia christiana et ecclesiastica charitate leniantur.

Collegia patrum Societatis Jesu sunt in tota dioecesi tria, Thorunii penes parochialem ecclesiam, Graudenti et Mariaeburgi, circaque etiam scholastica iuventutis polonae disciplina viget, necnon in convertendis et confutandis haereticis iidem patres indefessis allaborant conatibus. Claustra quoque ordinis fratrum praedicatorum S. Dominici exstant duo, Thorunii et Culmae, in quorum ecclesiis Confraternitas Rosarii cultusque continuus sacratissimi Nominis Jesu et Mariae in mentibus fidelium laudabiliter promovetur. Fratrum quoque minorum Conventualium ordinis S. Francisci Culmae et Culmsae duo coenobia reperiuntur, quae mendicatis ex divina providentia aluntur suffragiis, suaque regulari

observantia aedificant, non modo catholicos, sed et haereticos. Claustrum demum fratrum minorum strictioris observantiae itidem ordinis S. Francisci exstat cis Bratianum arcem, a Crucigeris dictum vulgo Brathyan, in cuius claustri ecclesia imago B. Mariae V. multiplicibus clara miraculis a populis fidelium frequentissimo concursu et singulari devotione colitur. Horum omnium claustrorum Priores et Guardiani quotannis subiecta familiae suae monasticae pro audiendis confessionibus et verbi dei praedicatione exponenda mihi aut Officio meo praesentant approbanda. Insuper monasteria sanctimonialium ordinis S. Benedicti sunt in dioecesi tria: Culmae, quod est originale, ut supra dictum est, Thorunii et Graudenti, in quibus monasteriis iurisdictioni meae subiectis, deo benignissimo sic disponente, frequens deodicatarum familia virginum observantiae regularis studiosa reperitur, circa quarum ecclesias presbyteri aetate et virtute grandaevi, et per examinatores ad id deputatos approbati idoneique reperti, alii in confessarios, concionatores, in capellanos alii destinati commorantur, seseque sine quaerela suis in officiis gerunt; graviora vero negotia Ordinis sui ad me deferuntur, earundemque monialium visitationem egomet ipse obire soleo.

Per totam dioecesim utramque reperiuntur hospitalia viginti quatuor, in quibus pauperes Christi utriusque sexus, seorsivis quoquolibet sexu dispositis cubiculis, in meditatione dierum antiquorum vivunt, alii fundationibus benefactorum, alii et mendicatis suffragiis sustentantur.

Est adhuc curae meae episcopali annexa dioecesis Pomesaniensis, omnium olim Prussiae dioecesium amplissima, quondam suo pastore gaudens, tandem, invalescente in partibus hisce haeresi, per episcopum suum cognomine Polentem (!), ab ordine, fide et habitu apostatam, cum cathedrali ecclesia in civitate Kwidzyn, vasta et venusta admodum mole constructa, necnon cum bonis et possessionibus per multam seriem civitatum pagorum et villarum eo pertinentium protensis, tam episcopalibus quam canonicalibus, domui Electorali Brandenburgicae in possessionem tradita, ac ingravescente, quo latius, eo desperacius bellorum et haeresum tempestate, usque adhuc in manibus dissidentium a fide manet absorpta. Particula tantummodo dioecesis huius, nimirum maior et minor Insula, maior in convallo Vandali et Nogati amnium praeterfluentium sita, minor in montanis iisdem fluviis vicinis disposita. Uti proventibus, ita antistite suo destitutae, praedecessoribus meis ob loci contiguitatem mihique in curam et administrationem traditae sunt, cum titulo Episcopatus Pomesaniensis.

In hac dioecesi sunt decanatus quinque, ecclesias numero sexaginta quinque in se continentes, quarum ecclesiarum dotes, mansi videlicet, caeterique proventus cum Actis Crucigerorum Regiomontum (urbs celeberrima cum citeriore Prussia regno Poloniae olim subiecta) in domum Electoralem Brandeburgicum bellorum turbine involutam abstractis in ibidem haerent, ob invidiam et odium fidei orthodoxae invindicabiles. Quantum tamen solers industriae et fervens religionis zelus reverendissimi olim Laurentii Gembicki,

episcopi Culmensis et Pomesaniae, contribuere in recuperationem mansorum et fundorum ecclesiasticorum, bello Svetico inter haereticorum colonias et agros malitiose absorptorum, potuit, usibus parochorum et ecclesiae restituit, qui etiam nunc in possessione spiritualium existunt. In hac dioecesi ecclesia Mariaeburgensis archipresbyteralis prima est atque praecipua, ad quam etiam Consistorium Officialis Pomesaniensis foranei fixum est, cui catholicorum protectio, utpote in civitate et districtu toto haereticis pleno, serio demandata est, causarumque iudicium et iustitiae administrationis munus iniunctum. In quibus omnibus ego ipse seriam adhibeo diligentiam, ut debite et sine omni suspicionis turpisque quaestus ac negligentiae nervo iustitia sancta eandem anhelantibus administretur. Sacerdotes in hac dioecesi germano-poloni numero sufficienti et doctrina praediti exstant. Cum enim praeter familiam operi agriculturae deditam vix aliqui, in insula praesertim maiori, reperiantur incolae catholici, omnino presbyteros germanico ideomate praeditos suppeditare debeo, ut partim polonice propter catholicos, partim germanice propter haereticos et etiam nonnullos germanos catholicos, catechisent et concionentur. Quantum tamen in eadem dioecesi Pomesaniensi maxima pars haereticorum reperitur, tamen illi omnes ex consuetudine antiqua et Episcoporum Culmensium et Pomesaniae seria inspectione in ecclesiis catholicis baptisantur et matrimonio copulantur, immo ratione tolleratae conversationis et ecclesiarum proprio sumptu restaurationis penes easdem parochiales catholicas ecclesias sepeliuntur.

Eandem dioecesim quotannis ego ipse visitare consuevi, praeter decanales visitationes, quas, prout in Culmensi dioecesi, per decretum ordinationis quatuor in anno ordinavi. Congregationes quoque decanales, in quibus de modis convertendi haereticos, et avertendi scandala tum a populis fidelium, tum de casibus conscientiae tractatur. Quia vero non omnes ecclesiae ob defectum debitae sustentationis parochum proprium et continuum habere possunt, idcirco parochis proventibus melius provisis commendatae et commissae sunt. Sectam Mennonisticam in eadem dioecesi maxime florescere corde doloris tactus vehementer ingemisco, eamque pro zelo characteri meo debito exstirpare cordicitus procuro, illudque argumentum qua publicis qua privatis nobilium regni conventibus laboris et facultatum impensis promoveo. Quod dogma abominabile et aliae sectae ut facilius doctrina christiana, exemplo bonorum operum et vitae sanctimoniae illecti suis ab erroribus resipiscant, novam cooperatorum in vinea Christi coloniam fratrum Minorum strictioris observantiae S. Francisci Ordinis in civitatem Christburg eiusdem dioecesis Pomesaniensis praecipuam annos ante duos introduxi, illamque ad haereticos convertendos et catholicos in perseverantia sancta stabiliendos maxime proficuam esse experior.

Diutius immorari dioecesium et ecclesiarum mearum recensendo statum non arbitror, cum id a praedecessoribus meis pluries et fusius factum esse reor; nonnulla tamen supplex et venerabundus subiiciam, pro quibus obtinendis Eminentissimarum Amplitudinum vestrarum sapientiam, authoritatem et eximiam pietatem humiliter imploro. Primum

est, ad stabiliendam, de qua superius memini, pro senio confectis sacerdotibus circa residentiam arcensem Starogrodensem episcopalem fundationem hospitalis, villam Mroczno, olim ad mensam episcopalem pertinentem, per praedecessores meos Reverendissimos Andreas Olszowski et Joannem Małachowski iure emphyteutico certis personis sub conditione restaurationis accedente s. sedis apostolicae consensu in possessionem ad triginta annos traditam, tandem ob maiorem restaurationis securitatem per venerabile Capitulum Culmense in abscessu praenominatorum episcoporum duorum reemptam, tum vero nuper depost facto per me praestita eidem venerabili Capitulo satisfactione recuperatam, eidem sacerdotum senio confectorum hospitali per me aedificato intuitu debitae et honestae sustentationis applicandam esse volo, licet enim bona aliqua stabilia pro eodem hospitali summis propriis emere omnino vellem, cum tamen vetante huius lege regni spiritualibus bona stabilia coemere non possint, in eum locum summas certas de meis propriis facultatibus in subsidium sustentationis eorundem sacerdotum in bonis mundis et liberis procurando seu procreando. Quae mea intentio, ex motivo charitatis erga seniculos sacerdotes profecta et ad effectum optatum deduci possit, consensum super huiuscemodi negotium a s. sede apostolica, mediante Amplitudinum vestrarum Eminentissimarum authoritate et interventu, suppliciter deposco.

Secundum est, quod cum moniales ordinis S. Benedicti conventus Posnaniensis, prout et aliae per regnum Poloniae conventui Culmensi subalternae, ab observantia et reformatione sua a s. sede apostolica desciverint, dum a s. Urbe novam et reformationi suae deformem scapularis monachalis gestationem impetraverint, talique novitate regularibus disciplinis et observantiis semper inimicissima, non modo complures suae religionis moniales verum seculares tam catholicos quam haereticos scandalisaverint: ne ex hisce novitatibus aliquod schisma aut scandalum gravius suboriatur, supplico vestris Amplitudinibus Eminentissimis, quatenus authoritate s. sedis apostolicae eiusmodi novitas inhibeatur, et uniformis, prout ante, in omnibus Poloniae conventibus habitus omnino demandetur interdicaturque lectio certi libelli noviter de gestatione eiusmodi scapularis mere contra sanctam et salubrem reformationem extraditi.

Tertium. Confraternitas bonae mortis cum summo fidelium spirituali profectu in ecclesiae cathedralis Culmensis aedibus, tum et altera Confraternitas examinis conscientiae, quolibet die Sabbati ad campanae pulsum exercita et exercenda, in dei nomine in ecclesia parochiali Culmensi noviter erectae, supremam apostolicam benedictionem et benignissimam approbationem per me supplicant interventu authoritatis Eminentissimarum Amplitudinum vestrarum obtinendam.

Quartum. Quod tandem summa res et ingens desiderium meum est, de exstirpandis ex provincia terrarum Prussiae, praecipue vero dioecesibus meis, haereticis, cuiuscunque sectae aut cognomenti sint, signanter vero Menonistae, errorem Arianismi redolentibus, remedium a s. sede apostolica ac Amplitudinum vestrarum Eminentissimarum providentia deposco.

Est adhuc, in quo dispensationem a s. sede apostolica imploro, nimirum ut populis fidelium in obsequio et famulatu haereticorum existentium feria sexta paschale ieiunium observare liceat, nimirum lacticiniis vesci per utrasque meas dioeceses. Nimis enim gemunt miseri homines, dum illos gravissimis laboribus defatigatos hic scrupuli conscientiae diebus ieiunii lacticiniis vescuntur, hinc inedia et fames misere perurgent. Quod interventu authoritatis Eminentiarum vestrarum spero impetraturum iri. Porro in his praemissis supplicationibus meis, propositionibus et instantiis confido, Amplitudines vestras Eminentissimas gloriae dei et animarum saluti consulturas neque in sua protectione, favore et gratia benignissime, prout supplex peto, conservaturum.

*Nach einer Abschrift im bischöflichen Archiv zu Pelplin in Sedlags Manuscr. p. 494—502.*

## 1198.

***1688. Juli 23. Moscicitis.*** *Kazimir Joh. Opalinski, Bischof von Culm, berichtet dem Papste Innocenz XI. über die bei Gelegenheit der Frohnleichnamsprocession von den Thornern gegen ihn und die Seinen verübten Excesse.*

Beatissime pater. Post oscula pedum Sanctitatis vestrae provolvor sub benedictionem, quae totam Christianitatem solatur et auget, dum infinitae et immensae bonitatis largitio non otiatur in vestra Sanctitate ac per hoc vicarii sui instrumentum piissimum adimplet pactum, felicibus successibus a saeculo non auditis, christianam propagando felicitatem et restitutionem avulsorum, adnitente Sanctitate vestra. Porro regnum nostrum aeviternae obligatur gratitudinis: non enim aliter benedictionem in se derivaret paternam, si argueretur ingratitudinis. Quisquis ille huius immemor propinet sibi aeternitatis poenas: nos vero vindictam dei ut luere nolumus, ita beneficia agnoscimus et gratias persolvimus. Me quod concernit infimum coram deo exoratorem et obsequentem Sanctitatis vestrae servum, quem onerum suorum pastoralium in hac dioecesi Culmensi haereticis conserta fecit participem, testor et esse et ad ultimum vitae meae fore, nonnisi gratum ac adlaboraturum, ut ne in minimo desim, praesertim qui ita disponente deo ad eum accessi episcopatum, ubi effrenis furit haereticorum licentia, quae a primis retro annis nunquam se in eos resolvit inauditos ausus et excessus, donec in nomen et benedictionem S. v. (non sine adiutorio magni dei) me infractum opponerem, attendendo muneri meo, praeiudicia de medio tollendo, omissa aut neglecta multa in propriam reducendo orbitam, gregi catholico, populo devoto in solennitatibus cum eorum solatio assistendo. Quod ut haeresis oculos perstrinxit, ita ad sequentem excitavit rabiem. — Descendi, beatissime pater, more solito Thorunium (civitatem, in qua magistratus regit haereticus, paucis subinde catholicis inter quam plurimos haereticos habitatam) ad celebrandum sacratissimi Corporis Christi cum solenni processione per certos eiusdem civitatis ambitus ad ecclesias catholicas festivitatem: quo die non nihil se continuit praemeditata insolentia ob numerosum

gregem catholicum, nec quidquam ausa est. Verum in crastino ob absentiam plurimorum concurrentium ad hunc festum diem, quo data porta, in effrenem ruunt audaciam. Primo aulicos meos et famulos corporales per plateas pacifice euntes et pro nundinis merces expositas pro necessitate cuiuspiam ementes raptant, vulnerant, incarcerant; nobiles et ministerialem regni officiose praedictos incarceratos arrestantes simili rabie cruentant; Praelatos cathedrales aliquot tum et alios aulae meae presbyteros et ex dioecesi pro solenniore assistentia congregatos terrae allidunt, multis ictibus tum sclopetorum tum aliorum genere armorum in variis corporis partibus sauciant, facies conspuunt. Tandem me ipsum tumultuaria manu stricta cingunt obsidione, omnibus ingressum et egressum violenter praecludentes. O Deus! in quantis vox illa blasphemiis in SS. Eucharistiae sacramentum, statum ecclesiasticum, praerogativam episcopalem, ad ianuam residentiae meae arietationibus, clamoribus acta est! quod usque in sequentem diem ad decimam circiter horam antemeridianam continuatum; et nisi mori etiam pro populo dei paratus animo praesenti et resoluto per medios (aliquot meis comitatus) tumultuantes viam mihi ad ecclesiam patefecissem, actum forte fuisset de nobis. — Non deero ego pro dignitate episcopali, quam ex paterna Sanctitatis v. manu suscepi, et gradu meo in hac republica senatorio tuendis, sed vel maxime pro gloria dei promovenda omnibus viribus, qualescunque deus dederit, serio et attentissime incumbere, ut tandem haec causa dei triumphet. Interim tamen cum agatur cum divite ac potenti hac civitate ex eo vel maxime irritata, quod a tempore suscepti officii mei episcopalis huiusmodi processio SS. Corporis Christi cum ea solennitate ac magnificentia retro actis annis non visa ineatur, continuetur. — Supplex proinde Sanctitatis v. pedibus advolutus humillime exoro, quatenus pro innata pietate et religionis zelo his malis occurrere ac in hoc passu ecclesiae dei periculoso paternam dexteram porrigere non dedignetur, et pro futuris (si ita deo placuerit) Comitiis generalibus hoc negotium pro dei et ecclesiae suae gloria Serenissimo Regi tum et regni nostri Poloniae Ordinibus per breve speciale commendare. Fundamentum id erit stabiliendae religioni, restituendae authoritati episcopali. Interim in praesentibus angustiis haec mea sunt solatia et fulcra, quae experior ac recipio, ex ardente zelo et pietate E$^{mi}$ Cardinalis Pallavicini tum Ill$^{mi}$ Nuntii extraordinarii Sanctitatis v. veluti angelorum pacis, quorum in hoc negotio labor et sudor indefessus ac succursus practicus et activus est, et consilia contra haec venenosa panacea sunt. — Concludo, iterum iterumque sacratissimis S. V. advolutus pedibus, quibus cum omni debita veneratione oscula infligo, haec et me totum piissimae dispositioni, tuitioni consigno

Sanctatis Vestrae

Humillimus servus et devotissima creatura

Casimirus Joannes Opalenski, Episcopus Culmensis et Pomesaniae.

Mosciciis die 23. Julii Anno 1688.

*Aus den Litt. Episcoporum Vol. 72 fol. 61 bei Theiner, Mon.-Pol. III 706 nr. 723.*

## 1199.

***1690. März 9. Warschau.*** *Johannes III., König von Polen, bestätigt den durch eine königliche Commission vermittelten Vergleich zwischen dem Bischofe von Culm und den Vertretern der Stadt Thorn wegen der jenem am Frohnleichnamsfeste 1688 daselbst widerfahrenen Beleidigungen.*

Joannes Tertius, dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lithvaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae, Livoniae, Smolensciae, Podoliae, Podlachiae, Severiae, Czemiechoviaeque etc. etc. Significamus praesentibus literis nostris, quorum interest, universis et singulis. Exhibitas nobis esse nomine et ex parte reverendi in Christo patris domini Casimiri Johannis de Bnin Opalenski, episcopi Culmensis et Pomesaniae, [literas] manu eiusdem reverendi domini episcopi Culmensis et Pomesaniae, tum et reverendorum et magnificorum Stanislai in magna Wytwica Wytwicki episcopi Posnaniensis, Georgii Dönhoff Praemisliensis et supremi regni cancellarii, Raphaelis comitis in Leszno Leszczynski Posnaniensis, Joannis Odrowąz Pieniązek Sieradiensis, Joannis Kos Culmensis, Ernesti Dönhoff Marienburgensis, Vladislai Łoś Pomeraniae palatinorum, Casimiri Zawadzki castellani Culmensis, Caroli Tarlo procancellarii regni, uti mediatorum a nobis ad negotium infrascriptum deputatorum et destinatorum, necnon nobilium et spectabilium ex ordinibus civitatis nostrae regiae Thorunensis deputatorum plenipotentiariorum, subscriptas sigillisque eorundem obsignatas; certam amicabilem compositionem, occasione laesi ausu populari honoris divini, status spiritualis et dignitatis senatoriae, in persona suprafati reverendi domini episcopi Culmensis, pro tunc in civitate Thorunensi, in crastino peractae processionis sanctissimi Corporis Christi Anno domini Millesimo sexcentesimo octuagesimo octavo commorantis factam, una cum cassatione tum processuum in quocunque gradu juris, praesertim vero in judicio nostro intentatorum, necnon protestationum, manifestationum, controversiarum, partium, mandatorum et decretorum nostrorum regiorum, actuumque quorumvis eo nomine factorum et interpositorum in se continentes, salvas, sanas, illaesas, ac omni suspicione carentes. Supplicatumque nobis est, ut eas iuxta tenorem dictae compositionis authoritate nostra regia approbare et confirmare dignaremur. Quarum literarum tenor sequitur talis:

In nomine domini Amen. Ad perpetuam rei memoriam. Universis et singulis, quorum interest aut in futurum interesse poterit, notum testatumque facimus, quod cum excellentissimus illustrissimus reverendissimus dominus Casimirus Joannes de Bnin Opalenski, episcopus Culmensis et Pomesaniae, ob gravem honoris divini et immunitatis ecclesiasticae in persona sua senatoria laesionem, sibi Thorunii pro tunc in crastino peractae processionis festi sanctissimi Corporis Christi ex concursu populi civitatis eiusdem regiae Thorunensis anno domini Millesimo sexcentesimo octuagesimo octavo illatam, quique zelo permotus nobili et spectabili magistratui, proconsulibus, consulibus, advocato, scabinis, sexaginta viris totique communitati veteris et novae civitatis Thorunensis causam et actionem judiciariam coram judicio sacrae regiae Maiestatis relationum propriarum inten-

taverit, processumque eo nomine institum usque ad punctum et terminum reponendarum inquisitionum seu scrutiniorum Thorunii per illustrissimos S. R. M^tis^ inquisitores seu scrutatores expeditorum magno studio nec minore sumptu promoverit. Quo in termino S. R. M^tas^, dominus noster clementissimus, regio paternoque affectu inducta, praehabita illustrissimi et reverendissimi episcopi Culmensis declaratione, quod compositionem sub regia eius authoritate faciendam non abnueret, ad humilem quoque instantiam apud suam Majestatem factam per plenipotentiarios eius et civitatis Thorunensis ex ordinibus deputatos, ex magistratu quidem nobiles et spectabiles Simonem Szulc et Salomonem Litken, ex scabinatu spectabilem Joannem Austen, denique ex sexaginta viris totaque communitate spectabilem Joannem Krüger et alios, deputavit S. R. M^tas^ nos infrascriptos mediatores Ill^mos^ Excell^mos^ Revend^mos^ dominos Stanislaum in magna Wytwica Wytwicki episcopum Posnaniensem, Georgium Dönhoff Premisliensem et supremum regni cancellarium, Raphaelem comitem in Leszno Leszczynski Posnaniensem, Joannem Odrowąz Pieniązek Siradiensem, Joannem Kos Culmensem, Ernestum Dönhoff Mariaeburgensem, Vladislaum Łos Pomeraniae palatinos, Casimirum Zawadzki castellanum Culmensem, Carolum Tarło procancellarium regni, ut propositas conditiones ab Ill^mo^ et R^mo^ Episcopo Culmensi per reverendissimum Thomam Bogoria Skotnicki, episcopum Lycopoliensem, suffraganeum Culmensem trutinaremus, proponeremusque praefatis nobilibus plenipotentiariis Thorunensibus, interveniente inhibitione quarundam conditionum, acceptandas, mutuo consensu firmandas atque suprema regia authoritate approbandas. Quod quidem S. R. M^tis^ commissum nos suprascripti mediatores regni in praesentia partium praedictarum, auspice deo, in hunc modum sumus executi. Quoniam Ill^mus^ et R^mus^ dominus Episcopus Culmensis causam laesi ausu populari honoris divini, tam in charactere suo episcopali, quam in persona reverendissimi suffraganei et venerabilis Capituli Culmensis, tum et perillustris Casimiri Krefft, officialis per Pomesaniam, necnon admodum reverendi Andreae Miaskowski praepositi Thorunensis iam defuncti, vindicando, tandem a rigore iuris per interpositionem authoritatis S. R. M^tis^ et moderamen nostrum amicabile ad civilia complanandi huiusce modi negotii condescendit media: Ideo obligarunt se suprascripti nobiles plenipotentiarii, totius magistratus et communitatis Thorunensis nomine, pro adornanda ecclesia cathedrali Culmensi summam viginti et unius millium florenorum monetae pruthenicae per ratas tres, nimirum septem millia in instanti, septem quoque millia pro festo Circumcisionis Christi domini in anno futuro Millesimo sexcentesimo nonagesimo primo, septem denique millia in anno eodem pro festo sancti Joannis Baptistae, praevia Ill^mi^ et R^mi^ domini episcopi Culmensis manuali quietatione, sine quibusvis dilationibus exsolvere. Tenebitur quoque nobilis magistratus Thorunensis in spatio sex septimanarum a data praesentis actus computando, vi officiorum suorum indilate jureque hospitum seriam administrare iustitiam de authoribus violatae securitatis, quorum nomina patebunt ex rotulis inquisitionum Thorunii iam deductarum, ex nunc sub authoritate S. R. M^tis^ reserandis, et pro qualitate

noxae summario processu decretum ferre, eiusque executionem in spatio praedicti praefixi temporis facere. Huius tamen decreti executio stabit in gratia Ill^mi domini Episcopi. Agnoscit se quoque nobilis magistratus Thorunensis obligatum omni meliori modo diligentia et sedulitate providere in perpetuum, quatenus secure et decenter singulis annis peragatur praedicta processio; Ill^mus quoque dominus Episcopus omnimodam respectu assistentiae suae civitati spondet securitatem. Translationis nundinarum in aliud tempus punctum, quia ad S. R. M^tem erat relatum, ideo Sacra Regia Maiestas cum consiliariis suis decrevit, cum impracticabilis censeatur ex ponderosis rationibus haec translatio, ut illa loca platearum, per quas facienda erit processio, ab hora diei octava festi sacratissimi Corporis Christi de mane usque ad horam primam pomeridianam vacent a nundinis et strepitu opificiorum, velatis institoriis mercimonialibus, dispositis consvetis custodiis, ut eaedem pro quinque horis diurnis a praedictis plateis videantur transferri. Adventante quoque ad civitatem Thorunensem Ill^mo domino Episcopo, pro hac sola vice, mittetur ei obviam syndicus Thorunensis, cum contestatione observantiae suae et congratulatione de adventu. Iam vero venientem Ill^mum dominum Episcopum ad portam domus praestolabuntur deputati trium ordinum civitatis Thorunensis, qui ibidem testabuntur dolorem suum ex iis, quae senatoriae et episcopali dignitati occasionem tantae dederint laesionis, rogabuntque, ut Ill^ma Dominatio magnitudine animi sui cooperiat antedicta, intuitu praesentis venerationis et satisfactionis, ac pristinum civitati non gravetur reddere affectum et patrocinium. Reverendissimo quoque Suffraganeo et venerabili Capitulo ibidem ad latus Ill^mi domini Episcopi assistenti animorum suorum respective exhibebunt sinceritatem et officiorum contestationem. Quantum attinet admittendos ad officia magistratus catholico-romanos cives, obligat se nobilis magistratus Thorunensis et declarat, conservaturum se hac in parte antiqua iura et privilegia civitatis, salva libera electione. Conventum insuper est, ut in praesenti pacificatione et animorum redintegratione cooperiatur actio intentata quasi ob causatam mortem memorati admodum reverendi praepositi Thorunensis. Bona vero ad ecclesiam parochialem Thorunensem pertinentia permittit Ill^mus ac R^mus Episcopus, ut in administratione nobilis magistratus Thorunensis ad decursum temporis in contractu, circa eadem bona olim inito, specificati, cum melioratione in contractu contenta remaneant; post vero expiratum contractus praedicti tempus, liberum erit praefato magistratui, accedente ad id Ill^mi et R^mi Lociordinarii consensu, tractare cum eodem de ulteriore eorundem bonorum administratione. Subditos eiusdem Ill^mi domini Episcopi, ut nunquam gravatos fuisse Thorunii ullis exactionibus professi sunt, nobiles plenipotentiarii ita nunquam in posterum gravandos fidem civitatis obligarunt. Ablata tempore tumultus generoso domino Francisco Niedzwiecki, familiari Ill^mi domini Episcopi, circa primum eiusdem adventum restituent aut valorem rerum ablatarum persolvent. Protestationes, decreta et quivis processus, quicunque intercesserunt ab utrinque in causa praesenti, cum perpetuo, ratione praemissarum violentiarum quarumcunque, silentio, utpote bonae amicitiae adversantia,

ex actis cancellariarum intra semestre eliminabuntur. Et quoniam nobiles deputati ordinum civitatis Thorunensis iam accesserunt ad thronum regium post adventum suum, et tarditatem sui adventus exculparunt, ideo nunc restat, ut denuo S. R. M$^{ti}$ subiectissime et humillime reddant gratias pro paterna indulgentia et M$^{tis}$ suae interpositione, intuitu faciendae compositionis, quam regio diplomate se firmaturam benignissime declaravit. Quo facto praestabunt Ill$^{mo}$ domino episcopo debitam in aedibus eius venerationem, referentque suae Excellentiae gratias, quod a processu recesserit, atque contentiosum forum dignatus est pace et mutua concordia commutare. Quae omnia et singula praesentis pacificationis et transactionis puncta nobilis et spectabilis magistratus, omnes eiusdem civitatis Thorunensis ordines, salva, illaesa ac inviolabilia perpetuo servare tenebuntur. sub vadio similis summae supraspecificatae coram S. R. M$^{te}$ in casu contraventionis solvendae. Ob maiorem vero praesentis transactionis, concordiae et pacificationis firmitatam, robur ac perpetuitatem, partes utraeque et nos suprascripti authoritate S. R. M$^{ti}$ mediatores eandem ex nunc manuum nostrarum subscriptione et sigillorum impressione munivimus et roboravimus S. R. M$^{tis}$ authoritate per diploma publicum et speciale approbandam. Actum Varsaviae, die septima mensis Martii, anno domini Millesimo sexcentesimo nonagesimo. Casimirus Joannes de Bnin Opalenski, Episcopus Culmensis et Pomesaniae mpp. Thomas Bogoria Skotnicki, Episcopus Lycopoliensis, Suffraganeus, Officialis Culmensis generalis mpp. Simon Szultz, deputatus ex consulatu civitatis Thorunensis mpp. Salomon Lütken, deputatus ex consulatu civitatis Thorunensis mpp. Joannes Austen, deputatus ex scabinatu utriusque civitatis Thorunensis mpp. Joannes Krieger, deputatus ex sexagintaviratu seu communitate civitatis Thorunensis mpp. Stanislaus in Wytwica magna, Episcopus Posnaniensis, R. M$^{tis}$ commissarius ad suprascripta et mediator inter partes mpp. Georgius Albrechtus Dönhoff, Episcopus Praemisliensis, supremus regni cancellarius, R. M$^{tis}$ commissarius ad suprascripta [et mediator] inter partes mpp. Raphael de Leszno Leszczynski palatinus Posnaniensis, commissarius ad suprascripta et mediator inter partes mpp. Joannes Odrawąz Pieniązek, palatinus Siradiensis, commissarius ad suprascripta et mediator inter partes. Joannes Kos, palatinus Culmensis, commissarius ad suprascripta et mediator inter partes mpp. Ernestus Dönhoff, palatinus Mariaeburgensis, commissarius ad suprascripta et mediator inter partes mpp. Vladislaus Łos, palatinus Pomeraniae, S. R. M$^{tis}$ ad suprascripta mediator et commissarius mpp. Casimirus Zawadzki, castellanus Culmensis, gubernator Lipiensis, commissarius ad suprascripta et mediator inter partes mpp. Carolus Tarło, procancellarius regni, commissarius ad suprascripta et mediator inter partes mpp.

Nos itaque Joannes Tertius rex supra memoratas literas praeinsertas in omnibus punctis, clausulis et conditionibus, authoritate nostra regia approbandas, confirmandas et ratificandas esse duximus, prout approbamus, confirmamus et ratificamus praesentibus; decernentes eam vim et robur debitae et perpetuae firmitatis obtinere debere. In cuius

rei fidem praesentes manu nostra subscriptas sigillo regni communiri iussimus. Dabantur Varsaviae die nona mensis Martii, anno domini Millesimo Sexcentesimo Nonagesimo, regni nostri anno decimoquinto.

Joannes Rex.

*Abschrift bei Mauritius nr. 142 und in Sedlags Manusc. p. 509—512.*

## 1200.

***1693. October 5. Rom.*** *Innocenz XII. providirt den Abt Kazimir Szczuka des Cistercienser-Klosters Paradies als Bischof von Culm.*

Innocentius Episcopus etc. Dilecto filio Casimiro Szczuka, Electo Culmensi, salutem etc. Apostolatus officium etc. Dudum siquidem provisiones ecclesiarum omnium tunc vacantium et in posterum vacaturarum ordinationi et dispositioni nostrae reservavimus, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super his per quoscunque, quavis authoritate, scienter vel ignoranter, contingeret attemptari. Postmodum vero ecclesia Culmensi, cui bone memorie Casimirus Joannes Opalenski, episcopus Culmensis, dum viveret, praesidebat, per obitum dicti Casimiri Joannis episcopi, qui extra romanam curiam debitum naturae persolvit, pastoris solatio destituta: Nos, vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta, ad provisionem dictae ecclesiae celerem et felicem, in qua nullus praeter nos hac vice se intromittere potuit sive potest reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne illa longe vacationis exponatur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de praeficiendo eidem ecclesiae personam utilem ac etiam fructuosam cum venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae ecclesiae Cardinalibus habuimus diligentem, demum ad te, perpetuum Commendatarium monasterii abbatiae nuncupati Paradisiensis ordinis Cisterciensis Posnaniensis diocesis, de legitimo matrimonio ex catholicis ac nobilibus parentibus natum, in septuagesimo secundo tuae etatis anno et iam diu in sacro presbyteratus ordine constitutum, in functionibus ecclesiasticis optime versatum, de vita moribus doctrina et idoneitate ac in ecclesiae dei utilitate aliisque in episcopo requisitis quamplurimum commendatum, nec non virtutibus et meritis plenum, qui fidei professionem iuxta articulos iam pridem a sede apostolica propositos expresse emisisti, et pro quo charissimus in Christo filius noster Joannes, Polonie rex illustris, nobis ad hoc per suas patentes literas humiliter supplicavit, ac de cuius nobilitate generis, vitae munditia, honestate morum, spiritualium providentia et temporalium circumspectione aliisque multiplicum virtutum donis fidedigna testimonia perhibentur, direximus oculos nostrae mentis. Quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, praefatae ecclesiae Culmensi de fratrum eorundem consilio apostolica authoritate providemus, teque illi in episcopum praeficimus et pastorem, curam et administrationem dictae ecclesie Culmensis

tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo, qui dat gratias et largitur praemia, confidentes, quod dirigente domino actus tuos praefata ecclesia Culmensis sub tuo felici gubernio regetur utiliter et prospere dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Jugum igitur domini etc. Ceterum sperantes, quod tu, licet legitime doctor non sis, quia tamen prudentia et sufficienti doctrina praeditus et ad alios docendum aptus existis, et alia tibi affutura suffragia eidem ecclesiae Culmensi esse poteris plurimum utilis ac etiam fructuosus, motu proprio, non ad tuam vel alterius pro te nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certa scientia meraque deliberatione nostris tecum, ut eidem ecclesiae Culmensi in episcopum praefici illique praeesse ipsamque ecclesiam Culmensem in eisdem spiritualibus et temporalibus regere et gubernare ac munus consecrationis suscipere, et illo uti [valeas], defectu gradus huiusmodi ac quibusvis apostolicis, etiam in synodalibus, provincialibus, universalibus et generalibus conciliis editis vel edendis specialibus vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus, necnon praefatae ecclesiae Culmensis etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus ceterisque contrariis nequaquam obstantibus, apostolica auctoritate praefata earundem tenore praesentium de specialis dono gratiae dispensamus. Volumus autem, quod tu sacrarium sacra suppellectili sufficienter instruas, ac domus episcopalis restaurationi pro viribus incumbas, montemque pietatis erigi cures, conscientiam tuam desuper onerantes. Datum Romae apud S. Mariam maiorem anno incarnationis dominicae Millesimo Sexcentesimo Nonagesimo Tertio. Tertio Nonas Octobris. Pontificatus nostri Anno Tertio.

*Original auf Pergament mit der Bleibulle im Archiv des Domcapitels zu Pelplin. A. a. O. finden sich noch folgende Bullen für den Bischof von demselben Datum: 1) die Absolvirung von allen Censuren. 2) Die Anzeigen an den Clerus und das Volk von Culm. 3) Die Vollmacht, sich von jedem beliebigen Bischof weihen zu lassen nebst dem Juramentum, worin die Clausel:* „Volumus ... quod per hoc ven. fratri nostro Archiepiscopo Gnesnensi, cui dicta ecclesia metropolitico iure subesse dignoscitur, nullum in posterum praeiudicium generetur“ *und das Datum:* „Pridie Nonas Octobris. P. n. anno tertio“ *d. i. 6. October. 4) Die Dispensation zur Beibehaltung der Abtei Paradies. Darin heisst es:* „Et cum sicut accepimus, tu tempore provisionis et praefectionis praedictarum monasterii Abbatiam nuncupati Paradisiensis ordinis Cisterciensis Posnaniensis diocesis in commendam ad tui vitam ex concessione apostolica obtineres, prout obtines de presenti: Nos tibi, ut statum tuum iuxta pontificalis dignitatis exigentiam decentius tenere valeas, — — tecum, quod etiam — monasterium praefatum — — una cum dicta ecclesia (i. e. Culmensi), ut prius quoad vixeris et illi praefueris, retinere, libere et licite possis ac valeas, — — tenore praesentium de specialis dono gratiae dispensamus.“ *Die Bullen an den König Johannes von Polen und an den Erzbischof von Gnesen liegen im Original im Culmer Diöc.-Archiv. Von den Bullen an das Domcapitel von Culm und an die Vasallen sind nur Abschriften im bischöflichen Archiv zu Pelplin vorhanden.*

## 1201.

***1693. November 19. Culmsee.*** *Verschreibung des Culmer Domcapitels über vier Hufen in Pacoltowo.*

Nos Praelati et Canonici totumque Capitulum ecclesiae cathedralis Culmensis, significamus praesentibus literis nostris, quorum interest, universis et singulis, supplicasse nobis humiliter et vicibus repetitis nobilem Mathiam Zybultowski de Pacoltowo, quatenus

ipsi vel vetus privilegium confirmaremus vel novum confici super mansis quatuor Kamieńskie dictis, in eadem villa Pacoltowo sitis, gratiose mandaremus. Nos submissae eiusmodi supplicationi inclinati, licet quidem dictus nobilis Zybultowski ob suam proterviam ac molestiam subditis nostris necnon frequentes jurisdictionis arcis nostrae Cavernik contra eundem quaerulationes, tum etiam ob defectuosum consensum capituli (cum his in actis capitularibus non reperiatur), quo accedente bona praefata Kamieńskie hactenus possidebat, merito privilegio suo ac privilegiatis bonis privari debuisset; quia tamen eadem a multis annis fide bona possedit, minimeque per ipsum stetit, quod consensus supramemoratus non sit actis insertus, neque facili de causa praedecessorum nostrorum gratiae et privilegia, quae iustis de causis benemeritis contulerunt, abrogare dedecent, faciendum esse duximus, ut eidem dictum privilegium renovaremus, prout de facto renovamus, damus et conferimus per praesentes (excepta nihilominus taberna et libera cerevisiae propinatione, non tamen braxatione ad solum suam duntaxat mensam) more aliorum in districtu nostro Cavernik nobilium vasallorum jure culmensi perpetuo. Facultatem dantes eidem nobili Zybultowski, consorti eius Annae ac legitimis eorum successoribus, mansos praefatos Kamienskie ita longe late et circumferentialiter, prout ab antiquo in suis metis et limitibus continebantur, cum suis aedificiis attinentiis et pertinentiis, cum omni dominio et proprietate, cum libera piscatione pro mensa in fluvio Drwęca, quam longe agros praedictae villae Pacoltowo alluit et non ultra, habendi, tenendi, possidendi, locandi, vendendi, etiam (praevio tamen consensu nostro) permutandi, alienandi et ad quosvis beneplacitos suos usus convertendi. Ita tamen quod praefatus Zybultowski eiusque successores nobis, quoties opus fuerit, ut alii nobiles vasalli in uno equo levis armaturae inservire, et in recognitionem dominii quotannis pro festo s. Martini ad curiam Cavernecensem unam libram cerae cum quinque obolis prussicis, ac nomine annonarum aratralium quindecim grossos persolvere, atque in iis, quae ad statum et bonum ordinem villae praefatae observentur, spectabunt, caeteris idem Zybultowski ac successores eius confirmari tenebuntur; juribus quoque ecclesiae et reipublicae salvis oneribus. Quod si autem ipse refractarium se et rebellem in aliquo jurisdictioni curiae Cavernecensis exhibuerit vel successores eius exhibuerint maxime in conferendo publicis contributionibus, ipso facto hoc suum amittent privilegium. In praemissorum vero omnium fidem sigillum capitulare est subappensum. Dabantur Culmsae in capitulo generali s. Martini die 19 Novembris anno domini 1693. Praesentibus perillustribus et reverendis dominis Felice Kretkowski archidiacono, Chrysostomo Olszowski decano, Thoma Prątnicki praeposito, Petro Rostkowski custode, Joanne Niczkowski procuratore, Petro Konoiadzki poenitentiario, Thoma Bogoria Skotnicki suffraganeo, Severino Szczuka, praelatis et canonicis.

*Eine aus dem Privilegienbuche des Culmer Domcapitels im Jahre 1758 gefertigte und beglaubigte Abschrift im Archive des Culmer Domcapitels in Pelplin.*

## 1202.

***1695. Mai 31. Culmsee.*** *Das Domcapitel von Culm wählt den Bischof Stanislaus Hyacinth Swięcicki von Chelm zum Bischof von Culm.*

In nomine domini Amen. Cunctis praesenti publico electionis instrumento pateat evidenter et sit notum, quomodo anno a nativitate domini nostri Jesu Christi Millesimo Sexcentesimo Nonagesimo Quinto, indictione romana tertia, pontificatus autem sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Innocentii divina providentia Papae eius nomine XII. anno eius coronationis quarto, die vero Martis trigesima prima mensis Maii, in mei notarii apostolici testiumque infrascriptorum ad id specialiter vocatorum et rogatorum praesentia, praesentes et personaliter constituti Perillustres Reverendissimus et Admodum Reverendi domini Felix Kretkowski archidiaconus, Cancellarius Vladislaviensis, canonicus Gnesnensis, Thomas Bogorya Skotnicki dei et apostolicae sedis gratia episcopus Lycopoliensis, suffraganeus et sede vacante episcopatus Culmensis et Pomesaniae generalis administrator, Joannes Nyczkowski Mariaeburgensis et Severinus Szczuka Thorunensis praepositi, ecclesiae cathedralis Culmensis praelati et canonici, capitulariter instante Perillustri et Admodum Reverendo domino Joanne Liskowski, Chełmensi Zamoscensi canonico, S. R. M$^{tis}$ necnon illustrissimi ac reverendissimi domini domini Stanislai Hyacinthi in Swięcice Swięcicki, dei et apostolicae sedis gratia episcopi Chelmensis, abbatis Lubinensis, nominati episcopi Culmensis, ablegato, congregati, mihi ac testibus infrascriptis optime cogniti, invocata Spiritus S. gratia occupatisque locis suis, Capitulum particulare inchoarunt. Quo inchoato is idem perillustris dominus Ablegatus ad locum capitularem invitatus tam regiam circa orphanitatem ecclesiae et dioecesis huius Culmensis et Pomesaniae, post mortem et obitum illustrissimi et reverendissimi domini olim Casimiri Szczuka, episcopi Culmensis et Pomesaniae, abbatis Paradisiensis vacantis, sollicitudinem, quam et animi praelibati illustrissimi et reverendissimi Nominati propensionem, sat eleganti sermone explicabit, finitoque sermone suo credentiales literas a S. R. M$^{te}$ et Ill$^{mo}$ Dno Nominato capitulariter reposuit. Itaque post eiusdem perillustris domini Ablegati recessum suprascripti Perillustres Reverendissimus et Admodum Reverendi domini Praelati et Canonici ecclesiae cathedralis Culmensis, receptis cum ea qua par est reverentia praedictis literis, easdem publice perlegerunt, et intellecta intentione regia ad electionem condescenderunt, quam per sententias et vota publica faciendo eaque menti et nominationi S. R. M$^{tis}$ accommodando, alte memoratum illustrissimum ac reverendissimum dominum Stanislaum Hyacinthum Swięcicki, episcopum Chełmensem, abbatem Lubinensem, virum tam virtutibus praeclaris quam meritis erga patriam grandaevum, generis nobilitate illustrem, quibusvis regni functionibus insignem, inter regni antistites consecratione primum, ipso Maiestatis Regiae elogio dignissimum, in episcopum et pastorem suum totiusque dioecesis Culmensis et Pomesaniae concordibus votis in dei nomine elegerunt et electum publicarunt.

Invitatoque demum suprascripto perillustri domino Ablegato ad locum capitularem, eidem electum in episcopum Culmensem et Pomesaniae supradictum Ill$^{mum}$ dominum Stanislaum Hyacinthum Swięcicki episcopum Chełmensem denunciarunt, taliterque finito Capitulo suo ex loco capitulari recesserunt. Super quibus omnibus et singulis praemissis suprascripti Perillustres Reverendissimus et Admodum Reverendi domini Praelati et Canonici ecclesiae praedictae cathedralis Culmensis petierunt a me notario apostolico infrascripto unum vel plura confici et extradi publicum instrumentem sive instrumenta. Acta sunt haec Culmsae in ecclesia cathedrali tituli SS. Trinitatis locoque capitulari, anno, indictione, pontificatu, die, mense, quibus supra. Praesentibus ibidem Admodum Reverendo Sebastiano Gierłowski, decano Culmsensi, parocho Czarnoviensi, venerabilis Culmensis Capituli secretario, et generoso Vladislao Gorecki, equite Polono, tenutario Mroczensi, testibus ad praemissa vocatis, rogatis specialiter et adhibitis.

Et quia ego Thomas olim Andreae Skomorowski, s. authoritate apostolica publicus et causarum Judicii administratorialis sede vacante Episcopatus Culmensis et Pomesaniae notarius etc.

*Abschrift im bischöflichen Archiv zu Pelplin und in Sedlags Manusc. pag. 532.*

## 1203.

***1696. Juni 24. Culmsee.*** *Das Domcapitel von Culm erneuert die Verschreibung über die Mühle zu Konczewice.*

Praelati, Canonici Totumque Capitulum Ecclesiae Culmensis. Significamus praesentibus literis nostris, quorum interest, universis et singulis, quod cum molendinum nostrum in fundo villae Konczewice situm, possessionis pro tunc honesti Joannis Sikorski, non huius data occasione sed solius dei permissu ictum fulmine, fere totaliter cum suis aedificiis conflagraverit, supplicatum est nobis, quatenus habito respectu eiusdem conflagrationis et incinerationis subsidium aliquod intuitu velocioris restaurationis sibi conferre ac privilegium maioris securitatis ergo super praefatum molendinum, siquidem in locum conflagratorum nova aedificia et ipsum aquaeductum majorem construere, sumptibus non exiguis sese offerat memoratus Sikorski, benigne ipsi concedere dignaremur. Nos igitur supplicationi huiusmodi iustae annuere bonaque nostra conservare, quinimo ad meliorem frugem reducere cupientes, faciendum nobis duximus, ut eidem incinerato molitori et subsidium expetitum et privilegium desuper daremus. Prout quidem indulta sibi unius quartualis pro anno duntaxat 1695 pensione ac condonatis ex portione nostra centum sexaginta quatuor florenis ad nos iure caduco ex vi directi dominii post obitum olim honesti Joseph Prawiewraz dicti molendini immediati possessoris, qui intestatus absque liberis et propinquis decessit, iuxta taxam bonorum per Officium civile consulare Culmsense ac repartitionem nostram in capitulo generali s. Martini die

18 Novembris anno 1695 peractam devolutis, privilegium quoque damus et conferimus praesentibus, ita ut saepefatus Joannes Sikorski molitor suis cum successoribus legitimis, qui de facto, actu et arte sint molitores, sub amissione juris successivi, in bona praefata vi eiusdem privilegii, nisi sint eiusdem artis molendinariae periti, illud idem molendinum cum duobus mansis aliisque pertinenciis, pratis, pascuis, campis, aedificiis, quae constructurus est, teneat, habeat, possideat et in suos quosvis usus beneplacitos convertat, prout illud antecessores ipsius ab antiquo possidebant iure Culmensi perpetuo cum facultate dandi, donandi, vendendi, permutandi, nostro tamen speciali consensu accedente. Si vero, quod absit, aggerem aliqua ex causa rumpi contigerit, eum praedictus molitor suis cura et impensis restaurare tenebitur toties, quoties opus fuerit. Ratione vero praefati molendini is idem molitor cum suis successoribus mediam lastam farinae siliginis quolibet quartuali nobis solvere, et Culmsam punctualiter devehere, necnon brasea nostra ad usum duntaxat nostrum domesticum, et ospam, quoties ipsam devecturi sumus, sine quavis metreta et solutione molere tenebitur et erit adstrictus. Juribus nostris ecclesiae et reipublicae manentibus. In cuius rei fidem praesentes sigillo nostro maiori communiri fecimus. Datum Culmsae in capitulo generali S. Joannis Baptistae anno domini 1696. Praesentibus Perillustribus Rndmo AA. RR. DD. Felici Kretkowski archidiacono, Thoma Prątnicki praeposito, Petro Rostkowski custode, Joanne Nyczkowski procuratore, Thoma Bogorya Skotnicki suffraganeo et sede vacante administratore, Severino Szczuka oeconomo, praelatis et canonicis.

Felix Kretkowski archidiaconus Culmensis et praeses capituli mpp.

*Original auf Pergament mit dem Siegel des Domcapitels in einer Blechkapsel an rother Schnur im Archive des Domcapitels zu Pelplin.*

## 1204.

***1699. Mai 30. Warschau.*** *August II., König von Polen, ertheilt dem Bischof Theodor Potocki von Culm für seine Person das Recht, alle geistlichen Aemter und Beneficien königlichen Patronats frei zu besetzen.*

Augustus Secundus, dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lithvaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae, Kijoviae, Volhyniae, Podoliae, Podlachiae, Livoniae, Smolensciae, Severiae Czernichoviaeque, necnon haereditarius dux Saxoniae et princeps Elector. Significamus praesentibus literis nostris, quorum interest, universis et singulis, quia nos animo advertentes multas passim negligentias in ecclesiis fieri ob minus idoneam electionem et provisionem beneficiorum quorumvis ecclesiasticorum, hisque negligentiis ac scandalis occurrere volentes, ut iusto ordine ac iudicio sacerdotia provideantur ac dispensentur, faciendum esse duximus, ut omnes praelaturas, canonicatus aliaque in genere beneficia collationis nostrae in cathedrali aliisque omnibus ecclesiis, utpote archipresbyte-

ratus, praeposituras, parochias nec non alia beneficia iurisdictionalia curata et simplicia, ad dispositionem et liberum arbitrium R$^{di}$ in Christo patris domini Theodori Potocki, episcopi Culmensis et Pomesaniae, daremus et conferremus, prout praesentibus literis nostris damus et conferimus, ita ut plenam et omnimodam habeat potestatem et facultatem pro se tantum, non vero successoribus, dictas praelaturas, canonicatus et beneficia personis idoneis omni meliori modo ac selectione, non exspectatis praesentationis et provisionis nostrae literis, conferendi ad eaque instituendi, in quo ipsius fidem ac conscientiam onerantes concessionem hanc nostram nullius exspectativae (!) jurispatronatus concessi vim habere volumus. Quod omnibus in universum ad notitiam deducentes mandamus, quatinus per suam sinceritatem praesentatos, institutos ac investitos pro veris ac legitimis, tanquam a nobismet ipsis praesentatos institutos habeant et agnoscant, ac ab aliis haberi et agnosci curent. Pro gratia nostra. In quorum fidem praesentes manu nostra subscriptos sigillo regni communiri iussimus. Datum Varsaviae die XXX mensis Maii anno domini MDCIC. regni vero nostri II anno.

Augustus Rex.

*Nach einer Abschrift im bischöflichen Archiv zu Pelplin in Sedlags Manuscr. p. 540.*

## 1205.

***1699. September 30. Althausen.*** *Verhandlung über die Errichtung der Scholasterie an der Kathedralkirche zu Culmsee.*

(Die) Mercurii 30 Septembris 1699. Coram Excellentissimo Ill$^{mo}$ et R$^{mo}$ Domino Theodoro Potocki, dei et apostolicae sedis gratia episcopo Culmensi et Pomesaniae, inque eius publica causarum audientia comparuerunt personaliter Perillres et Adm Rndi domini Felix Kretkowski, archidiaconus Culmensis, cancellarius Vladislaviensis, canonicus Gnesnensis, et Thomas Szultz Prątnicki, praepositus cathedralis Culmensis et Lubaviensis, uti a venerabili Capitulo ecclesiae cathedralis Culmensis eum ad effectum specialiter deputati, suo caeterorumque praelatorum et canonicorum totiusque praedicti Capituli ecclesiae cathedralis Culmensis nomine, in termino hodierno ex literis Cridae in vim generalis edicti ex Cancellaria Suae Ill$^{mae}$ Celsitudinis emanatis et debite, prout a tergo earundem apparebat, tam in ecclesia cathedrali Culmensi, quam in praepositali S. Spiritus Brodnicensi executis, legitime incidenti, contumaciam omnium et singulorum sua ex adverso ius et interesse aliquod ad praesens negotium sese quovis modo habere putantium et praetendentium, citatorum et nullatenus comparentium, accusaverunt, et in eorum contumaciam producto decreto venerabilis Capituli ecclesiae cathedralis Culmensis, in generali Capitulo S. Joannis Baptistae anno presenti 1699 prolato, quo mediante ultra summam trium millium florenorum polonicalium, per suam Ill$^{mam}$ Celsitudinem de mera liberalitate et munificentia sua pro fundatione Scholasteriae in ecclesia cathedrali Culmensi die

26 Junii in arce Papoviensi coram personis capitularibus vivae vocis oraculo gratiose appromissam et declaratam, idem v. Capitulum aliam summam Zeromscianam florenorum mille quingentorum cum praefata priori trium millium summam coniungendam, in bonisque mundis et liberis pro constituendo censu annuo reemptionali applicandam applicavit, praetereaque in augmentum fundationis mansos octo capitulares ad oppidum Culmense situatos praebendae seu fundi titulo dicto canonicatui seu potius Scholasteriae annexit, mansionemque pro Scholastico destinavit, tum quoque producto consensu S. R. M$^{tis}$ super incorporationem cum universis et emolumentis praepositurae hospitalis S. Spiritus Brodnicensis saepedictae praelaturae Scholasticae in ecclesia praefata cathedrali Culmensi erigendae cum transfusione et in perpetuum donatione iurispatronatus ad praefatam praeposituram Suae Ill$^{mae}$ Celsitudini et eius succedaneis Illmis ac Rndmis dominis Episcopis Culmensibus et Pomesaniae die 14 Augusti anno praesenti emanato, manu Ser. Regis nunc feliciter regnantis subscripto, sigilloque maiori regni munito. Ad extremum reproductis praefatis Cridae literis cum debita executione, ante omnia memoratum decretum capitulare approbari, confirmari et ratificari, suprascriptas summas principales binas distinctas censuales libertati ecclesiasticae adscribi et inviscerari ac super iisdem praelaturam Scholasteriae in dicta cathedrali ecclesia authoritate ordinaria erigi, praedictos mansos octo in vim fundi seu praebendae necnon praeposituram hospitalem S. Spiritus Brodnicensem cum omnibus proventibus, fructibus et emolumentis ad eam pertinentibus eidem praelaturae uniri, annecti et incorporari, onera et obligationes constitui, personam habilem et idoneam dictae praelaturae in cathedrali ecclesia capacem praefici, locum tam in capitulo quam et in choro ecclesiae, nempe stallum inter praelatos dictae cathedralis ecclesiae assignari, ad praerogativas quasvis, iura, emolumenta, obventiones et utilitates, necnon quasvis optiones aeque cum aliis praelatis et canonicis admitti ac spectare debere declarari, iuspatronatus secundum transfusionem et ordinationem S. R. Maiestatis Suae Ill$^{mae}$ Celsitudini in posterumque Ill$^{mis}$ et R$^{mis}$ episcopis Culmensibus et Pomesaniae pro tempore existentibus ac venerabili Capitulo Culmensi adscribi et applicari, aliaque in similibus fieri solita statui, decerni et ordinari, et praemissis omnibus robur perpetuae firmitatis pariter et decretum authoritate ordinaria apponi, literasque erectionis approbationis, incorporationis, ac alias quasvis necessarias et opportunas decerni ac in forma solita ex Cancellaria extradi mandari, debita cum instantia petierunt et postularunt, salva omni etc.

Qui Exc$^{mus}$ Ill$^{mus}$ et R$^{mus}$ dominus Episcopus Culmen. et Pomesaniae altememoratus sedens audita instantia suprascriptorum perillustrium dominorum archidiaconi et praepositi ecclesiae cathedralis Culmensis nomine totius v. Capituli eiusdem ecclesiae iudicialiter coram Sua Ill$^{ma}$ Celsitudine in hodierno termino facta, eam admisit; omnes vero et singulos sua ex adverso ius vel interesse aliquod ad praesens negotium erectionis Scholasteriae Culmensis et incorporationis eidem praepositurae hospitalis S. Spiritus Brodnicensis se

habere putantes et praetendentes, literis cridae in vim generalis edicti emanatis debiteque executis citatos, diutius et ultra horam audientiae solitam expectatos, non tamen per se vel mandatarium sui in iudicio comparantes, aut contra erectionem Scholasteriae et incorporationem praedictam quidquam opponentes vel excipientes, pro contumacibus, prout merito erant, sic exigente iustitia reputavit, et in eorum contumaciam; viso decreto v. Capituli assignationis summae Zeromscianae mille quingentorum florenorum polonicalium bonae pruthenicae monetae ad aliam summam trium millium florenorum similium pro fundatione saepedictae Scholasteriae per Suam Ill^mam Celsitudinem gratiose vivae vocis oraculo declaratam adiungendae, inque aliqua bona munda et libera pro annuo censu emendo locandae, necnon destinationis octo mansorum agri versus oppidum Culmsense sitorum, ad mensam capitularem pertinentium, in generali capitulo S. Joannis Baptistae anno praesenti capitulariter facto; viso quoque consensu S. R. M^tis super facienda incorporatione praeposituraе hospitalis S. Spiritus Brodnicensis ad eandem praelaturam Scholasteriae neoerigendae, cum donatione et in perpetuum transfusione iurispatronatus et praesentandi in suam Illmam Celsitudinem pro temporeque futuros Illmos episcopos Culmenses et Pomesaniae ac Vnble Capitulum Culmense, uti fundatores dictae Scholasteriae, Varsaviae 14 Augusti anno praesenti dato, manu propria S. R. M. subscripto, sigilloque maiore regni munito, insuper Cridae literis ex cancellaria suae Illmae Celsitudinis emanatis, legitime executis; visis, iisque omnibus documentis per memoratos Perill. Dominos deputatos capitulares iudicialiter productis bene consideratis. Quando quidem in praefata ecclesia cathedrali Culmensi adeo exiguus praelatorum numerus et canonicorum existit, ut ex ea occasione iis maxime, qui ad functiones iudicum pro tribunali regni Petricoviensi et Lublinensi singulis annis eliguntur, grave incommodum generetur, dum ob paucitatem personarum capitularium saepius interveniente parvo vacationis intervallo iterum ad eandem functionem eligi debent, ac in ea magnum salutis et fortunarum dispendium pati coguntur; Proinde hac de causa numerum praelatorum et canonicorum in praedicta cathedrali ecclesia omni conatu et studio adaugere satagens, eique de personis, quae virtutum claritate generisque nobilitate ac caeterarum qualitatum praesidio eandem ecclesiam decorent adiutorioque sint in sufferendis quibusvis oneribus, providere cupiens, attenta supplicatione v. Capituli pro erectione dictae praelaturae Scholasteriae in saepedicta cathedrali ecclesia facienda per memoratos Perillustres dominos deputatos Capitulares facta: ante omnia decretum saepedictum v. Capituli in omnibus et singulis eius punctis, clausulis et conditionibus universis approbavit, confirmavit et ratificavit, defectus omnes iuris et facti, si qui intervenerunt, supplevit, praedictas binas distinctas summas, tam primam trium millium a sua Illma Celsitudine appromissam, quam aliam mille quingentorum florenorum decreto capitulari assignatam, immunitati et libertati ecclesiasticae adscripsit et invisceravit, ac super iisdem praelaturam Scholasteriae in ecclesia cathedrali Culmensi, Christi nomine invocato, authoritate ordinaria erexit, mansos praedictos octo in suprascripto decreto capitulari expressos

cum suis terminis, limitibus, pratis, campis, aliisque omnibus attinentiis et pertinentiis, ita late, longe et circumferentialiter, prout ab antiquo in suis metis continentur, in vim fundi seu praestimonii, necnon pro maiori commoditate et meliori sustentatione Scholastici praeposituram hospitalis S. Spiritus Brodnicensis iurispatronatus regii, habito eum ad effectum S. R. M$^{tis}$ consensu et beneplacito necnon moderni dictae praepositurae possessoris assensu, cum omnibus proventibus et emolumentis, iuribus, fructibus, redditibus et obventionibus, ad eam quomodolibet pertinentibus, nomine praebendae in perpetuum annexit, univit, aggregavit et incorporavit, dictamque praelaturam Scholasteriae cum praedicta hospitalis S. Spiritus Brodnicensis praepositura pro uno beneficio ecclesiastico declaravit. Ad quam quidem praelaturam Scholasteriae in praefata cathedrali ecclesia Culmensi noviter ad praesens erectam uno eodemque contextu Perillustrem et Adm. R$\bar{n}$dum dominum Albertum Mikołaiewski, decanum et parochum Brodnicensem dictique hospitalis S. Spiritus inibidem praepositum, virum generis claritate virtutibus conspicuum, instituendum ac investiendum esse decrevit, prout, recepto ab ipso super catholicae fidei professione firmiter tenenda et observanda, deque obedientia et reverentia suae Ill$\bar{m}$ae Celsitudini eiusque successoribus Ill$\bar{m}$is episcopis Culmensibus pro tempore existentibus praestanda et exhibenda, tum quoque de non alienandis nec distrahendis dictae praelaturae Scholasteriae bonis et proventibus quinimo alienatis et distractis pro posse recuperandis, alias iuxta vim et formam verborum in bulla fel. rec. Pii Papae IV. expressorum solito corporali iuramento ad S. Dei Evangelia flexis genibus praestito, per manuum suarum capiti eius impositionem instituit, praefecit et investivit, eique stallum inter praelatos in choro, locum et vocem in capitulo cum plenitudine iuris canonici assignare mandavit, et praerogativas quasvis, iura, emolumenta, obventiones, distributiones et utilitates, necnon quasvis optiones aliorum vacantium praestimoniorum et curiarum, primis nihilominus dimissis, aeque cum aliis praelatis et canonicis eiusdem ecclesiae cathedralis admittendum esse ac spectare debere declaravit. Et quia quodvis beneficium datur propter officium, neoerectum et institutum Scholasticum nunc et in perpetuum existentes futuris perpetuis temporibus ad absolvendum per se vel vicarium suum, stante vita suae Ill$^{mae}$ Celsitudinis pro peccatis, post vero sera eius fata pro anima illius, uti fundatoris sui, singulis septimanis unum missae sacrificium, residentiam continuam, fovendumque circa ecclesiam cathedralem vicarium et choralistam sub comminatione districti iudicii dei obstrinxit et obligavit. Quoties vero dictam praelaturam Scholasteriae per cessum, decessum vel quocunque alio modo vacare contigerit, stante eo, quod S. R. Maiestas ius patronatus et praesentandi, quod ei super praefatam praeposituram S. Spiritus hospitalis Brodnicensis ad praesens Scholasteriae cathedrali Culmensi incorporatam de iure competierat, diplomate Suae Ill$^{mae}$ Celsitudini et in posterum Ill$\bar{m}$is et R$\bar{n}$dmis episcopis Culmen et Pomesaniae atque v. Capitulo donavit et in perpetuum transfudit, idem iuspatronatus iuxta ordinationem S. R. Maiestatis sibi succedaneisque suis Ill$\bar{m}$is episcopis Culmensibus atque v.

Capitulo praedicto sequenti modo adscripsit et applicavit. Et quatenus per idem v. Capitulum ad eandem praelaturam Scholasteriae duo candidati habiles et idonei eiusque capaces canonice eligantur, electique Illmae Celsitudini suae et pro tempore futuris Illmis et Rmis episcopis Culmen et Pomesaniae proponantur, ex iisdemque unus praefatae praelaturae Scholasteriae Culmensi per suam Illmam Celsitudinem eiusque succedaneos Illmos et Rmos episcopis Culmen et Pomesaniae pro tempore futuros praeficiatur et instituatur, statuit et in perpetuum ordinavit, ac praemissis omnibus robur perpetuae firmitatis pariter et decretum authoritate ordinaria desuper apposuit, literasque erectionis, approbationis, incorporationis, institutionis ac alias quasvis necessarias et opportunas decrevit, easdemque in forma solita ex Cancellaria sua extradere mandavit. Praesentibus Adm. Rndis dominis Joanne Mutaczewski capellano, Joanne Mierzeiewski thesaurario, tum generosis dominis Hucz thesaurario terrae Vilcomiriensis curiae mareschalco, Martino Klemecki arcis Starogrodensis capitaneo, Josepho Matuszewic, Mathia Komornicki, Stanislao Koprowski, Suae Illmae Celsitudinis aulicis et me infrascripto actorum notario Thoma Skomorowski.

*Abschrift im bischöflichen Archiv zu Pelplin in Sedlugs Manusc. p. 537—539. Die Urkunde des Bischofs Potocki über die Errichtung der Scholasterie datirt* in arce nostra Starogrodensi die 30 Septembris a. d. 1702.

## 1206.

***1700. November 30. Löbau.*** *Theodor Potocki, Bischof von Culm, verschreibt drei wüste Hufen in Rosenthal dem Organisten Simon Koscinski auf dreissig Jahre.*

Theodorus Potocki, dei et apostolicae sedis gratia episcopus Culmensis et Pomesaniae. Significamus praesentibus literis nostris, quorum interest, universis et singulis. Expositum nobis fuisse, existere tres mansos desertos in villa nostra episcopali Rosental ab hostilitate suetica steriliter iacentes nullumque hactenus fructum et proventum mensae nostrae episcopali adferentes, adeoque vi iuramenti et obligationis nostrae conditionem bonorum episcopatus nostri, quantum possumus, meliorem reddere cupientes, non minusque recommendatum habentes solertiam et rei familiaris peritiam discreti Simonis Koscinski, organarii ecclesiae parochialis Rosentalensis, faciendum esse duximus, quatenus ipsi praedictos mansos, utpote duos Jagwędrowskie dictos inter mansos sculteti alias Czarny Szołtys dicti ex una et laboriosi Łas cmethonis eiusdem villae Rosental ex altera, tertium vero Piotrowski nuncupatum inter duos Piotrowskie dictos ab una, ex altera vero parte penes rivum Ryki vulgo nuncupatum iacentes, daremus et conferremus, uti quidem, accedente ad id venerabilis Capituli ecclesiae nostrae cathedralis consensu, cum omnibus pratis, campis, areis, limitibus, omnibusque aliis pertinentiis ad eosdem mansos ab antiquo spectantibus, praesenti privilegio nostro ipsi Simoni Koscinski et Barbarae Ewentowna coniugibus eorumque legitimis successoribus ad annos triginta, immediate a data praesentium sequentes, damus et conferimus. Ratione quorum trium mansorum liberae possessionis

memorati Koscinscii coniuges eorumque successores aratralia consueta more aliorum colonorum episcopatus nostri, modium scilicet tritici et totidem siliginis, praetereaque census nomine per florenos quatuor a quolibet manso, in summa duodecim florenos pruthenicos necnon capones duos saginatos quotannis pro festo s. Martini ad arcem nostram Lubauiensem pendere tenebuntur. Promittimus autem pro nobis et illustrissimis successoribus nostris episcopis Culmensibus et Pomesaniae, quod praefatos Koscinskii coniuges eorumque successores circa usum et possessionem praememoratorum mansorum conservabimus reverendissimique successores nostri conservabunt et manutenebunt usque ad superius praefatum tempus. Iuribus nostris ecclesiaeque catholicae et reipublicae salvis manentibus. In quorum fidem praesentes manu nostra subscriptas sigillo solito muniri mandavimus. Dabantur in arce nostra Lubauiensi die 24ª mensis Novembris anno domini 1700.

Theodorus Epus.

*Original auf Pergament mit Einschnitten für zwei Siegel im Culmer Diöc.-Archiv. Auf der Rückseite steht ein Vermerk vom 29. April 1724, dass der Bischof Felix Kretkowski die Urkunde unter der Bedingung bestätigt habe, dass den vorgeschriebenen Verpflichtungen nachgekommen und der Consens des Domcapitels nachgeholt werde bei Verlust aller Rechte.*

## 1207.

***1701. Juli 16. Warschau.*** *August II., König von Polen, bestätigt den Benedictiner-Nonnen zu Thorn das Recht, zu ihrem Bedarf Bier zu brauen und verleiht ihnen Accisefreiheit und andere Rechte.*

Augustus secundus, dei gratia rex Poloniae, magnus dux Litvaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae, Livoniae, Volhyniae, Podlachiae, Podoliae, Smolensciae, Czerniechoviaeque necnon Saxoniae haereditarius dux, princeps et elector. Significamus praesentibus literis nostris, quorum interest universis et singulis, nobis ex innata erga cultum divinum pietate inter caeteras regii pectoris nostri curas principalem esse zelum ac potissimum conatum nostrum, ut incrementis bonorum ecclesiasticorum omni ratione patrocinari studeamus. Quamobrem et ad praesens ob humillimam supplicationem per certos consiliarios nostros, lateri nostro assistentes, nomine religiosarum ac deodicatarum Abbatissae et totius conventus Thorunensis, ordinis S. Benedicti, ad ecclesiam S. Jacobi antiquitus fundati, virginum sanctimonialium nobis porrectam, quatenus eisdem deodicatis virginibus braxationem cerevisiae concederemus: facile ad hoc nostrum inclinavimus animum, braxationem et propinationem cerevisiae eisdem religiosis virginibus concedendam esse duximus, prout insistendo juribus privilegiis ac decretis ipsarum eo nomine intercessis et habitis, tum usui et consuetudini antiquae earumdem in hucusque observatae, necnon Constitutioni anni 1669 respectu bonorum ecclesiasticorum sancitae, tum denique in sublevamen summae egestatis, quam patiuntur ob non restitutam a civitate Thorunensi suae ecclesiae dotem, concedimus jure irrevocabili tituloque largimur et donamus. Ita ut

praedictam cerevisiam in suis, videlicet Winnica Złotagora, tum S. Spiritus, sic dictis, et aliis fundis tam intra quam extra civitatem Thorunensem existentibus, pro sua suique conventus et incolarum suorum in praefatis fundis manentium, tum debilium ac imbecillium personarum in coenobio existentium necessitate braxent, in usum et potationem dictorum tantummodo sub jurisdictione sua existentium incolarum faciant distrahi ac divendi. Frumenta quoque et quaevis victualia, sive in publico civitatis foro libere emendi, sive extra civitatem empta, aut ex praediis allata, libere sine quavis pensione et vexatione per portas civitatis ad monasterium adducendi, advehendi, apportandi, in propriis fundis intra et extra civitatem domos aedificandi, incolas habendi, et hortos colendi facultatem, immunitatem, libertatem eisdem deodicatis virginibus in perpetuum concedimus damus et largimur. In cuius rei fidem praesentes manu nostra subscriptas sigillo regni nostri communiri jussimus. Datum Varsaviae die XVI Julii anno domini MDCCI Regni vero nostri V°.

Augustus Rex.

*Original auf Pergament mit dem Reichssiegel in einer Blechkapsel an grünem Bande im Archiv der S. Jacobskirche in Thorn.*

## 1208.

***1702. Juni 10. Althausen.*** *Theodor Potocki, Bischof von Culm, beauftragt eine Commission, die Klagen über die letzte Vertheilung der Hausländereien in Culm an die Hausbesitzer zu untersuchen.*

Theodorus Potocki, dei et apostolicae sedis gratia episcopus Culmensis et Pomesaniae, perillustri et admodum reverendis dominis Severino Szczuka, archidiacono ecclesiae nostrae cathedralis, fratri nostro observando, Sebastiano Gierłowski decano Culmsensi, parocho Czarnoviensi, commissariis nostris, tum nobili Antonio Kielinski proventuum arcis nostrae Starogrodensis generali notario, atque Joanni Proppe proconsuli civitatis nostrae Culmensis, specialiter ad infrascripta deputatis, salutem in domino. Noverint fraternitas vestra et respective dominationes vestrae exortas esse inter cives nostros Culmenses lites et controversias, ea vel maxime de causa, quod spectabilis magistratus circa modernam elocationem agrorum emensuratorum, qui ad domos lapideas areas hacce in civitate existentes ad singulos annos quinquaginta adduntur, non servato quasi justitiae gradu, distribuerit, quibus sopiendis, licetsi commissarios nostros deputaveramus, nichilominus cum nec per eandem commissionem dicti cives sunt pacificati, quin potius injuriatos se esse praetendunt, maxime cum praedicta commissio agrorum ipsorum, de quibus res est, revisionem, quae ad pacificandum hocce negotium est summe necessaria, ob superexistentem pro tunc nivem facere non potuit. Idcirco ut tandem inter illum populum pacem et tranquillitatem facere nosque ab importunissimis illorum querelis liberare queamus, novam commissionem ad effectum revisionis eorundem agrorum expediendae adinvenimus. Quapropter f. v. et respective DD. v., quorum fidem, prudentiam

et in rebus gerendis dexteritatem probe cognitam habemus, committendum esse duximus committimusque per praesentes. Quatenus praesentibus literis nostris receptis, in civitate Culmensi descendendo fundataque commisoriali sua jurisdictione, domos lapideas omniaque aedificia tum et areas in civitate Culmensi ubilibet existentes, situm loci, qualitatem eorundem aedificiorum, restaurationem aut ruinas bene revideant et per classes describant, factaque domorum aedificiorum et arearum lustratione, ad ipsos agros emensuratos sese conferant, eosque pariter revideant, per classes situm, bonitatem, qualitatem, quantitatem omnesque circumstantias fideliter describant, nobisque informationem manibus suis subscriptam in occluso rotulo remittant, aliaque omnia pro pleniori nostra informatione in praemissis quomodolibet necessaria faciant, authoritate nostra, qua f. v. et respective dd. vv. fungi hac in parte volumus. In quorum fidem etc. Dabantur ex arce nostra Starogrodensi, die decima Junii, Anno Millesimo Septingentesimo Secundo.

Theodorus Epūs. Stanislaus Hosius Vladislaviensis, Culmensis canonicus, causarum curiae suae Ill^mae^ Celsitudinis cancellarius.

*Original auf Papier mit der eigenhändigen Unterschrift und aufgedrücktem Siegel des Bischofs im Archive des Domcapitels in Pelplin.*

## 1209.

***1703. November 26. Rom.*** *Papst Clemens XI. ernennt den Elect Severin Szczuka, geboren in der Diöcese Plock, 48 Jahre alt, seit mehreren Jahren Priester und Professor der Philosophie und Theologie, und Propst von St. Johann in Thorn, zum Bischof von Joppe und Suffragan von Culm.* Datum Romae apud s. Mariam maiorem anno inc. dom. Millesimo septingentesimo tercio. Sexto Kal. Decembris. Pont. n. anno Tertio.

*Original auf Pergament mit der Bulle im Culmer Diöc.-Archiv.*

## 1210.

***1721. Juni 25. Löbau.*** *Johann Casimir von Alten-Bokum, Bischof von Culm, verleiht Thomas Skomorowski, dessen Frau und Erben 10 Hufen im Dorfe Grzegorz (Kirchspiel Bischöflich Papau) auf 40 Jahre zu emphyteutischem Rechte.*

Joannes Casimirus de Alten Bokum, dei et apostolicae sedis gratia episcopus Culmensis et Pomesaniae, abbas Czervenensis, procancellarius regni. Significamus praesentibus literis nostris universis et singulis eam esse mentem nostram, ut, quamvis omnibus, regimini nostro subjectis paria benevolentiae nostrae testari soleamus studia, iis tamen singulariora gratiae nostrae praestare consuevimus beneficia, qui apud nos plurimis meritorum suorum recommendantur testimoniis. Cum igitur generosus Thomas Skomorowski, S. R. Majestatis secretarius, ab annis viginti septem hac in dioecesi apud illustrissimos binos antecessores nostros episcopos Culmenses et Pomesaniae et consistorii nostri notarius, tam praedictis illustrissimis antecessoribus nostris quam et apud nos benemeritos

existat, volentes ipsum ad ulteriora praestanda nobis obsequia promptiorem et alacriorem reddere, faciendum ei esse duximus, ut ipsi ejusque generosae consorti Justinae et successoribus illius, in fundo certo, Grzegorz nuncupato, ad clavim nostram Starogrodensem pertinente, arboribus, dumetis et densis indaginibus repleto et in minima parte sui tantum aperto, et expurgato, decem mansos agri mensurae Culmensis, per commissarium nostrum ipsi emensurandos, sumptibus eius propriis per eum excolendos et expurgandos iure emphiteutico ad decursum annorum quadraginta daremus et conferremus. Uti quidem accedente venerabilis Capituli ecclesiae nostrae cathedralis Culmensis et s. sedis apostolicae beneplacito ad effectum meliorandorum et augendorum bonorum mensae nostrae episcopalis cum omnibus stagnis, dumetis, rubetis, virgultis in iisdem mansis reperibilibus, aquarum decursibus, pratis, pascuis, areis, hortis omnibusque aliis attinentiis et pertinentiis ita late, longe et circumferentialiter, prout dicti decem mansi per ipsum expurgandi, in suis metis et terminis emensurandi continebuntur, iisdem generosis Skomorowski coniugibus eorumque successoribus ad decursum usque quadraginta annorum, ab hinc immediate sequentium, (excepta tamen sylva et arboribus extra quantitatem decem mansorum in eodem fundo existentibus, quam dicti generosi emphiteutae per custodem dictae sylvae suis sumptibus fovendum conservare tenebuntur), damus et conferimus per praesentes. Ita ut praesentis privilegii virtute dicti generosi Skoromowscy coniuges supradictos decem mansos eradicare, expurgare, excolere et fructiferos reddere, taliterque expurgatos et excultos cum omni utilitate suis cum successoribus usque ad decursum quadraginta annorum tenere et possidere, aedificia ibidem pro commodo et necessitate sua suorumque colonorum erigere, oves et armenta sua fovere, cerevisiam braxare, crematum distillare eandemque suis colonis tantum ibidem erigendis propinare (sine tamen praeiudicio tabernarum nostrarum in vicinis villis existentium) aliaque omnia commoda et emolumenta commoditatis et fructus sibi facere et procurare possint et valeant. Ratione quorum decem mansorum dicti generosi Skomorowscy coniuges eorumque successores in recognitionem directi dominii nostri, nomine canonis, post expurgationem eorundem mansorum et lapsum annorum decem, marcas viginti pruthenicales ad arcem nostram Starogrodensem pro festo s. Martini pontificis et confessoris singulis annis suis cum successoribus pendere et solvere, curiam, horrea, stabula aliaque aedificia curialia atque domos colonales construere et praeterea custodem dictae sylvae in eadem fundo existentis suis sumptibus fovere eandemque sylvam conservare tenebuntur. Ad nulla vero alia onera erunt adstricti. Insuper de speciali nostra gratia eosdem generosos Skomorowskich coniuges ipsorumque successores ab omni prorsus iurisdictione praefectorum arcis nostrae Starogrodensis eximimus et soli nostrae, illustrissimorum successorum nostrorum episcoporum Culmensium aut sede vacante venerabilis Capituli iurisdictioni incorporamus; et ab omnibus oneribus publicis, per decennium tantum, idque intuitu eradicationis dictorum mansorum et sumptuum in erigenda aedificia, tam praedialia quam colonorum per ipsos erigendorum eosdem liberamus.

Promittimus vero pro nobis et reverendissimis successoribus nostris, quod eosdem generosos Skomorowskich coniuges ipsorumque successores circa praesens privilegium mansosque decem praedictos in eo contentos usque ad decursum quadraginta annorum conservabimus et manutenebimus reverendissimique successores nostri conservabunt et manutenebunt. Post expirationem vero annorum praedictorum quadraginta dicti generosi Skomorowsci coniuges successoresque ipsorum, priores et potiores erunt ad tenendos eosdem mansos simili iure emphiteutico nec prius de bonis praefatis cedere debebunt, in casum alterius dispositionis illustrissimorum successorum nostrorum episcoporum Culmensium, nisi ipsis medietas aedificiorum tam praedialium quam colonalium ex aerario episcopali juxta taxam bonorum virorum persolvatur. In quorum fidem praesentes manu nostra subscriptas sigillo solito communiri mandavimus. Datum in arce nostra Lubaviensi die 25 Junii anno 1721.

Jo. Casimirus, Eppus Culmen. ssc.

*Original auf Papier mit aufgedrücktem Siegel des Bischofs und Domcapitels im Archiv des Domcapitels zu Pelplin.*

## 1211.

***1724. October 30. Warschau.*** *Urtheil des königlichen Assessorialgerichts zu Warschau, bestätigt durch den König August II., über die Theilnehmer an dem Tumult bei der Erstürmung des Jesuitencollegiums in Thorn. Nach Erzählung des am 16. und 17. Juli Vorgefallenen und namentlicher Aufführung der Beisitzer des Gerichts werden gegen die Einzelnen die Strafen festgesetzt. Sie bestehen in Todesstrafe und verschärft durch Abhauung der Hand, Viertheilung und Verbrennung, Amtsentsetzung, Gefängniss, Geldstrafen und körperlicher Züchtigung. Sodann heisst es:* „Et quoniam frequenter hi tumultus praepotentia acatholicorum in civitate Thorunensi fiunt eosdemque magistratus acatholicorum sedare et compescere negligit, immo conniventer se habere in illis consuevit, ideo ad coercendam facilius insolentiam et licentiam populi acatholici, tumultibusque ulterioribus contra catholicos usu iam ferme receptis in futurum obviando, atque Constitutionem regni anni 1638 ad executionem deducendo, statuimus et ordinamus, quatenus ab hinc in futurum in Magistratu consulari, Scabinatu et Sexaginta viratu ac in officio Secretariorum sit medietas catholicorum, idque per electionem iuxta praescriptum iurium civitatis (quae illaesa esse volumus) procedendo, in locum demortuorum vel post ascensum aut resignationem acatholicorum ad eadem officia assumendorum, incipiendo statim post remotos praesenti decreto a suis officiis, quos catholicos in praesentia commissariorum ad executionem praesentis decreti deputatorum eligent, pariter ad ius civile suscipiendum contuberniaque sua et officia catholicos sine cunctatione admittent, et in servitio militari civili medietatem catholicorum, officiales autem militum catholicos semper habeant, idque sub poena quingentorum aureorum memorata Constitutione regni anni 1638 vallata, per generosum Instigatorem regni in iudiciis nostris vindicanda et sub nullitate electionis in contrarium praesenti decreto peractae. — Ut autem cultus divinus augeatur et honor laesus deiparae per combustionem illius statuae et imaginum sanctorum reparetur fidesque catholica in eadem civitate depressa reflorescat et propagetur, admissa interventione religiosorum Ordinis s. Francisci de observantia (qui soli in regno nostro Bernardini vocantur), ecclesiam B. Mariae V. antea in possessione eorundem religiosorum Ordinis s. Francisci de observantia existentem, tanquam proprietariis et ultimis ante occupationem per acatholicos huius ecclesiae possessoribus, cum supellectili ecclesiastica et bibliotheca, quae et qualis intercepta est, et ex inventario, antiquitus conscripto per nobilem et spectabilem magistratum Thorunensem, producendo eiusdem ecclesiae propria esse apparuit, et gymnasium, quod ex monasterio eorum acatholici sibi fecerunt,

iisdem religiosis Bernardinis adiudicamus, et ut ipsos Commissarii nostri ad executionem decreti nostri praesentis deputati reinducant, illis committimus. Quam reinductionem nobilis et spectabilis magistratus et ordines et nemo ex populo acatholicus civitatis Thorunensis seu quaevis persona impugnare audebit sub poena infamiae, quam decernimus, et terminum publicandae coram Commissariis nostris iisdem conservamus. processiones quoque publicas statis temporibus cum sanctissimo Sacramento iuxta morem et institutionem ecclesiae catholicae, tum sepulturas processionaliter publicas catholicorum (uti olim fuerant), acatholici impedire et interturbare in eadem civitate ne audeant, prohibemus et poenam quingentorum aureorum aliasque per iudicium nostrum decernendas et extendendas interponimus. — Scripta typis impressa, sarcasmos et convitia in ludibrium et contumeliam fidei catholicae ecclesiaeque orthodoxae continentia, ut et hymaenea per Gereth praedicantem sacra miscendo profanis concepta cassamus et ad rogum per executorem iustitiae comburenda damnamus, ipsumque Gereth et Oloff praedicantes ob non comparitionem coram Commissariis nostris et in iudicio nostro non datamque in obiectis sibi iustificationem, infames et proscriptos esse de regno declaramus. Et ut reliqui praedicantes Thorunenses modeste se gerant, fidem catholicam et spiritualem statum dictis et scriptis suis famosis non laedant et typographia Thorunensis nonnullos libros et scripta sine facultate lociordinarii et censura theologi ab eodem constituti, imprimere audeat, severe et sub confiscatione typographiae interdicimus. — Et siquidem occasione binorum studiorum et studiosorum catholicorum videlicet et acatholicorum in civitate Thorunensi tranquillitas publica saepius turbari solet, idcirco discrimina quaevis turbasque et rixas amovendo, scholam seu studium acatholicum in civitate tam nova quam veteri Thorunensi haberi interdicimus, ad aliquam villam viciniorem civitatis vel locum extra civitatem separatum scholam seu studium transportari acatholicis permittimus. *Etc. etc.* Actum Varsaviae sub tempus Comitiorum regni generalium, feria secunda post festum ss. Simonis et Judae apostolorum proxima, die trigesima mensis Octobris anno domini Millesimo Septingentesimo Vigesimo Quarto, regni vero nostri vigesimo octavo anno.

*Nach einer Abschrift im bischöflichen Archiv zu Pelplin in Sedlags Manuscr. p. 555—568. Gedruckt: Das betrübte Thorn Berlin 1725. 4 p. 48 ff. Vgl. Rom. Frydrychowicz, Die Vorgänge zu Thorn im Jahre 1724 in der Zeitschrift des Westpreuss. Geschichtsvereins H XI S. 75 ff.*

## 1212.

***1724. November 8. Löbau.*** *Felix von Kretkowski, Bischof von Culm, erneuert die Handfeste über das Schulzenamt in Tylice im Kreise Löbau.*

Felix in Kretkow Kretkowski, dei et apostolicae sedis gratia episcopus Culmensis et Pomesaniae. Significamus praesentibus literis nostris universis et singulis, quorum interest, circa generalem privilegiorum districtus nostri Lubaviensis revisionem propositam coram nobis fuisse per honestum Josepham Karwowski, mansorum trium scultetialium in villa Tylice possessorem, certam copiam simplicem bini originalis privilegii super eosdem tres mansos in praedicta villa existentes, unius ab Ill$^{mo}$ Tidemano duos mansos continentis, alterius ab Ill$^{mo}$ Tylicki unum mansum pro praedio Guttoviensi commutatum exprimentis, episcopis Culmensibus praedecessoribus nostris cuidam Nicolao Koy, sculteto Tylicensi iure perpetuo collati, et tandem in personam dicti honesti Karwowski et Teresiae coniugum eorumque successorum devoluti, simulque per eosdem supplicatum, quatenus dictis Karwowskim suis cum successoribus ius illud antiquum ipsorum (ex quo originale privilegium propter varias hostilitates et calamitates publicas ac etiam vetustate temporum deperiit)

novo privilegio nostro approbare, ratificare in eorum personas quoad duntaxat hos mansos, quos ad praesens possident, renovare auctoritate nostra dignaremur. Quorum iustae petitioni annuentes pro stabiliendo possessionis eorundem iure faciendum esse duximus, ut suprascriptum privilegium originale approbaremus, confirmaremus et renovaremus, prout accedente venerabilis Capituli Culmensis consensu in omnibus punctis, clausulis, conditionibus et obligationibus universis in personam praefati Karwowski eiusque coniugis et legitimorum successorum iure perpetuo Culmensi approbamus, confirmamus ac etiam quoad tres mansos scultetiales praefatos et unum praeinsertum his superadditum, quemadmodum in antecessum tenebant et habebant, renovamus perpetuis futuris temporibus. Obligando eosdem ad onera et aratralia consveta ad arcem nostram Lubaviensem pro festo s. Martini pontificis et confessoris pendi solita et alias iuxta obloquentiam originalis privilegii antiquitus constituti arcis nostrae Lubaviensis cum libertate etiam, tempore scilicet pro usu suo braxandae cerevisiae absque ulla propinatione; iuribus nostris ecclesiae et reipublicae salvis manentibus. In quorum fidem idem privilegium manu nostra subscriptum sigillo muniri mandavimus. Datum ex arce nostra Lubaviensi die 8$^{va}$ mensis Novembris anno domini Millesimo Septingentesimo vigesimo quarto.

Felix Episcopus Culmensis et Pomesaniae.

*Original mit dem Siegel des Bischofs in einer Holzkapsel an grünem Bande im Archive des Domcapitels zu Pelplin.*

## 1213.

***1726. Juli 1. Rom.*** *Papst Benedict XIII. ernennt den Cistercienser Thomas Franz Czapski zum Bischof von Diana und Coadjutor perpetuus von Culm.*

Benedictus episcopus, servus servorum dei. Dilecto filio Thomae Francisco Czapski, electo Dianensi, salutem etc. Romanus Pontifex etc. Sane ecclesia Dianensi, quae in partibus infidelium consistit, ad praesens certo, quem nos praesentibus haberi volumus pro expresso, modo pastoris solatio destituta, nos vacatione huiusmodi fide dignis relatibus intellecta ad provisionem eiusdem ecclesiae celerem et felicem, ne illa longe vacationis exponatur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de praeficiendo eidem ecclesiae personam utilem ac etiam fructuosam cum venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae ecclesiae Cardinalibus habuimus diligentem, demum ad te, ordinis Cisterciensis expresso professum, de legitimo matrimonio ex catholicis nobilibusque parentibus in diocesi Vladislaviensi ortum, quadragenario maiorem, a viginti circiter annis in sacro presbiteratus ordine constitutum, qui fidem catholicam iuxta articulos iam pridem a sede apostolica propositos expresse professus es, cuique apud nos de religionis zelo, vitae mundicia, honestate morum, spiritualium providentia et temporalium circumspectione aliisque multiplicum virtutum donis fidedigna testimonia perhibentur, direximus oculos nostrae mentis. Quibus omnibus debita meditatione pensatis, ecclesiae Dianensi praedictae de

persona tua nobis et eisdem fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de fratrum ipsorum consilio apostolica auctoritate providemus, teque illi in episcopum praeficimus et pastorem, curam regimen et administrationem ipsius ecclesiae Dianensis tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo. Et insuper cupientes venerabili fratri nostro Felici Kretkouski, moderno episcopo Culmensi, attenta eius gravi etate, ne ecclesia ipsa Culmensis, cui praeesse dignoscitur, aliqua exinde in spiritualibus et temporalibus detrimenta patiatur, de coadiutore idoneo providere, te, pro quo charissimus in Christo filius noster Augustus, Poloniae rex illustris, nobis per suas literas supplicavit, eidem Felici episcopo, quamdiu ipse ecclesiae Culmensi praedictae praefuerit, in coadiutorem perpetuum et irrevocabilem in regimine et administratione ipsius ecclesiae in spiritualibus et temporalibus cum plena libera et omnimoda facultate potestate et auctoritate omnia et singula, quae ad huiusmodi coadiutoris officium de iure vel consuetudine aut alia quomodolibet spectant et pertinent, faciendi gerendi et procurandi ac etiam, postquam munus consecrationis susceperis, pontificalia munia in civitate et diocesi Culmensi exercendi, ita tamen ut, dicto coadiutoris officio huiusmodi durante, tu in administratione spiritualium et temporalium aut spiritualium et temporalium simul dictae ecclesiae Culmensis illiusque mensae episcopalis bonorum ac fructuum reddituum proventuum iurium obventionum et emolumentorum quorumcunque seu etiam illorum quantumvis minime partis quoquomodo aut quovis quaesito colore vel praetextu per te vel alium seu alios ingerere aut intromittere non valeas, nisi de expresso ipsius Felicis episcopi ad hoc accedente consensu, de simili consilio dicta auctoritate constituimus et deputamus, et nichilominus, eodem Felici Episcopo cedente vel decedente seu regimini et administrationi dictae ecclesiae Culmensis quomodolibet praeesse desinente dictaque ecclesia Culmensis quovis modo etiam apud sedem apostolicam vacante, etiam si tempore vacationis huiusmodi tu praefatum coadiutoris officium exercere non inceperis, aut per te steterit, quominus illud exercueris, ex nunc prout ex tunc et econtra eidem ecclesiae Culmensi de tua persona de simili consilio dicta apostolica auctoritate providemus, teque illi in episcopum praeficimus et pastorem, curam regimen et administrationem ipsius ecclesiae Culmensis tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo iuxta decretum Congregationis rebus consistorialibus praepositae, ita tamen ut cum primum in vim posteriorum provisionis et praefectionis huiusmodi pacificam possessionem seu quasi regiminis et administrationis dictae ecclesiae Culmensis et illius bonorum seu maioris partis eorum assecutus fueris, et postquam successioni predictae locus factus fuerit, praedicta ecclesia Dianensis vacare censeatur eo ipso. In illo, qui etc. Nos enim ad ea, quae in tuae commoditatis augmentum cedere valeant, favorabiliter intendentes, tibi ut ad praefatam ecclesiam Dianensem, donec illa ab infidelibus detinebitur, accedere et apud eam personaliter residere minime tenearis, apostolica auctoritate praedicta tenore praesentium indulgemus. Ceterum sperantes, quod tu, licet doctor non sis, quin tamen prudentia et sufficienti doctrina praeditus, et ad alios docendum aptus existens, eisdem

ecclesiis Dianensi et Culmensi esse poteris multipliciter fructuosus, motu proprio, non ad tuum vel alterius pro te nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certa scientia meraque deliberatione nostris deque apostolicae potestatis plenitudine tecum, ut eisdem ecclesiis Dianensi et Culmensi in episcopum praefici illisve praeesse ipsasque ecclesias Dianensem et Culmensem in eisdem spiritualibus et temporalibus regere et gubernare libere et licite possis et valeas, dicta auctoritate ipsarum tenore praesentium de specialis dono gratiae dispensamus. Volumus autem, quod tu etiam coadiutoris officio huiusmodi durante ab alienatione qualibet quorumcumque bonorum immobilium et praeciosorum mobilium mensae episcopalis Culmensis te penitus abstineas, et quod de gestis et administratis per te ratione coadiutoris officii praedicti iuxta tenorem Constitutionis felicis recordationis Bonifacii PP. VIII. praedecessoris nostri, que incipit „Pastoralis plenariam" rationem reddere tenearis. Volumus preterea, quod tu successioni huiusmodi loco facto aedium episcopalium reparationibus pro viribus incumbas, montemque pietatis erigi cures, quodque tenearis servare constitutionem nostram de habitu regulari, conscientiam tuam super his onerantes. Datum Romae apud sanctum Petrum anno incarnationis dominicae Millesimo Septingentesimo vigesimo sexto Kal. Julii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

*Original auf Pergament, von dem die Bulle verloren, in der Seminarbibliothek zu Pelplin. Daselbst finden sich über die Provision des Bischofs Czapski noch folgende fünf Original-Bullen auf Pergament mit demselben Datum: 1) An das Domcapitel. 2) An den Clerus der Diöcese Culm. 3) An den König August von Polen. 4) An den Erzbischof von Riga (!) und 5) Die Erlaubniss für den Electen, sich von jedem beliebigen Bischof consecriren zu lassen, mit der Klausel:* „quod per hoc venerabilibus fratribus nostris archiepiscopo Rigensi (!), cui dicta ecclesia Culmensis, et archiepiscopo, cui dicta ecclesia Dianensis metropolitico iure subesse dignoscuntur, nullum imposterum praeiudicium generetur." *Dann folgt das Juramentum:* „Ego Thomas Franciscus Czapski, electus ecclesiae Dianensis et coadiutor deputatus reverendo patri domino Felici Kretkowski, moderno episcopo Culmensi, in regimine et administratione ecclesiae Culmensis, cui dictus Felix episcopus ad presens praeest, ac futurus episcopus Culmensis, ab hac hora in antea fidelis et obediens ero etc." *Letztere Bulle datirt einen Tag später vom 2. Juli 1726* (Sexto Non. Julii).

## 1214.

***1728. Juni 12. Löbau.*** *Felix Ignatius von Kretkowski, Bischof von Culm, verschreibt Joseph Groszewski, Notar der bischöflichen Curie, acht Hufen in Trzepez im Kreise Culm.*

Felix Ignatius in Kretkow Kretkowski, dei et apostolicae sedis gratia episcopus Culmensis et Pomesaniae. Significamus praesentibus literis nostris, quorum interest universis et singulis: Expositum coram nobis fuisse et esse, nomine fiscalis curiae nostrae, quomodo in villa nostra episcopali Trzebcz, ad clavem Starogrodensem pertinente, existant quatuor mansi agri, antiquitus feudales perpetui, post abiudicationem olim generosorum Krajewskich, ob defectum tituli et non solutionem canonis ad directum dominium quondam devoluti, ad praesens usque Krajewszczyzna nuncupati, quos mansos iure perpetuo, alias vero mansos quatuor in praedicta villa Trzebcz sitos, iure emphiteutico ad spatium annorum nobilis Antonius Valentinus Kielinski in virtute privilegii ab Ill$^{mo}$ et R$^{mo}$ domino Theodoro Potocki, praedecessore nostro, episcopo Culmensi et Pomesaniae, in personam

suam suorumque successorum collati, possidendo, dum non tantum eosdem mansos, redactis in favillam aedificiis, steriliter iacentes deterioraret et desereret atque periculo avulsionis a mensa nostra et recognitione directi subiiceret, nec non stante processu ex parte fiscalis contra ipsum perducto alienationi subdere conaretur, verum et canonem pro agnoscendo iure directi dominii nostri, ex iisdem mansis quotannis pendi solitum tempore non modico temere solvere detrectaret: nos stantibus praemissis, licetsi ad expulsionem eiusdem et receptionem dictorum octo mansorum statim absque declaratoria sententia de iure procedere potuerimus, ne tamen affectionate quodammodo agere videremur, contra eundem nobilem Kielinski processum ex parte fisci nostri perduximus ipsumque, mediante decreto nostro definitivo, ultimario sub die lunae 26 mensis Aprilis anni currentis ex controversiis partium prolato, tanquam inutilem, praeiudiciosum, damnosum vasallum, ob causam non soluti canonis, non praestationis onerum regni et deterioratae conditionis ad mensam nostram pertinentis, tum ex aliis motivis ad causam praesentem concurrentibus, de jure et facto resultantibus, dictis octo mansis in Trzebcz feudalibus et emphiteuticis utpote inutiliter possessis, abiudicavimus, privavimus et destituimus, iure sic disponente eaque bona pro consolidando utili dominio nostro cum directo ad dispositionem nostram supremam recepimus mundaque et libera ac nullis oneribus et pignoribus subjecta uti patrimonium Christi absque omni impetitione esse et fore declaravimus; eodem decreto nostro latius praemissa obloquente. Habentes igitur singularem respectum meritorum generosi Josephi Groszewski, curiae nostrae et consistorii Culmensis atque Pomesaniae notarii actuarii, obsequia eius plusquam a quinquennio nobis nec non venerabili Capitulo et dioecesi huic circa vigilantissimum curiae nostrae et consistorii utriusque officium, ad praesentia usque tempora fideliter et laudabiliter praestita condigna, volentes recompensare gratitudine gratiae et benevolentiae nostrae, cupientes ei exhibere documenta, ipsi eiusque successoribus legitimis memoratos mansos octo, ad praesens steriliter iacentes, noviter vero ad dispositionem nostram directam devolutos, cum omnibus suis limitibus ab antiquo et ad praesens consistentibus, attinentiis et pertinentiis, libertatibus et immunitatibus, iisdem mansis antiquitus servientibus, dandos et conferendos esse duximus, uti quidem, accedente venerabilis Capituli ecclesiae nostrae cathedralis Culmensis consensu, damus et conferimus per praesentes; ita quod idem generosus Groszewski suis cum successoribus mansos praedictos quatuor Krajewszczyzna perpetuo et in aevum, alios vero similes mansos quatuor ad decursum quadraginta annorum sese immediate subsequentium, virtute praesentis privilegii nostri, libere uti frui tenereque et possidere, aedificia inibidem construere, oves et armenta absque omni tributo fovere et conservare aliaque commoda et emolumenta commoditatis et fructus sibi facere et procurare possit et valeat. In recognitionem autem directi dominii nostri dictus generosus Groszewski intuitu praefatorum mansorum Krajewszczyzna in et pro festo s. Martini pontificis et confessoris singulis annis florenos duos, respectu vero aliorum quatuor mansorum ad praesens

sterilium, postquam fructificaverint, florenos duodecim ad aerarium nostrum episcopale, praevia quietatione, persolvere tenebitur, ad nulla autem alia onera erit adstrictus. Cui etiam una cum successoribus ipsius, insistendo antiquis privilegiis, tum immunitatibus et libertatibus de natura perpetuorum quatuor mansorum nobilitarium sive feudalium servientibus de speciali gratia nostra et intuitu eius diligentis in transactionibus episcopalibus ecclesiasticis nobis praestiti obsequii et officii laudabiliter gesti, ius coquendae cerevisiae et distillandi cremati pro domestico duntaxat commodo absque propinatione facultatemque incisionis lignorum in sylvis nostris episcopalibus clavis Starogrodensis pro usu tantum suo domestico, et non alias nec aliter, plenam damus et concedimus, tum licentiam in aquis nostris inibidem tempore aestivali quovis genere retium piscandi impertimur. Et insuper de potestate et benevolentia nostra vi meritorum laudabilium eiusdem generosi Groszewski adducti, ipsum ab omni prorsus iurisdictione et foro praefectorum arcis nostrae Starogrodensis eximimus et soli nostrae Illmorumque successorum iurisdictioni, aut vacante sede venerabilis Capituli, incorporamus. Promittentes pro nobis et Rmis successoribus nostris episcopis Culmensibus et Pomesaniae, quod memoratum generosum Groszewski eiusque successores circa praesens privilegium et possessionem pacificam octo mansorum tam perpetuo quam emphyteutico iure, ita prout supra expressum est, conservabimus et manutenebimus Rmique successores nostri conservabunt et manutenebunt, iuribus nostris ecclesiaeque catholicae et reipublicae salvis manentibus. In quorum fidem praesentes manibus nostris subscriptas sigillo nostro solito communiri mandavimus. Datum in arce nostra Lubaviensi die Sabbathi 12 mensis Junii anno domini Millesimo Septingentesimo vigesimo octavo.

Felix Episcopus mpp. Joannes Ewerłowski I. V. D. prothonotarius apostolicus, archipresbyter praepositus Neoforensis, causarum curiae suae Ill. Celsitudinis auditor generalis et judex.

*Original auf Pergament mit den Siegeln des Bischofs und Domcapitels in Blechkapseln an blauseidenem Bande im Archiv des Domcapitels zu Pelplin.*

## 1215.

***1737. November. Danzig.*** *Adam Stanislaus Grabowski, Bischof von Culm, verlegt, durch ein Decret der Congregation s. Rituum dazu ermächtigt, für die Diöcese Culm das Fest des hl. Georg auf den zweiten Sonntag nach Ostern.*

Culmen. Reverendissimus Episcopus Culmensis exposuit, S. Georgium Martyrem pro patrono ab immemorabili haberi eiusque festum in eadem civitate et dyoecesi Culmensi vigore cuiusdam Constitutionis synodi dioecesanae sub ritu duplici secundae classis celebrari dominica infra octavam S. Adalberti episcopi et martyris, regni Poloniae patroni principalis. Cum vero idem festum S. Adalberti, quod celebratur die 23tia Aprilis

saepius transferri contingat in aliam diem ob occurrentiam maioris hebdomadae aut festorum Pascalium, idcirco pro facultate in posterum transferendi festum S. Georgii praedicti ad dominicam secundam post Pascha S. Rituum Congregationi supplicavit. Et S. eadem Congregatio petitam translationem pro die ab Ordinario semel designanda et nunquam mutanda concedi posse censuit. Die 31 Augusti 1737. A. T. Cardinalis Landadan. P. Praef. T. Patriarcha Hierosolymitanus Secret. Gratis.

Adamus Stanislaus in Grabowo Grabowski, dei et apostolicae sedis gratia episcopus Culmensis et Pomesaniae, universo clero tam saeculari, quam regulari, et populo dioecesis nostrae Culmensis et Pomesaniae notum facimus: Quia nos vigore facultatis nobis a S. Rituum Congregatione in praemisso decreto concessae festum S. Georgii Mart. patroni dioecesis nostrae in dominicam secundam post Pascha perpetuis futuris temporibus immutabiliter authoritate apostolica nobis delegata transferimus, atque officium de eodem S. Martyre, ut in tempore paschali, sub ritu duplici secundae classis ab omnibus, qui ad horas canonicas tenentur, recitari ordinamus. In quorum fidem praesentes manu propria subscriptas sigillo nostro communiri iussimus. Datum Gedani die . . . mensis Novembris anno 1737. Adam Stanislaus Episcopus.

*Nach einer Abschrift im bischöflichen Archiv zu Pelplin in Sedlags Manusc. pag. 578.*

## 1216.

***1739. Juli 20. Rom.*** *Papst Clemens XII. providirt den Bischof Andreas Stanislaus Kostka Zaluski von Luck für das Bisthum Culm.*

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri Andreae Stanislao Kostka Zaluski, episcopo nuper Luceoriensi in episcopum Culmensem electo, salutem etc. Romani Pontifices etc. Dudum siquidem provisiones ecclesiarum omnium apud Sedem apostolicam tunc vacantium et in antea vacaturarum ordinationi et dispositioni nostrae reservavimus, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super his per quoscunque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contingeret attentari. Postmodum vero ecclesia Culmensi ex eo, quod nos venerabilem fratrem nostrum Adamum Stanislaum Grabowski episcopum Vladislaviensem a vinculo, quo dictae ecclesiae Culmensi, cui tunc praeerat, tenebatur, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio et apostolicae potestatis plenitudine absolventes, eum ad ecclesiam Vladislaviensem certo tunc expresso modo pastoris solatio destitutam de simili consilio apostolica auctoritate transtulimus, praeficiendo ipsum eidem ecclesiae Vladislaviensi in episcopum et pastorem, per translationem huiusmodi apud dictam sedem etiam pastoris solatio destituta: Nos ad provisionem eiusdem ecclesiae Culmensis celerem et felicem, in qua nullus praeter nos hac vice se intromittere potuit sive potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne illa longae vacationis exponatur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de praeficiendo eidem ecclesiae Culmensi personam utilem ac etiam fructuosam cum eisdem

fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te, episcopum nuper Luceoriensem, consideratis grandium virtutum donis, quibus personam tuam illarum largitor altissimus multipliciter insignivit, et attendentes, quod tu, qui ecclesiae Luceoriensi praefatae hactenus laudabiliter praefuisti, eandem ecclesiam Culmensem scies, voles et poteris, auctore domino, salubriter regere et feliciter gubernare, direximus oculos nostrae mentis. Intendentes igitur tam eidem ecclesiae Culmensi quam eius gregi dominico salubriter providere, te licet absentem a vinculo, quo praefatae ecclesiae Luceoriensi, cui tunc praeeras, tenebaris, de consilio et potestatis plenitudine paribus absolventes, te, qui fidem catholicam iuxta articulos iam pridem a sede apostolica propositos expresse professus fuisti, et pro quo charissimus in Christo filius noster Augustus, Poloniae rex illustris, nobis ad hoc per suas literas supplicavit, ad dictam ecclesiam Culmensem de simili consilio dicta auctoritate transferimus, teque eidem ecclesiae Culmensi in episcopum praeficimus et pastorem, curam regimen et administrationem ipsius ecclesiae tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, liberamque tibi ad eandem ecclesiam Culmensem transeundi licentiam tribuendo, firma spe fiduciaque conceptis, quod, dextera domini tibi assistente propitia, praefata ecclesia Culmensis per tuae circumspectionis industriam et studium fructuosum regetur utiliter et prospere dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Volumus autem, quod tu, antequam regimini et administrationi dictae ecclesiae Culmensis te in aliquo immisceas, in manibus venerabilium fratrum nostrorum Vladislaviensis et Saldicensis episcoporum seu alterius eorum fidelitatis debitae solitum praestes iuramentum iuxta formam, quam sub bulla nostra mittimus introclusam, et formam iuramenti huiusmodi, quod tu praestabis, nobis de verbo ad verbum per tuas patentes literas tuo sigillo munitas cum tui ac episcoporum praefatorum seu alterius eorum subscriptione per proprium nuntium quantocitius destinare procures. Quibus et eorum cuilibet per alias nostras literas mandamus, ut ipsi vel eorum alter a te nostro et Romanae ecclesiae nomine iuramentum huiusmodi recipiant seu recipiat. Quocirca fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus ad dictam ecclesiam Culmensem cum gratia nostrae benedictionis accedens, curam et administrationem praefatas sic exercere studeas sollicite, fideliter et prudenter, quod ecclesia ipsa Culmensis gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque praeter aeternae retributionis praemium nostram et dictae sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis. Praeterea etiam volumus, quod tu ecclesiae cathedralis Culmensis et aedium episcopalium reparationibus pro viribus incumbas, sacrarium sacri supellectili sufficienter instruas, montemque pietatis erigi cures, conscientiam tuam super his onerantes. Datum Romae apud S. Mariam maiorem anno incarnationis dominicae Millesimo Septingentesimo Trigesimo Nono. Tertio decimo Kal. Augusti. Pontificatus nostri anno decimo.

*Nach einer Abschrift im bischöflichen Archiv zu Pelplin in Sedlags Manusc. p. 582. Daselbst auch die anderen üblichen Provisionsbullen für denselben.*

## 1217.

***1743. September 5. Culmsee.*** *Andreas Stanislaus Kostka Zaluski, Bischof von Culm, berichtet an den päpstlichen Stuhl über den Zustand seiner Diöcese.*

Eminentissimi et reverendissimi domini, domini patroni colendissimi. Cum sanctissimo domino nostro ob supremam sibi a Christo domino traditam potestatem pastoralis sollicitudo incumbat omnium ecclesiarum, iure ac merito statutum est, ut cuncti orbis christiani antistites praefinito quodam tempore ad s. sedem apostolicam accederent regiminis sui rationem reddituri. Id quidem firmissime in animo et votis desiderarem, ut tam sanctae peregrinationis fructus non tam mente quam oculis et auribus haurirem. Sed cum gravissimis et ecclesiae meae et reipublicae negotiis tum ministerii mei Cancellariatus regni rationibus detentus id effectuare non valeam, confido in clementia sanctitatis suae, benigne absentiam meam tolleraturum. Quartus nunc annus excurrit, ex quo ecclesiae Culmensis regimen auctoritate s. sedis concreditum mihi habeo, et cum ipsemet ob memoratas supra rationes limina S. Apostolorum accedere non valeam, delegi ad id muneris Rn̄dum Howel, ecclesiaec athedralis culmensis canonicum, probatae vitae et bonae conversationis sacerdotem, qui vices meas gerat et de universo statu huius ecclesiae meae et dioecesis Amplitudines vestras eminentissimas reddat certiores. Ac ne in re tam gravi a veritate vel minimum aberrare possit, omnia, quae cognitu digna sunt, scriptis exarata eidem proferenda tradidi.

Episcopatus Culmensis et ecclesiae cathedralis primus fundator et erector fuit Mieceslaus, primus princeps Polonorum, qui illam lumine verae fidei illustratus circa annum Christi 965 sub titulo S. Crucis erexit. Quam erectionem Aegidius Cardinalis, episcopus Tusculanus, s. sedis apostolicae legatus a Joanne XIII. summo pontifice missus, confirmavit. Huic ecclesiae Octavianus primus episcopus praefuit. Sed cum gentiles Prutheni novitatem fidei aspernati adversus Christianos insurgerent, novam illam plantationem dominici gregis extirparunt. Tandem sedes apostolica, rebus fidei consulens, anno domini 1214 Christianum de ordine Cisterciensi, a Coelestino IV. Romano Pontifice in episcopum Prussiae consecratum, ad primitive fundatum episcopatum misit. Cuius successor frater Heidenricus, episcopus Culmensis, ex ordine praedicatorum anno 1251 ecclesiam cathedralem in oppido Loza seu Culmsae erexit in titulum et honorem S. Trinitatis. A primaeva sui fundatione dos huius ecclesiae fuit amplissima, nimirum terra Lubau a Surbano et terra Lausaniae a Varpeda, proceribus pruthenis per Christianum episcopum baptizatis. Insuper totus fructus [terrae] Culmensis cum iure ducali a Conrado duce Masoviae et Gedeone episcopo Plocensi liberali donatione ecclesiae Culmensi oblatus, reliquis bonis et facultatibus a praedicto Christiano episcopo iure emptionis acquisitis. Sed haec omnia retinendi et parta tuendi cum episcopis, continuis incursionibus et cruentis paganorum depopulationibus exagitatis, modus non suppeteret, per transactiones

et post cum Crucigeris dos praemissa est multum imminuta; omnibus videlicet quaesitis ditionibus Crucigeris concessis seu potius extortis, episcopis solum aliquot praediis et aratris ducentis ac pensionibus nonnullis cum iurisdictione spirituali et temporali reservatis. Quam transactionem nauseans Heidenricus episcopus, consentientibus Crucigeris in meliorationem, dotem sicut praemissum est imminutam auxit ad mansos sexcentos in Loza seu Culmsa, Wąbrze, Bobrow et super fluvium Drevencam. Tandem anno 1505 accesserunt duo castra, Althausum vulgariter Starogrod et Papow cum praediis et villis infeudata, ab episcopis redempta, tum et civitas Culmensis, cura Nicolai Crapitii episcopi Culmensis, ut originale privilegium a divae memoriae Alexandro rege Poloniarum datum, quod in archivo ecclesiae cathedralis asservatur, obloquitur. Districtus quoque Lubaviensis diversimode recuperatus, in cuius possessione hucusque manet ecclesia Culmensis cum directo dominio et iurisdictione ac temporali ac spirituali.

Porro Canonicis, qui originaliter ab Heidenrico episcopo duobus millibus mensuris in grano cum nonnullis villis dotati fuerunt, (sed iniuria temporum multa deperdita) et Capitulo haec duntaxat mansit possessio, scilicet in oppido Cavernico, cum trecentis mansis a Vernero episcopo Culmensi attributis, quod cum suis praediis, villis, molendinis, vasallagiis, sylvis, stagnis, lacubus, iure directi dominii et iurisdictionis seorsive hucusque possident, proventusque inter canonicos participantes partim dividunt partim ecclesiae necessitatibus et fabricae impendunt. Possident quoque aliquot villas praestimoniales circa oppidum Culmsam, ex quibus fovent vicarios et choralistas. — Proventus mensae episcopalis licet pro ecclesiae splendore, quae partim ex lapidibus tectis partim ex lateribus cum duabus turribus exstructa et a me circa tectum et novam superinductionem canalium pro defluxu aquarum reparata, non sunt adeo pingues extenduntque se circiter sex millia scutorum.

Dignitates seu Praelaturae reperiuntur hae: prima post pontificalem Archidiaconatus, secunda Decanatus, tertia Praepositura, quarta Custodia, quinta Scholasteria, sexta Archidiaconatus Pomesaniae; et ultra has Praelaturas sunt Canonicatus sex. Sed Praelaturae non sunt annexae Canonicatibus, verum illorum applicatio, ut plurimum, consistit in beneplacito Loci Ordinarii, quanquam ex consuetudine passim soleant applicari canonicis antiquioribus secundum illorum senium. — A primaeva fundatione canonici numerabantur quadraginta sub regula S. Augustini ad communem mensam viventes, ab Heidenrico episcopo constituti et dispositi anno 1251. Quos postea Fridericus episcopus Culmensis anno 1264 ad regulam Ordinis Teutonicorum transtulit, et numerum 40 canonicorum ad 24 redegit. Postquam autem anno 1410 Crucigeri a Vladislao Jagiellone bello fracti et his partibus pulsi essent, et Prussia armis et igne devastata, Vincentius Kielbassa episcopus Culmensis canonicos ab ordine regulari a summo pontifice Sixto Quarto absolvi obtinuit, et quatuor presbyteros seculares, qui Praelati et Canonici vocabantur, constituit. His quatuor successive accesserunt tres alii, numerantur de praesenti septem, inter quos

proventus mensae capitularis pro ratha deservitionis penes ecclesiam aequaliter distribuuntur; et hi septem ad optiones praestimoniorum admittuntur, suntque omnes fundationes nobilium, habent praeterea praestimonia, quorum aliqua faciunt annuos redditus scuta quingenta, alia quadraginta, alia minus. Quatuor praestimonia constituit Vincentius Kielbassa, quintum et sextum Jacobus Zadzik, septimum Felix Kretkowski, episcopi Culmenses. Praeter hos Canonicatus nobilitares sunt praeterea quinque doctorales, fueruntque ad mentem SS. Concilii Tridentini, inter illos pro Theologo et Poenitentiario, erectae et, ut iuris est, ad sua munera obeunda idoneis collatae. Primum doctoralem Canonicatum fundavit[1]) et erexit Petrus Tylicki episcopus Culmensis super duodecim mansis in oppido Culmsa loco praestimonii et in quadringentis florenis polonicalibus ex villa episcopali Kokocko solvendis loco praebendae. Et hic Canonicatus ex natura erectionis suae pertinebat ad distributiones quotidianas, non tamen ad optiones praestimoniorum et curiarum canonicalium. Nunc vero iuxta statutum illustrissimi olim Kretkowski pertinet etiam ad optiones, si in eodem contigerit esse personam nobilem, intuitu supportandorum onerum deputati ad iudicium tribunalis regni. Secundum Canonicatum videlicet Praebendam Theologalem cum onere praedicandi in ecclesia cathedrali fundavit[2]) illustrissimus Joannes Gembicki, cui mansos quatuor inter agros oppidanorum Culmsensium attribuit, ecclesiam Lesvicensis parochialem cum filiali Szadwaltensi in dioecesi Pomesaniae intuitu praestimonii incorporavit. Ratione praebendae florenos 200 ex proventibus mensae episcopalis eidem concionatori quotannis solvendos applicavit. Insuper census eidem adiecit a summa capitali 4000 florenorum Radoszkoviana et altera summa florenorum 2000 polonicalium. Tertium Canonicatum Poenitentiariae erexit[3]) illustrissimus Olszowski super bonis praestimonialibus Morczyny nuncupatis. Reliquos fundavit Ill$^{mus}$ Kretkowski in bonis terrestribus Krejewszczyzna unum et in bonis Chrapice alterum, gaudentque omni iure et praerogativa, sicut ceteri, iuxta tenorem suarum erectionum, praeterquam quod ad proventus massae capitularis, distributiones quotidianas optionesque praestimoniorum minime pertineant, sed suarum fundationum sortibus obligantur esse contenti. — Sunt praeterea et alii duo Canonici, qui vocantur honorarii, stallum quidem in choro non tamen vocem in capitulo habentes, quorum obligatio est ad augmentum cultus divini festis solennioribus in ecclesia cathedrali adesse, vicesque antiquiorum canonicorum legitime impeditorum in obeundis muniis canonicalibus supplere. — Vicarii penes ecclesiam cathedralem debent esse suntque septem. Seorsiva non est aliqua fundatio pro illis, sed unusquisque canonicorum participantium ex sua contingente, quod ex massa capitulari percipit in vim distributionum quotidianarum, tenetur alere suum vicarium. Assumuntur ad provisionem Capituli, habentque ultra mensam ex beneficiis sive potius ministeriis altarium, anniversariis aliisque obventionibus sua salaria ad honestam sustentationem.

---

[1]) *Vgl. Nr. 1111.* [2]) *Vgl. Nr. 1178.* [3]) *Vgl. Nr. 1185.*

Altaria reperiuntur novem, quae ex natura sua tantum sunt simplicia ministeria, praeter altare S. Annae, cui annexa est iudicialiter praebenda cum institutione, et altare S. Crucis, cui similiter annexa est praebenda cum institutione, qui omnes tam Vicarii quam Altaristae statutis diebus missas celebrant et choro etiam inserviunt. — Chorales pro decantando officio divino sunt sex, qui salariantur a Canonicis participantibus et Concionatore Theologo ex suis deservitis. Qui chorales una cum duobus presbyteris vicariis omnes horas canonicas quotidie decantant, quibus etiam canonici interesse tenentur. — Praeter alias reliquias habet particulam insignem S. Crucis et crus integrum adustum ex manu S. Laurentii M., quae in tecis suis argenteis honorificentissime asservantur. Reliquia ista S. Laurentii prius fuerat in ecclesia arcis Mariaeburgensis, olim residentiae Magistri ordinis Teutonicorum, ibidemque asservabatur per plurima saecula, donec ab Ill^mo olim Opalinio episcopo Culmensi ad ecclesiam Starogrodensem, ubi est castrum episcopale, ac post fata ipsius ad cathedralem fuit translata.

Praeter ecclesiam cathedralem extat in eadem civitate Culmsensi alia ecclesia parochialis sub titulo S. Jacobi. Cura animarum in ibidem exercetur per commendarium perpetuum cum institutione, habetque pro honesta sui sustentatione proventus sufficientes.

Monasteria Monialium in dioecesi numerantur ordinis S. Benedicti tria, Thorunii, Culmae et Graudenti, in quovis illorum numerantur deodicatae virgines 30 usque 40, et vocationi suae sanctae correspondent; cuivis illorum praeest Abbatissa, subsunt iurisdictioni Ordinarii, habentque fundationes pro alendis monialibus sufficientes, acceptanturque etiam personae ex pia fundatorum intentione omni dote carentes, modo innocentia vitae et morum probitate sint praeditae.

Reperiuntur praeterea in dioecesi Culmensi Collegia et Monasteria virorum Thorunii, quae est principalis civitas dioecesis, PP. Soc. Jesu, PP. Ord. Praedicatorum et PP. Ord. S. Francisci strictioris observantiae Bernardinorum, non ita pridem ad ecclesiam B. Mariae V. per annos 100 et ultra in manibus antea haereticorum existentem iustissimo S. R. Maiestatis iudicio div. mem. Augusti II introductorum. Culmae PP. Praedicatorum, S. Francisci Conventualium, Culmsae itidem PP. S. Francisci Conventualium, Graudenti PP. Soc. Jesu, Lubaviae PP. S. Francisci strictioris observantiae Bernardinorum, in pratis Marianis ad civitatem Neoforensem PP. S. Francisci Reformatorum. In dioecesi autem Pomesaniensi, quae huic dioecesi est annexa, monasteria Religiosorum numerantur duo, scilicet PP. Soc. Jesu Mariaeburgi et Christburgi PP. S. Francisci Reformatorum. Et quamquam in aliquibus ex his monasteriis clausura regularis non satis vigeat, pro onere tamen officii mei pastoralis ad mentem S. Conc. Trid. et signanter brevium summi Pontificis feliciter regnantis desuper emanatorum omnem mentis meae aciem in id intendo, ut deviantes ad semitam rectam deducam, et clausura tam provise quam sancte a s. canonibus ordinata exacte observetur.

Seminarium clericorum ad praescriptum SS. Conc. Trid. constitutum honestos habet proventus, regiturque magna cura sacerdotum Congregationis Missionis in civitate Culmensi, et aluntur in eodem alumni 10 et ad summum 15, ita ut in moribus et literis profectus continuus appareat, adhibitis professoribus et gravissimis viris, qui ad instruendam iuventutem assidue incumbunt. Habent aedes commodas, liberalitate et munificentia antecessorum meorum extructas.

Extat pariter in eadem civitate Culmen schola antiquissima, filia universitatis Cracoviensis, opimis proventibus provisa, in qua studia humaniora usque ad Rhetoricam inclusive tractantur, cum magno fructu scholarium. Professores habet tres, clericos duos et presbyterum unum saecularem, sub directione parochi loci, qui est de Congregatione Missionis, estque eidem Congregationi incorporatum ius parochialitatis, quod cum aliis presbyteris eiusdem Congregationis septem rite ac diligenter administratur. Praeter hanc scholam sunt et aliae tres intra dioecesim, scilicet Thorunii, Graudenti et Mariaeburgi, omnes hae tres sub directione Patrum Societatis Jesu, et iuventus non minus in pietate quam doctrina eruditur. Thorunii praeter humaniora etiam studium philosophicum et theologicum ab iisdem Patribus traditur.

In civitate Culmen extat domus puellarum sub cura et sollicitudine sororum charitatis, a p. m. Severino Szczuka suffraganeo Culmensi extructa, ubi puellae non tantum in pietate et timore dei sed aliis quoque honestis exercitiis statui illarum convenientibus instruuntur. Quae quidem sorores charitatis habent et annexum hospitale pro infirmis, et operam ac assistentiam suam iisdem egregie navant. Est et alterum hospitale in eadem civitate Culmen, quod vocatur maius, proventibus satis amplis locupletatum, aluntur in eodem personae 40, ad quod manutenendum etiam mensa episcopalis concurrit, exercetur in ibidem omnis hospitalitas erga pauperes et infirmos. Praeterea adhuc est tertium hospitale, ubi similiter pauperes aluntur, prout etiam ad ecclesiam cathedralem unum, redditibus congruis provisum, quod administratur sub provisoratu unius, quem Capitulum ad id munus hospitalare eligit.

Est quoque fundatio pro presbyteris senio ac laboribus fractis, satis bene hypothecata, pro alendis commode octo, habentque mansiones distinctas penes cathedram Lubaviae et in oppido Wambrzezno.

Dioecesis Culmensis unita dioecesi Pomesaniensi est satis ampla, extenditurque ad milliaria italica centum in longum, in latum vero in aliquibus locis ad milliaria sexaginta, alibi duntaxat ad quadraginta plus minus. Numerat ecclesias parochiales 120 in duodecim decanatus, ubi civitas et oppidum, distinctas, qui sunt Culmsensis, Culmensis, Thorunensis, Graudentinensis, Lubaviensis, Neoforensis, Brodnicensis, Golubensis, Lautenbergensis, Fredecensis, Radzynensis et Lasinensis, et archipresbyteratus appellantur. — In dioecesi vero Pomesaniae sunt parochiales ecclesiae 55 in quinque decanatus distinctae, qui sunt

Mariaeburgensis, Neutichensis, Sztumensis, Christburgensis et Firszteverdensis. Pro paschali communione in utraque dioecesi accedunt hominum circiter quinquaginta millia.

Doctrinae christianae institutio tam in civitate Culmen quam in utraque dioecesi ita floret, ut, licet in hoc antecessorum meorum labores grato animo agnoscam, mea tamen qualicunque ope et diligentia pro illius incremento nunquam defuit neque defutura est in posterum, ad quem effectum Catechismum ad mentem S. Conc. Trid. imprimi curo, distribuendum gratis parochis et populo.

Verbi dei praedicatio non solum in cathedrali omnibusque diebus dominicis et festis sed etiam in singulis oppidis et villis, ubi ecclesiae erectae sunt, frequentissime habetur, atque hoc munus a patribus ipsis et curatis cum adminiculo suorum vicariorum, qui omnes, ut plurimum, sunt sufficientis doctrinae et eruditionis, cum laude et fructu animarum exercetur. Bonam methodum concionandi habent, invehunt in haereses, non convincunt.

Visitationi dioecesis iuxta praescriptum S. Conc. Trid. incumbitur, quam ego ipsemet lustrare pro exigentia temporum non desino, et cathedram cum principalioribus ecclesiis personaliter visitavi, adhibitis ad alias ecclesias gravissimis viris et aliis Canonicis meis cathedralibus, in partem sollicitudinis pastoralis, praeter decanos foraneos, qui quotannis ecclesias in decanatu suo sitas visitare tenentur et obligantur ac defectus, si quos animadvertunt, pro onere conscientiae ad me deferre. Conventus etiam presbyterorum ad eosdem decanos propter iniuriam temporum omissi, ad viridem observantiam reduxi, ut binis vicibus in anno mensibus Septembri et Maio clerus intra suum decanatum conveniet, et de dignitate sacerdotii, vocatione spirituali secum contendat, ac scandalis tam in clero quam in populo serio inquirant, scandalosos moneant, et nisi resipiscant, pro correctione ad Officium episcopale deferant, tum ac de sacramentis, legitima eorum administratione et conscientiae casibus dubia quaecunque resolvenda secum sermones instituant.

Forum episcopale summa dei benignitate ita regitur, ut a Vicariis meis generalibus, quem unum habeo in dioecesi Culmensi, alterum in Pomesania, et ab omnibus ministris absit quaecunque sordida suspitio; iustitia autem non minus intrepide et orthodoxis et heterodoxis, qui ultimam iurisdictionem, partem spiritualem in causis matrimoniorum private et criminum mixti fori (ubi datur tamen locus, praeventioni disputatur), ab illis recognoscere tenentur, quam recte administratur, cuius iuris conservationi, ut cives Thorunenses, Mariaeburgenses et aliarum dioecesis meae civitatum Romanae ecclesiae ceterisque contumaces decretis iudicii spiritualis obediant, brachia regalia alias Burgrabii locorum cum Vicariis meis generalibus et ego potissimum pro officio meo pastorali vigilanter incumbo.

Copia cleri in utraque dioecesi est sufficiens; duas et tres ecclesias tenent titulo filiarum ob proventus modicos, et omnes honestis vitae alimentis provisi, quorum plurimi summo dei beneficio eximia excellunt doctrina, quod procedit maxime ex eo, quod ad s. ordines non nisi viri selecti, praevio rigorissimo examine et magno adhibito scrutinio,

promoveantur, tum quod in Seminario dioecesano institutio cleri ad normam SS. Canonum floreat et vigeat.

Ecclesiae per utramque dioecesim satis sunt crebrae, ita ut intra ambitum quinque milliarium italicorum duae et tres aliquando occurrant, muro potissimum structae, a Crucigeris fundatae ac solutae. Quia tamen bellorum Sueticorum, quae in his partibus sedem crudelem fixerunt, et demum pestilenciae iniuriis, plurime in suis proventibus non tantum diminutae sed prorsus extenutae reperiuntur, et praeterea populus ex illis viciniori parocho fuerit assignatus, non mirum, quod plures ecclesiae natura sua matrices fuerint affiliatae uni, quas tamen ad primaevam sui naturam, ita ut quaevis ecclesia distinctum suum habeat rectorem, praecipue ubi dotes non sunt deperditae, reducere conor, et dotes deperditas inquirere et ecclesiis adiudicare in Judiciis assessorialibus S. R. Maiestatis, quibus vigore muneris mei Cancellariatus Regni praesum, pro lege reputo. — Residentia episcopi circa cathedram nulla.

Pro commodo ecclesiae et episcopali adminiculo ac indulgentia s. sedis dioecesis habet etiam Suffraganeum, qui nunc est Ill$^{mus}$ Mathias Sołtyk, episcopus in partibus Margaritensis, qui ab annis quindecim cum summo honore hoc officium suffraganale sustinet, vir integerrimus et virtuti per omnia simillimus, quo meliorem desiderare frustra, immo hunc durare perpetuum votum esset, nisi quod sperare pronum est, ipsum excelsius ecclesiae gradus meritis eius ita poscentibus altius evehat. Est simul et archidiaconus ecclesiae Culmensis, quae est prima dignitas post pontificalem.

Missiones in dioecesi sunt fundatae tres, prima in domo Congregationis Missionis Culmae, secunda in collegio Thorunensi PP. Soc. Jesu, tertia in residentia Mariaeburgensi; similiter PP. Societatis et cum magno fructu animarum per parochias, ad quas a me destinantur, peraguntur. Quibus missionariis ita cordi sua salus est, ut eam ab aliena salute disiunctam esse nolint. Contra sanae religionis corruptores strenuo decertant et praevaricatores, velut lupos ab ovili Christi, cordate prohibent et arcent.

Hinc vineam domini sine urtica, messem Christi sine zyzaniis, gregemque nobis commissum absque scabra rubigine habere cupientes, contra omnes haereticae pravitatis cultores, qui per utramque dioecesim dispersi a duobus prope saeculis, signanter in civitatibus, sedem fixerunt, et vix non parem catholicis numerum efficiunt, vocem pastoralem quasi tubam exalto, ut sciant, fidem catholicam romanam in Polonia esse velut dominam ac matremfamilias, eorum vero sectam hospitem et adversam, adeoque ut se eidem fidei catholicae subiectos esse recognoscant, terminos metamque iurium sibi permissorum excedere aut extra illos etiam latum unguem procedi indulgere non audeant, diu noctuque vigilantiam meam pastoralem deesse non patior. — Judaeos pariter, qui secundum antiqua et recentia terrarum Prussiae statuta intra fines dioecesis meae locum standi habere non debent, et nihilominus in bonis quorundam nobilium tollerantur, ut hoc genus hominum tanquam iuratorum fidei inimicorum, quorum pravitatis unica intentio continuo versatur,

ut christianorum bona et divitias semper deprimant et evellant, populo electo arceatur et profligetur, per edicta episcopalia factores illorum monendos censui; nisi morem gesserint, etiam sigillatim cuivis illorum desuper processum intentare et taliter ad saniora consilia reducere firmiter in animo constitui.

Episcopatus Pomesaniensis. Vocabatur antiquitus Insulae Marianae habuitque suum exordium in synodo Thorunensi, quam Guilelmus episcopus Mutinensis, ab Innocentio IV. summo pontifice in Prussiam legatus, anno 1241 in monasterio B. Mariae V. apud Franciscanos cum archiepiscopo Gnesnensi et aliis ex regno Poloniae Plocensi, Vladislaviensi et Vratislaviensi episcopis celebravit, atque ibidem Henricum Ernestum Pomesaniensi sedi imposuit et in episcopum consecravit. Ex post iste episcopatus a crucigeris occupatus et ex ordine suo personas in episcopos prope per ducentos annos suffecerunt. Repetitis autem cladibus a Polonis fracti, Gaspar Pomesaniensis cum Culmensi ad incitationem Ordinum et Statuum Prussiae, relictis crucigeris, in verba regis Casimiri iurarunt. Subsecuta demum circa annum 1525 atrocissima haeresis Lutheranae procella in Prussia, omnia undique fecerunt convulsa, quando ultimus ordinis Teutonici magister Albertus, marchio Brandenburgicus, relicta fide orthodoxa errores Lutheri secutus, et suppresso magistri generalis nomine, a Sigismundo I, rege Poloniae, dux in Prussia creatus, episcopatum Pomesaniensem sui iuris fecit eundemque saecularizavit, ut nulla amplior possessio in temporalibus episcopis remanserit, nisi sola iurisdictio in spiritualibus per partem aliquam Prussiae polonicalis, in qua, uti supra recensui, numerantur ecclesiae parochiales quinquaginta quinque. In Prussia vero ducali remanserunt duntaxat ecclesiae catholicae quinque, Turoviensis, Lisnoviensis, Lencensis, Przelencensis et Lavicensis; ultima ab annis 60 a possessore lutherano intercepta, penitus diruta et solo aequata. Lisnoviensis ante annos circiter 20 catholicis erepta et per haeredem villae, uti vim collationis sibi usurpantem, haereticis concessa. Turoviensis in continuo versatur periculo, et fundi sive dos ecclesiae a plurimis iam annis sequestrata; parochum, qui sacra hucusque citra minimam praepeditionem in ecclesia peragit et sacramenta administrat, impensis meis sustineo, et collabentem dictae ecclesiae fabricam in perfectum statum reducere laboro, spe non indubia, quod et dotem eiusdem ecclesiae a sequestro eliberabo. Lencensis et Przelencensis gravantur oneribus publicis et aeque a suis fundis contribuunt, acsi non essent spirituales; quibus pro subsistentia mensa episcopalis necessaria subministrat.

Incorporatio episcopatus Pomesaniensis episcopatui Culmensi dudum secuta ad instantiam synodi provincialis regni Poloniae, de qua in Constitutionibus synodalibus libr. 5. cap. 14. a s. m. Gregorio XIII approbatis,[1]) et Clemens VIII. in brevi suo ad Laurentium Gembicki episcopum Culmensem de anno 1601 die 16 Aprilis dato[2]) mentionem facit dictae incorporationis sive unionis episcopatus Pomesaniensis cum Culmensi quidem absolutae et perfectae.

---

1) *Vgl. Nr. 1088.* 2) *Vgl. Nr. 1116.*

Diutius immorari in ecclesiae meae statum recensendum necessarium non arbitror, cum id iam fusius per antecessores meos episcopos uberius factum fuerit; quaedam duntaxat subiiciam, pro quibus obtinendis eximiam E. V. auctoritatem imploro.

In civitate Thorunensi extat ecclesia S. Jacobi, origine sua parochialis, per annos prope 140 per haereticos temere possessa, ac tandem anno 1668 magna cura et sollicitudine Ill$^{mi}$ Andreae Olszowski, episcopi Culmensis, procancellarii regni, mediante regio decreto et constitutione omnium ordinum regni accedente, recuperata ac monialibus ordinis S. Benedicti, quae antea distinctam suam habebant ecclesiam, sed cuius locus ad praesens duntaxat, ubi situata fuerat, videtur, donata. Praedictae moniales habent a sacris poenitentiarium cum tribus presbyteris saecularibus, et nullo a tempore introductionis suae gaudebat ecclesia haec iure parochialitatis, quod duntaxat ab annis 15 eidem attribuit Ill$^{mus}$ Felix Kretkowski episcopus Culmensis. Cum autem in eadem civitate Thorunensi sint aliae duae ecclesiae parochiales, scilicet S. Joannis, quae regitur a praeposito curato saeculari cum suo commendario et adminiculo PP. Societatis penes ecclesiam eandem fundatorum, et ecclesia S. Laurentii; binae hae ecclesiae, rectores illarum abunde sufficiant ad curam animarum et administrationem sacramentorum christifidelibus in et extra civitatem Thorunensem in suburbio commorantibus; utrum ad ecclesiam monialium ius parochialitatis conservare expediat, altissimo iudicio E. V. subiicio et sensum illarum humiliter expeto.

Adverti per multas fundationes antiquas in suffragium animarum institutas, temporum iniquitate, rerum aestimatione ac valoris monetae immutatione et ut plurium etiam illorum, qui solvendis censibus ac perpendendis reditibus sunt obnoxii, penuria ac paupertate adeo extenuatas esse, ut plerumque intentiones ac voluntates depereant. Reductionemque missarum in iis expressarum ex certis et rationabilibus causis per breve Urbani VIII specialiter pro regno Poloniae impetratum permitti, non ignoro; verum cum eiusmodi reductio in oneribus missarum duntaxat post S. Conc. Trid. acceptatis, et non aliter, concessa est, multa vero legata missarumque onera etiam ante dictum Concilium reperiuntur acceptata; praeterea cum S. Congregatio S. Conc. Trid. Interpretum decrevit, ut pro eis reducendis, moderandis vel commutandis ad s. sedem apostolicam recurratur: necessitati summae plurimarum ecclesiarum dioecesis meae succurrendo, hoc in passu E. V. pro danda mihi desuper facultate humiliter supplico.

Cum autem bella et discordiae, quae christianam rempublicam iam undequaque divexant, me, clerum ac populum mihi commissum permovent, metuere flagella iracundiae dei remota, proxime nobis tamen adfutura, nisi egerimus poenitentiam et peculiari modo misericordiam eius imploraverimus. Ut itaque pacem ecclesiae, fidei orthodoxae dilatationem, regni huius ac dioecesis meae continuam prosperitatem atque coeleste praesidium adversus eos, qui volunt nobis mala, a patre misericordiarum efficacius impetremus et consequamur: expeto humillime a s. sede apostolica indulgentiam plenariam pro devotione

quadraginta horarum cum expositione ss. Eucharistiae Sacramenti publica fidelium adoratione instituenda in omnibus decanatibus utriusque dioecesis meae, pro ecclesia cuiusvis decanatus una a me eligenda hanc indulgentiam imploro pro una vice tantum, in cathedra vero quotannis pro extirpatione haeresum et ecclesiae catholicae exaltatione, reliquiam aliquam insignem ad cathedram et alias reliquias pro altaribus portatilibus destinari. Confido autem E. V. in his propositis capitibus dei gloriae et animarum saluti consulturas, meque eorundem protectioni et gratiae commendo.

Eminentiarum Vestrarum devotissimus et obsequentissimus servus. Dabantur ad ecclesiam nostram Cathedralem Culmsae die 5 Septembris 1743.

*Nach der Abschrift im bischöflichen Archiv zu Pelplin in Sedlags Manusc. pag. 590—596.*

## 1218.

***1745. August 23. Löbau.*** *Andreas Stanislaus Kostka Zaluski, Bischof von Culm, schreibt eine Diöcesansynode in der Pfarrkirche zu Löbau auf den 16. September aus.* Dat. Lubaviae in arce nostra die 23 mensis Augusti A. d. 1745. *Die Synode wurde daselbst am 16., 17. und 18. September 1745 gehalten und deren Beschlüsse sind gedruckt:*

*Constitutiones synodales editae et promulgatae ab . . . . D. Andrea Stanislao Kostka Comite in Zaluskie Zaluski etc. Brunsbergae 1746 4 und darnach bei Hartzheim, Conc. Germ. X 491—574. Eine Uebersicht bei Jacobson l. c. I 192 nr. 58.*

## 1219.

***1747. April 10. Rom.*** *Papst Benedict XIV providirt den Pelpliner Abt Adalbert Leski für das Bisthum Culm.*

Benedictus episcopus etc. Dilecto filio Adalberto Leski, electo Culmensi, salutem etc. Apostolatus officium meritis etc. Dudum siquidem provisiones ecclesiarum omnium apud sedem apostolicam tunc vacantium et in futurum vacaturarum ordinationi et dispositioni nostrae reservavimus, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super his per quoscunque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contingeret attentari. Postmodum vero ecclesia Culmensi, cui venerabilis frater noster Andreas Stanislaus Kostka Załuski, ultimus illius episcopus, nuper praesidebat, ex eo, quod nos dictum Andream Stanislaum episcopum a vinculo, quo dictae ecclesiae, cui tunc praeerat, tenebatur, de venerabilium fratrum nostrorum consilio et apostolicae potestatis plenitudine absolventes, eum ad ecclesiam Cracoviensem certo tunc expresso modo pastoris solatio destitutam de simili consilio apostolica auctoritate transtulimus, praeficiendo ipsum eidem ecclesiae Cracoviensi in episcopum et pastorem, per translationem huiusmodi pastoris solatio destituta: Nos, vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta, ad provisionem eiusdem ecclesiae Culmensis celerem et felicem, in qua nullus praeter nos hac vice se intromittere potuit sive

potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne illa longe vacationis exponatur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de praeficiendo eidem ecclesiae personam utilem ac etiam fructuosam cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus habuimus diligentem, demum ad te, presbyterum, de legitimo matrimonio ex catholicis nobilibusque parentibus in dioecesi Culmensi ortum, in quadragesimo circiter tuae aetatis anno et a pluribus annis in sacro presbyteratus ordine constitutum, ordinis Cisterciensis expresse professum, qui, ut asseris, abbatiam monasterii Pelplinensis dicti ordinis Vladislaviensis dioecesis in titulum obtines, qui fidem catholicam iuxta articulos iam pridem a sede apostolica propositos expresse professus es, et pro quo charissimus in Christo filius noster Augustus, Poloniae rex illustris, nobis ad hoc per suas literas supplicavit, et de cuius generis nobilitate, vitae munditia, morum honestate, spiritualium providentia et temporalium circumspectione, aliisque multiplicum virtutum donis fidedigna apud nos testimonia perhibentur, direximus oculos nostrae mentis. Quibus omnibus debita meditatione pensatis, praefatae ecclesiae Culmensi de persona tua, nobis et fratribus nostris praefatis ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de fratrum eorundem consilio apostolica auctoritate providemus, teque illi in episcopum praeficimus et pastorem, curam et administrationem praefatae ecclesiae Culmensis tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo; in illo, qui etc. Nos enim tecum, ut, etiamsi doctoratus gradu insignitus non sis, nihilominus, quia sufficienti doctrina praeditus et ad dictam ecclesiam Culmensem regendam et gubernandam habilis et idoneus esse dignosceris, illam ut supra regere et administrare libere et licite valeas, — dispensamus. Volumus autem, quod Abbatia praefati monasterii Pelplinensis nuncupati eiusdem ordinis, quam, ut similiter asseris, ad presens obtines, per provisionem et praefectionem huiusmodi vacet eo ipso, ita ut de illa per sedem apostolicam praefatam tantum disponi possit, et quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane dicta auctoritate nostra decernimus, quodque tu ecclesiae cathedralis Culmensis et aedium episcopalium reparationibus pro viribus incumbas, montemque pietatis erigi cures, conscientiam tuam super his onerando. Datum Romae apud S. Mariam maiorem anno incarnationis dominicae Millesimo Septingentesimo Quadragesimo Septimo, Quarto Idus Aprilis. Pontificatus nostri Anno Septimo.

*Original auf Pergament mit der Bleibulle an hanfener Schnur im Archiv des Domcapitels zu Pelplin. — Ebendaselbst noch folgende Originalbullen, sämmtlich mit demselben Datum:* 1) Absolutio a censuris. 2) Ad Capitulum Culmense. 3) Ad populum civitatis et diocesis Culmensis. 4) Ad clerum civ. et dioc. Culmensis. 5) Ad vasallos eccl. Culm. 6) Ad Augustum Poloniae regem illustrem *und* 7) Licentia consecrandi a quovis episcopo. Dat. Rome etc. Tertio Idus Aprilis. *Die Bulle an den Erzbischof von Gnesen vom 10. April findet sich a. a. O. nur in einem Transsumpt vom 21. April 1747.*

## 1220.

***1749. Juni. Culmsee.*** *Das Domcapitel zu Culmsee gestattet einem Schuhmacher in Kauernik trotz der vollen Besetzung der Schuhbänke den Verkauf von Schuhwaaren.*

Nos Praelati et canonici totumque capitulum ecclesiae cathedralis Culmensis, significamus praesentibus literis nostris universis et singulis, quorum interest aut quomodocunque interesse poterit. Licet quidem per latas constitutas et datas ab antecessoribus nostris leges civitati Cavernecensi nostrae certus iuxta conscripta acceptata approbata et ratificata contubernii sutorum eiusdem civitatis puncta et articulos praescriptus sit numerus divendentium merces sutoreas in foro civitatensi alias w Ławach: Nos vero maturo considerantes judicio commodum emolumentum et augmentum boni in dicta civitate ex aucto in suprafato sutorum contubernio ad liberam divenditionem sutorei mercimonii personarum numero, quare ad supplicationem famati Simonis Kaminski boni nominis artisque sutoriae gnari et periti ac nobis bene commendati, eundem pro superenumerario (salvis illaesisque juribus contubernii memorati quoad omnia caetera) ad divendenda mercimonia sutoria alias na Ławę esse duximus admittendum et inducendum, prout admittimus et inducimus praesentibus literis nostris. Mandantes tamen et sub hac conditione speciale concedentes beneficium hocce, quatenus intra spatium anni unius et sex septimanarum domum proprio aedificet sumptu, caeteraque omnia quo ad sui contubernii et civitatis obligationem et satisfactionem adimplenda adimpleat, perficienda perficiat; alias in casum non satisfactionis clausulis et obligationibus praeexpressis praesentes literas nostras pro nullis declaramus. In quorum fidem praesentes circa appositionem manus illustrissimi praesidis nostri sigillo nostro majori communiri jussimus. Datum Culmsae in capitulo generali sancti Joannis Baptistae anno domini Millesimo Septingentesimo Quadragesimo Nono. Praesentibus illustrissimo perillustribus reverendissimis dominis Mathia Sołtyk suffraganeo archidiacono et praeside, Augustino Klinski decano, Paulo Szczuka praeposito, Francisco Czapski scholastico, Josepho Zielenski, Martino Strachocki praelatis et canonicis.

Mathias Sołtyk episcopus Margaritensis, suffraganeus, archidiaconus Culmensis, praeses capituli.

*Abschrift im Archive des Culmer Domcapitels. Eine zweite wörtlich bis auf den Namen gleichlautende Abschrift der Urkunde für den Schuhmacher Paul Kopec mit demselben Datum ebendaselbst.*

## 1221.

***1751. September 11. Thorn.*** *Adalbertus Stanislaus von Leszcze Leski, Bischof von Culm und Pomesanien, überweist seinem Domcapitel anstatt der vom bischöflichen Tische übernommenen Zulagen für zwei Canonicate und für die ordentlichen Bedürfnisse der Kathedrale die Güter Tyllitz und Mroczenko.*

Adalbertus Stanislaus de Leszcze Leski, dei et apostolicae sedis gratia episcopus Culmensis et Pomesaniae, significamus praesentibus literis nostris, quorum interest, universis

et singulis: Cum disponente iure circa ingressum nostrum ad dioecesim ecclesiamque nostram cathedralem die vigesima tertia mensis Januarii anno domini Millesimo septingentesimo quadragesimo octavo visitaremus, animadvertimus vigore erectionum, et quidem primae, canonici quinti Tylicciani a Clemente papa eius nomine VIII. [approbati] super mansis intra fundos civitatis Culmsensis sitis, ad ecclesiam parochialem Culmsensem spectantibus, ecclesiae cathedrali nostrae temporibus Ottonis episcopi aut paulo post serius iuxta obloquentiam acceptatissimae visitationis Strzeszovianae una cum ecclesia parochiali Culmsensi incorporatis, ac super censu annuo florenorum ducentorum quinquaginta de villa mensae episcopalis Kokoczko dicta pendi solito; demum erectione per illustrissimum Jacobum Zadzik, episcopum Culmensem, pro sexto canonicatu (mediante mutatione quinti canonicatus in alium fundum, videlicet praestimonii Morczyny sub actu et data Tycocini die octava Novembris 1632 facta, et ab Urbano VIII approbata) ad florenos quadringentos aucto, de iisdem bonis Kokocko solvendo; necnon vigore erectionis canonici theologalis concionatoris per illustrissimum olim Joannem Gembicki super florenis ducentis ex arce Starogrodensi pendendis, sub actu et data in arce Lubaviensi die decimaseptima mensis Decembris anno domini Millesimo sexcentesimo quinquagesimo quarto factae et subscriptae; tum demum inhaerendo iuramento nostro circa ingressum nostrum ad cathedralem per nos, in ante per mandatarium nostrum, tam super solvendis praeinsertis pensionibus quam super pendendis solutionibus pro necessitatibus ordinariis ecclesiae praestito, aerarium nostrum episcopale oneratum esse; insistendo literis nostris sub data in arce Starogrodensi die prima Julii 1748 ad venerabile capitulum nostrum ordinatis et ab eodem acceptatis, per idque mutuo inito consilio et habito consensu, cupientes per praemissas solutiones oneratum exonerare aerarium nostrum, molestias occasione earundem pensionum et pro necessitatibus ecclesiae nobis sive successoribus nostris aliquo modo eventuras et subsecuturas praescindere, odia restringere, eo intentu in vim pensionum tam supra specificatis doctoribus quam pro necessitatibus ordinariis ecclesiae per nos successoresque nostros solvendarum et solvi solitarum, praedia Tylice ac Mroczenko in clavi Luboviensi sita, ad eandem clavim spectantia, cum omnibus suis usibus, fructibus, agris, pratis, sylvis, nemoribus, lacubus, limitibus et granitiebus, in quibus continebantur, ad praesens continentur et contineri debent, ac aliis omnibus et singulis attinentiis et pertinentiis, ecclesiae nostrae cathedrali dimittenda, incorporanda, danda et adscribenda esse duximus, uti quidem in dei nomine perpetuis temporibus dimittimus, incorporamus, damus et adscribimus, dispositioni venerabilis capituli cum omni iure et dominio committimus per praesentes. Quod idem venerabile capitulum ad solutionem praeallegatarum pensionum ac pro necessitatibus ordinariis ecclesiae semel pro semper (praeclusa omni in posterum ad nos sive successores nostros praetensione) obligatum erit. Volumus autem summam annuatim ex iisdem bonis florenorum mille ducentorum provenientem ita disponi, quatenus doctoribus canonicis supraexpressis floreni sexcenti, pro necessitatibus ecclesiae floreni quingenti

exsolvantur, floreni vero centum pro conservatione et reparatione praedictorum bonorum ut convertantur, ordinamus et disponimus. Promittimus quoque pro nobis et reverendissimis successoribus nostris episcopis Culmensibus, quod venerabile capitulum a praefata possessione dictorum bonorum non alie[na]bimus neque successores nostri alienabunt, sed perpetuis temporibus circa usum et possessionem eorundem bonorum conservabimus et successores nostri conservabunt. In quorum fidem praesentes manu nostra subscriptas sigillo proprio communiri mandavimus. Dabantur Thorunii in residentia nostra solita, die undecima mensis Septembris, anno domini Millesimo Septingentesimo Quinquagesimo Primo.

Adalbertus Episcopus mpp.

Nicolaus Zieleński s. auth. apostolica publicus et causarum curiae suae ill^mae^ Celsitudinis notarius mpp.

*Original auf Pergament mit dem an rothem seidenem Bande hängenden Siegel des Bischofs in einer Holzkapsel im Culmer Diöc.-Archiv. Der Text ist fast unleserlich und wurde daher nach den beiden Abschriften bei Mauritius nr. 144 und 145 mitgetheilt.*

## 1222.

***1751. September 11. Thorn.*** *Adalbert Stanislaus von Leszcze Leski, Bischof von Culm und Pomesanien, überträgt den von dem Dorfe und der Mühle Staw an das Aerar der Culmseeer Kathedrale zu entrichtenden Zins auf die Güter Prussi und Cembarg, den Besitz derselben seinem Domcapitel überlassend.*

Adalbertus Stanislaus de Leszcze Leski, dei et apostolicae sedis gratia episcopus Culmensis et Pomesaniae, significamus praesentibus literis nostris, quorum interest, universis et singulis: Quod, cum vigore statuti capitularis ab illustrissimis praedecessoribus nostris conditi et approbati, ab illustrissimo autem Laurentio Gembicki praedecessore itidem nostro sub actu Culmsee in capitulo generali die prima mensis Decembris anno domini Millesimo Sexcentesimo Tertio renovati et inter alia statuta capitularia sub Nr. 13 relati ac executioni demandati, census ex villa et molendino Staw dictis, ad bona mensae episcopalis spectantibus, singulis annis pro festo S. Martini ad aerarium publicum ecclesiae cathedralis deponendus esset, ex quo occurentibus extraordinariis casibus et negotiis capituli subveniretur. Qui census, cum anterioribus annis minime poterat ab oeconomis clavis Papoviensis punctualiter vindicari, et propterea aerarium publicum ecclesiae necesse erat exinaniri, ita ut venerabile capitulum statim circa primum ingressum nostrum ad cathedram coactum se esse judicaverit, a nobis exposcere, ut rationes iniremus, quibus punctualitati solutionis dicti census provideretur: Nos, quibus prima cura est, statuta illustrissimorum antecessorum nostrorum et laudabiles consuetudines ecclesiae manutenere, bonum autem, utilitatem ipsius ecclesiae et capituli omni meliori modo non tantum procurare, sed etiam adaugere cupientes, eo sollicitudinem nostram converteramus,

unde aerarium publicum ecclesiae restaurari efficacius et securius posset. Haec vero nobis mente volventibus, deo sic disponente, privilegium generosis Mellinom emphiteutis ab illustrissimo olim Theodoro Potocki praedecessore nostro datum super emphiteusim bonorum Prussy et Cembarg in districtu Fredecensi sitorum ad mensam nostram episcopalem spectantium exspiravit, et bona eadem ad dispositionem nostram sunt devoluta. Proinde invocata spiritus sancti assistentia, matura consideratione praehabita, faciendum esse duximus, ut ab onere solutionis huiusmodi census dictam villam et molendinum Staw eliberando et emundando, eundem censum toties nominatum praeallegato statuto capitulari praescriptum et ordinatum, in eadem bona Prussy et Cembarg ex emphiteutica possessione ad nostram ad praesens possessionem devoluta, transferremus et transportaremus, prout accedente venerabilis capituli nostri assensu et acceptatione transferimus et transportamus, eademque bona censu praedicto inoneramus et inonerata esse volumus, ac majoris punctualitatis in deponendo ad toties dictum aerarium publicum ecclesiae quotannis eodem censu gratia, praedicta bona Prussy et Cembarg cum omnibus suis attinentiis et pertinentiis, usibus, fructibus et emolumentis universis quomodocunque vocitandis, ita late et circumferentialiter, prout in suis metis et limitibus continentur seu contineri debent, cum pleno jure et dominio in realem et actualem possessionem venerabili capitulo ecclesiae nostrae dimittimus, tradimus et incorporamus temporibus perpetuis in dei nomine per praesentes. Ita tamen, ut ex villa et molendino Staw dictis censum amplius pendere ad aerarium publicum ecclesiae non teneamur, neque illustrissimi successores nostri teneantur. Pecunia autem illa publica ex sic dimissis bonis collecta ad mentem et praescriptum eiusdem statuti in loco tuto capitulari custodiri debet, de cuius dispensatione is, cui commissum fuerit, rationem in capitulo generali facere teneatur. Promittimus autem pro nobis et successoribus nostris episcopis Culmensibus, quod venerabile capitulum a praefata possessione dictorum bonorum Prussy et Cembarg non alienabimus, neque successores nostri alienabunt, sed perpetuis temporibus circa possessionem eorundem bonorum conservabimus et successores nostri conservabunt. In quorum fidem etc. etc. Dabantur Thorunii in residentia nostra solita, die 11$^{ma}$ mensis Septembris, anno domini Millesimo Septingentesimo Quinquagesimo Primo.

Adalbertus Episcopus mpp.

Nicolaus Zielenski s. authoritate apostolica publicus et causarum curiae suae ill$^{mae}$ Celsitudinis notarius.

*Original mit Siegel des Bischofs in einer Holzkapsel an seidenem Bande im Culmer Diöc.-Archiv. Abschrift bei Mauritius nr. 143.*

## 1223.

***1757. Juli 4. Althausen.*** *Adalbertus Stanislaus von Leszcze Leski, Bischof von Culm und Pomesanien, durch ein Breve des Papstes Benedict XIV. vom 26. April 1757 dazu bevollmächtigt, ertheilt der von ihm vollzogenen Ueberweisung der Güter Tylice, Mroczenko, Cembarg und Prussy an sein Domcapitel die päpstliche Genehmigung.*

In nomine domini amen. Cunctis ubique pateat evidenter et sit notum, quod anno a nativitate domini nostri Jesu Christi 1757, die vero 25ta mensis Aprilis, pontificatus autem S. domini nostri, domini Benedicti papae XIV anno XVII ego Officialis infrascriptus deputatus vidi et legi quasdam literas apostolicas sub annulo piscatoris debite expeditas tenoris sequentis, videlicet: Foris „Venerabili fratri episcopo Culmensi", intus vero:

Benedictus PP. XIV. Venerabilis frater. Salutem et apostolicam benedictionem. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Capitulum et canonici istius cathedralis ecclesiae Culmensis, quod cum episcopi Culmenses iuxta primitivas fundationes et erectiones ab apostolica hac sancta sede confirmatas in supplementum expensarum pro necessitatibus tam ordinariis quam extraordinariis dictae cathedralis ecclesiae erogari solitarum ac pro duobus ipsius ecclesiae canonicis nempe doctore et theologo aliquas pensiones singulis annis de mensae episcopalis fructibus redditibus et proventibus dare et contribuere tenerentur et teneantur, quarum ratione ex eo quod plerumque ob non factam per episcopos praedecessores diligentem solutionem ecclesiae necessitatibus subveniendi modus deerat et dicti canonici doctor et theologus inopiam patiebantur et ad obeunda ecclesiae munia haud habiles reddebantur, proindeque ardua odia et lites inter capitulum et episcopos huiusmodi ortae peractae fuerint; tuque ad illas dirimendas ac paci tranquilitatique inter te tuosque in administratione dictae ecclesiae successores necnon capitulum huiusmodi consulendo, quaedam bona seu praedia ad mensam episcopalem praedictam spectantia, supradictas pensiones ex illorum fructibus et redditibus annuis adaequantia, et quidem Tylice et Mroczenko respective nuncupata pro solvenda pensione dictis duobus doctori et theologo canonicis ac pro necessitatibus ordinariis dictae cathedralis ecclesiae, necnon respective bona Cembarg et Prussy nuncupata pro subveniendis necessitatibus extraordinariis ipsius dicto capitulo per tuas binas literas in forma privilegiorum die 11 Septembris 1751 datas applicasti et incorporasti, prout plenius continetur in dictis literis tenoris sequentis, videlicet:

In nomine domini Amen. Cunctis evidenter pateat et sit notum, quod anno a nativitate domini nostri Jesu Christi 1756, die vero 27ma mensis Maii, pontificatus autem sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Benedicti divina providentia Papa XIV anno eius XVI ego notarius publicus infrascriptus vidi et legi quasdam literas binas in forma privilegiorum ab illustrissimo excellentissimo et reverendissimo domino Adalberto Stanislao de Lieselikt Leski, episcopo Culmensi et Pomesaniae, venerabili capitulo Culmensi datas tenoris sequentis, videlicet:

Primo. Privilegium super bonis mensae episcopalis Tylice et Mroczenko nuncupatis. Adalbertus Stanislaus de Leszcze Leski, dei et apostolicae sedis gratia episcopus Culmensis et Pomesaniae, significamus etc. Cum disponente etc. *wie oben nr. 1221.* Dabantur Thorunii in residentia nostra solita, die undecima mensis Septembris, anno domini MDCCLI. Adalbertus Episcopus mppa. Locus + sigilli pensilis. Nicolaus Zielenski s. auct. apost. publicus et causarum curiae suae Ill$^{mae}$ Celsitudinis notarius mppa.

Secundo. Super bonis itidem mensae episcopalis Prussii et Cembarg vocatis, ut sequitur. Adalbertus Stanislaus de Leszcze Leski, dei et apostolicae sedis gratia episcopus Culmensis et Pomesaniae, significamus etc. Quod cum vigore etc. *wie oben nr. 1222.* Dabantur Thorunii in residentia nostra solita, die 11$^{ma}$ mensis Septembris, anno domini MDCCLI. Adalbertus Episcopus mppa. Loco + sigilli pensilis. Nicolaus Zielenski s. auth. apost. publicus et causarum curiae suae Ill$^{mae}$ Celsitudinis Notarius mppa.

Super quibus quidem privilegiorum literis ego notarius publicus infrascriptus praesens transumptum recepi, signoque et subscriptione munivi, quod perinde valeat, acsi literae originales exhibitae forent et ostensae. Actum in cancellaria curiae episcopalis Culmensis, die et anno, quibus supra, praesentibus reverendis Michaele Raffleski, cappellano Ill$^{mi}$ Exc$^{mi}$ et R$^{mi}$ domini Lociordinarii Culmensis, et Joanne Knakowski commendatario ecclesiae archipresbyteralis Lubaviensis, testibus ad praemissa vocatis, habitis atque rogatis. Ita est. Nicolaus Zielenski, apostolicus et causarum curiae episcopalis Culmensis notarius mppa. Locus + sigilli.

Adalbertus Stanislaus de Lieselicht Leski, dei et apostolicae sedis gratia episcopus Culmensis et Pomesaniae. Universis et singulis, quorum interest aut quomodolibet interesse poterit, tenore praesentium significamus et attestamur, supradictum venerabilem Nicolaum Zieleński, presbyterum dioecesis Culmensis, esse verum et actualem notarium apostolicum in s. Nunciatura regni Poloniae inscriptum eiusque scriptis authenticis, prout superius est, plenam ubique debere adhiberi fidem. In quorum fidem etc. Datum Culmae die 31 Maii anno domini MDCCLVI. Adalbertus Episcopus mppa. Loco + sigilli. Michael Raffleski, parochus Kuncendorfensis, Ill$^{mi}$ domini Lociordinarii Culmensis Cancellarius mppa.

Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dicti exponentes applicationem et incorporationem huiusmodi bonorum mensae capitulari praedictae a te, sicut praemittitur, factam, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio per nos communiri summopere desiderent: Nos, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis censuris et poenis, a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium concilii Tridentini interpretum, ad quos supplicem libellum nobis porrectum remisimus, qui relationem tuam super praemissis ad eosdem Cardinales transmissam attenderunt, consilio, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut veris existentibus narratis supradictorum bonorum unionem seu incorporationem ut supra factam authoritate nostra apostolica

gratis approbes, confirmes et convalides, omnesque et singulos iuris et facti etiam substantiales defectus, si qui desuper intervenerint, sanes et suppleas, non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis necnon dictae ecclesiae, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam majorem, sub annulo piscatoris die vigesima sexta Aprilis MDCCLVII. pontificatus nostri anno decimo septimo. B. Cardinalis Passioneus. Loco + annuli piscatoris.

Super quibus quidem literis ego notarius publicus infrascriptus praesens transumptum recepi, signoque et subscriptione munivi, quod perinde valeat, acsi literae originales exhibitae forent et ostensae. Actum in Cancellaria apostolica, praesentibus dominis Jacobo Stella et Angelo Valentini, testibus ad praemissa vocatis habitis et rogatis. Concordat cum originali J. B. Riganti Officialis dep. I. Card. Prod$^{lus}$. Ita est Philippus Pinelli notarius apostolicus. L. S.

Adalbertus Stanislaus de Leszcze Leski, dei et apostolicae sedis gratia episcopus Culmensis et Pomesaniae, significamus praesentibus literis nostris, quorum interest aut quomodolibet interesse poterit in futurum, universis et singulis: Quia nos visis et lectis suprascriptis commissionis apostolicae literis transumptis in forma brevis expeditis ad nos directis, sanis, salvis et illaesis, omnique suspicionis nota carentibus, ad executionem earundem procedendum esse duximus, prout quidem verificatis narratis in curia romana expositis et pro veris adinventis super unione seu incorporatione bonorum mensae episcopalis Culmensis Tylice, Mroczenko, Cembarg et Prussii nuncupatorum venerabili capitulo Culmensi facta procedimus, dictamque unionem seu incorporationem bonorum praefatorum, venerabili capitulo Culmensi a Romana curia admissam, iuxta vim tenorem et continentiam illius, in omnibus punctis, clausulis, articulis, nexibus et ligamentis quibusvis universis, authoritate apostolica nobis per easdem literas specialiter et per expressum commissa approbamus, confirmamus et convalidamus, vimque et robur firmitatis perpetuae ac irrevocabilis apponimus, omnesque et singulos iuris et facti etiam substantiales defectus, si qui desuper intervenerunt, sanamus et supplemus, praesentibus literis nostris perpetuo ac in aevum valituris. In quorum fidem etc. Datum in arce Starogrodensi, die quarta mensis Julii, anno domini Millesimo septingentesimo quinquagesimo septimo.

Adalbertus Episcopus, commissarius apostolicus mppa.

*Abschrift bei Maurïtius nr. 145. — Das Breve Benedicts XIV. im Original im domcapitulärischen Archiv zu Pelplin.*

## 1224.

*1767. Juni 1. Rom. Papst Clemens XIII. bestätigt den Elect Christoph Szembek von Uranopolis als Coadiutor mit dem Rechte der Nachfolge des culmischen Bischofs Andreas Baier.*

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Christophoro Szembek, electo Uranopolitano, salutem etc. Romanus Pontifex, quem etc. *usque* incrementum. Dudum siquidem provisiones ecclesiarum omnium apud sedem apostolicam tunc vacantium et imposterum vacaturarum ordinationi et dispositioni nostrae reservavimus, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contingeret attentari. Postmodum vero ecclesia Uranopolitana, quae in partibus infidelium consistit et cui venerabilis frater noster Ignatius Krasicki, modernus episcopus Warmiensis, qui alias bonae memoriae Adamo Stanislao Grabowski, dum viveret, episcopo Warmiensi, coadiutor perpetuus et irrevocabilis in regimine et administratione ecclesiae Warmiensis cum futura in illa successione apostolica auctoritate constitutus et deputatus fuerat, coadiutoris officio eiusmodi durante praesidebat, ex eo, quod nos in actu provisionis et praefectionis eidem ecclesiae Uranopolitanae certo tunc expresso modo pastoris solatio destitutae de ipsius Ignatii episcopi persona auctoritate praefata factarum dictam ecclesiam Uranopolitanam, postquam tamen successioni praefatae ad ipsius Ignatii episcopi favorem locus factus fuisset, vacare eo ipso decreveramus, successioni praefatae ad ipsius Ignatii episcopi favorem nunc loco facto, iuxta decretum huiusmodi pastoris solatio etiam destituta: Nos ad provisionem eiusdem ecclesiae Uranopolitanae celerem et felicem, in qua nullus praeter nos se intromittere potuit sive potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne illa longae vacationis exponatur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de praeficiendo eidem ecclesiae Uranopolitanae personam utilem ac etiam fructuosam cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus habuimus, diligentem, demum ad te, de legitimo matrimonio ex catholicis nobilibusque parentibus in dioecesi Posnaniensi natum, in quadragesimo quarto tuae aetatis ac a novemdecem et ultra annis in s. presbyteratus ordine constitutum, Iuris utriusque doctorem, qui Visitatoris ecclesiarum et in tribunali regni Poloniae Praesidis necnon Commissarii in negotiis ecclesiasticis munia prudenter et integre peregisti, quique fidem catholicam iuxta articulos iam pridem a sede apostolica propositos expresse professus fuisti, ac de cuius literarum scientia cum nobilitate generis coniuncta, vitae munditia, honestate morum, spiritualium providentia et temporalium circumspectione aliisque multiplicum virtutum donis fidedigna testimonia perhibentur, direximus oculos nostrae mentis. Quibus omnibus debita meditatione pensatis, ecclesiae Uranopolitanae praefatae de persona tua, nobis et eisdem fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de fratrum eorundem consilio apostolica auctoritate praefata providemus, teque eidem ecclesiae Uranopolitanae in episcopum praeficimus et pastorem, curam regimen

et administrationem ipsius ecclesiae Uranopolitanae tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo. Et insuper venerabili quoque fratri nostro Andreae Baier, episcopo Culmensi, qui, sicut accepimus, attenta eius ingravescente aetate adversaque valetudine, ad pastorale munus obeundum impos in dies redditur, ne ecclesia Culmensis, cui dictus Andreas episcopus ad praesens praeest, aliqua exinde in spiritualibus et temporalibus detrimenta sustineat, de coadiutore idoneo in regimine et administratione ipsius ecclesiae Culmensis ac illius felici successui, quantum nobis ex alto conceditur, providere volentes, te, pro quo charissimus in Christo filius noster Stanislaus Augustus, Poloniae rex illustris, nobis ad hoc per suas literas supplicavit, dicto Andreae episcopo, quoad vixerit et quamdiu praefatae ecclesiae Culmensi praefuerit, in coadiutorem perpetuum et irrevocabilem in regimine et administratione eiusdem ecclesiae Culmensis, cum futura in illa successione in spiritualibus et temporalibus, cum plena libera et omnimoda facultate auctoritate et potestate omnia et singula, quae ad eiusmodi coadiutoris officium de iure, usu, consuetudine, privilegio aut alias quomodolibet spectant et pertinent, etiam in iis, quae sunt ordinis et pontificalis officii, faciendi, dicendi, gerendi, procurandi, exercendi, ordinandi et exequendi, ac etiam postquam munus consecrationis susceperis, pontificalia munia in civitate et dioecesi Culmensi exercendi, ita tamen quod tu, coadiutoris officio durante, in administratione spiritualium et temporalium dictae ecclesiae Culmensis illiusque mensae episcopalis bonorum, fructuum, reddituum, proventuum, iurium, obventionum et emolumentorum, quorumcunque quovis modo aut sub quovis quaesito colore vel praetextu, per te vel alium seu alios, te ingerere aut immiscere non possis aut valeas, nisi quando et ubi ac tempore quo idem Andreas episcopus voluerit, iusserit et expresse permiserit, ipsius Andreae episcopi expresso ad id accedente consensu, apostolica auctoritate praefata iuxta decretum Congregationis rebus Consistorialibus praepositae de simili consilio constituimus et deputamus, necnon dicto Andreae episcopo cedente vel decedente seu regimini et administrationi dictae ecclesiae Culmensis quomodolibet praeesse desinente aut alias ipsa ecclesia Culmensis quovis modo etiam apud sedem apostolicam vacante, etiamsi vacationis huiusmodi tu dictum coadiutoris officium exercere non inceperis, aut per te steterit, quominus illud exercueris, ac eaedem praesentes praefato Andreae episcopo et aliis, quibus opus fuerit, intimatae non fuerint, ex nunc prout extunc et e contra de persona tua nobis et eisdem fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de pari consilio eadem auctoritate apostolica providemus, teque eidem ecclesiae Culmensi in episcopum etiam praeficimus et pastorem, ac ex nunc de tui persona eidem ecclesiae Culmensi provisum, teque illi in episcopum et pastorem praefectum fore decernimus, curam regimen et administrationem ipsius ecclesiae Culmensis in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo. In illo, qui dat gratias etc. *usque* merearis. Nos enim tibi, ut, quamdiu dicta ecclesia Uranopolitana ab infidelibus detinebitur, ad illam accedere et apud eam personaliter residere minime tenearis, harum serie de speciali

gratia indulgemus. Volumus autem, quod, officio coadiutoris eiusmodi durante, ab alienatione qualibet bonorum immobilium et praetiosorum mobilium mensae episcopalis Culmensis te penitus abstineas, quodque de gestis per te ratione coadiutoris officii eiusmodi non solum in districto examine, sed etiam eidem Andreae episcopo iuxta tenorem constitutionis fel. rec. Bonifacii PP. VIII. praedecessoris nostri, quae incipit „Pastoralis", plenariam rationem reddere tenearis. Volumus etiam, quod, loco facto successione praefatae, ecclesia Uranopolitana praefata vacet eo ipso. Praeterea etiam volumus, quod successioni praefatae ad tui favorem etiam loco facto, in praefata ecclesia Culmensi theologalem et poenitentiariam praebendas ad praescriptum Concilii Tridentini instituas ac in civitate Culmensi montem pietatis erigi cures, conscientiam tuam super his onerantes. Datum Romae apud s. Mariam maiorem anno incarnationis dominicae Millesimo Septingentesimo Sexagesimo Septimo. Kalendis Junii. Pontificatus nostri Anno Nono.

*Original auf Pergament im Archiv des Domcapitels zu Pelplin. Daselbst auch der Originaltranssumpt vom 11. Juli 1767 von dieser und den andern üblichen Provisionsbullen.*

## 1225.

***1773. December 9. Löbau.*** *Andreas Baier, Bischof von Culm, erstattet an den päpstlichen Stuhl Bericht über den Zustand seiner Diöcese.*

Eminentissimi et Rndᵐⁱ domini, domini patroni colendissimi. Andreas Ignatius Baier, episcopus Culmensis, Eminentiarum vestrarum devotissimus et humillimus cultor, debita cum veneratione in anteriori statu suae dioecesis Culmensis die 30 Januarii anno 1764 transmisso, s. eorum congregationi exposuit difficultates, personalem visitationem s. liminum bb. Petri et Pauli apostolorum in urbe impedientes, quam per plenipotentem specialem eum in finem constitutum expedivit. Post haec labente secundo quinquennio possessionis suae episcopatus Culmensis, praecipui eiusdem episcopi fuere conatus ex persona sua de grege sibi concredito s. sedi eiusque s. congregationi Eminentiarum Vestrarum reddere rationem; sed praeter omnem exspectationem a diebus finitae mortalis vitae serenissimi Augusti III. regis Poloniarum commotio publicae in regno tranquillitatis inter cives patriae, inundatio militum exoticorum, aggravationes in domibus, persecutiones in itineribus, deductiones in captivitatem, non solum fortunarum sed etiam vitae spolia, aliaque gravamina et innumerabiles aerumnae ita creverunt, ut neque in propriis laribus proceres regni Poloniae (inter quos etiam episcopus Culmensis locum obtinebat), sine periculo vitae caeterarumque rerum suarum et bonorum amissione et absque metu captivitatis secure potuerint remanere.

Quam ob rem et ipsemet episcopus Culmensis securitatis causa conservandae ulterioris vitae de medio suae dioecesis in propinquum illi locum intra fines dominii serenissimi regis Borussorum, ac tandem ad fortalitium Gedanensis civitatis contiguum, pariter ultra

duorum annorum spatio interpolatim sese coactus fuit removere, per officiales tamen provide dioecesim suam gubernando. Cum igitur propter tanta pericula inter publicam vicinorum etiam regnorum commotionem, ac propter defectum mediorum sufficientium idem episcopus verebatur circa determinium secundi quinquennii pedem movere in urbem cum recognitione pia et ad demonstrandam fidelitatem suamque s. sedi debitam obedientiam et reverentiam, tum quoque ob rationem, quod ipsi non suppetebat modus ad conficiendam realem informationem de statu dioecesis suae ob continuam rerum praecipue temporalia bona ecclesiastica afficientium mutationem: Supplicavit humiliter s. sedi pro dispensatione et absolutione ratione non confecti et non transmissi status dioecesis Culmensis intermissaeque secundo quinquennio a possessione episcopatus labentis visitationis liminum ss. Apostolorum, quam et obtinuit.

Porro cum tempus tertii quinquennii die 30 Januarii anno brevi inchoando 1774 approximat et iam omnibus constat, quae mala post tot calamitates perpessas sustinere cogimur universi, solus non valens propter aetatem et inopiam, longe quam ante maiorem, per specialem suum plenipotentem Reverendum abbatem Ciofani, ser. regis Borussorum agentem, s. limina Apostolorum in urbe visitare aggreditur et de his, quae necessario duxit referenda, per praesentem paginam Eminentiis Vestris ampliori modo loqui non intermittit.

Nimirum quia tota dioecesis Culmensis cum suo episcopo cleroque universo, tam saeculari quam regulari, subiugata est dominio ser. regis Borussorum a die 28 Septembris anni 1772 redditaque pactis Varsaviensibus inter tres potentias confoederatas Viennensem, Petersburgensem et Berolinensem conclusis huic potestati sub tributum, sola civitate Torunio cum suis suburbiis sub potestate regis Poloniarum relicta, quae est etiam pars dioecesis Culmensis. Et statim inhibitum est episcopo Culmensi caeterisque senatoribus terrarum Prussiae in Ante-Polonia, ne sub confiscatione bonorum ad comitia Varsaviensia discederent, aut se ad alia negotia eiusdem regni ingererent. Et quamvis episcopus Culmensis obedivit huic interdicto regio, nihilominus sequente anno currenti 1773 diebus mensis Junii interposita fuit unice in personam et aerarium episcopi Culmensis contributio ultra quatuor millia scutorum romanorum, quam summam, cum non esset episcopus in statu solvendi, supellectilem suam praetiosiorem de argento vendere, reliquum vero ab amicis commodare fuit gravatus.

Nondum tamen finis tribulationis huiusmodi, quia post solutionem commodato aere contributionis circa festum S. Joannis Baptistae eodem anno omnia bona episcopalia et ecclesiae cathedralis Culmensis sunt saecularisata ac in administrationem a Camera regia Marienverdensi recepta, sibi vero episcopo et capitulo Culmensi medius tantum de bonis dictis annuus proventus, quartaliter per partes, de regio solvitur thesauro, qui utique satis modicus est et neque sufficiat pro honesta conditionis episcopalis sustentatione, praecipue in his terris, ubi omnia caro venduntur pretio propter telonia constituta.

Praeterea episcopus debuit formare cancellariam linguae germanicae et gallicae propter continuam correspondentiam cum modernis officialibus regiis, a quibus infinita mandata recipere solet et illis lingua eorum respondere germanica passim gallica, non sine insigni expensa pro posta et fovendis secretariis. Nunc episcopus Culmensis propter solutam ser. regi Borussorum contributionem ultra quinque millia scutorum Romanorum debet variis creditoribus, quibus non est par satisfacere, nisi forte vivat ut mendicus, quatenus ex assignata sibi de regio thesauro pensione et debita solvat et suos salariet domesticos.

Cum autem propter talem qualem commoditatem episcopus circa binas suas residentias episcopales Starogardensem et Lubaviensem contractu locationis et conductionis duo acceperit allodia, elocantes officiales regis Borussorum ad tantum illa elevarunt pretium, quod nunquam de proventu illorum colligi potest. Nihilominus tamen episcopus dimittere non valet eadem allodia, ne cum illis simul cogatur etiam cedere de suis episcopalibus residentiis, quas non modicis expensis resarcivit et honeste adornavit, utque saltim titulum aliquem sibi suisque successoribus relinquat possessionis terrae et residentiarum.

Canonicis quoque ecclesiae cathedralis Culmensis, qui numerantur duodecim, omnia bona et praebendae vulgo praestimonia sunt recepta, quorum loco modicum quid supra duo millia scutorum romanorum in sustentationem ecclesiae cathedralis praecelsae et residentiarum canonicalium, procurationem internarum necessitatum ecclesiae et ornamentorum, salariationem cleri minoris et ministrorum ecclesiae tantummodo assignatum est. Et evidens est, quod nullus canonicus in tali sua modica pensione subsistere valet, nisi alterius alicuius beneficii etiam curati sublevetur adiutorio. Praeterea, si quis post cessum aut decessum per provisionem apostolicam, vel alio titulo sive iure obtinet canonicatum Culmensem, stringitur praeter expensas curiae romanae solvere ad thesaurum regium et in varias expensas alias inevitabiles prope centum scuta romana pro admissione sui ad hanc dignitatem canonicalem, in cuius possessionem aliter intrare nequit, nisi prius suum ius, quod a Romana curia obtinet, in officio Regentiae Prussiae occidentalis, nunc sic nominari demandatae, praesentet et admissionem obtineat. Pari modo sed dispari methodo proceditur cum parochis dioecesis Culmensis. Istis nimirum dantur praesentationes ad vacantia beneficia curata, quos episcopus commendat Regiae Maiestati, sed circa commendationem statim exprimere tenetur, quantum de anno beneficium parocho potest importare proventum, unde colligitur et concluditur per officium regium, quanti redimenda sit praesentatio. Qua obtenta, praesentatus stringitur praestare coram designato iudice saeculari iuramentum homagiale ser. regi Borussorum subiectionis et fidelitatis. Singulis ecclesiis parochialibus catholicis relicta est dos agri quatuor mansorum mensurae crucigerorum ab omni contributione liberorum; ast ubi apparuit aliquam ecclesiam plus de agro quam mansos quatuor etiamsi legitimo iure possidere, illud superfluum subductum est ad eius colonale, et de illo similis census colonialibus ad thesaurum regium solvere tenentur parochi.

Porro longe deterior erit et iam est conditio parochorum; nam a tempore incepti praesentis dominii ser. regis Borussorum super his terris Prussiae olim Poloniae denegata sunt iura stolae parochis catholicis a parochianis acatholicis, qui sunt copiosissimi, ita ut in aliquibus parochiis, praecipue in territorio Mariaeburgensi, in triplo et quadruplo superant numerum catholicorum illorumque tantummodo famulantium aut diurno labore victum quaerentium. Ad unicam tantum strenam et decimam coretalem de uno quoque manso colonali unius coreti siliginis et alterius hordei vel avenae tenentur parochis catholicis extradendam coloni etiam Lutherani et Mennonistae, quam decimam et strenam officiis modernis regiis appellari placuit „iura realia". Moris fuit ex antiquissima consuetudine aliquot saeculis probata, quod in territorio Mariaeburgensi ad dioecesim Culmensem pertinente coloni parochiani ecclesias catholicas, aedificia plebanalia et scholas parochiales conservare, et quoties opus fuerit, etiam nova struere suis tenebantur sumptibus, fortassis ex hac ratione, quod crucigeri composuerunt cum clero dioecesano loco manipularium decimarum extradere coretales, quae non decima pars sed ultra centesima appellari possunt. Nunc stante moderno dominio longe minor erit proventus ecclesiarum et parochorum, quia coloni dissidentes omnibus artibus liberari praetendunt ab obligatione conservandi ecclesias catholicas, domos plebanales et scholas parochiales, immo etiam ab extradendis decimis et calendis liberi esse praetendunt, et super hoc desudant, ut vel decipiant vel longam non sine gravibus expensis praeparent litem. Si igitur quomodo ab hac obligatione liberabuntur parochiani dissidentes in territorio Mariaeburgensi, certo certius tempus edax rerum consumet ecclesias, quae passim ex lignis ligatis sunt structae, et non erit, qui eas reficere valeret. Etenim ad notitiam omnium iam tradita est a ser. rege Borussorum declaratio, continens in se facultatem, quod his in terris neoacquisitis abhinc licebit dissidentibus, domos orationis suae, ubicunque illis placeret, aedificare, sine dependentia, adiutorio et praepeditione populi catholici, ita e converso catholicis. Metuendum est igitur, ne huic declarationi dissidentes innixi subtrahant se ab obligatione amplius succurrendi necessitatibus externis ecclesiarum catholicorum; ac in fundamento praemissae regiae declarationis in civitate catholicissima Culma dicta, a qua nomen vendicat episcopatus Culmensis, iam sibi erexit parochiam pastor lutheranus, unamque domum elegantem, publicis commerciis civitatis hucusque servientem, in circulo fori prostantem, suae suorumque sequacium devotioni destinatam occupavit, publicamque devotionem aperuit, quod et in aliis minoribus civitatibus dioecesi Culmensi subiectis per conductos aliunde ministros Augustanae Confessionis aliquot vicibus de anno practicari solet, non sine vehementi dolore episcopi, qui huic adeo late serpenti malo nullatenus obviare potest, cum dominium religionis catholicae hac in dioecesi Culmensi cessavit.

Ut ulterius adhuc progreditur malum, quia omnes Oeconomiarum regiarum praefecti sunt dissidentes, et ut plurimum fideles laboriosos diebus hac in dioecesi de praecepto festivis pellunt ad operas serviles, nec permittunt illos divinis interesse, dum in ecclesia

celebrantur, et id faciunt sua praesumptione; nam declarationes regiae de non celebrandis festis hac in dioecesi emanatae solis duntaxat serviunt dissidentibus, et nullatenus premunt fideles, sed meticulosi simplices villici catholici potius praestant obedientiam temporalibus suis modernis dominationibus, ad evitandas aliquas corporis amaritudines, quam ecclesiae, in qua lucra spiritualia colligere possunt.

Irrepsit simul cum aliis malis in hanc dioecesim libertas conscientiae in credendo, ita ut penitus impune grassantur haereses. Huius libertatis testis est quaedam Anna Catharina, bini nominis Andreae Tausz consulis olim civitatis Strasburgensis consors, filia unica Jacobi Steffenii Mennonistae in territorio Mariaeburgensi coloni, quae mira dei vocatione in anno decimoquinto aetatis suae pervenit ad ianuam sacramentorum baptismi in ecclesia catholica, vixitque deinde aliquot annis cum sibi electo marito, tandem vidua relicta cum filio parvulo. Postquam vero terrarum harumce Prussiae mutatum extitit dominium, haec vidua a suo parente, pluribus asseclis Mennonistis stipato, de domo propria cum sua prole in domum paternam seditiose deducta, paternis obsecrationibus vel minis, ut prudenter colligi potest, emollita, fidem catholicam, quam solenniter sponte et libere professa fuit, deseruit et ad errores Mennonisticos rediit. Satis se opponebat episcopus Culmensis, ut haec vidua cum sua prole de domo patris Mennonistae restitueretur libertati, ut tandem reflexa edoceretur, ut sciat, quid agat. Sed plus efficere non potuit praeter hoc: quia examini eius de voluntate permanendi, in qua ipsi placuerit religione, unus aderat presbyter Praepositus Elbingensis, vir prudens et religione plenus, verum tamen amplius illi de religione cum praedicta vidua loqui non licuit, nisi tantum, quantum per expressas ab officio regio quaestiones expressum fuerat, nimirum, dum illa quaerebatur, in qua praetenderet remanere religione, quia respondit: in Mennonistica! amplius iam cum illa de fide vera disserere permissum non erat ab officialibus regiis designatis, huic examini praepositis. In hanc viam erroris a catholica deflectendo religione abierunt et alii, licet adhuc pauci, ad Lutheranismum, praecipue cum dissidentibus matrimonia cupientes celebrare; et hucusque inveniuntur passim tales catholici pertinaces, permixtim cum Lutheranis habitantes, quibus dum persuadetur illicita matrimonia cum heterodoxis coniugibus, et pericula salutis propriae animae non modo tantum prolis suscipiendae exponuntur, statim abeunt ad lutheranae confessionis ministros pro copulationibus, quae ipsis impune praestantur.

Pridem iam exposuit episcopus s. sedi, quod his in partibus impossibile fuit, servare legem matrimonia diversae religionis personarum christianarum vetantem; nunc autem liberius ista fiunt, quam ante hac practicari solebant. Nam ad praesens nullae interponi et suscipi possunt conditiones antematrimoniales respectu educandae prolis. Prodiit enim declaratio recens aulae Berolinensis, quod infantes ex parentibus diversae religionis nati secundum sexum suorum parentum fidem tenere debent usque ad annos discretionis, cum autem creverint, ut iam fidei dogmata illis eligere liceret, tunc sisti debebunt coram

examinatoribus terrestribus ad tale munus ex ecclesia catholica et augustana professione deputandis, ut examinentur, et quam religionem eligere ipsis placuerit, in illa remanebunt. Nec amplius episcopus prohibere potest, quin talibus matrimoniis diversae religionis non assistant parochi catholici, quibus cum dubio clandestinitatis assistitur a ministris Augustanae confessionis. Haec libertas praedominantis modo religionis acatholicae eo usque processit, ut etiam Religiosos apostatas facti sui poenitentes et ad monasteria redeuntes, de sub clausuris Religiosis suis coram officiis personaliter sistere et examini suo subiicere demandet, inque tali examine omnem libertatem conscientiae ipsi sequi licere proponitur, et protectio a quavis impetitione pollicetur.

Literis patentibus primitivis ser. regis Borussorum declaratum est, causas sponsaliorum et matrimoniales inter personas diversae religionis, quarum una foret catholica, pertinere debere ad forum Consistorii sui, ut vocant, ad Collegium justitiae ex personis non catholicis a rege constitutum. Ex anteriori praxi constat episcopo, et recens exemplum de parochia Lautenburgensi confirmat, quod in his Collegiis justitiae ob levissimas etiam causas rixarum et contentionum domesticarum inter malevolos coniuges passim exoriri solitarum divortiantur quoad vinculum matrimonia, et datur libertas utrique parti ad alia vota matrimonialia convolandi, etiamsi nullum intersit impedimentum canonicum (praeter diversitatem religionis), quod matrimonium tale nullum redderet. Sine dubio tales laxae conscientiae catholici non susciperent persuasiones parochorum, si ipsis notificaretur, impedimentum ligaminis remanere, et certo certius accusarent clerum catholicum coram jurisdictione modo dominante criminis convulsionis legum maiestaticarum. Quaerit itaque episcopus consilium s. Congregationis Eminentiarum Vestrarum, quomodo se cum suo clero in praemissis gerere debeat respectu involutarum conscientiarum talium personarum.

Et haec non modice terret episcopum notitia, quod in hac dioecesi Culmensi plurimae inveniantur mulieres iuvenes, quarum mariti alii militiam sunt secuti, alii vero in vias incognitas abierunt. Iam nonnullae petierunt per Culmensem et alias vicinas dioeceses extrahi literas edictales, ut si de vita vel morte talium alicui constet maritorum, easdem certificet; quodsi vero nullam recipient notitiam, more consueto certo recurrent ad officium episcopi pro licentia alias celebrandi nuptias, aut etiam vitam ducent licentiosam inverecundae, uti iam constat ab exemplo. Huic enim foecundae scelerum matri luxuriae nunc publica est aperta via in hac dioecesi per edictum Berolinense publicari demandatum, quo mediante delicta fornicationum manere debent impunita. Praetendit itaque a s. Congregatione Eminentiarum Vestrarum edoceri episcopus, utrum ipsi ad evitanda scandala liceret sequi doctrinam antiquorum authorum sentientium, posse coniugem derelictam nubere alteri, servata diligenti investigatione de vita vel morte prioris et non accepta notitia.

Dissidentes in locis praecipue, ubi sua ad sepelienda cadavera nondum habent caemeteria, praetendunt sepulturas in caemeteriis catholicis, quod eis hactenus denegare

non potuit episcopus ad evitandas violentas invasiones, partes aliquas caemeteriorum pro usu sepulturae illorum designando, donec cum tempore seorsiva sit ipsis dispositum habere posse caemeteria.

Praefectus arcis Radzynensis lutheranus in capella eiusdem arcis a crucigeris sub protectione s. Crucis eleganti muro constructa et proventu suo dotata non permisit festo exaltationis s. Crucis praeposito Radzynensi consuetam publicam devotionem celebrare, immo ad dehonestandum eundem locum sacrum, in quo continuo a tempore crucigerorum bis in anno absolvebatur publica devotio, res varias profanas ibidem collocare mandavit. Facta tamen per episcopum eiusmodi facinoris attentati Regentiae Prussiae occidentalis relatione, ex tunc mandatum est domino eiusdem arcis praefecto, quatenus mundatam ab omni foeditate capellam cum clavibus redderet praeposito curato Radzynensi; sine cunctatione satisfecit huic mandato.

In omnibus negotiis, quaecunque ad regimen orae, bonam oeconomiam, administrandam iustitiam, dilatandam et ordinandam mercaturam, capiendos fugitivos pertinent, alias generaliter omnia mandata in rebus oeconomicis etiam vilissimis, quaecunque ad notitiam populi deduci necessitas vel utilitas postulat, ab initio modernae dominationis mandabantur, per sacerdotes ex ambone publicari, cui imperio dum obstitit episcopus, hoc tantum impetravit, ut amplius talia edicta de rebus huius generis non per sacerdotes ex ambone, sed per aliquem ministrum ecclesiae, finita devotione parochiali, populo congregato publicentur; sed intercedente auxilio s. sedis cuperet episcopus has res prophanas publicandas et valvis ecclesiarum affigendas amplius ab ecclesiis amovere.

Praeter conscriptiones nobilium terrigenarum et plebis vulgi ad mandatum regium facta est quoque anno praesenti conscriptio ecclesiarum parochialium, quae in dioecesi Culmensi reperiuntur in numero 122 et filialium in numero 48, monasteriorum et locorum quorumvis sacrorum, necnon nominatim omnium parochorum, vicariorum, religiosarum utriusque sexus personarum, cum expressione aetatis, temporis factae professionis, capacitatis, officii, loci suae nativitatis, proventuum fixorum monasteriorum et quorumvis conventuum ac summarum fundationalium; mandata praeterea extraditio copiarum erectionum primitivarum, in quem finem et pro quot personis factae sint; et tales descriptiones singulis annis officiis regiis porrigi serio sunt praeceptae, quorum finis ignotus est omnibus eas facientibus.

Tria monasteria monialium ordinis s. Benedicti reperiuntur in dioecesi Culmensi, scilicet Culmae, Graudenti et Thorunii; singula provisa fuerunt sufficienti dotatione, ita ut triginta et ultra quadraginta in unoquoque monasterio ali et vestiri possent moniales. Sed nunc mutata est omnium rerum facies. Bona omnia et proventus monasteriorum conversi sunt ad aerarium regium. Iam vero pro sustentatione religiosarum personarum tanta est summa quartaliter ad solvendum constituta, ut pro miserrima vita vix sufficiat monialibus. Unde vero vestientur, calefiant, habitationes suas et tecta ecclesiarum

conservent, internum decorem domus dei procurent, concionatorem et capellanos foveant, familiam domesticam porro necessariam nutriant et salarient, plane nulla spes arridet auxilii. Et licet numerus minueretur monialium, adhuc autem semper manebunt in egestate.

Maximam autem partem occupationis habet episcopus in fovendis seminaristis dioecesanis, qui semper numero duodecim singulis annis pro necessitate dioecesis educabantur a presbyteris Congregationis Missionis domus Culmensis. Nunc post recepta bona seminaristica in dispositionem camerae regiae tanta solummodo pensio est designata, quae sex alendis seminaristis non sufficiet. Minime autem inveniuntur tales, qui suis facultatibus absolvere possent studia seminaristica, unde visum est episcopo Culmensi proponere s. Congregationi Eminentiarum Vestrarum, quatenus eidem tribuatur potestas reservare pensiones certas super duobus saltim beneficiis curatis dioecesanis pinguioribus, quae numero pauca reperiuntur, pro seminario, quod unicum tantum est pro tota dioecesi, relicta congrua parte proventuum parochis ad eorum sustentationem, quousque alius non invenietur modus.

Modernus suffraganeus Culmensis Fabianus Pląskowski post diminutos ultra medium proventus capitulares, post receptam in dispositionem camerae regiae dotem ecclesiae archipresbyteralis tituli S. Joannis Baptistae Thorunensis, cuius hactenus idem suffraganeus rector existit, non habet fere modum episcopalem suam servare dignitatem, cui episcopus Culmensis pensionem suffraganealem per Bullas sedis apostolicae constitutam amplius contribuere non valet, cum et ipsius sors longe deterior facta sit, quam in antea fuerat. Ideoque praeter alia postulata supplicavit simul episcopus Culmensis ss. domino nostro, domino Clementi Papae ad praesens feliciter gubernanti per literas seorsivas die 19 Novembris missas, quatenus concedere dignaretur potestatem episcopi reservandi aliquam pensionem de beneficio curato collationis etiam laicalis in subsidium manutenendae suffraganealis dignitatis, quoad vixerit modernus suffraganeus, aetatis et meritorum plenus, relicta congrua parte proventuum parocho beneficii pensione hac onerati.

Duo beneficia curata in civitatibus Mariaeburgensi et Christburgensi ad dioecesim Culmensem pertinentia non habent alium proventum localem et fixum ob defectum dotis suae agrariae; tantummodo parochi eorum locorum iuxta antiquissimas conventiones cum iisdem civitatibus initas, regum Poloniae tanquam suorum pro tunc dominiorum approbationibus firmatas, percipiebant annuatim ab iisdem civitatibus sua salaria, quorum suffragio circa alia stolae accidentia honestam potuerant habere sustentationem. Sed ad praesens, mutato dominio, cives dicti praetendunt etiam mutare suos contractus et conventiones, ac solummodo medietatem salarii parochis catholicis stipulare velle subaudiuntur. Isti parochi egerunt iure pro vindicatione suarum pensionum, finem tamen litis non prospiciunt faustum, cum ipsis commendata est nova compositio, respectu eiusmodi pensionis ineunda, et certo minor summa proponetur, quam in ante pendebatur. Et si illa

maior vix sufficiebat pro congrua sustentatione parocho, quomodo ergo circa tempus praesens carius poterit sufficere minor.

Ecclesiae parochiales in maioribus civitatibus, utpote Thorunii, Graudenti et Mariaeburgi, exiguos pro fovendo clero saeculari proventus habentes, utebantur praedicatoribus, confessariis et adiutoribus circa visitationem et dispositionem infirmorum parochianorum patribus e Societate Jesu in iisdem civitatibus degentibus. Nunc post suppressionem per breve apostolicum istius Instituti, ex parocho et uno vicario (quia ad fovendos plures sacerdotes proventus istorum beneficiorum non sufficiunt), non est hominum tot millium catholicorum sperandum salutare obsequium sufficiens; deficiet enim frequens hostia in ecclesiis, non sufficiet unus et alter sacerdos ad obeunda munia omnia parochialia ex hac potissimum causa, quia in istis ecclesiis necesse est praedicare lingua germanica et polonica; in aliis autem religiosis monasteriis, quae in hac dioecesi pauca sunt, raro dantur capaces ad praedicandum verbum dei lingua germanica presbyteri.

Post aliquos annos deficientibus illis, qui doceant scholas, deficient et subiecta ad seminarium dioecesanum assumenda. His diebus, quibus haec informatio de statu dioecesis conficitur, Thorunium condescenderunt commissarii in ordine ad exequendum breve apostolicum in Collegio patrum Societatis Jesu, qui sine dubio vestiti indumentis saecularium presbyterorum divertent ad adiuvandos parochos Culmenses et vicinarum dioecesium; senioribus tamen officiorum incapacibus veluti xenodochianis providendum erit de victu et amictu, quoniam his in partibus tenues illorum proventus applicati sunt camerae regiae, parva satis quantitate pro sustentatione superviventium relicta. De scholis Thorunensibus copiosa iuventus studiosa migrabit in domos suorum parentum, cum nondum adinventus est modus subsistentiae propter professores ex causa abscessorum bonorum collegii Thorunensis Societatis Jesu ad cameram aulae regiae Berolinensis. Graudenti et Mariaeburgi nondum devenit breve apostolicum ad executionem; inhibitum enim est episcopo Culmensi ore ser. regis Borussorum, cui se ante aliquot menses praesentavit, ac demum per literas specialiter hoc in negotio datas, ne ullos passus faciat in ordine executionis brevis apostolici suppressivi institutum suprafatum, et ne quidem ad receptionem aut publicationem illius procedat. Itaque in his binis collegiis dicti sacerdotes adhuc subsistunt in suo vestitu antiquo, exspectantes finem aliis consimilem; fortassis tamen brevi in hanc deflectent sententiam, ut magis obediant authoritati ecclesiasticae, quam potestati temporali, et ipsimet soli relinquent habitationem suam desertam, seseque accingent laboribus spiritualibus circa curam animarum ipsis maxime usitatis, tanquam facti presbyteri saeculares, quibus ad excipiendas confessiones in ecclesiis tantum parochialibus per dioecesim Culmensem episcopus indulsit facultatem in individuo.

Maxima tamen erit difficultas in deligendis professoribus idoneis ad docendas scholas, praecipue maiores, quae post totalem suppressionem instituti Societatis Jesu nullae remanebunt in his terris Prussiae, nunc dominio Berolinensi subiectis, praeter unicam

coloniam Culmensem, filiam Cracoviensis Academiae, in qua ad philosophiam inclusive iuventus excolitur, quia propter exiguam fundationem pauci extant professores. Et quia nemini licet ex his terris etiam causa studiorum sine permissione potestatis dominantis egredi, concludi potest, quod successu temporis deficientibus subiectis catholicis ad tradendas scientias capacibus iuventus catholica divertet ad academias Lutheranas Regiomontum vel Berolinum, ubi cum moribus fidem etiam suorum parentum facile mutare poterit.

Circa frequentes visitationes ecclesiarum advertit episcopus in tribus praecipue parochiis filiales ecclesias habentibus gravatum fuisse populum parochianum longo itinere descendendo ad parochialem pro audiendis divinis, vacante devotione in filiali; ut itaque maiori prospici possit commoditati fidelium, decretis visitationum generalium filiales ecclesias a suis matribus dismenbravit, illisque proprios dedit pastores, id parochianis poscentibus et parochis, quorum interest, consentientibus.

Jurisdictio spiritualis adeo est arctata a potestate moderna saeculari, ut pene nesciat, utrum aliquae causae ad illius forum pertinere videantur, praeter causas sponsaliorum et matrimoniorum inter personas solummodo catholicas; etenim clerus omnis, tam saecularis quam regularis, in omnibus causis ad instantiam personarum saecularium recte citatur ad iudicia regia distinctis causis designata, nec habet modo locum axioma: „iuris actor sequitur forum rei“. Et quod est adhuc ultra, dum aliquis moritur parochus, etiamsi solennissimum condiderit testamentum et sua derelicta inter legatarios dividere praecommiserit testamenti executoribus, salva ratihabitione et approbatione episcopali, minime tamen episcopus vel eius officium aut domini executores ad exequendam ultimam voluntatem demortui testatoris procedere possunt, quia officia regia ad conscribenda et taxanda derelicta deputant sua subiecta saecularia, a quibus constituitur massa substantiae et aliqua pars reservatur fortassis pro regio thesauro; post intestatos vero neque lex nova publicata neque ex casu praxis edocuit, quomodo disponentur derelicta deficientibus praecipue successoribus naturalibus.

Hac durante calamitate multi census a summis capitalibus fundationalibus ad minus, quam ante fuit, reducti sunt pretium; gravatur itaque clerus obligationibus, occasione anteacti elevati census constitutis. Supplicat itaque episcopus Culmensis pro facultate a s. sede sibi impertienda, quatenus sine formando processu contra successores fundatorum licite possit tales contractus obligationum onerosos reducere ad iustitiam, quod ideo sine strepitu iuris episcopus facere praetendit, ne ipsi desuper a potestate saeculari id facere prohibeatur, aut successores loco auctionis fundationum ad rehabendas summas fundationales, cassandasque pias suorum antecessorum intentiones ad suam saecularem refugia non faciant iurisdictionem. Accedit et alia ratio, quia omnes laici exemti sunt a iurisdictione spirituali praeter unicas causas fidei et sacramentorum.

Ad extremum postulat episcopus Culmensis ampliationem facultatum sibi in tertia tabula concessarum, praecipue in eo: quatenus valide et licite possit dispensare in tertio et quarto, simplici et mixto, cum personis etiam non pauperibus suae dioecesis ad contrahendum matrimonium, habita legali ratione. Pertimescit enim episcopus, ne potentiores, qui valde pauci sunt, expensas camerae apostolicae solvere valentes catholici prohibeantur in talibus impedimentis Romam facere recursus pro dispensationibus, nisi soluta aliqua quantitate prius in officio regio pro licentia, aut etiam compellantur a Regentia tales accipere dispensationes, qualem circiter ante duos menses super bannis non publicandis et contrahendo matrimonio in domo privata obtinuit quidam custos sylvarum regiarum catholicus, volens nubere nobili puellae itidem catholicae, coëgitque mandato Regentiae parochum sponsae ad assistendum suo tali matrimonio.

Reperit episcopus Culmensis in territorio praecipue Mariaeburgensi aliquos parochos pinguia beneficia curata regiae collationis possidentes, sed in illis non residentes, neque functionibus pastoralibus satisfacientes, et illi fuere Praelati et canonici variarum longe distantium cathedralium et collegiatarum ecclesiarum, quos saepius monuit, quatenus suis attendant officiis et obligationibus pastoralibus. Sed cum monitiones istae effectum suum non produxerunt, formatus est contra non residentes processus, cuius infortunatum eventum aliqui metuentes pro residentia ad suas parochiales, quas vigore retentionum apostolicarum obtinuerunt, condescenderunt ecclesias, alii nullatenus circa illas habitare volentes easdem resignarunt, reliqui praesumentes se esse per Bullas retentionis dispensatos a residentia in beneficio curato et ad obsequendum parochiae condescendere nolentes, decreto mediante pro desertoribus suarum parochialium sunt declarati et ab illis remoti. Hoc enim et pro iustitia ad mentem Pianae constitutionis facere debuerat, et tali modo obviare voluit futuris inconvenientiis, periculo animarum moderno praesertim tempore frigescentium, ac sequestrationi fructuum beneficialium a potestate saeculari, ob rationem solitae illorum evectionis ultra limites ser. regis Borussorum.

Insuper implorat episcopus Culmensis valida praesidia summi pontificis pro tuenda libertate et immunitate ecclesiarum catholicarum statusque spiritualis, ne personae privilegio fori spiritualis gaudentes in causis saltim personalibus cogantur coram iudice saeculari respondere.

Quae omnia supraexpressa, ita ut ad praesens in dioecesi Culmensi conspici, audiri et percipi potuerunt, fideliter exarata s. Congregationi Eminentiarum Vestrarum dum porrigit, idem qui supra episcopus se simul cum grege suo protectioni et gratiae commendat. Datum in residentia episcopali Lubaviensi dioecesis Culmensis die nona mensis Decembris anno domini 1773. Eminentiarum Vestrarum devotissimus et obsequentissimus servus Andreas Baier Eppus Culmen mpr.

*Nach der Abschrift im bischöflichen Archiv zu Pelplin in Sedlags Manusc. pag. 617—623.*

## 1226.

***1774. August 8. Löbau.*** *Christoph Szembek, Coadjutor des Bisthums Culm, resignirt die Coadiutorie.*

In nomine domini Amen. Praesenti publico instrumento cunctis, quorum interest, pateat evidenter et sit notum, qualiter anno a nativitate domini nostri Jesu Christi Millesimo Septingentesimo Septuagesimo quarto, indictione Romana VII. pontificatus s. d. nostri domini Clementis div. prov. Papae eius nominis XIV. fel. moderni anno ipsius sexto, die vero lunae octava mensis Augusti, Lubaviae, in mei notarii publici testiumque infrascriptorum ad id specialiter adhibitorum praesentia, constitutus personaliter celsissimus et reverendissimus dominus princeps Sielunensis Christophorus Szembek, episcopus Uranopolitanus, coadiutor episcopatus Culmensis, praepositus cathedralis Plocensis, canonicus Cracoviensis et in cathedra Posnaniensi, archidiaconus Varsaviensis, non coactus, non compulsus, nec aliquo devio errore aut sinistra machinatione circumventus, sed palam, sponte, libere animoque deliberato fassus est et expresse recognovit, quia ipse certis et legitimis de causis, animum suum permoventibus suoque tempore et loco, ubi de iure, manifestandis, a coadiutoria episcopatus Culmensis, sibi per Illmum Excellentissimum Rmum dominum Andream Baier episcopum Culmensem inscripta et per s. sedem apostilicam clementer collata, recedit eandemque coadiutoriam resignat, iuri suo, quod hucusque cum futura successione in praedictum episcopatum Culmensem habuit, publice et manifeste abrenuntiat, nec sibi amplius aliquem titulum ex vi eiusmodi coadiutoriae ad eundem episcopatum Culmensem eiusque modernum illius possessorem actualem episcopum, suum vero coadiutum, ab actu praesenti et in futurum reservat nec praecustodit, sed in totum de iure suo cedit et illi abdicat, Illmum Excellentissimum et Rmum dominum Andream Baier actualem episcopum Culmensem, suum vero adusque coadiutum, ob onere et obligatione ulterioris dictae coadiutoriae manutentionis, aut ad suum effectum deductionis liberat et absolvit, illique pro suo beneplacito alium coadiutorem assumendi relinquit libertatem et potestatem. Hancque suam resignationem, recessum, abrenuntiationem et absolutionem ad acta mei notariatus recipi, connotari ac eandem coadiutoriam ulterius pro insubsistibili ab hinc publicari affectavit, quam suam recognitionem spontanee factam et maioris fidei et testimonii gratia manu sua propria his in actis mei notariatus subscripsit. Christophorus Szembek, episcopus Uranopol. mp.

Et ex tunc ego notarius infrascriptus ad praemissa conscribenda et in protocollum meum recipienda requisitus, audita spontanea et libera voluntate resignantis et recedentis, rationibus eius coram me propositis permotus, cum voluntate et assensu ad praemissa ab Illmo Excellmo et Rndmo domino Andrea Baier episcopo Culmensi exhibito, recepto ab ipsomet resignante et recedente coadiutore corporali iuramento super eo: quod videlicet in praesenti renuntiatione et recessu nulla intercessit nec intercedit fraus, dolus, symoniaca

labes, aut alia quaevis illicita pactio vel coruptela ad s. dei evangelia praestito, renuntiationem ipsius et recessum suscepi ac in actis notariatus mei, ut praemissum est, connotavi eundemque publicavi praesentibus R̄ndis Mathia Rychłowski et Franscisco Borzymowski presbyteris dioecesis Culmensis testibus adhibitis.

Nicolaus olim Simonis Zielenski filius, publ. auth. apost. notarius, parochus Graboviensis etc. etc.

*Nach der Abschrift im bischöflichen Archiv zu Pelplin in Sedlags Manusc. p. 623—624.*

---

# Nachträge.

## 1227.

***1244.** [Culm.] Der Prior Hermann und der Convent der Predigerbrüder in Culm überlassen den Bürgern daselbst einen Gemüsegarten nebst einem Hause gegen einen Platz zur Ziegelscheune und zum Ziegelofen vorläufig auf 35 Jahre.*

Universis presentes litteras inspecturis, frater Hermannus prior Culmensis et conventus fratrum ordinis predicatorum oraciones humiles et devotas. Noverit universitas vestra, quod cum civibus Culmensibus de domo orti olerum, quam habuimus in pede montis versus aquilonem, talem fecimus ordinacionem. Ipsis ortum dictum resignavimus tali pacto, quod ipsi nobis concesserunt locum pro ponendo horreo laterum et fornace iuxta illud et ceteris ad hoc pertinentibus in planicie ante antiquam civitatem versus occidentem. Que concessio non durabit nisi XXXV annos, nisi de eorundem bona fuerit voluntate [prorogata]. Acta sunt hec hiis presentibus venerabili viro fratre Eberhardo comendatore antiqui Culminis, sculteto civitatis Bertoldo, Segenando, Frederico et fratre eius Henrico Liboldi, Ottone de Heymsod et aliis multis. Ut autem hec nostra ordinacio maneat illibata, nostri conventus sigilli munivimus appensione. Datum anno domini M°. CC°. XLIIII°.

*Abschrift im Folianten A 78 p. 71 des Kgsb. St.-Archivs. Incorrect gedruckt in Fr. Schulz, Geschichte der Stadt und des Kreises Culm. Danzig 1876 I 104 Anm.*

## 1228.

***[Um 1250] o. D. J. u. O.** Der Prior V[itus] der Predigerbrüder zu Culm und der Gwardian B[erthog] der Minoriten zu Thorn vidimiren eine Urkunde des Bischofs Günther von Plock vom 17. März 1230.*

*Original mit Siegelresten der Thorner Minoriten im polnischen Reichsarchiv zu Warschau (Inventarium p. 62); facsimilirt bei Stronczyński, Wzory pism dawnich nr. 5 vgl. Preuss. Urk.-B. I 58 Nr. 77 (Schluss).*

## 1229.

***1252. Juni 6. Thorn.*** *Berthog, Gwardian der Minoriten, bezeugt, dass der Archidiacon Jacob, früher von Lüttich, jetzt von Laon, als päpstlicher Legat zwischen dem Herzog Swantopolk von Pommern und dem deutschen Orden und Herzog Sambor zwar den Frieden vermittelt habe, Swantopolk aber wiederum mit einer Schaar Heiden ins Ordensland eingefallen sei und die Neubekehrten als Gefangene abgeführt und einen grossen Theil von Pomesanien mit Feuer verwüstet und ausgeraubt habe. Mitbezeugt von* frater Stephanus, socius noster. Dat. anno domini MCCLII. octavo Nonas (Idus?) Junii.

*Original mit dem Siegel des Klosters im Kgsb. St.-Archiv. Gedruckt bei Luc. David III 24 nr. 13. Cod. Pomer. 918 nr. 476. Preuss. Urk.-B. I 197 nr. 259.*

## 1230.

***1258. Juli 28. Thorn.*** *Bruder T. Gwardian zu Thorn und die übrigen Brüder des (Minoriten-) Convents in Preussen vertheidigen den DO. gegen die verläumderischen Anklagen beim Papste Alexander IV. und den Cardinälen.* Dat. in Thorun. a. d. MCCLVIII. V Kal. Augusti.

*Original ohne Siegel im Kgsb. St.-Archiv. Gedruckt in Voigt, Cod. Pruss I 120 nr. 120 und Bunge, Livl. Urk.-B. I 419 nr. 331.*

## 1231.

***1272. October 16. Marburg.*** *Das Haus des deutschen Ordens bei Marburg verspricht dem Pfarrer Walther zu Wetzlar, welcher die Hälfte des Kaufpreises der dem Kloster Altenberg abgekauften Güter zu Gossfelden beigesteuert hat, die Hälfte des Ertrages dieser Güter für Lebenszeit.* Testes: venerabilis pater et frater nostri ordinis dominus Fridericus episcopus Culmocensis, frater Hermannus, frater Ludewicus, sacerdotes, frater Heinricus Kulo, frater Ludewicus de Muncinbach, frater Godefridus traparius, frater Conradus de Fronhusen, et quam plures alii fratres Marpurg conmorantes. Datum Marpurg anno domini M°. CC°. LXXII°. XVII°. Kalendas Novembris.

*Aus Arthur Wyss, Hessisches Urkundenbuch. Leipzig 1879. Bd. I 213 nr. 285.*

## 1232.

***1294. Juni 20. Prag.*** *Procopius, Bischof von Krakau, leistet Wenzel II., König von Böhmen, Herzog von Krakau und Sendomir und Markgraf von Mähren, den Eid der Treue.* Act. et dat. Prage a. d. MCCXCIV. in capella s. Wenczeslay in castro Pragensi XII Kal. Julii, indiccione VII. presentibus — —. fratre Hermanno ordinis domus Theutonice, dicti regis confessore, etc.

*Aus Fiedler, Archiv für Kunde österreich. Geschichte XIV 180 bei Emler, Regesta Boehmiae et Moraviae II 708 nr. 1653.*

## 1233.

***1295. Mai 10. Brünn.*** *König Wenzel II. von Böhmen tritt die Güter Brezovia, deren Eigenthum zwischen ihm und dem Bischof von Olmütz strittig war, an den letzteren ab. Unter den*

***Zeugen:*** fr. Hermannus de domo Teutunica, confessor noster. Act. Brunne a. d. MCCXCV° VI idus Maii, indiccione VIII.

*Original im Archiv des Domcapitels von Olmütz bei Boczek V 29 u. Emler, Regesta Boh. II 724 nr. 1685.*

## 1234.

***1300. Juni 24. Culm.*** *Heilwigis, Aebtissin von Culm, der Convent und der Propst Alberus verkaufen das Dorf Ostaszewo (bei Grzywna) an den Pfarrer Albert von Povitz und Johann von Kalis zu Erbrecht.*

In nomine sancte ac individue trinitatis Amen. Nos Heilwigis, dei gracia Abbatissa Culmensis, totusque conventus dominarum una cum Albero preposito eiusdem domus, universis Christi fidelibus, ad quos presens scriptum pervenerit, salutem in domino Jhesu Christo. Tenore presencium notum esse cupimus tam presentibus quam futuris, quod nos, de maturo inito nostri capituli consilio et aliorum nobisque favencium, villam dictam parvum Hostaschove iure hereditario vendidimus domino Alberto, plebano de Pouicz, et Johanni de Kalis eorumque posteris sub hac forma, quod nobis de tredecim mansis predicte ville festo beati Martini viginti scotos minus dimidio a quolibet manso singulis annis persolvant; insuper et mensuras epyscopales. Preterea viri predicti tercium denarium de iudicio habeant. Tabernam liberam cum reliquis proventibus, qui sunt et fieri possunt, secundum Culmensis terre locationem libere possidebunt. Eadem etiam libertate gaudeant, qua et alie hereditates predictarum dominarum pociuntur. Huius rei testes sunt dominus Bertoldus plebanus de Culmine, dominus Peregrinus plebanus de Reddino, dominus Heidenricus plebanus de Grudenz, dominus Nycolaus de Grybna plebanus. Gothco Leschornus cum Alberto filio suo. Heinemannus de aureo monte cum fratre suo Nycolao cives Thorunenses. Ne ergo cuiquam dubietatis scrupulus super ordinacione prehabita in posterum oriatur, presentem litteram nostrorum sigillorum appensionibus duximus roborandam. Datum in Culmine anno domini M°. CCC°. in festo sancti Johannis Baptiste.

*Aus dem Original mit den Siegeln der Aebtissin und des Klosters im Kgsb. St.-Archiv.*

## 1235.

***1303. Mai 13. Zittau.*** *Wenzel II., König von Böhmen und Polen, überweist das Hospital ausserhalb der Stadt Zittau in weltlichen Angelegenheiten der Fürsorge der Bürger, in geistlichen aber dem Komthur (der Johanniter) und seinen Brüdern.* Presentibus domino Hermanno confessore nostro, episcopo de insula sancte Marie *(irrig statt* ep. Cholmensi) etc. Act. et dat. in Syttavia a. d. MCCCIII. tertio Idus Maii.

*Aus Carpzow, Analecta fastorum Zittaviensium I 141 in Köhler, Codex dipl. Lusatiae superioris Ed. 2 1856 8. I 169 nr. 109 und daraus bei Emler, Regesta II 842 nr. 1961.*

## 1236.

***1307. April 2. [Culm.]*** *Die Predigerbrüder in Culm verkaufen an den dortigen Rath einen Thurm in der Stadtmauer.*

Alle[n], die dissen keginwertigen brieff sehen adir horen, sey wissentlich, das ich bruder Rudeger, prior vom Colmen, mit gemeinschafft vnsir brudere des Convents, mit rate vnd mit geheisse bruder Symans, des prioris von Thorun, der an seyner stat ist vnsirs geistlichin vaters des prioris provincialis, vnd mit bruder Heynrichs, des prioris vom Elbinge, vnd mit bruder Nicolai, des prioris von Kemin (!), das wir den thorm, den wir gebauwet hatten czu vnsirm nutcze in der statmuwer, vnd allis, das wir hatten bawszen vnsirn czunen, den ratluten vom Colmen vmb hundirt mark vnd czwenczig prusschisser phennige haben vorkoufft vnd haben sie des geweldiget ewiglichin czubesitczen; also bescheidenlichen, das wir vnd die bruder, die noch vns komen, czwisschen vnsirn czunen zcu vnsirm gemache bauwen mogen alles, das czemelich vnd toglich ist, also das is der stadt nicht schedelich en sy. Ouch ensolle wir do keynen vsflos haben von vnsirm heymlichen gemache bawszen vnsirn czewnen. Vff eyne rechte stetikeyt vnd festenunge dirre vorgenanten sachen, so habe ich gehangen des convents ingesigil an dissen brieff vnd der vorgenanten priore. Disse ding sint geschen noch dem louffe der geburt vnsirs hirren (!) Jhesu Cristi Tusint jar vnd dreyhundirt jar in dem sibbenden jare an sante Marien Egiptiace tage.

*Abschrift im Folianten A 78 nr. 72 des Kgsb. St.-Archivs.*

## 1237.

***1326. März 12. [Culm.]*** *Die Minoriten in Culm bekennen von dem Rathe und der Bürgerschaft Culms einen Platz zur Erweiterung ihrer Kirche erhalten zu haben und leisten auf jeden ferneren Erwerb städtischen Besitzes Verzicht.*

In nomine domini amen. Quoniam secundum dictum sapientis futura tempora cuncta oblivione operient, idcirco non minus utile quam necessarium dinoscitur, ut ea, que tractantur in tempore, scripturis annotacioneque testium perhennentur. Universis igitur tam presentibus quam futuris has intuentibus litteras. Nos frater Nicolaus fratrum minorum custos per Prusciam, frater Hertmodus gardianus Culmensis ceterique fratres conventus eiusdem, frater Nicolaus gardianus Thorunensis, frater Albertus gardianus Novicastri et frater Henricus gardianus Brunsbergensis, cupimus fore notum, quod ob dei amorem et nostrarum precum interventu reverendi ac venerabiles in Cristo domini, videlicet dominus frater Wernherus de Orczele, magister generalis ordinis sacre domus theutunice hospitalis Sancte Marie Jerosolimitane, et dominus frater Otto de Luterberch,

provincialis terre Culmensis, ceterique professionis eorundem preceptores pro quadam nobis obtinenda particula aree contigua ad nostre ecclesie ampliandum locum honorabilibus et fidedignis consulibus ac universitati civium eiusdem iam dicte civitatis sub obligacione nostra quam supradictis dominis nostris fecimus et pacto supplicationes cum multa super hac re instancia porrexerunt, exaudiri attencius postulantes. Quas quidem ipsi cives prefati cum reverencia audientes, de communi omnium consilio et assensu votis predictorum annuendo dominorum, aree particulam memorate pro nostre ecclesie ibidem structura sub obligacionis et promissionis decreto benivole ac libere tradiderunt. Nos vero huiusmodi obligacionem nomine pacti per nos prenotatis dominis nostris scilicet domino Wernero magistro generali necnon domino Ottoni de Luterberch provinciali terre Colmensis ceterisque preceptoribus et consulibus ac civibus sepedictis factam promulgari seu manifestare ac certificare volentes, de nostrorum beneplacito prelatorum promittimus et obligamus nos sub sacrosancte professionis nostre voto, nostrosque sub eadem voti districtione successores firmiter includentes, non excusante eciam nos aliquo mandato seu auctoritate nostrorum superiorum, nichil enim ad nos eorum mandatum seu auctoritas in hac parte, quod dictum pactum aliqualiter valeamus viciare, itaque nullatenus extra aree iam dicte seu claustri vel curie nostre ampliando limites vel circumferenciam, directe vel indirecte per nos vel per alios quoquomodo aliquam a sepedictis civibus aream aut particulam ac eciam, quod minus est, passum pedis de cetero petituros, omni dolo seu fraude eciam postposito in premissis. Ut ergo hec obligacio et pactio per nos et posteros nostros rata et inconvulsa perpetuis permaneat temporibus, nostrorum appensione sigillorum presencia roboramus. Huius rei testes sunt frater Beringerus de Meldinge commendator Antiquicastri, frater Heydenricus de Hugewiz commendator in Papaw, frater Fredericus vicecommendator in Lippa, frater Johannes Saccus, Henricus Rockendorff, Tylemannus Miles, Nicolaus Leschhorn cives Thorunensis, Girshardus Leschhorn et alii quam plures fidedigni. Datum anno domini Millesimo Trecentesimo Vicesimo sexto, quarto Idus Martii.

*Abschrift im Foliunten A 78 p. 73 des Kgsb. St.-Archivs.*

# Berichtigungen und Druckfehler.

| | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|
| Seite | 1 | Nummer | 1 | Zeile | 11 | von oben lies 1453 statt 1443. |
| „ | 2 | „ | 4 | „ | 25 | von oben lies März 18 statt März 17. |
| „ | 2 | „ | 4 | „ | 12 | von unten lies nr. 19 statt nr. 18. |
| „ | 2 | „ | 5 | „ | 3 | von unten lies nr. 16 statt nr. 26. |
| „ | 3 | „ | 6 | „ | 14 | von oben lies 99 statt 199. |
| „ | 5 | „ | 12 | „ | 22 | von oben lies M(agister) statt (Magister). |
| „ | 7 | „ | 17 | „ | 4 | von oben lies 786 statt 706. |
| „ | 9 | „ | 19 | „ | 22 | von oben lies decime statt decimae. |
| „ | 9 | „ | 19 | „ | 4 | von unten lies sacros statt sacro. |
| „ | 11 | „ | 19 | „ | 7 | von unten lies II statt I. |
| „ | 12 | „ | 22 | „ | 4 | von unten lies XLVIIII statt XLIIII. |
| „ | 13 | „ | 24 | „ | 16 | von unten lies Battenburg statt Baccenburg. |
| „ | 13 | „ | 26 | „ | 1 | von unten lies deligentie statt diligentie. |
| „ | 25 | „ | 37 | „ | 4 | von unten lies Dusburg III statt Dusberg I. |
| „ | 28 | „ | 41 | „ | 3 | von unten lies das Land Loebau statt das Loebau. |
| „ | 31 | „ | 45 | „ | 3 | von unten lies hereditario statt heriditario. |
| „ | 38 | „ | 52 | „ | 10 | von unten lies duntaxat statt duntaxet. |
| „ | 40 | „ | 56 | „ | 7 | von unten lies unde ut statt unde et. |
| „ | 43 | „ | 59 | „ | 3 | von unten lies jetzt statt jetz. |
| „ | 44 | „ | 59 | „ | 20 | von oben lies Moncwin (undeutlich) statt Montwin. |
| „ | 44 | „ | 59 | „ | 11 | von unten lies Elshengense statt Elhengense. |
| „ | 48 | „ | 69 | „ | 7 | von oben lies Dusburg statt Dusberg. |
| „ | 48 | „ | 71 | „ | 8 | von unten lies ipsius [ecclesie], ipsis statt ipsius, ipsis. |
| „ | 49 | „ | 72 | „ | 6 | von unten lies presertim statt presentim. |
| „ | 55 | „ | 80 | „ | 17 | von unten lies episcopi statt episcipi. |
| „ | 59 | „ | 87 | „ | 5 | von unten lies 1274 statt 1275, weil das dritte Pontificaljahr Gregors X vom 27 März 1274 bis dahin 1275 geht, und ist im Datum auch das Jahr LXXIV statt LXXV zu ändern. |
| „ | 60 | „ | 87 | „ | 1 | von oben lies presencium statt precencium. |
| „ | 66 | „ | 102 | „ | 18 | von oben lies zwei statt swei. |
| „ | 71 | „ | 110 | „ | 2 | von oben setze nach novimus ein Komma. |
| „ | 76 | „ | 116 | „ | 20 | von oben lies Huius statt Huis. |
| „ | 83 | „ | 121 | „ | 16 | von oben lies sui statt sua. |
| „ | 93 | „ | 132 | „ | 6 | von unten lies inpeticioni statt inpetiticioni. |
| „ | 96 | „ | 139 | „ | 13 | von unten lies recepisse statt recipisse. |
| „ | 97 | „ | 142 | „ | 13 | von unten lies quoniam infirmitate statt quonia minfirmitate. |
| „ | 100 | „ | 147 | „ | 15 | von oben lies Albero — D. Stanizlao statt Albore — Ostamiplo. |
| „ | 103 | „ | 151 | „ | 20 | von oben lies sub statt snb. |
| „ | 105 | „ | 154 | „ | 16 | von oben lies Theodericum statt Theoditum. |
| „ | 107 | „ | 159 | „ | 4 | von unten lies mit Paul statt mit. |
| „ | 109 | „ | 162 | „ | 9 | von unten lies Gizelerus statt Grzelerus. |
| „ | 113 | „ | 168 | „ | 8 | von oben lies dimidium statt demidium. |
| „ | 114 | „ | 170 | „ | 17 | von unten lies Pomeranya statt Pomezanya. |
| „ | 117 | „ | 171 | „ | 3 | von oben lies proconsule statt preconsule. |
| „ | 118 | „ | 176 | „ | 9 | von unten lies adhuc statt adhnc. |
| „ | 121 | „ | 179 | „ | 17 | von oben lies excommunicari statt excommunicare. |
| „ | 125 | „ | 182 | „ | 7 | von oben lies complectendum statt complectandum. |
| „ | 125 | „ | 183 | „ | 3 | von unten lies begründet statt begründet. |
| „ | 126 | „ | 184 | „ | 9 | von oben lies cancellatus statt concellatus. |
| „ | 130 | „ | 188 | „ | 20 | von oben lies annum statt annnm. |
| „ | 131 | „ | 188 | „ | 13 | von oben lies octavum statt octavam. |
| „ | 136 | „ | 191 | „ | 4 | von oben lies quadam statt quadem. |

Seite 139 Nummer 193 Zeile 17 von unten lies corrigiren statt corrigen.
„ 140 „ 195 „ 22 von unten lies Formelbuch statt Formulbuch.
„ 143 „ 201 „ 14 von oben lies gestattet statt gesattet.
„ 143 „ 203 „ 1 von unten lies et per vos statt per nos.
„ 144 „ 204 „ 11 von oben lies mei statt mea.
„ 149 „ 211 „ 7 von unten lies vero statt viro.
„ 154 „ 215 „ 17 von oben lies sanccimus statt sanctimus.
„ 156 „ 217 „ 11 von oben lies prope parietem statt parietem.
„ 165 „ 227 „ 3 von oben lies condescenderent statt conscenderent.
„ 167 „ 228 „ 5 von oben lies mei statt mea.
„ 171 „ 230 „ 4 von oben lies Janislaus statt Januslaus.
„ 175 „ 235 „ 11 von unten lies Consilium statt Consilinm.
„ 180 „ 240 „ 19 von oben lies Dithmari statt Withmari.
„ 181 „ 242 „ 7 von oben lies Carceribus statt Caceribus.
„ 182 „ 244 „ 20 von oben lies Theoderici statt Theodorici.
„ 184 „ 244 „ 3 von oben lies Dithmari statt Vithivari.
„ 187 „ 247 „ 12 von oben lies nostre statt nostro.
„ 187 „ 247 „ 13 von oben lies Heluico statt Helinto.
„ 187 „ 250 „ 4 von unten lies Pontemsorgie statt Pentemsorgie.
„ 189 „ 251 „ 19 von oben lies salva in statt salvam.
„ 190 „ 253 „ 7 von unten lies descendentibus statt descententibus.
„ 191 „ 254 „ 16 von unten lies Dithmari statt Roithman.
„ 193 „ 256 „ 8 von oben lies Lebus statt Leubus.
„ 197 „ 260 „ 15 von oben lies conventus (?) statt questor.
„ 200 „ 261 „ 11 von unten lies predicti statt predict.
„ 203 „ 265 „ 8 von unten lies quoniam statt quum.
